P

PRAXIS IEIVNII ECCLESIASTICI, ET NATVRALIS,

IN QVA

QVICQVID IN HAC MATERIA OCCVRRERE POTEST

ATQVE ITEM

ALIA PLVRA DVBIA EX THEOLOGICIS PRINCIPIIS

Et sacris, atque ciuilibus Legibus breuiter, & dilucidè deciduntur.

A

ZACHARIA PASQVALIGO VERONENSI

Clerico Regulari Theatino Sacræ Theologiæ Professore.

In hac posteriori editione plurimis additamentis, ac nouis etiam quæstionibus locupletata.

CVM SVIS INDICIBVS.

SERENISSIMO PRINCIPI

ALEXANDRO SPINVLAE

Sereniſſimæ Genuenſis Reipublicæ Duci.

GENVÆ, TYPIS BENEDICTI GVASCHI. MDCLV.

SVPERIORVM PERMISSV.

IMPRIMATVR.

Ex auctoritate Illustriss. Magistratus Inquisitorum Status.

Laurentius Oliuerius Cancell.

EMINENTISS.MO ET REVERENDISS.MO PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO

S.R.E. CARDINALI

AC VICECANCELLARIO.

ZACHARIAS PASQVALIGVS

Cleric. Regul.

OMNIA FELICITATIS INCREMENTA.

IEIVNII squalorem inscriptione ipsa renunciat liber iste Eminentissime Princeps. Argumentum sanè insuaue, & ad populares plausus demerendos minimè idoneum. De illo igitur patrocinio erat cogitandum, sub quo publicæ potestatis factus primó occurrens blãdè sese insinuare posset. Nullum tuo opportunius. Cum enim vigilijs, & inedijs assueueris, tibiq; omni licita animi relaxatione interdixeris, vt totus publicæ vtilitati insudes, operi argumẽtũ, vt pote tibi familiare, non displicebit. Cũ vero exquisitissimis Doctorum voluminibus vndiq; conquisitis eam litterariam Cellam, quæ omnes in admirationem rapiat, regiam magnificentiam prætergressus, instruxeris, si tui iuris factus sub tuis prodeat auspicijs, dignus censebitur, quod istis annumeretur, & quod tua illa sapientia probetur, quam in pectore nutriens in omni tua actione mirificè explicas. Inops doctrinæ, & earum meditationum, quæ legentium animos rapiunt, à tua liberalitate ditabitur, quę assueta in egentium subleuamentum, in piorum hominum alimenta, in sacra ædificia facultates tuas exhaurire, tibiq; paupertatem parere, vererer, ne virtutis characterem amitteret, nisi ad eum ordinem eueheretur, in quo nullos in profusione terminos agnoscere, maxima virtus est. Plures alios titulos prætereo, quibus moueor, vt huic partui meo te in Tutorem deprecer; sed vnus ille præcipuus non est silentio pręmendus, quod nemo stoico supercilio librum carpet, dum, tuum esse, agnouerit. Didicit enim obloquutor vel nolens no-

** men

men tuum reuereri, didicit nolens laudare, dum liuido oculo quærens, quid culpet, hæret ad innocentissimæ vitæ tuæ candorem, nec nisi solas virtutes reperit, quæ te in expressissimam imaginem effingunt Patrui tui Vrbani VIII. Pontificis verè Summi, & cui non magis Pontificiæ dignitatis celsitudo, quam facta ipsa Maximi nomen concesserunt; vt proinde in illius auxilium pro totius Ecclesiæ administratione meritò Diuina prouidentia fueris aduocatus. Quo munere ita perfungeris, vt certent in te & Politiæ peritia, & administrationis integritas. Atq; si Patruum vt Pontificum Ideam agnoscimus, Te quoq; vt Pontificiorum Nepotum Ideam suscipimus. Tua igitur benignitas, quæ semper vel non quærentibus beneficia parit, nunc mihi quoque propitia adsit, atq; has lucubrationes meas ad tua admitte patrocinia: & patere, vt hoc altero publico monumento obsequentissimum, & deuotissimum animum meum profitear, totiusq; Congregationis meæ deuotionem, dum continuis beneficijs onerati hoc vnum grati animi testimonium proferre possumus, quod ingenuè fateamur, nos gratiam referre non posse, atq; precibus continuò oblatis Deum vrgeamus, vt cuncta pijssimis desiderijs tuis respondere faciat, & in Romanæ Sedis prosperitatem vertat.

LECTORI.

IEIVNII, legem omnibus ab Ecclesia indictam, nosti, amicissime Lector. Sed quam raros plausores habeat, experientia ipsa nimis frequenter testatur. Ij, quorum Deus venter est, & qui nullam in epulis agnoscunt temperantiam, vt humano corpori infensissimam abominantur; alij delicatiores, & nimium sibi indulgentes, vt durissimum iugum auersantur, atque ipsi impares humanas vires deplorant. Non inesse amplius humano corpori illud robur, quo primum valebat, senescere mundum, & omnia cum ipso in deterius ire, corpus nasci elangue, indigere fomento, nō castigatione. At Christus inculcat *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, & simul istorum eneruem petulantia, & illorum redarguit seueritatem, qui diuina precepta ita spinis obsepiunt, vt illud solum in votis habere videatur, quod homines mandata videant sed non amplectantur, hoc vnum importuno rigore consequuti, quod à diuinis sanctionibus se auertant alioquin obsequuturi. Proposui itaque Praxim explicare, & ad eam suauitatem reducere, quam humanarum operationum generales Regulæ concedunt, quibus si cohæreat, eam ipsam esse, quam Christus in suis præceptis extollit, procul dubio fatendum erit. At inquies, ieiunij rigor laxabitur. Fateor. Sed quid prestat, homines benignitate allectos Dei leges custodire, an rigore perterritos in perditionem ire? *Latum mandatum tuum nimis*, inquiebat Psaltes. Quid igitur ipsum coarctas? Quid proficit rigida exactio, nisi vt præuaricatores crescant? Flammeo gladio Angelus Paradisum voluptatis custodiebat, vt ingressum prohiberet. Ecquid zelus iste pro rigore præcepti, nisi flameus gladius prohibens, ne homines viam mandatorum Dei percurrant? Apage zelum istum, qui a Deo separat, & ad infernum cogit. Neque enim intra fines suos sistit, & ideo nec laudabilis est, inquit Nazianzenus. Nec virtus quia mediocritatem nescit. Subleuanda igitur humana imbecillitas, & Christo præeunte, operis leuitate inuitanda vt prompta iugum portet: ita & proximi vtilitas, & quod è Dei honore est, curabitur. Quam sapienter hoc sentiebat noster ille P. Iacobus de Stephanis Iberię, vulgo Georgię apostolus, qui vt efferas illas gentes in Dei viam reduceret, quam maxima poterat suauitate diuina præcepta cōdiebat sui ipsius seuerus castigator. At quis, Quot, inquiet, doctrina celebres hoc ipsum dilucidè, & solide prestiterūt. Equidē actū ages, & satius fuisset labori pepercisse. Audiat iste D. August. *Non tamē propterea putet, me tacere debuisse, quia nō tam expeditè, & dilucidè, quā illi, quos inteligit, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur in omnium manus veniunt. Et fieri potest, vt nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere valent, illos planiores non inueniāt libros, & in istos saltem incidat. Ideoque vtiles est, plures à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersa fide etiā de quæstionibus ijsdē, vt ad plurimos res ipsa perueniat ad alios sic, ad alios autē sic.* Itaq; D. Aug. Consiliū sequutus, totū huius rei argumentū tibi profero. Futurum tibi gratum tua illa mihi policetur benignitas, qua olim Morales meas Decisiones excepisti. Vale.

Matth. 11.

Ps. 118.

Orat. 14.

Lib. 1. de Trinit. cap. 3.

EX commiſſione Reuerendiſſimi Patris D. Stephani Medices Generalis Clericorum Regularium diligenter perlegimus Praxim de Ieiunio Reuerendi Patris Don Zachariæ Paſqualigi noſtrę Congregationis Theologi, in qua omnes dubitationes circa hanc materiam exactiſſimè determinat, & magna facilitate explicat, atque nil reperius, quod ſanæ Doctrinæ, & bonis moribus aduerſetur, & proinde in lucem edi poſſe cenſemus. Datum Romę die 11. Februarij. 1643.

D. Thomas de Afflictis Clericus Regularis Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Sacræ Congregationis Sancti Officij Qualificator.

D. Thomas Del Bene Clericus Regularis S. T. P.

D. STEPHANVS MEDICES Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

HOc opus, cuius inſcriptio *Praxis Ieiunij* à P. D. Zacharia Paſqualigo noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, & à non nullis PP. Theologis noſtra auctoritate recognitum, & approbatum, vt typis mandetur (quo ad nos ſpectat) facultatem concedimus. In quorum fidem pręſentes litteras propria manu ſubſcriptas, & ſolito Congregationis Sigillo munitas damus.
Romæ apud S. Silueſtrum Montis Quirinalis die 12. Februarij 1643.

D. Stephanus Medices Præp. Gen. Cong. C. R.

Locus † Sigilli.

D. Marcellus de Ruuere Secretarius.

IMPRIMATVR ITERVM.

Fr. Deodatus Gentilis S. T. Magiſter Vic. Generalis S. Off. Genuæ.

SERENISSIME PRINCEPS.

CVM primùm illa ab omnibus iam diù optata dies Reip. Genuen. illuxit, qua Te (Sereniss. Princeps) totius Regni Liguriæ Moderatorem Supremum, omnium ciuium lætitia frequentissima Optimatum suffragia renunciauerunt, omnes omnino, tùm ob egregias, quibus præditus es fortunæ, & animi opes; tùm ob eximiam, qua Deum, sacraque colis, Pietatem, incrementum, gloriam, felicitatemque perennem Reipublicæ prædixère. Nec exitus vaticinia fefellit. Quandoquidem ea tempora, quæ maligna Astrorum conspiratione Turbines, & Procellas vbique minabantur, Consilio, Sapientia, Prudentiaque tua præter omnium spem, & summa Ligustici nominis gloria, tranquilla serenitate ridentia Reip. reddidisti, cuius rei tam feliciter gestæ memoriam omni æuo Fama perennis vbiq; commendabit. Sed hæc non erit Te regnante postrema Iani felicitas. Maiora etiam, si Diis placet, speramus. Certò enim certius est Deũ pro pietate maiori maiora rependere beneficia, & Principẽ summa Pietate refertum proximum à Deo haberi, quia per eum Dei Maiestas vendicatur; hinc rectè aiebat Arist. *Deos esse promptiores in eos, qui maxime illos colunt; & ita promouere, & conseruare eorum principatus satis apertum esse potest, vt etiam* Cicero *audacter pronunciauerit, Romanos non calliditate, aut robore, sed pieta-*

te,

te , ac religione omnes gentes , nationesque superasse . Cùm igitur me non lateat nihil offerri posse acceptius Principibus Pijs, quàm munera Pia , non abs re fore putaui , si opus hoc , quod typis meis edi curaui , vt à religioso, eodemque eruditissimo viro confectum, miráque Doctrina, et singulari Pietate refertum Augustissimæ Serenitati tuæ dicarem . Nec deterruit me & istius parui exilitas doni,& Tuæ Celsitudo Dignitatis ; nàm puderet hoc tantulo munere Tuam Serenitatem venerari , nisi esset summis viris peculiare , vt quò altius supra cæteros extolluntur eò donis soleant tenuioribus coli; cum illos animorum obsequia magis , quam pretia ingentia delectent . Nec aliter cum Deo ipso agitur , cui modico Thure libatur . Gratum deniq; Tibi debere accidere hoc qualecumq; munus , mihi suadet innata tibi , & quasi congenita humanitas , qua soles non tàm exhibiti intueri donarij tenuitatem , quàm venerationis , obseruantiæ , & seruitutis testimonia clementer excipere .

Serenitatis Tuæ .

Humillimus, & obsequentiss. seruus

Benedictus Guascus .

SYLLABVS AVCTORVM QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

A

ABBAS Panormitanus in Decretale.
Adami Tanneri Commentaria in Sum. D. Thom.
Additionator ad Io. Andream.
Adriani VI. Pontif. Maximi Quodlibeta.
Ægidij Bellameræ Lectura canonica.
Ægidij Bossij practica.
Ægidij Coninch è Societate Iesu de Sacramentis, & Censuris.
Alcuinus de diuinis officijs.
Alberi Bruni tractatus quod stante statuto, &c. Item Consilia.
Alexandri Alensis Ordinis Minorum Summa.
Alexandri Ariostis Enchiridium, seu Summa.
Alexandri de Imola lectura ciuilis.
Alexandri Ludouisij, postea Gregorij XV. Decisiones
Alexander de Nauo in Decretale.
Alexandri Pellegrini Cler. Reg. Theatini Compendium priuilegiorum Clericorum Regularium.
Alexandri Pesantij Commētaria in Sum. D. Thomæ,
Alexandri Sperelli Episcopi Eugubini Erisionis fori Ecclesiastici.
Alexandri Tartagni Consilia.
Alexij Trouset Thesaurus Eucharistiæ.
Aloysij Riccij Episcopi Æquensis Resolutiones quotidianæ.
Aloysij Turriani è Societate Iesu Summa Thologiæ moralis: Item Disputationes selectæ. Item de iustitia, & iure.
Alphonsus de Castro contra Hæreses.
Alphonsus de Leone Clericus Regularis de Iubileo. Item de Officio Capellani. Item decensuris.
Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis in Matthæum. In lib. Regum. Item Quæstiones.
Alphonsi Vegæ Ordinis Minorum Summa. Item Speculum Curatorum.
Alphonsi à Veracruce Ordinis Eremitarum S. Augustini Speculum coniugiorum.
Amalarius de Officijs Ecclesiasticis.
D. Ambrosius de Elia, & ieiunio. Item Epistolæ.
Andreæ Alciati Consilia.
Andreæ Aretini Consilia.
Andreæ Duualij Pontesiani Doctoris Sorbonici Commentaria in primam secundæ D. Thom.
Andreæ Fachinei Forolmiensis Controuersiæ.
Andreas de Isernia Lectura.
Andreas Mendus Societatis Iesu in tres Bullas &c.
Andreę Molfesij Clerici Regularis Theatini Summa.
Andreæ Tiraquelli Opera.
Andreæ Victorelli Adnotationes in Toletum.
Angeli Aretini Lectura. Item Consilia.
Angeli de Clauasio Summa, dicta Summa Angelica.
Angeli de Perusio Lectura.
Antonij Butrij Lectura. Item Consilia.
Antonij Cordubæ Ordinis S. Francisci Quæstionarium Theologicum. Item Tractatus de casibus conscientiæ. Item in Regulam S. Francisci. Item Adnotationes ad priuilegia Mendicantium.
Antonij Corsetti Neptini Siculi Singularia.
Antonij de Escobar, & Mendoza Societatis Iesu Theologia moralis.
Antonij Fernandez de Moure Examen Theologiæ moralis.
Antonij Franchi Scholia ad Panormitanum.
Antonij Gabrielis Communes Opiniones.
Antonius Gomez in Bullam Cruciatæ.
Antonius Graana, & Nieto in decretales.
Antonij Hynoiosæ Ordinis Prædicatorum directorium decisionum Regularium.
Antonij de Leone Quæstiones Morales.
Antonij de Litteratis Summa.
Antonij Naldi Cler. Reg. Theatini Summa.
Antonius Quintana Duennas Societatis Iesu de Iubileo.
Antonij Ragucij Vas Ecclesiasticæ Disciplinæ.

Fer-

Ferdinandi de Castro Palao e Societate Iesu Opus morale.
Ferdinandus Rebellius de Obligatione iustitiæ, & iuris.
Franceschini Curtij iunioris lectura.
Francisci Alçozer Ordinis Minorum Summa.
Francisci Amici Societatis Iesu cursus theologicus.
Francisci Aretini Consilia.
Franciscus Balbus de Præscriptionibus.
Franciscus Bardus societatis Iesu in Bulla cruciatæ, Nam de conscientia.
Francisci Bordoni tertij ordinis S. Francisci Consilia Regularia.
Francisci Cespedes Cler. Reg. Theatini dubia militaria.
Francisci Curtij senioris Consilia.
Francisci Ghetij Comensis ordinis Prædicatorum Thesaurus animæ.
Franciscus Lugo societatis Iesu. De Sacramentis.
Francisci Merollæ Congregationis Oratorij Neapolitani S. Philippi Nerij Theologia moralis.
Franciscus Munnoz de Escobar. De ratiocinijs.
Francisci Ortiz Lucij ordinis S. Francisci summa Hispanicè scripta.
Franciscus Ouiedus Iesuita in 1. 2. D. Th.
Flaminius Parisius de Resignatione beneficiorum.
Francisci Pellizzarij societatis Iesu Manuale Regularium. Nam de Monialib.
Francisci Pitigiani Summa in 4. sentent.
Franciscus Syluius Comes à Brania Theologiæ professoris in Academia Duacena in 2. 2. D. Th.
Francisci Suarez e societate Iesu Opera Theologiæ moralis.
Francisci Toleti societatis Iesu Instructio Sacerdotū.
Francisci Turriani Scholia in constitut. Apostolicas.
Francisci Victoriæ Dominicani Relectiones.
Francisci Zabarellæ Cardinalis Opera.
Francisci Zipei Analysis noui iuris Pontificij.

G

Gabriel Aluarez de Velasco de Priuileg. Pauperum, & miserabilium personarum.
Gabriel Biel in lib. sentent.
Gabrielis Vasquez societatis Iesu Opera.
Gaspar Hurtadus e societate Iesu de Sacramentis.
Gesualdi de Bononijs Capucini Theologia moralis.
Georgius Gobat Iesuita de iubileo.
Glosa in Ius Canonicum.
Glosa in Ius Ciuile.
Gregorius Lopez in l. Hispanas.
Gregorius Martinez Ordinis Prædicatorum in 1. 2. D. Th.
D. Gregorij Papæ Opera.
Gregorij Sayri Benedictini Clauis Regia. Item de censuris.
Gregorij Valentiæ societatis Iesu summa.
Guidonis à Baysio Archidiaconi Bononiensis Rosarium, seù Lectura in Decret.
Guillielmus Cantarellus in Decalogum.
Guillielmi Durandi vulgo Speculatoris Rationale Diuinorum officiorum.
Guillielmi Merceri ab Atho professoris Louaniensis. De Sacramentis.

H

Henrici Boich. Lectura.
Henricus Botus de Synodo.
Henrici Henriquez e societate Iesu summa.
Henrici de Segusio Cardinalis Hostiensis summa. Item in decretale.
Henriquez Villalobos ordinis Minorum summa Hispanica.
Hermij Sozomeni Salaminij Historia Ecclesiastica.
D. Hieronimi Opera.
Hieronimi Campanilis Diuersorum iuris Canonici.
Hieronimi Garzie, ordinis S. Hieronimi summa morales.
Hieronimi Ghilini summa.
Hieronimus Cigas de Pensionibus.
Hieronimi Llamas ordinis S. Bernardi in Hispania summa, seù Methodus curandi animas.
Hieronimi Perez summa Theologiæ moralis.
Hieronimi Rodriquez Compendium Quæstionum Regularium Emmanuelis Rodriquez.
Hieronimi Sorbi ordinis Capucinorum compendium priuilegiorum Mendicantium.
Homobonus de Bonis Examen Ecclesiasticum.
Horatij Mendotij de priuilegij ad instar.
Hypocratis opera.
Hyppoliti de Marsilijs practica in Missalis.
Hyppoliti Riminaldi Lectura.
Hyppoliti Riminaldi iunioris Consilia.

I

Iacobus Almainus in Lib. sentent.
Iacobi Gordoni e societate Iesu Theologia moralis.
Iacobi de Graffijs Abbatis Congregationis Cassinensis decisiones Aureæ.
Iacobus Granadus, e societate Iesu in 1. 2. D. Th. & in 3. par.
Iacobi Marchantij Resolutiones Pastorales.
Iacobi Menochij consilia. Item de arbitrarijs. Item de præscriptionibus.
Iacobi simanchæ institutiones catholicæ.
Iasonis Maini consilia. Item Lectura.
D. Ignatij Martiris Epistola ad Philippenses.
Illephonsi Perez de Lara compendium vitæ hominis.
Innocentij Papæ IV. prius synibaldi Flisci Genuensis Lectura.
Io. Ægidius Trullench in præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Item in Bullam cruciatæ.
Io. Alphonsi à Ruicibus Medicina pauperum.
Io. de Anania Lectura.
Io. Andreas in Decretale Lectura.
Io. Angelus Bossius, e congregatione Bernabitarum de iubileo. Item disceptationes morales.
Io. Antonij à s. Georgio Cardinalis Alexandrini vulgo Præpositi Lectura canonica.
Io. Azotij societatis Iesu institutiones morales.
Io. Baptistæ Bizozeri summa.
Io. Baptistæ Conradi ordinis Prædicatorum Responsiones casuum conscientiæ.

Io. Baptista Fragossus Iesuita de regimine Christianæ Reipub.
Io. Baptistæ Lezanæ summa quæst. Reg. Item consilia.
Io. Baptista Scortia societatis Iesu de sacrificio Missę.
Io. Bertachinus de Episcopis.
Io. Calderini consilia.
Io. Caramuel Lobkouuitz Ordinis Cisterciensis Commentaria in Regul. S. Benedicti.
D. Io. Chrisostomi Homiliæ in Genesim, sermones, & alia opera.
Io. Croti Lectura.
Io. à Cruce ordinis Prædicatorum Directorium conscientiæ.
Io. de Dicastillo de iusto, & iure. Item de Sacramentis.
Io. Driedo de Libertate Christ.
Io. Escobar eorum de vtroq; foro.
Io Francisci Ripæ Lectura.
Io. Franciscus Suarez Enchiridion casuum conscientiæ.
Io. de Friburgo summa Confessorum.
Io. Gersonis opera Theologica.
Io. Gutierez opera.
Io. Henriquez compendium casuum moralium.
Io. de Imola lectura canonica.
Io. Lopez de Palat. in cap. per vestras, De donatione inter virum, & vxorem.
Io. de Lugo, e societate Iesu de Sacram. Eucharistiæ nunc Eminentis. ordini cooptatus.
Io. Machadus perfectus confessarius.
Io. Maior in lib. sentent.
Io. Malderus Episcopus Antuerpiensis in 1. 2. D. Th.
Io. Mariæ Nouarij Lucerna Regularium.
Io. Medinæ codex de pœnitentia.
Io. Molani Theologia practica.
Io. Nider in Præcepta Decalogi.
Io. de Ouando in lib. sentent.
Io. Pedrazzæ summa.
Io. à Platea lectura.
Io. Præpositus societatis Iesu in 3. p. D. Th.
Io. Salas societatis Iesu de legibus. Item in 1. 2. D. Thom. Item Tractatus varij in 1. 2.
Io. Sanchez Disp. selectæ de Sacramentis.
Io. de Solorzano politica.
Io. de sylua de beneficijs.
Io. Tabienæ Dominicani summa dicta summa Tabiena.
Io. à Turrecremata opera.
Io. Valeri Carthusiensis Differentiæ inter vtrumque forum.
Io. Vuigers Diestensis professoris Regij Louaniensis commentaria in 1. 2. & 2. 2. D. Th.
Io. Viguerij Dominicani institutione Theologicæ.
Iodochi Lorichij Thesaurus.
Ioseph Angles Ordinis Minorum Regular. obseruantiæ Flores Theologicarum quæst.
Ioseph Augustini societatis Iesu prauis notitia &c.
Ioseph Roccaful praxis moralis.
D. Isidori opera.
Iulianus Firmianus de Episcopis.
Iulij Calui synaxis curæ animarum.
Iulij Clari practica.
Iulius Lauorius de Iubileo.

L

Laurentij Caluarci consilia.
Laurentius Peyrinus Ordinis Minimorum. De priuilegijs Mendicantium Item eiusdem Prælatus Religiosus.
Laurentij Portel ordinis minorum dubia Regularia.
Leander à Mursia Ordinis Minorum in Regul S. Francisci.
Leander de Sanctissimo Sacramento ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinit. Redempt. captiuor. de Sacramentis. Item in præcepta Ecclesiæ.
Leonardus Lessius societatis Iesu de iustitia, & iure.
S. Leonis Papæ opera.
Ludouici Beiæ ordinis Eremitarum S. Augustini responsiones casuum conscientiæ.
Ludouici Cispensis ordinis Capucinorum cursus Theologiæ.
Ludouici à Cruce ordinis minorum in Bullam cruciatæ.
Ludouici Gozadini consil.
Ludouici à Sdo. ordinis minorum summa in 4. sent. Hispano idiomate scripta.
Ludouici Lopez ordinis Dominicanorum instructorium.
Ludouici Meratij summa Theologica.
Ludouici Mirandæ ordinis S. Francisci Regulares obseruantiæ Manuale Prælatorum.
Ludouicus Molina inrista de iure primogenituræ.
Ludouicus Molina è societate Iesu de iustitia, & iure.
Ludouici Montesini in 1. 2. D. Th. commentaria.
Ludouici Perusini Decisiones.
Ludouici Romani consilia.
Lucæ de Penna lectura.

M

Marcellus Fortunatus de veritate, & errore.
Marcelli Megalij Clerici Regularis Theatini promptuarium. Item variæ Resolutiones.
Marci Antonij Berarducij summa dicta summa corona.
Mariani Soccini senioris lectura consilia.
Marij Antonini variæ Resolutiones.
Marquardus de susannis tractatus de iudeis.
Martini Alphonsi Viualdi candelabrum aureum.
Martinus Ayala de traditione Ecclesiæ.
Martini Bonacinæ Opera.
Martinus Bresserus Boxtellanus societatis Iesu. De conscientia.
Martini Funes speculum morale.
Martinus à S. Ioseph ordinis minorum auiso de confessores &c.
Martini Ledesm e 1. pars 4 & 2. pars. 4.
Martini de Magistris opera.
Martini Nauarri opera.
Martyrologium Romanum.
Matthei Poninii consilia.
Matthei Khellisoni præsidis collegij Duaceni Anglorum commentaria in 3. par. D. Thom.
Matthei de Rubeis Florentini adnotationes ad rubricas Missalis.

Mes-

Melchior Canus Episcopus Canariensis ex ordine Prædicatorum de locis Theologicis, Item de pœnitentia.
Michael de Palatio in lib. sentent.
Michaelis Zanardi Directorum Confessorum.

N

NIcephori Callisti Xanthopoli Historia Ecclesiastica.
Nicolai Baldelli societatis Iesu Theologia moralis.
Nicolai Boerij Lectura, & alia.
Nicolaus Garzias de Beneficijs.
Nicolai de Milis Repertorium.
Nicolai Morciscensis ordinis Prædicatorum Tirocinium pœnitentium.

O

ORdo Borranus.

P

PAulus Borgasius de irregularitate.
Pauli Comitoli è societate Iesu Responsiones morales.
Pauli Laiman societatis Iesu Theologia moralis.
Pauli de palatio Notæ ad summam Caietani.
Petri Allagonæ compendium iuris canonici.
Petri Ancharani Lectura consilia.
Petrus Andreas Gammarus de auctoritate Legati.
Petrus Anellus Persicus societatis Iesu de Officio sacerdotis.
Petri Antonij de Petra de potestate Principis.
Petrus de Arragonia ordinis Eremitarum. De iustitia, & iure in 2. 2. D. Th.
Petrus Aureolus ordin. min. in lib. sentent.
P. Baptistæ Fragosi societatis Iesu Regimen Reipub. Christianæ.
Petri Binsfeldij Enchiridium.
Petri Cenedo Quæstiones canonicæ.
Petrus cottonus societatis Iesu contra Hæreses.
Petrus Hurtadus societatis Iesu de fide spe, & charitate.
Petrus de Ledesma ordinis Prædicatorum de Matrimonio. Item summa Hispanicè scripta, & posteà in latinum conuersa.
Petri Marchantij ordinis minorum Tribunal sacramentale.
Petrus Mattheus in Rubricas Missalis.
Petrus Nauarra de Restitutione.
Petrus Nunnoz Auendagnus de exequendis mandatis.
Petrus Ochagauia canonicus salmaticensis de Sacramentis.
Petrus de Palude in lib. sentent.
Petri Pauli Parisij consilia.
Petri Rebuffi Praxis Beneficiorum, & alia opera.
Petri sutoris carthusiensis Historia.
Philiberti Marchini clerici Regularis Bernabitæ. Bellum Diuinum, seu de peste.
Philippus à cortue Vascincellus de decimis.
Philippi Decij Lectura canonica, & ciuilis. Item consilia.
Philippi Franchi lectura.
Philippi probi lectura.
Pontificale Romanum.
D. Prosperi Aquitani opera.
Prosperi Farinacij opera.

Q

QVintiliani Mandosij praxis signaturæ.
Q. septimij Florentis Tertulliani opera.

R

RAbani Mauri opera.
Raineri Foroliuiensis lectura.
Raphael Auersa clericorum Regularium Minorum olim, & nunc denuo Generalis de Matrimonio.
Richardus de Mediauilla in lib. sent.
Rocchi curtij lectura.
Rodericus de Arioga societatis Iesu in 1 2. D. Th
Roderici à cunba Archiepiscopi Braccarensis commentaria in 1. par. Decreti.
Roberti Bellarmini è societate Iesu cardinalis controuersiæ.
Roberti Marantæ Practica.
Rollandi à Valle consilia.

S

SAmmuelis de Lublino ordinis Prædicatorum summa casuum conscientiæ.
Sancrions de Melphei ordinis minorum in constitutiones minorum.
Scipionis de Rubeis Aphorismi Episcopales.
Sebastiani à costa in Bullam cruciatæ.
Sebastiani Medices opera.
Sexta Synodus.
Simeon Maiolus de irregularitate.
Stephani Auferij Additiones ad Decisiones capellæ Tolosanæ.
Stephanus Auila è societate Iesu de Censuris.
Stephanus Bauny societatis Iesu Theologia moralis.
Stephanus Facundez societatis Iesu in quinque præcepta Ecclesiæ.
Stephani Gratiani Disceptationes forenses.
Stephani Ismardi codex minimorum.
Summa Rozella.
Syluestri Pierates Dominicani Summa dicta Syluestrina.

Theo-

THeodoreti opera.

Theophili Alexandrini Epistola ad Episcopos Ægypti.

Theophili Raynaculus societatis Iesu de Monitorijs. De sestone vteri.

D. Thomæ Aquinatis Ordinis Prædicatorum opera.

Thomæ Hurtadi Clericorum Regularium Minorum Resolutiones variæ.

Thomæ Sanchez societatis Iesu summa in Decalogum. De Matrimonio. Consilia moralia.

Thomas Zerola Episcopus Minorensis de Iubileo.

V

VAlerij Reginaldi è societate Iesu Praxis fori pœnitentialis.

Vincentij Filliucij è societate Iesu Opus morale.

Vldarici Zusij Consilia.

IN-

INDEX DECISIONVM.

An

suranda

De ijs, quæ contrariantur, vel non contrariantur vnicæ comestioni Ieiunij:

De hora seruanda in refectione quando ieiunatur.

De Tempore, in quo est ieiunandum tam quò ad horas, quàm quò ad dies.

De obligatione ieiunandi, & exemptione ab ipsa ratione loci.

An Mo-

De obligatione ieiunandi ex voto.

De ijs, qui tenentur, aut non tenentur ieiunare.

Fœmina

An,

An pec-

De ieiunio naturali, & necessario pro Eucharistiæ sumptione.

PRAXIS IEIVNII ECCLESIASTICI ET NATVRALIS

ZACHARIAE PASQVALIGI VERONENSIS CLERICI REGVLARIS.

DE NATVRA IEIVNII.

Quid sit Ieiunium. Decis. 1.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium importat aliquando abstinentiam à peccatis.*
2 *Ieiunium naturale quodnam sit, & an actus virtutis.*
3 *Quid Ieiunium morale.*
4 *Quid Ieiunium ecclesiasticum.*
5 *Quomodo se habeat Ieiunium ecclesiasticum ad Ieiunium morale.*

1 IEIVNIVM ex vi suæ significationis importat abstinentiam. Et quia abstinentia exerceri potest circa ea, quæ pertinent ad animam, & circa cibum corporis, ideo consurgit duplex ieiunium, nempe ieiunium animæ, & ieiunium corporis. Primum importat abstinentiam à peccatis, & omnibus illicitis iuxta illud Apostoli Petri *Epist.* 1. *cap.* 2. *Obsecro vos tanquam aduenas, & Peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam*, Et Esaiæ 58. *ver.* 6. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis solue fasciculos deprimentes*. De quo etiam August. *tract.* 17. *in* Ioan. & refertur in Cap. *Ieiunium De consecrat. Dist.* 5. habet *Ieiunium autem magnum, & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum ieiunium.* Vnde est quod iam ieiunium metaphoricum, ad quod semper, & pro omni tempore obligamur, & est actus plurium virtutum, nempe illarum omnium, quę exercendæ sunt, vt seruemus præcepta.

2 Ieiunium autem corporis est quando ipsi subtrahitur cibus, quod contingere potest dupliciter. Vel enim subtrahi potest totaliter, ita vt tam cibus, quam potus subtrahatur; vel potest subtrahi ipsum reducendo ad aliquam determinatam mensuram. Primo modo constituitur ieiunium naturale, quod quidem de se præcisè non est aliqua virtus, quia consistit in mera negatione, vt docent communiter Riccar. *in* 4. *dist.* 15. *ar.* 3. *q.* 1. Maior. *quæst.* 3. Gabr. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *init.* cum D. Th. 2. 2. *quæst.* 146. *ar.* 1. Potest tamen esse actus virtutis imperatiuè, quatenus ex aliquo motiuo virtuoso imperari potest: vnde potest esse actus diuersarum virtutum iuxta diuersitatem motiui. Hoc autem ieiunium est necessarium pro sumptione Eucharistiæ à media nocte antecedente, de quo fusè pertractabimus infra.

3 Quando autem cibus reducitur ad aliquam determinatam mensuram, & constituitur ieiunium positiuum, quia consurgit ex posita moderatione alimenti, adhuc contingere potest dupliciter. Nam

talis mensura potest esse secundum regulam rectæ rationis, quatenus constituitur mediocritas quædam proportionata exigentiæ naturæ; tunc consurgit ieiunium morale, quod est actus temperantiæ, temperans ita cibum, & potum, vt tollat excessum habita ratione exigentiæ naturæ. Vnde non consistit in eadem mensura respectu omnium, quia iuxta diuersitatem complexionis maior, aut minor esse potest. Et de hoc agit D. Thom. 2.2. *quæst.* 146. *ar.* 1. Atque ad hoc ieiunium omnes tenentur, & omni tempore, quia adest præceptum naturale temperantiæ obligans omnes ad debitam mensuram cibi, & potus, & ad illam mediocritatem, in qua consistit virtus, quam si excedamus, iuxta quantitatem damni prouenientis corpori ex excessu peccatum esset mortale, aut veniale.

4 Si vero mensura cibi sit secundum regulam rationis illuminatæ per fidem, & respicientis finem supernaturalem; atque adeo secundum præscriptionem Ecclesiæ, ad quam pertinet præscribere modum tendēdi in finem supernaturalem, tunc consurgit ieiunium ecclesiasticum, quia nimirum ita est abstinentia, vt tamen accipiat formam à dispositione Ecclesiæ. Et de hoc in præsenti agimus. Est autem abstinentia à solo cibo secundum formam ab Ecclesia præscriptam. Quia, vt videbimus infra suo loco, potus, licet ita excederet, vt violaret virtutem temperantiæ, nunquam tamen violat ieiunium ecclesiasticum. Et ad hoc certis diebus ab Ecclesia obligamur. Possumus etiam ad ipsum obligari vel voluntarie ex voto, vel à confessario ratione pœnitentiæ iniunctæ: vel etiam à particularibus superioribus, qui habent iurisdictionem spiritualem.

5 Ex quibus colligitur, quod ieiunium ecclesiasticum augeat abstinentiam ieiunij moralis, quia hoc concedit totam illam alimentationem, quæ requiritur ad bene nutriendum corpus absque vlla maceratione, & solum prohibet excessum nociuum: ieiunium autem ecclesiasticum subtrahit de hac alimentatione, tam quò ad quantitatē, quā quò ad qualitatem cibi, & ordinatur ad macerationē corporis.

An ieiunium Ecclesiasticum sit bonum. Decis. 2.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici negant ieiunium ecclesiasticum esse bonum.*
2 *Fides Catholica affirmat esse bonum.*
3 *Ieiunium approbatur a scriptura.*
4 *Commendatur a Patribus.*
5 *Est vtile ad optimum finem.*
6 *Præsente Christo corporaliter, & sensibiliter non erat conueniens ieiunium.*

1 HÆRETICI more solito dicentes bonum malum, & malum bonum, reiecerunt ieiunium Ecclesiasticum tanquam malum. Ita Gnostici, vt refert Tertullianus *in Scorpiaco*. Eustachius, vt colligitur ex Concil. *Gangrensi in Epist. Sydoni Ad Episcopos Armeniæ* & Iouinianus cum suis sectatoribus, vt refert D. Hieronym. *lib.* 2. *contra eumdem Iouinianum*, & D. August. *cap.* 82. *de Hæresib.*

2 Sed fides Catholica docet, ieiunium ecclesiasticum esse bonum, & ita stabilitum est in Concil. *Gangrensi*, in quo anathematizantur contemnentes ieiunia Ecclesiæ. In Concil. *Toletano* 1. *in Assertione Fidei*, & in Braccarensi 1. *can.* 14. & ita tradunt cōmuniter Doctores Alens. *par.* 4. *quæst.* 98. *memb.* 3. *ar.* 1. Angles *in Florib. par.* 2. *in* 4. *quæst.* 1. *de Ieiunio difficul.* 1. Valentia *to.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 2. *punc.* 2. ver. *Primo enim* Ledesma 2. *par* 4. *quæst.* 17. *ar. dub.* 2. ver. *Sed contra conclusionem* Petrus Cotonus *lib.* 2. *contra hæreses* c. 36. Castrus *contra hæreses* verbo *Ieiuniū*, & alij plures.

3 Et habentur clara testimonia sacræ scripturæ. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosina magis, quam thesauros auri recondere.* Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio fletu, & planctu*: Daniel. 10. *Noli metuere Daniel quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres* (nempe per ieiunium) *in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum.* 2. Ad Chorinth. 6. *Exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate.* Vnde quando aliquando in Scriptura reprehenditur ieiunium vt Esaiç 58. non reprehenditur nisi quia fit cum peccatis, non autem quia in se non sit bonum.

4 Atque Patres effusissimi sunt in adscribendis ieiunio prærogatiuis. *Continere ieiunium imitationem conuersationis Dei*, ait S. Ignatius *Epist. ad Philippenses*. *Fugare Demones, & malas cogitationes, & mentem nitidiorem reddere* inquit Athanasius *lib. de Virginitate*. *Matrem esse omnium bonorum, & magistrum omnium virtutum* asserit Chrisost. *hom* 1. *in Genes*, Ieiunio *siccari sentinam vitiorum* Cyprianus *serm. de Ieiunio & tentat. Christi.* Et plura August. *lib. De vtilitate ieiunij* & Ambros. *lib. De Elia, & ieiunio*.

5 Ostenditur etiam efficacissima ratione. Nam omne medium, quod est causatiuum alicuius finis boni, & honesti est bonum, siquidem participat in bonitate finis tanquam conducens ad assecutionem ipsius, ieiunium autem est de se ordinatum ad causandum optimum finem, nempe subiectionem carnis ad rationem. Malum est enim, quod caro insurgat, & concupiscat aduersus spiritum, & consequenter bonum, quod sit ipsi subiecta; vnde talis subiectio erat vnum ex specialibus bonis status innocentiæ. Hanc autem subiectionem causat ieiunium macerando carnem, & auferendo stimulos concupiscentiæ.

6 Neque obstat, quod Christus Matth. 9. & Lucæ 5. responderit interrogationi, cur discipuli sui non ieiunarent, quod filij sponsi non debent ieiunare, quamdiu cum ipsis est sponsus, intelligēdo de seipso, vnde cum adhuc sit nobiscum, Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi*; non debemus modo ieiunare. Nam resp. quod locutus est de præsentia corporea naturali visibili, vnde quod postea cum ascendisset in Cœlum, deberent ieiunare, ostendit subiungens *Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*

An ieiunium Ecclesiasticum sit actus virtutis. Decis. 3.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium Ecclesiasticum est actus virtutis.*
2 *Quid sit virtus.*
3 *Cur ieiunium de se, & ab intrinseco suo sit bonum*

4 *In quonam mediocritate consistat virtus.*
4 *Quomodo ieiunium consistat in mediocritate.*
5 *Quomodo virtus sit illa, qua nemo abutitur.*
5 *An abstinentia, qua quis abutitur, sit verum ieiunium.*
6 *Ieiunium morale est virtus.*

1 RESP. affirmatiuè cum D. Tho. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 1. Caiet. *ibid.* Syluio *conclus.* 1. Angles *in Florib. par.* 2. *in* 4. *quæst.* 1. *De ieiunio diffcul.* 4. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 1. *initio* Viguer *cap.* 7. *Instit. Theol.* §. 3. *ver.* 2. Abulensi *quæst.* 125. *in cap.* 6. *Matth.* Couaruuia *lib.* 4. *variar. resol. cap.* 20. *num.* 1. Medina *Cod. de ieiunio quæst.* 12. ver. *In oppositum.* Turrecrem. *in Cap. Sine tibi ar.* 1. De *consecrat. Dist.* 5. Molfes *par.* 1. *sum tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 14. *& sequentib.* Facundez *Præcepto* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. Ghetio *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 3. Et desumitur etiam ex illo Apostoli. *Ad Corinth. cap.* 6. In *ieiunijs multis, in scientia, in castitate &c.* cum enim enumeret *ieiunium* inter cœteras virtutes, concludendum est, quod ipsum quoque sit virtus.

2 Ratio autẽ est, quia virtus secundum Arist. 2. *Eth. cap.* 6. est illa, *Quæ bene affectum reddit habentem, & opus eius benè efficit*; nempe in ordine ad finem ipsius hominis, qui est beatitudo. Vnde actus virtutis erit operatio bene, & congruo modo effecta secundum exigentiam finis. Hoc autem conuenit ieiunio, nam est actus bene effectus, siquidem disponit ieiunantem congruo modo in ordine ad finem supernaturalem ipsius: macerat enim carnem, ne rebellis sit rationi, quæ est optima dispositio ad assequendum finem. Vnde etiam si accipiamus communem definitionem virtutis Philosophorum, quam approbat D. August. *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. nempe *Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus*; conueniet adhuc ieiunio tanquam actui virtutis. nam sicuti cõuenit naturæ, & rationi, quod caro sit subiecta, & obediens spiritui, ita etiam erit conueniens id, quo redditur subiecta, & obediens, huiusmodi autem est ieiunium.

3 Hinc ieiunium non solum est bonum ratione finis, ad quem ordinatur; sed etiam ab intrinseco suo; hoc enim est proprium cuiuscunque actus virtuosi, quod ex vi suæ specificationis bonus sit. & constat, quia ieiunium habet intrinsecam conuenientiam ad naturam rationalem habita ratione exigentiæ finis ipsius, si quidem secundum se bene disponit in ordine ad ipsum, cum reprimat concupiscentias carnis, & reddat animo tranquillitatem, quam appetitus perturbat. Et ita docet etiam Angles *in Florib. par.* 2. *in* 4. *quæst.* 1. *de ieiunio. difficul.* 2. contra Medinam *Cod. de Pœnit. quæst.* 12. ver. *Pro solutione.*

4 Sed contra prædicta facit, quod virtus consistit in mediocritate. Ieiunium autem recedit a mediocritate per defectum, siquidem subtrahit ab alimento corporis de illa quantitate, & qualitate cibi, quæ continetur intra terminos mediocritatis; mediocritas enim attenditur ab exigentia corporis, ita vt non patiatur neque ratione excessus, neque ratione defectus; ieiunium autẽ facit ipsum pati ratione defectus, nam tendit ad ipsum macerandum mediante abstinentia. Resp. Ieiunium nequaquam recedere a mediocritate virtutis, quia mediocritas virtutis, attendenda est secundum regulas rationis; quia autẽ corpus subordinatur animæ, cui debet inseruire; ideõ recta ratio præscribit, quod ita alimentum subministretur corpori, vt possit animæ inseruire quidem, sed non contra ipsam insurgere per suas concupiscentias. Quod si contingat, opus esse macerationẽ corporis, ne animum vexet, regulæ rationis dictant, quod corpori subtrahatur cibus, vt macerato non recalcitret spiritui; & ideo tunc mediocritas non dicit totum illud alimentum, quod posset plene nutrire corpus, sed illam quantitatem, quæ sufficiat quidem corpori, sed ita refrænet; vt in officio contineat, nam corpus non debet propter, seipsum nutriri, sed in ordine ad animam, atque adeo in definienda mediocritate attendendum est commodum animæ.

5 Rursus virtus est illa, qua nemo abuti potest, ieiunio autem sæpe contingit abuti, cum ordinetur ad malos fines, vnde non erit actus virtutis. Resp. Neminem posse abuti virtute loquendo de habitu virtutis, quia operando per ipsum, non potest male operari. Siquidem virtus moralis subordinatur prudentiæ, à qua regulatur, & ideo cum procedat in operãdo secundũ regulas prudentiæ, semper bene operatur quia operatur secũdũ regulas rectæ rationis. Hinc D. Aug. *lib.* 2. *de libero arbitrio c.* 19. ait *Ideo virtute nemo male vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non bene vti possumus: Nemo autem bene vtendo male vtitur*: Vnde cum quis abutitur ieiunio, non abutitur virtute, a qua procedit, sed obiecto, & actu exteriori, qui tunc non procedit a virtute ieiunij.

6 Ex quibus colligitur, ieiunium morale similiter esse actum virtutis, quia quod præstat ieiunium ecclesiasticum in ordine ad finem supernaturalem, præstat morale in ordine ad finem naturalem.

Cuius virtutis actus sit ieiunium Ecclesiasticum. Decis. 4.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium est actus temperantiæ.*
2 *Temperantia moderatur delectationem cibi, & potus, & quomodo reducat ad mediocritatem.*
3 *Quomodo ieiunium moderetur delectationes cibi.*
4 *Ieiunium potest esse imperatiue ab alijs virtutibus & ordinari ad ipsarum finem.*
5 *Quomodo ieiuniũ sit actus obedientiæ, satisfactionis spei, &c.*
6 *Ieiunium potest ordinari in cultum Dei.*

1 RESP. Esse actum virtutis temperantiæ. Ita D. Th. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 2. *in corpore* Caiet. *ibid.* Syluius *eodem ar.* Abulens. *q.* 125. *in cap.* 6. *Mat.* Ledesm. 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 1. ver. *sed post quam ostendimus* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 4. Medina Cod. *de ieiunio quæst.* 12. ver. *In oppositum.* Viguer. *cap.* 7. *Theolog. institut.* §. 3. *ver.* 2. Angles *in Florib. p.* 2. *in* 4. *q.* 1. *de ieiunio difficul.* 5. Alens. 4. *par. quæst.* 98. *memb.* 3. *ar.* 2. Molfes. *par.* 1. *sum tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 14. Facundez *præcepto* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. Caluus *lib.* 2. *Synaxis cura animar. quæst.* 120. *num.* 1.

2 Ratio est quia ad temperantiam pertinet moderari delectationes cibi & potus, vt docet Arist. 3.

Ethicor. cap. 10. ita vt constituat in ipsis debitam mediocritatem, quę, vt docet *cap.* 11. consurgit ex eo quod huiusmodi delectationes sint secundum mensuram rationis. Tunc autem sunt secundum mensurā rationis, quando sunt secundum exigentiam naturæ mensuratam ex fine, quem quisque debet habere in commestione, qui non est aliud quam conseruatio corporis cum subordinatione ad functiones animæ, quibus debet inseruire. Vnde ait Arist. *citato illo cap.* Non *afficitur temperans quaquam re, magis quam decet, neque quando non decet, afficitur, neque demum tale aliquid appetit: sed ea tantummodo iucunda, quæ vel ad sanitatem, vel ad bonam habitudinem faciunt. Atque ea quidem mediocriter, & sicut decet, & cætera etiam, quæ his impedimento non sunt, vel præter honestatem, vel supra facultates.* Et egregie D. August. *De temperantia cap.* 21. inquit *Habet vir temperās in rebus mortalibus, & fluentibus vitæ regulam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ huius, atque officiorum necessitatem quantum satis est vsurpet vtentis modestia, non amantis affectu.*

3 Ieiunium autem est moderatio harum delectationum secundum præscriptionem rectæ rationis illuminatæ per fidem; nam per ipsum reducitur cibus ad quandam mediocritatem tam secundum quantitatem, quam secundum qualitatem, ratione cuius bene disponitur corpus, vt sit obediens animæ, nec ipsam vexet per suas concupiscentias, & ideo debet prouenire a temperantia tanquam actus ipsius.

4 Ex his colligitur, ieiunium ita esse actum temperantiæ, vt elicitiuè non possit ab alia virtute prouenire, quia sola habet præscribere mediocritatem circa cibos. Potest tamen imperari à diuersis virtutibus; & ab ijs ordinari ad proprios ipsarum fines, vt notāt D. Th. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 2. *in resp. ad* 2. Syluius *ibid.* Angles *in Florib. par.* 2 *in* 4. *quæst.* 1 *de ieiunio, difficul.* 6. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 1. ver. *Sed postquā ostendimus* Molses. *par.* 1. *sum tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 16. *& sequent.* Ratio est, quia, cum voluntas possit reflectere supra suos actus, & ipsos imperare, vna quoque virtus potest imperare actum alterius virtutis, quia virtutes in operando tāquam perficientes voluntatē sequuntur modum operandi eiusdem voluntatis.

5 Hinc si ieiunium ordinetur ad implendum preceptum Ecclesiæ, vt nimirum per ipsum ieiunans ipsius dominatiuæ potestati se subijciat, est actus obedientiæ. Si vero ordinetur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, est actus iustitiæ. Vnde *Ioelis* 2. *Hortamur conuerti ad Deum in ieiunio*. Si ordinetur ad obtinendam diuinam gratiam, eiusdem auxilia, & vitam beatam, est actus spei. Si assumatur ad medendum animæ, quatenus male afficitur a cōcupiscentijs corporis, est charitatis actus erga seipsum. Si ordinetur ad coercēda peccata, est actus iustitiæ punitiuę, vt cōtingit, quando iniungitur pro pœnitentia. Si per ipsum intendatur liberare mentem a molestijs corporeis, vt possit liberius ad Deum se eleuare, est actus religionis. Vnde Chrisost. *hom.* 1. *in Gen. Ieiunium leues pennas animæ producit, vt in sublime feratur, & summa contemplari queat.* Et eodem pacto a cœteris virtutibus imperari potest.

6 Ex quibus sequitur contra Sectarios nostri tēporis, posse Ieiunium ordinari a religione in cultum Dei, vt inter alios notat Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 2. *punc.* 2. *circa finem* ver. *Quinto controuersum est.* Cultus enim Dei complectitur eos omnes actus virtutis, qui fiunt in obsequium ipsius, obsequium enim est cultus, ideo quicquid placere potest, dirigi potest in obsequium ipsius. Vnde *Tobiæ* 12. *Bona est oratio cum ieiunio.* 1. Ad *Corinth.* 7. *Vt vacetis ieiunio, orationi.* Act. 14. *Cum orassent cum ieiunationibus commendauerunt eos Deo.* Et Dauid. *Psal.* 34. Humiliabam *in ieiunio animam meam.* vt nimirum sic humiliatam tanquām victimam offerret Deo iuxta illud Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Hinc August. *lib. de vtilitate ieiunij* inquit. *Excrucio me, vt Deus parcat; do de me pœnas, vt placeam oculis eius, vt delectem suauitatem eius, nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur.* & Leo Papa *serm.* 1. *de ieiunio* habet *Tria sunt, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones, oratio scilicet, ieiunium & eleemosina.*

An ieiunium sit virtus simpliciter ita vt non possit vitiari ex fine. Decis. 5.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium non est virtus simpliciter ita vt non possit vitiari ex fine.*
2 *Ieiunium potest imperari ex fine malo.*
3 *An ieiunium factum cum peccato veniali concomitanti vitietur.*
4 *Ieiunium non habet valorem ex opere operato.*
4 *Impudentia Kemnitij.*

1 RESP. non esse talem actum virtutis, vt non possit vitiari ex malo fine apposito Ita Alef. 4. *par.* *q.* 98. *memb.* 3. *ar.* 1. Angles *in Florib. par.* 2. *in* 4. *q.* 1. *De ieiun. difficul.* 3. Quod ita debet intelligi, vt vitiari possit actus ipse exterior ieiunando non autem verus actus ieiunij proueniens ab ipsa virtute, nam si prouenit a virtute, est actus virtutis, & impossibile est, quod actus virtutis sit vitium.

2 Ratio est, quia ieiunio non est immediate circa finem vltimum, vnde potest ordinari ad alios fines intermedios, quibus subordinetur Hi autem fines sicut possunt esse boni, quia possunt esse fines aliarū virtutum, vt dictum est Decis. *præcedenti*: ita etiam possunt esse mali vnde sicuti quando imperatur ex fine bono, induit rationem illius virtutis, ex cuius fine imperatur; ita etiam quando imperatur ex fine malo induit rationem mali prouenientem ex tali fine. Et hoc verum est, etiam si finis malus contineat materiam solius peccati venialis, nam adhuc ieiunium stat sub determinatione talis finis. Hinc Esaiæ 58. habetur. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis, ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare sicut ad hanc diem.*

3 An autem ieiunium factum cum peccato veniali concomitanter, inficiatur, vt si quis ieiunet quidem cum bona intentione satisfaciendi præcepto, & prestandi Deo debitum, sed tamen inaniter glorietur de suo ieiunio. Resp. negatiue iuxta ea, quæ in Actibus humanis tradidi. Nam sicut peccatum veniale non tollit gratiam, & charitatem, ita quando est concomitans cum opere bono, non soluit ordinem, quem alio-

alioquin habet opus bonum ad vltimum finem, vnde adhuc retinet propriam substantiam bonitatis.

4 Atque ex his colligitur, quã impudenter Kemnitius *in Examine Concil. Trident. sess. 25.* opponat Catholicis, quod sentiant, Ieiunium habere valorem ex opere operato ad propitiandum Deo, absque eo quod fiat in gratia, & cum cæteris debitis requisitis, quasi ignorent Deum reprehendere ieiunia, quæ non fiunt ex debito fine, & debitis circunstantijs.

An ieiunium Ecclesiasticum sit meritorium. Decis. 6.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium est meritorium, & quomodo.*
2 *Conducit ad vitam æternam.*
3 *Quando opus bonum sit meritorium.*
4 *Quid dicendum de ieiunio facto in statu peccati mortalis.*

1 AFFIRMATIVE respondendum est, & ita docet Fides catholica contra Hæreticos nostri temporis, qui negant, bona opera nostra esse meritoria apud Deũ, & præcipue asserunt, ieiunium displicere Deo. Quos Concil. Tridentinum dãnauit *sess. 6. can. 31. & 32.* Intelligendum est tamen de ieiunio cũ debitis requisitis, & conditionibus, quæ necessariæ sunt, vt opus bonum sit meritorium, vt traditur in materia de Gratia. Vnde in præsenti solum assero, ieiunium esse tale opus virtutis, vt possit esse meritorium apud Deum, & vt tale a fidelibus posse assumi. Et ita specialiter tradunt Alex. *4. par. q. 101. memb. 1.* Angles *in Florib. par. 2. in 4. quæst. 2. de ieiunio difficul. 1.* Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 2. punct. 2. ver. Tertio controuersum inter nos.*

2 Et præter loca sacræ scripturæ, quæ vniuersaliter docent, omnia opera bona esse meritoria, habetur clarum testimonium de ieiunio *Matth. 6.* Tu *autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Et loquitur de retributione vitæ æternæ, vt colligitur ex contextu. Vnde D. August. *lib. De perfect. Iustitiæ cap. 8.* habet. *Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum, a quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum cõparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ, cum hinc exierit quisque perueniet, nisi ad eam, cum hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit.* Et Ambros. *Epist. 82.* singulariter hoc tradit. *Audio homines esse, qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum nullum frugalitatis &c. delirare eos, qui ieiunijs castigant carnem suam, vt menti subditam faciant, quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset Paulus Apostolus, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque dicens castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.*

3 Ratio est eadem ac de omnibus operibus virtutis. tunc enim aliquod opus est de se meritorium, quando conducit operantem ad finem supernaturalem, & tunc conducit, quando per ipsum se dirigit in talem finem, & existit in gratia; nam tunc sicut viuit per gratiam, ita etiam facit opera vitæ, quando operatur cum debito ordine ad vltimum finem, quæ sunt assecutiua vitæ æternæ. Huiusmodi autem est ieiuniũ hominis existentis in gratia, siquidem cum sit moderatio cibi iuxta mensuram rationis respicientis vltimum finem supernaturalem, habet ex sua mensura, quod respiciat eundem finem.

4 Ex his deducitur, quid dicendum sit de ieiunio facto in peccato mortali. De hoc enim certum est, quod non sit meritorium de condigno, quia cum sit opus mortuum & prouenĩens ab inimico Dei, non potest conducere ad vitam, nec esse medium ad obtinendam retributionem a Deo. Et ideo solum illi conuenit, quæ conueniunt cæteris bonis operibus factis in statu peccati, vt nimirum valeat ad præceptum adimplendum, & quamlibet aliam obligationem siue ex voto, siue ex pœnitentia iniuncta, & quod sit impetratorium, & meritorium de congruo. Et ita notat etiam Angles *in Florib. par. 2. in 4. quæst. 2. de ieiunio difficul. 6.*

An ieiunium Ecclesiasticum sit satisfactorium. Decis. 7.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium est satisfactorium pro pœna temporali debita peccatis.*
2 *Scriptura sacra & Patres admittunt vim satisfactiuam in ieiunio.*
3 *Opus obsequiosum exhibitum Deo est satisfactiuum.*
4 *Ieiunium voluntarium etiam susceptum cum voto est satisfactiuum.*
5 *Ieiunium iniunctum pro pœnitentia a confessario est speciali modo satisfactorium.*

1 SECTARII nostri temporis Caluinus, Khemnitius, & alij negant ieiunium esse satisfactorium. Sed Fides catholica docet, esse satisfactorium pro pœna temporali, si debita requisita concurrant. & ita definitum est in Tridentino *sess. 14. can. 13.* vbi habetur. *Si quis dixerit pro peccatis quo ad pœnam tẽporalẽ minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis vt ieiunij, orationibus, eleemosinis, vel alijs etiã pietatis operibus, atq; ideo optimã pœnitentiã esse tantum nouam vitam, anathema sit.*

2 Et desumitur etiã ex Sacra Scriptura *lib. 3. Reg. cap. 21.* vbi de Achab. dicitur, quod mediante ieiunio, & pœnitentia obtinuit remissionem pœnæ. *Cũ audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Heliam Thesbitem dicens. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus eius.* Et Ionæ *cap. 3.* Deus pepercit Niniuitis, quia egerunt pœnitentiam in ieiunio. *Vidit Deus opera eorum, & pœnitentiam Niniuitarum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Hinc D. Aug. *lib. De vtilitate ieiunij,* loquens de ieiunio. *Ne quisquam ieiunans ex Ecclesiæ consuetudine cogitet apud se, & dicat sibi ipsi. Quid facis, quia ieiunas &c. Deo ergo places, quia te excrucias? ergo crudelis est, qui delectatur pœnis tuis. Respõde huiusmodi tentatori. Excrucio me, vt ille parcat; do de me pœnas, vt ille subueniat.* D. Cyprianus *lib. 4. Epist. 4. Ad*

Cle-

Clerum, & plebem similiter habet *Admoneo religiosam sollicitudinem vestram, vt ad placandum, atque exorandum Dominum non voce solum, sed & ieiunijs, & lacrimis, & omni genere deprecationis ingemiscamus.* Chrisost. *serm. 1. de ieiunio.* Peccauit *alius, ieiunabit, seipsum castigans, vt effugiat pœnam.* Et passim plura alia habentur apud Patres.

3 Ratio est, quia omne obsequium Deo exibitũ est satisfactiuum pro pœna peccatis debita, in virtute meritorum Christi, nam obsequium opponitur offensæ, & per ipsum restituitur ille honor, qui per offensam ablatus est, atq; adeo recõpẽsat suo modo offensam. Ieiunium autẽ procedẽs ex corde pœnitẽti est obsequiũ, quo suo modo recõpensatur pœna sustinenda pro offensa, & ideo est suo modo satisfactiuũ.

4 Et hæc, quæ dicta sunt non solum procedunt, de ieiunio, quod indicitur ab Ecclesia, sed etiam de voluntarie suscepto siue cum voto, siue omnino libere vt cum Alensi *par. 4. q. 101. memb. 2. ar. 4.* notat Angles *in Florib. par. 2. in 4. q. 2 De ieiunio difficul. 5.* Adhuc enim habet eãdem pœnalitatem, & ideo correspondet ex parte pœnæ debitæ pro peccatis: vnde si offeratur Deo in satisfactionẽ, & concurrant conditiones requisitę, vt sit acceptum, obtinebit vim satisfaciendi.

5 Atque a fortiori procedunt de ieiunio iniuncto in confessione sacramentali, quia ordinatur ad satisfaciendũ pro pœna peccatis debita à ministro Christi imposita, qui gerit vicem ipsius; & proinde habet quod inde ante sua pœnalitate satisfaciat in virtute sacramenti, & consequenter illi conuenit specialis vis in ordine ad satisfaciẽdum. An autem requiratur, quod fiat in gratia, vt obtineat suum effectum satisfaciendi, pertinet ad materiam pœnitentiæ, de quo apud Doctores vtraque opinio reperitur.

An recte in ieiunio Ecclesiastico prohibeantur aliqui cibi. Decis. 8.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia recte prohibet aliquos cibos in ieiunio.*
2 *Abstinentia a certo genere ciborum in ieiunio vtilis est, & bona.*
3 *Commendatur in scriptura.*
4 *Omnes cibi de se sunt permissi, possunt tamen ex iusto fine prohiberi aliqui ex ipsis.*
5 *Eustachius cur damnatus in Concilio Gangrensi ob abstinentiam a carnibus.*
6 *Quam abstinentiã a quibusquam cibis improbet Apostolus.*
7 *Lautitia in piscibus cur non obstet ieiunio.*

1 HÆRETICI nostri temporis damnant delectum ciborum in ieiunijs, & volunt, quod male aliqui cibi ab Ecclesia prohibeantur. Sed tenendum est tanquam certum de fide, quod rectè ab Ecclesia prohibeantur in ieiunijs aliqui cibi. Ita Concilium Toletanum primum *in assertione Fidei* Braccarense *can. 14.* Et constat ex praxi vniuersalis Ecclesiæ, contra quam disputare insolentissima insania est, ait D. August. *Epist. 118 ad Ianuariũ.*

2 Ratio autem est. Quia recte ab Ecclesia præcipitur omne id, quod vtile est ad consequendam salutem, Tale autem est ieiunium cum abstinentia a certo genere ciborum; si enim abstinentia de se est bona, erit etiam bona specialis forma abstinentiæ a certo genere ciborum, vtpote magis efficax ad obtinendos illos effectus, quos obtinet abstinentia a quantitate cibi. Vnde Aug. *lib. 3. contra Faust. cap. 5* habet. *Catholici edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illã esse immundam credant, non solum a carnibus, verum a quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, sicut per quadragesimam fere omnes.* & Theodoret. *in epitome diuinor. Decretor.* cap. *De abstinentia* ait. *A vino, & ab esu carniũ, & ab alijs eiusmodi abstinentiam, non similiter ac haretici, amplectitur Ecclesia.*

3 Et propterea in sacra Scriptura commendatur ieiunium cum abstinentia a certo genere ciborum. Daniel. 10. *Triũ hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Et Matth. 3. de Io. Baptista dicitur. *Esca autem eius erat Locusta, & mel syluestre.*

4 Neque subsistit, quod obijciunt hęretici de Euangelica libertate circa vsum ciborum, vt habetur Matth. 3. & 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Ad Tit. 1. *omnia munda mundis.* Ad Coloss. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, & potu* 1. Corinth 8. *Neq; si manducauerimus abundabimus; neque si non manducauerimus deficiemus* 1. ad Timoth. 4. esse doctrinam demoniorum abstinere ab aliquibus cibis, quos Deus creauit ad percipiendum. Vnde Gen. 9. dicitur, omnia viuentia tradita nobis in cibum. Nam ex his tantum colligitur, quod omnes cibi mundi sint, & nobis concessi, & propterea a nullis sit abstinendum vt immundis. Nõ autem quod non possint ab Ecclesia prohiberi ob macerationem corporis, & ob alios bonos fines. non obstante, quod non fuerint prohibiti in ieiunijs veteris testamenti, quia potest modo abstinentia præcipi secundum aliam mensuram.

5 Neque rectè obijciunt, quod Eustachius damnatus sit in Concilio Gangrensi, quia abstineret a carnibus. Nam abstinebat, quia putabat vsum carnium illicitum, & ventem non posse habere spem salutis asserebat, vt desumitur ex *Can. 2.* illius Concilij, vbi talis error damnatur.

6 Nec similiter. Quod Apost. *Ad Coloss. 2.* improbet astinentiam à quibusdam cibis, quia non improbat abstinentiam ob fines intentos ab Ecclesia, sed abstinentiam more iudaico sumptam: vnde ait *Nemo vos iudicet in cibo, & potu.* & abstinentiam ex superstitioso cultu Angelorum. ait enim *Nemo vos seducat volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, &c.*

7 Denique obijciunt, quod abstinentia a carnibus est cum multa lautitia piscium, vnde minus valet ad refrænandam carnem. Sed respondetur, quod talis lautitia non est prohibita, quia adhuc est intra ordinem ciborum concessorum in ieiunio; & si continet excessum, est prohibita præcepto naturali temperantiæ: si vero non continet, non est mala. Quia autem qui ea vtuntur, adhiberent etiam in carnibus, si essent concessæ, iedo adhuc in ieiunio sentiunt aliquam macerationem, & proinde obtinetur finis ieiunij.

DE

DE ABSTINENTIA

A certo genere ciborum, & eiusdem excessu.

An sint aliqui cibi, a quibus abstinendum sit tanquam ab immundis: & an Ecclesia in ieiunio hoc intendat. Decis. 9.

SVMMARIVM.

1 *Error hæreticorum circa commestionem carnium.*
2 *Nullus cibus est immundus, sed omnes adhiberi possunt.*
3 *Dictus hæreticorum error fuit prædictus ab Apostolo, & confutatus.*
4 *Catholici non abstinent certis diebus a carnibus ob immunditiam ipsarum, sed ob corporis mortificationem.*
5 *Cur cibi comedendi benedicantur.*
6 *Cibi immundi in veteri lege modo non sunt immundi.*

1 HÆRETICI Taciani alias Encratitę, vt refert D. August. *De Hæresibus cap.* 25. Item Manichei, vt refert idem August. *cap.* 46. *De Hæresib.* & Priscillianistæ, vt desumitur ex Concil. *Toletano* 1. *in Assertione Fidei*, & Braccarensi 1. *Can.* 14. abominabantur carnes tanquam immundas, & malas factas a Demone, aiebant Manichæi ex fæculenta materia mali. Vnde Sectarij nostri temporis imponunt Catholicis, quod sequantur prædictum errorem, vt præcipue kemnitius *in Exam. Concil. Trident. sess.* 25.

2 Fides tamen Catholica docet nullum cibum esse immundum, sed omnes posse indifferenter adhiberi, etiam si sint carnes. Et ita definitum est in Concil. *Toleta* 1. *in Assertione Fidei* vbi damnatur prædictus error his verbis. *Si quis dixerit vel crediderit, carnes auium, seu pecudum, quæ ad escam datæ sunt, non tantum pro castig atione hominum abstinendas, sed execrandas esse, anathema sit.* & a Concil. Braccarensi 1. *can.* 14. ita sentiente. *Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vsum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putãs, ita abstineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus prægustet, sicut Manichæus, & Priscillianus docuerunt, anathema sit.* & a Concil. *Florent. in doctrina tradita Armenis.* vbi Concil. habet *Firmiter credimus, omnem creaturam Dei bonam esse, nihilque reijciendum, quod cum gratiarum actione suscipitur, quia iuxta verbum* Domini. *Non quod intrat per os coinquinat hominem*; Atque ciborum mundorum, immundorumque differentiam Mosaicæ legis docet pertinere ad cœremonialia, quæ aduenıente Euangelio transierunt.

3 Et desumitur ex scriptura *Luc.* 10. vbi Christus inquit Apostolis *Manducate, quæ apponuntur vobis*, & *Matth. cap* 15. *vers.* 11. Nullam immunditiam affert secum quilibet cibus *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Et 1. *ad Corinth. cap.* 10. habetur. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Et si quis vos vocat infidelium ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate nihil interrogantes propter conscientiam.* Imo Apostolus 1. *ad Timoth. cap.* 4. admonuit futuram hanc impiam superstitionem, vt ab ipsa caueremus. *In nouissimis temporibus descendent quidã a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentes nubere.* (Manichæi damnabant nuptias tanquam factas a diabolo) *& abstinentes a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Quibus manifestè cõfundatur prædictus error. Vnde etiam D. August. *cap.* 14. *contra Adamantium Manichei discipulum.* ad propositum ponderat hunc locum. *Apertissime istos.* (hæreticos) *significauit Apostolus, cum dicit In nouissimis temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes a cibis, quos Deus creauit. Hos enim proprie designat, qui non propterea temperant a cibis talibus, vt, aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant.*

4 Ex quibus manifestum fit, quam impudentissima sit impostura aduersariorum, quod nos Catholici sequamur hunc errorem. Nam si esset verum, abstineremus semper a carnibus, non autem solum certis diebus; vnde cum aliquoties in hebdomada illis vescamur, constat, nos non tribuere ipsis aliquam immunditiam Vnde August. *lib.* 3. *contra Faustum Manicheum cap.* 5. habet *Christiani non hæretici, sed Catholici edomandi corporis causa propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quod illa immunda esse credant, non solum a carnibus, verum a quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus, atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes &c. Vos autem* (Manichei) *ipsam creaturam negatis bonam.*

5 Vnde etiam falso dicunt, quod quando benedicimus cibos, precemur, quod ab ipsis discedat virtus inimici. Talis enim benedictio non ad hoc destinatur, sed est quædam laudatio, eo quod nobis prouiderit de congruo alimento, & præcatio quædam, vt ab ipso obtineamus, quod vsus talium ciborum sit nobis proficuus, & aliquo modo sanctificetur cibus, vt eũ sumamus in Dei honorem iuxta supracitata verba Apostoli. *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

6 Est tamen aduertendum, quod modo non vigent prohibitiones legis veteris, quibus vetabantur aliqui cibi etiam tanquam immundi; vt carnes porcinæ, nam talis lex totaliter abrogata est. Neque modo cibi illi, qui tunc habebantur pro immundis, quia illa immunditia non erat naturalis, sed legalis constituta a lege, quæ cessauit, & non amplius obligauit quò ad cœremonialia, vt notauit Concil. Florent. *in doctrina tradita Armenis*. Vnde si quis modo vellet abstinere ab illis cibis tanquam immundis, peccaret, & sequeretur superstitionem iudaicam.

Vnde

Vnde Apostolus *Ad Colossenses cap. 2.* contra eos, qui volebant quasdam legales obseruantias esse seruandas ait *Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei Festi, aut Neomeniæ, aut Sabbatborum, quæ sunt vmbra futurorum.*

An liceat Idolothytis vesci. Decis. 10.

SVMMARIVM.

1 *Non licet idolothytis vesci in cōtemptum religionis, aut cum scandalo.*
2 *Secluso contemptu religionis, & scandalo adhuc non licet secundum Petrum Nauarrum.*
3 *Est licitum.*
4 *Secluso contemptu religionis, & scandalo nihil habent mali.*
5 *Nolens vesci idolothytis in extrema necessitate peccaret mortaliter.*
6 *An suffocatum sit modo licitum.*

1 CETERVM est, quod non licet Idolothytis vesci, quando hoc videretur quædam cooperatio, & consensus in idolatriam, nam tūc concurrit confessio fidei obligās abstinere a tali manducatione, & proinde manducans peccaret contra ipsam. Vt si a tyranno quis cogeretur vesci in hunc finem; tunc enim potius mors appetenda est, quam manducare, vnde *lib. 3. Machab. cap. 6.* Laudatur Eleazarus, quod noluerit carnes porcinas manducare quia iubebatur manducare in contemptum religionis. Facit Cap. *Nolite.* Cap. *Non solum 2. 11. quæst. 3.* & Cap. *Sacris De his quæ vi, metusue &c.* Similiter nec etiam licitum est vesci, quando ob infirmitatē proximi adesset scandalum. Quod satis indicat Apostolus *2. ad Corinth. cap. 8.* Et hoc tantum voluit D. August. *De bono coniugali cap. 16.* & refertur in cap. *Sicut satius 31. quæst. 4.*

2 An autem seclusa cooperatione in idolatriam, atque consensu, & etiam scandalo liceat vesci, negant Adrian. *Quodlib. 1. art. 3.* Gerson. *2. par. tract. De abstinent. Carthus. Alphabet. 39.* Petrus Nauar. *De Restitut. lib. 2. cap. 3. num. 68.* vbi docet, vnumquemque debere abstinere, etiam si fame moriturus sit, & citat nonnullos alios, qui tamen non loquuntur in præsenti casu, sed quando manducatio esset contra confessionem fidei.

3 Itaque tenendum est, quod liceat manducare Idolothyta quando manducatio nō est contra exteriorem cōfessionem fidei, & non adest scandalum pusillorum. Ita Glos. in Cap. *Sicut satius 32. q. 4.* verbo *Fame* Archidiacon. & Turrecrem. *in dictum* Cap. Marquardus de Susannis *Tract. de Iudæis par. 4. cap. 4. num. 23.* Victoria *Relect. De temperantia. num. 3. ver. Et ex eodem patet* Vasquez. *1. 2. disp. 162. cap. 5.* Salas *disp. 11. de legib. sect. 2. num. 26.* quamuis solum videatur loqui in extrema necessitate, sicut etiam Bonacina *disp. 2. de Peccatis q. 8. punct. 2. num. 18.* Baltassar Gomez de Amescua *lib. 2. de Potest. in se ipsum cap. 6. num. 12.* Et declaratur ab Apostolo *2. ad Corinth. cap. 8.* vbi habet *Quidam autem conscientia vsque nunc idoli quasi idolothytum manducant; & conscientia ipsorum cum sit infirma polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque si manducauerimus, abundabimus, neque si non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* & pergit ostendere, quod tantum ratione scandali abstinendum sit.

4 Ratio esse potest, quia adhuc sunt cibi instituti à Deo propter nostram substentationem, & solum esset ab ipsis abstinendum propter scandalum, quod exhiberetur ex quadam extrinseca apparentia consensus in venerationem idoli, hoc autem cessat apud nos Christianos, qui cognoscimus, & profitemur, vnum esse tantum verum Deum, & proinde cessat præsumptio talis peccati, atque adeo non sunt apud nos materia peccati: vnde in eadem *Epist. 1. ad Corinth. eodem cap. 8. ver. 4.* ait Apost. *De escis autem, quæ idolo imolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus.*

5 Ex quibus rectè deducit Amescua *citato 2. de potest. in seipsum cap. 6. num. 12.* ver. *Tertio mirum est, in fine,* quod peccaret mortaliter, qui in extrema necessitate constitutus, & non habens alium cibum, vellet potius mori, quam comedere idolothyta; nam esset homicida suipsius, secluso tamen contemptu religionis, & scandalo.

6 Et hoc item dicendum est de suffocato, quod licet fidelibus fuerit prohibitum in primitiua Ecclesia, sicut etiam idolothyta vt habetur *1. Corinth* to. *Vt abstineatis vos ab immolato, similiter, & sanguine suffocato.* Quia tamen non prohibebatur, quia de se malum esset, sed ne generarent scandalum in infirmis, vt desumitur ex *cap. 8. Eiusdem epist.* ideo modo, quia cessauit occasio scandali, est licitum de illo manducare, vt notat Concil. Florentinum *in doctrina tradita Armenis,* vbi habet, quod illa prohibitio congruebat illi tempori, & quod modo cessauit, quia cessauit causa.

7 Quando autem D. August. *Epist. 154. in fine* dicit, melius esse etiam in extrema necessitate famis idolothytum in Idolio positum respuere, loquitur tantum per modum consilij: & quia tunc adhuc habebat aliquam apparentiam communicationis in idolatria. Ob quam causam etiam Leo Papa *Epist. 77. ad Nicetam c. 1.* loquens de captiuis, qui apud Gentiles comederant Idolothyta ob indigentiam, ait debere agere pœnitentiam, quia nimirum adhuc vigebat lex ecclesiastica id prohibens.

An liceat comedere carnes humanas. Decis. 11.

SVMMARIVM.

1 *Non licet occidere hominem ob quamcunque necessitatem comedendi eius carnes.*
2 *Seclusa necessitate non licet comedere carnes hominis alias occisi.*
3 *An liceat relinquere corpora hominum insepulta.*
4 *Quando alius cibus non suppetit licet secundum aliquos edere carnes hominis alias occisi.*
5 *Neque in extrema necessitate est licitum.*
6 *Intrinsecè mala nunquam sunt licita.*
6 *Commestio carnis humanæ est intrinsece mala.*
7 *Corporibus defunctorum est debitus honor, & qualis.*
8 *Peruertitur ordo naturæ si comedantur carnes humanæ.*
9 *In extrema necessitate nemo tenetur vesci carnibus humanis.*
10 *Præceptum naturale tuendi, & conseruādi propriam vitā non*

non dat facultatem comedendi carnes humanas.
11 *Cur licitum adhibere carnes humanas pro medicina.*
12 *Quæ præcepta naturalia obligent cum discrimine vitæ.*
13 *Si est peccatum comedere carnem humanam, erit semper mortale.*

1 QVOD non liceat comedere occidendo homines in ordine ad comedendum, certum omnino est, quia homo non est factus à Deo, vt inseruiat pro cibo alterius hominis; non enim de se ipso est dictum à Deo, sicut de cæteris animantibus *Gen. 9. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in escam, quasi olera virentia tradidi vobis omnia excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Imo in præceptis secundæ tabulæ est prohibitum occidere hominem. Vnde tam iure diuino, quam naturali id prohibitum est, & proinde nunquam stante quacunque necessitate est licitum, occidere hominē in ordine ad escam. Neque in hoc sensu procedit quęstio, sed de carnibus hominis alias occisi.

2 Conueniunt etiam omnes, presertim infra citandi, quod, seclusa necessitate, non sit licitum comedere carnes humanas hominis alias occisi. Hoc enim est contra pietatem naturalem, quæ naturali lumine illustrante dictauit semper omnibus nationibus ciuiliter viuentibus, & non more brutorum, corpora mortuorum esse sepelienda, vnde stante tali sensu ex instinctu rationis communi apud omnes populos, colligitur, non posse destinari ad escam carnes humanas sine violatione pietatis naturalis, quod, cum sit in re graui, continebit peccatum mortale. Imo talis comestio omnibus est abominabilis hoc dictante lumine naturali; & communiter, qui comedunt humanas carnes, censentur facere contra dictamen rationis, & esse gentes feras, quibus lumen rationis sit ita offuscatum, vt non discernant, quid honestum sit, & quid turpe, & hoc totum dictat lumen rationis.

3 Nec obstat, quod aliquando corpora mortuorum proijciantur insepulta, quia hoc solum permittitur in aliqua magna mortalitate, vt contingit tempore pestilentiæ, quia tunc sepultura censetur impossibilis: pietas autem naturalis, cum sit præceptum positiuum, non obligat ad id, quod est moraliter impossibile.

4 An autem stante graui necessitate, quando alij cibi non suppetunt, sint licitæ carnes humanæ occisorum, affirmant Caiet. 2.2. *quæst.* 148. *ar.* 2. *circa finem* §. *Ad secundum vero in fine.* Nauar. *in Manualic.* 23. *num.* 122. *latinè, Hispanè vero num.* 130. Abulensis *quæst.* 32. *in cap.* 6. *lib.* 4. *Reg.* Martinus de Magistris *quæst.* 2. *de Gula* Tolet. *lib.* 8. *sum. cap.* 60. *num* 2. ver. *Quinto quando cibus.* Sà *verbo* Comedere *num.* 1. Lessius *lib.* 4 *de Iust. & iure cap.* 3. *dub* 2. *num.* 10. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 18. *num.* 12. Fragosus *par.* 1. *Regiminis Reipub. Christ. lib.* 5. *disp* 12. §. 13. *num.* 73. ver. *Probabilius tamen.* Laiman. *lib.* 3. *Theol. mor. sect.* 4. *num.* 3. ver. *Sed quæstio &c.* Megallius *par.* 2. *Prompt. verbo* Gula *num.* 7. Bonacina *disp.* 2. *de peccat. quæst.* 8. *pun.* 2. *num.* 13. Io. de Dicastillo *lib.* 1. *De iust. & iure. disp.* 3. *num.* 86. Naldus *in sum. verbo.* Medicus *num.* 7. Malder. 2.2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 1 *in fine* Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 48. ver. *At contraria.* Quia, licet iure naturæ sint prohibitæ carnes humanæ, non tamen omnia præcepta iuris naturę obligant cum discrimimine vitæ, & necessitas cooperit in humanitatem. Sic etiam Hebrei in extrema necessitate admittebant carnes immundas in cibum, cum alias non admitterent.

5 Sed negatiuam sententiā tenent Victoria Relect. *de temperantia num.* 6. ver. *Hoc tamen non obstante.* Valētia *tom.* 3. *disp.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 1. ver. *Ex quibus rationibus* Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. *quæst.* 4. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *nu.* 6. ver. *Dicendum tamen* Fereandez *par.* 4. *Examin. Theol. moral. cap.* 2. §. 6. Syluius 2.2. *quæst.* 142. *ar.* 4. & est proccul dubio sētētia D. Th. 2.2. *quæst.* 142. *ar.* 4. *ad* 3. vbi habet; *Sed illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, sunt magis exprobabilia, & tamen etiam illa videtur reduci ad genus intemperantiæ secundū quēdam excessum, sicut si aliquis delectaretur in comestione carniū humanarū, aut in coitu bestiarū, aut masculorū.* Vbi notādū est, quod ponit comestionē carniū humanarū tāquā vitiū excedens modū humanæ naturę, & eiusdē generis cum coitu bestiarum, quæ nunquam fiunt licita.

6 Et hæc sententia mihi videtur probabilior, & sequenda. Quę enim sunt intrinsecè mala, nunquam fiunt licita ex quacunque necessitate, vt constat in mendacio, quod non est adhibendum neque pro vita alicuius tuenda Cap. *Nequis* Cap. *Omne genus,* & Cap. *Si quis* 2. 2. *quæst.* 2. Comedere autem carnes humanas est intrinsecè malum, atque adeo in nullo vnquā casu licitum. Quod autem sit intrinsecè malum ex eo constat, quia illud est intrinsecè malum, quod est ab intrinseco contra ordinem pręscriptum à natura; nā ex hac contrarietate habet, quod sit contra regulas rectæ rationis: vnde mendacium non alia ratione est intrinsecè malum, nisi quia verba, quæ à natura ordinata sunt ad exprimendos intrinsecos conceptus animi, discordant ab ipso conceptu, & proinde est abusus quidam verborum contra finem intentum à natura; sic etiam coire cum brutis, & alia huiusmodi; Comedere autem carnes humanas est ab intrinseco suo contra ordinem naturæ, si quidem carnes humanæ non sunt à natura ordinatæ ad escam; quod ex eo patet, quia adhibere aliquid ad escam, est illo vti, vsus autē supponit dominium supra rem, nullum autem dominium habemus supra corpus alterius, vt de ipso ad libitum disponere possimus, & ideo hoc à natura est nobis prohibitum non secus, ac est nobis prohibita occisio, ideo enim possumus occidere bruta, & adhibere in cibum, quia habemus dominium supra ipsa.

7 Quod etiā confirmatur. Corporibus defunctorum est debita reuerentia iuxta merita, & excellentiam animæ. Sicut enim Ecclesia, lumine Spiritus Sācti ducta, destinat religiosos honores ij, qui cum sanctitate decesserunt, ita lumē naturæ ostendit, venerāda illorū corpora veneratione naturali, qui cū virtute naturali decesserūt: & vniuersaliter dictat, hominū corpora ex eo, quod sint creaturę rationales, custodiēda esse tanquā corpora proximorū, & in eadē natura nobis coniunctorum, & proinde sepelienda esse, ab iniurijs vindicanda. Quod præsertim verum est, quia cū animę supersint, honor factus corporibus cēsetur factus animabus, sicut etiā iniuria, quia corpus adhuc est aliquid ipsarū. Ergo iure naturæ est prohibitū carnibus humanis vesci, tanquā id, quod est contra ordinem institutum à naturà, & proinde quod ab intrinseco suo continet dissonantiam ad rectam rationem. Vnde etiam malefactores censentur puniri in corporibus, si inhumata relinquantur, aut proij-

ciantur bestijs ; hoc ostendente lumine naturæ , quod non esset verum , nisi exigerent corpora honorari .

8 Præterea ideo non possumus occidere hominem, vt vtamur in cibum, etiam in extrema necessitate, quia esse ipsius non est propter nostram substẽtationem : vnde ordinare esse ipsius ad nostram substentationem est peruertere ordinem naturæ, quod, cum sit malum semper, reddit illicitum id, in quo reperitur; talis autem ordo peruertitur , quando carnes occisorum , etiam in extrema necessitate , ordinantur in cibum, quia adhuc in illo casu esse illorum corporum non est propter nostram substentationẽ , sed etiam adhuc propter animam ; nam sicut trahit ipsum ad honorem sibi debitum , ita etiam trahit ad esse propter se ipsam & non propter substentationem alterius.

9 Denique , si carnes humanæ essent cibus licitus in extrema necessitate, teneretur quisque ijs vesci , quando non haberet alium cibum; nam ratione præcepti naturalis conseruandi propriam vitam, tenetur adhibere omnia media licita, & necessaria, qualis est illa comestio in illo casu . . Non tenetur autem comedere , vt fatentur etiam Auctores oppositæ sententiæ, præsertim Sanchez *citato lib. 1. in Decalog. c.* 18. *num.* 14 Et ex eo satis patet, quod à nemine traditũ est, quod adsit obligatio comedendi, cum tamen in pluribus vrbibus obsessis multi fame perierint potius quam comedere carnes occisorum; nec cuiquam venerit in mẽtem, quod teneretur comedere, imo semper abominatum fuit ; vt constat ex historijs .

10 Nec obstat , quod adsit præceptum naturale tuendi propriam vitam , & proinde quod huic præcepto debeat cedere aliud præceptum de non comedendis carnibus humanis . Nam præcepta negatiua naturalia non cedunt positiuis, quia positiua non dãt ius ad ea, quæ habẽt intrinsecam deformitatem, qualia sunt omnia à natura prohibita, vt edere carnes humanas. Sic præceptum conseruandi propriam vitam non dat ius occidendi hominem; vt de illius carnibus comedamus , mentiendi , fornicandi , & aliorum huiusmodi, Quia solum dat ius ad media licita, & ab ipsa natura instituta pro tali fine . Vnde si licitum est in tali casu, auferre rem alterius, id contingit, quia non est amplius furtum, si quidem in tali casu cessat ratio furti, si quidem res alterius est illi debita, quia ex natura sua est aliquid ordinatum ad substentationem .

11 Sed dices, ex hoc sequeretur, quod neque esset licitum adhibere carnes humanas pro medicina , quod tamen est falsum, vt tradunt Doctores, & praxis docet. Resp. hoc non sequi, sed esse disparem rationem , nam ordinare carnes humanas in cibum ; dicit, quod esse corporis humani sit propter substentationem, quod ipsum constituit sub dominio comedentis, cum tamen à natura non sit ad hoc institutũ , vnde continet peruersionem ordinis naturalis, & facit, quod propria substantia fiat de substnatia proximi cum illius destructione , quia cibus ordinatur , vt conuertatur in substantiam comedentis . At non sic , quando ordinantur in medicinam, quia hæc dirigitur ad expellendum morbum , & pugnandum cum ipso , non autem vt nutriat , & ideo carnes humanæ non se habent per modum cibi , sed per modum auxilij ad expellendum malum; hoc autem auxilium potest esse ab eo, cuius sunt carnes, nam reducitur ad opus charitatis , in quo nulla est peruersio ordinis naturæ , nam sicut quilibet potest vitam offerre pro amico , ita etiam exhibere propriam carnem pro auxilio alterius ; at non potest se exhibere in cibum , quia hoc est à natura prohibitum, quæ taxauit cibũ carnium ad animalia, quæ homini subiecit. Nec valet, quod sicuti licet profundere vitam pro saluanda vita proximi , ita etiam liceat pro vita promixi seruanda exponere proprias carnes in cibum . Quia neque pro proximo licet intendere propriam mortem , aut cum intentione moriendi se exponere periculo, sed solum intendere salutem ipsius, licet per accidens sequatur mors propria . In casu autem nostro directè intenderetur comestio carnis humanæ ob vitam conseruandam, nam media directè intenduntur .

12 Ad id , quod afferebatur pro opposita sententia, resp. quod præcepta naturalia nõ obligant cũ discrimine vitæ , quando prohibent aliquid, quod habet intrinsecam malitiam. Vnde pro saluanda vita non licet mentiri , fornicari , coire cum bestijs , quia cum non possit ab ipsis separari turpitudo, nec etiam stante discrimine vitæ fieri possunt licita. Nec est eadem ratio de carnibus immundis respectu Hebreorum, nam immunditia erat tantũ legalis, atque adeo ex lege positiua, quæ non obligat cum discrimine vitæ, vt patet etiam in alijs huiusmodi legibus .

13 Ex his colligitur contra Caiet. *n.* 4. citatum , comedere carnes humanas, præsertim extra necessitatẽ, esse peccatũ mortale, quia in re graui præuertitur ordo naturæ , & fit præiudicium graue illi corpori, & consequenter animæ illius. Vnde in re graui est contra charitatem proximi , siquidem est grauis abusus eorum , quę sunt proximi cum vsurpatione dominij ; & contra naturalem pietatem illi debitam .

Resoluuntur nonnullæ aliæ difficultates circa comestionem carnium humanarum

Decis. 12.

SVMMARIVM

1 *Ad vitandam mortem minitatam licet secundum aliquos comedere carnes humanas.*
2 *Non licet .*
3 *Multo minus , si proponantur in odium religionis .*
4 *Lex , quod custos arcis comedat prius proprium filium , quam illam dedat hostibus, est impia , & barbara .*
5 *Cur possumus vitam exponere pro principe , non autem pro conseruandis vrbibus occidere innocentes .*

1 DVBITARI potest an timore mortis liceat carnes humanas appositas comedere. Et affirmatiuè respondet Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 18. *num.* 14. Fragosus *par.* 1. *Regim. Reip. Christianæ lib.* 5. *disp.* 12. *§.* 13. *n.* 74. cum cœteris Doctoribus citatis pro priori sentẽtia Decis. *præcedenti num.* 4. Quia si licet comedere in extrema necessitate, ad conseruandam vitam, licebit etiam ad eamdem conseruandam comedere , quando periculum

lum extrinsecus aduenit, quia parum refert, quod metus sit ab intrinseco, vel ab extrinseco.

2 Sed tenendum est, neq; in hoc casu licere manducare carnes humanas appositas, & potius morté subeundam esse, vt docet Victoria *Relect. de temperant. num. 6. ver. Item si hoc.* Quia non licet vti medijs ad conseruandam vitam, quæ à natura non sunt cócessa in hunc finem, quia eo ipso, quod ordinantur, peruertitur ordo naturę, & cósurgit aliquid intrinsece malum. Cibus auté carnium humanarum non est mediũ ordinatum, neque concessum à natura ad sustentandam vitam, & ideo nunquam licet, ipsum adhibere ad hunc finem, sicut non licet, adhibere mendacium, adulterium, & alia huiusmodi media. Facit ad hoc Cap. *Omne genus.* Cap. *Si quis 22. quæst. 2.*

3 Et hoc à fortiori verum est, si quis in odium religionis vellet cogere ad edendas carnes humanas; tunc enim concurrit etiam necessitas confitendi fidé, quam nunquam licet negare. Vnde nec Eleazarus *2. Machab. cap. 6.* voluit comedere carnes porcinas, quamuis proibitas positiua tantum lege cœremoniali, quia id ab ipso exigebatur in contemptum religionis. Vnde miror, quod Sanchez citato *lib. 1. in Decal. cap. 18. num. 13.* oppositum tradiderit, quod primo typographorum errorem putaui, sed postea in diuersis editionibus idem reperi.

4 Præterea dubitatur, quid dicendum de lege illa Hispanorum, quæ præcipit custodi arcis, quod stāte fame debet potius proprium filium deuorare, quā arcem dedere inemicis, quam ex *lib. 18. tit. 17. par. 4.* refert. Balthassar. Gomez. de Amescua *lib. 2. de potestate in seipsum, cap. 2. num. 31.* & videtur approbare. Est autem talis, vt ipse refert *Ca segun el fuero leal de Hespaña seyendo el padre cercado en algun castillo: que tuuiese de su Senor, si fusse tancuytado de fambre, que non tuuiese al que comer, puede comer el fijo sin mala estanca, ante que diese el castillo, sin mandado de su senor.* Sapit enim hoc barbariem illam antiquam illius gentis, neque modo in praxi est, ostendente lumine naturæ, quam impium id sit, quia debitum fidelitatis, quo castellanus obligatur suo Principi, non obligat ipsum ad ea, quæ sunt intrinsecè mala, sed solum ad ea, quæ seruata lege naturæ adhiberi possunt pro arce seruanda.

5 Nec obstat, quod teneantur subditi vitam exponere pro Principe. Quia quando se exponunt, vtũtur iure defensionis, quod habet Princeps supra subditos, quo illi obligantur ad ipsum defendendum, vnde faciunt aliquid licitum, & in se honestum, neque intendunt propriam mortem, aut suorum, licet præter intentionem aliquando sequatur. At occidere proprium filium ad comedendum pro seruanda arce, est aliquid directe illicitum, quod adhiberi nō potest vt medium, etiam si finis sit honestus, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

An liceat exquisito modo condire cibos.

Decis. 13.

SVMMARIVM.

1 *Condimentum ciborum moderatum est licitum.*
2 *Exquisita condimenta secundum aliquos non sunt licita.*
3 *Omne curiosum, & exquisitũ condimentum est de se licitũ.*
4 *Quam mediocritatem in condimentis ciborum præscribat temperantia.*
5 *Exquisitum condimentum ciborum adhibetur cum peccato, quando nocet.*
6 *Item quando finis adhibentis est malus.*

1 CERTVM est, quod moderatum condimentum ciborum est licitum; quia ordinatur ad ponendam debitam proportioné gustabilis cum gusto, quæ est perfectio quædam constituens debitum ordinem rerum, & proinde est secundũ regulas rectæ rationis Hinc *Leuit. 2.* præcipitur condimentũ salis; & à Deo nobis data sunt quædam aromata facta propter condiendos cibos. An autem exquisita condimenta licita sint.

2 Negatiue Resp. Victoria *Relect. de Temperantia. num. 4.* quod etiā videtur sentire D. Th *2. 2. quæst 142. ar. 2. ad 2.* dum docet, quod circa incitamenta concupiscentiæ plurimum peccatur, vt sunt cibi curiosè præparati. Et potest etiam ratione probari, quia curiositas condimentorum dicit excessum supra illam mediocritatem, quam præfigit temperantia.

3 Sed mihi videtur dicendum, quod quodcunque curiosum condimentum, & exquisitũ sit de se honestum, & proinde de se non esse obiectum peccati. Ratio est, quia est propter naturalem perfectionem gustus; omnis enim potentia perficitur per suum actum & obiectũ, & quo obiectum, & actus perfectiori modo se habent, magis perficitur; & ideo etiā potentia gustatiua magis perficietur per cibum, & gustationem perfectiorem, vt contingit, quando cibi sunt exquisito modo conditi. Quia autem inclinatio naturalis potentiæ est secundum exigentiam naturæ rationalis, & consequenter conformis regulis rectæ rationis, ideo etiam est honesta, & consequenter etiam actus ipsius, & quicquid ordinatur ad perficiendam potentiam secundum suam inclinationem, vt sunt cibi exquisitè conditi.

4 Nec ratio in oppositum obstat. Nam mediocritas, quam attendit temperantia, est illa, quæ est conformis subiectæ materiæ, atque adeo exigentiæ rei commensuratæ regulis rationis. Quia autem condimentum ciborum est in ordine ad ipsos perficiendos in ordine ad exigentiam gustus, & gustus exigentia commensurata rectæ rationi exigit suam gustationem perfectam, stando in regulis rationis naturalis, ideo mediocritas in condimento debet attendi in ordine ad perficiendum gustum secundum suā exigentiam, & ideo non debet habere excessum, nec defectum in proportione ad gustum. Proportio ergo quantùmuis exquisita, erit secundum mediocritatem requisitam.

5 Solum ergo in hoc exquisito, & curioso condimento ciborum contingere potest peccatum, quatenus inde resultet aliquod nocumentum corporis, atque adeo peccatum erit mortale, aut veniale, prout nocumentum erit graue, vel leue; Fieri enim potest, quod illud, quod est valde accommodatum gustui, sit nociuum sanitati, & tunc, cum gustus subordinetur conseruationi salutis corporalis, exigit, quod à temperantia ita reguletur, vt ipsi inseruiat, non autem noceat.

6 Præterea contingere potest peccatū ex fine comedentis, si nimirū abutatur exquisitis condimētis,

aut ad comedendum supra exigentiam naturæ, aut ad incitandam concupiscentiam cibi contra exigentiam rectæ rationis, quæ solum concedit cibum, quãtum sufficiat ad substentandam naturam, aut ad sũmum ad quamdam relaxationem corporis, vt contingit in conuiuijs. Vnde continget peccare mortaliter, aut venialiter iuxta grauitatem materiæ. Et hæc tantum voluit D. Th. supracitatus, nàm loquitur de exquisitè conditis cibis, vt sunt incitamentum concupiscentiæ.

An sit peccatum comedere res non destinatas ad communem cibum Decis. 14.

SVMMARIVM.

1 *Manducare res non destinatas in cibum, est peccatum mortale, vel veniale iuxta quantitatem damni, quod inde sequitur.*
2 *Ex obiecto est peccatum veniale secundum Caietanum,*
3 *Quando ex obiecto sit peccatum veniale.*
4 *Quando etiam mortale.*

1 RESP. affirmatiuè cum Caiet. 2a2. *quest.* 148. *ar.* 2. *circa finem* §. *Ad secundum vero* Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. *quæst.* 4. Quia nimirum, quæ non sunt ordinata ad cibum non sunt ex natura sua proportionata alimentationi hominum atque adeo sẽper inferunt aliquod nocumentum; vnde ea comedens peccat contra charitatem erga seipsum grauiter, vel leuiter, prout graue, vel leue est damnum, quod inferunt.

2 An autẽ ex obiecto sit peccatum præciso quocunque damno ob inordinationem, quam habet in seipso, Resp. Caiet. citatus, esse peccatum veniale, quamuis sit peccatum bestialitatis, quia non valet conseqentia, quod ex eo, quod aliquid sit peccatum bestialitatis, sit etiam mortale, sed, vt sit mortale, debet esse contra charitatem Dei, aut suipsius, aut proximi. Quod tamen non puto verum, quia non est peccatum mortale, nisi insuper lædat notabiliter charitatem; vnde furtum leue, licet lædat charitatem erga proximum, non tamen est mortale.

3 Hanc sententiam Caietani existimo veram, quãdo adest concupiscentia horum ciborum, quæ solet excitari ex aliqua infirmitate, nam stante tali concupiscentia induunt tales res adhibitæ in cibum rationem boni sensibilis delectabilis, atque adeo quamdã proportionem per accidens ad appetitum sensibilẽ, & ideo quantum est ex obiecto, secluso damno, interuenit tantum inordinata quædam obsequentia appetitus, quæ non dicit grauem de ordinationem.

4 Si tamen cesset concupiscentia harum rerum, & consequenter non fiat mutatio in materia, nec interueniat rationabilis causa, censerem esse peccatum mortale comedere de his rebus in notabili quantitate; tunc enim fit grauis iniuria propriæ personæ cõtra ordinem præscriptum à natura, quia non seruatur illi debita reuerentia, quam tenemur seruare ex charitate, qua tenemur non offendere nos ipsos; & sicuti esset grauis iniuria hoc facere cum alijs, ita etiam hoc facere cum seipso; non enim sumus domini, ita vt ad libitum possimus disponere de nobis ipsis, & conculcare dignitatem humanam, quia est dignitas naturæ, quæ non est in nostra potestate, & ideo nec etiã possumus ipsam grauiter offendere: vt contingeret, si res non destinatæ à natura in cibum absque rationabili causa manducarentur, præsertim si essent immundæ, & abominabiles.

An sit peccatum comedere carnes crudas. Decis. 15.

SVMMARIVM.

1 *Carnes crudas comedere secundum Azor. est peccatum, si fiat absque necessitate.*
2 *Secundum Facundez præcisa causa est tantum peccatum veniale.*
3 *Est peccatum mortale, si inde sequatur damnum notabile, licitum autem ex iuxta causa.*
4 *Præcisa causa est mortale, si lædat notabiliter humanam dignitatem.*
5 *Carnes sole, aut fumo assa non censentur cruda.*

1 AFFIRMATIVE resp. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. *quæst.* 4. Sed nõ explicat, quale peccatũ sit mortale, an veniale; sed solum innuit esse peccatum contra legem naturalem, quando necessitas non excuset.

2 Facundez autem *Præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. docet ex obiecto non posse esse peccatũ mortale, licet possit esse ex circunstantijs, vt ob læsionem notabilem sanitatis. Imo etiam nec esse peccatum veniale apud illas nationes, apud quas est vsitatum carnes crudas edere. Apud illas autem apud quas non est vsitatum, esse tantum peccatum veniale.

3 Quod sit peccatum mortale comedere carnes crudas, quando inde prouenit notabile damnum, certum debet esse apud omnes. Contrariatur enim charitati, qua sub mortali tenemur conseruare propriam vitam. Rursus etiam, quod nullum adsit peccatum, quando ex rationabili causa comeduntur, debet similiter esse certum, nam tunc commestio vestitur illa rationabili causa, & fit conformis regulis rationis, & quid honestum; vt contingeret, si manducarentur, aut quia non adesset commoditas coquendi, aut quia complexio aliquid tale exigeret, aut medicinæ causa, aut ex aliquo alio capite.

4 De se autem præcisa hac rationabili causa mihi videtur aliquid bellunum, & ij, apud quos hoc est in vsu sunt homines barbari, & efferi, & in quibus dignitas humanæ naturæ sepulta est, & potius bestiarum more, quam humano modo viuunt, atque adeo continere ex obiecto dissonantiam ad regulas rectæ rationis tanquam aliquid dissonum humanæ dignitati. Vnde si ex hoc sequatur iactura grauis talis dignitatis, mihi videtur esse peccatum mortale, quia sicut nõ licet per talem commestionem lædere corpus, ita vt si notabiliter lædatur, peccetur mortaliter; ita etiam non licet lædere humanã dignitatem in propria persona; & si notabiliter læditur, erit peccatum mortale. Vnde nemo excusaret illum à peccato mortali, qui in modo barbaro viuendi quo ad commestionem, & alias

alias huiusmodi actiones illicitas imitaremur barbaras gentes. Nec ipsa gens barbara excusari potest, nisi ratione ignorantiæ.

5 Nec est eadem ratio de carnibus sole, aut fumo assatis, aut sale conditis, quia non censentur crudæ, cum sint ita maceratæ, vt potius censeantur coctæ. Quod satis ex eo patet, quia tali pacto acquirunt debitam proportionem cum stomaco.

An sit peccatum comedere, aut bibere ob solam delectationem absque necessitate, secluso nocumento corporis, seu salutis corporalis. Decis. 16.

SVMMARIVM.

1 *Comedere, & bibere ob solam delectationem, quando sit mortale, aut veniale.*
2 *Secluso nocumento secundum aliquos non est peccatum.*
3 *Cibus, & potus ob solam delectationem est cum excessu, & ideo nocet.*
4 *Est contra mediocritatem præsciptam à temperantia.*
5 *Est superfluus, & ideo cum nocumento.*
6 *Cur sit contra rationem sistere in sola delectatione gustus, & non in alijs delectationibus aliquorum sensuum.*

QVOD sit peccatum mortale, quãdo interuenit notabile nocumentum salutis corporalis, aut veniale, quando interuenit leue nocumentum, certum omnino est, quia fit contra naturale præceptum temperantiæ, quæ ita exigit cibum, & potum moderari, vt prosit saluti corporali, & non ipsam lædat; ordinatur enim ad sustentationem vitæ, & ideo si sit in tanta quantitate, vt noceat, est contra finem præscriptum à ratione.

2 Secluso autem nocumento licere edere, & bibere ob solam voluptatem captandam, docet Io. Sãchez *in Selectis de Sacram. disp. num.* 14. & probabile putat Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 1. *n.* 7. & refertur à Diana *par.* 3. *tract.* 5. *Miscellan. Resol.* 6. qui tamen neque approbat, neque repprobat. Ratio est, quia non est contra rationem velle appetitum delectari suis actibus, qui non sunt contra rationem, vt est edere, & bibere ob solam delectationem secluso nocumento; sic etiam olfacere res odoriferas ob solam delectionem, audire sonus suaues, aspicere res pulchras ob solam delectationem; non est contra rationem. Quod autem non est contra rationem, nullo modo est peccatum.

3 Circa hanc autem doctrinam in praxi vix puto, posse separari nocumentum vel graue, vel saltem leue à potatione, vel commestione absque necessitate ob solam delectationem. Quia si cibus non est necessarius saltem ad optime nutriendum corpus, est superfluus in ordine ad nutritionem; omnis autem cibus, & potus superfluus in ordine ad nutritionem aggrauat naturam, quæ solum exigit congruentem alimentationem, & ideo infert aliquod saltem leue nocumentum.

4 Deinde falsum est, quod comedere, & bibere ob solam voluptatem; ita vt non ordinetur cibus, & potus ad alimentationem, non sit contra rationem. Nam potus, & cibus debent moderari per virtutem temperantiæ, ita vt nisi sint secundum ipsius mensuram, inordinatè se habeant, atque adeo sint contra rationem. Temperantia autem præscribit mediocritatem in cibo, & potu secundum exigentiam sustentationis naturæ: siquidem præscribit secundum exigentiam finis, ad quem ordinantur, vnde cum ordinentur ad alimentationem, debent secundum exigentiam ipsius moderari: & quoties non est sic moderatum, est contra præscriptionem temperantiæ.

5 Præterea vel quando sumitur cibus, & potus ob solam delectationem, est congruens alimentationi; & tunc est in ordine ad ipsam, atque adeo non est ob solam voluptatem, sed etiam ob finem alimentationis. Vel est superfluus; & tunc non seruatur in ipso debitus ordo, neque attenditur finis ipsius, sed cõsurgit finis oppositus, nempe oppressio naturæ, quia sicut notabilis excessus ledit naturam, ita vt magis lædat, quo est maior, ita quicunque excessus aliquo modo lædit; & ideo est aliquid inordinatum, & proinde contra rationem.

6 Denique cibus, & potus non est propter solam delectationem gustus, sed mediante ipsa propter substentationem vnde delectatio est finis subordinatus substentationi, quod non contingit in auditu, visu, & olfactu, quorum delectationes immediatè sunt ad recreandum animum. Sistere autem in fine subordinato, & non ordinare ipsum ad subordinantem, est cõtra rationem, quæ exigit, quod finis ex natura sua intermedius ordinetur ad vltimum. Vnde ex hoc soluta manet ratio in oppositum.

An lex, votum, iuramentum de non comedendis carnibus præcise in extrema necessitate sint licita. Decis. 17.

SVMMARIVM.

1 *Lex, votum, iuramentum de abstinentia à carnibus præcise in extrema necessitate non sunt licita.*
2 *Nec etiam de abstinentia à carnibus præcise in infirmitate periculosa.*
3 *Nec etiam de abstinentia ab alio genere cibi.*
4 *Cur si est licita pro toto tempore vitæ, non sit licita præcisè in extrema necessitate.*

1 RESP. negatiuè cum Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 9. & alijs in materia de voto, & iuramento. Ratio est, quia lex, votum, & iuramentum, vt licita sint, debent esse de materia honesta, quia lex non potest esse contraria regulis rectæ rationis, nec Deus potest assistere rei turpi, & ipsam approbare. Abstinentia autem à carnibus in extrema necessitate non est quid honestum; quia inferret mortem: vnde intendens talem abstinentiam intenderet implicitè homicidium.

2 Sed rursus dubitari potest de abstinentia à carnibus præcisè in sola infirmitate periculosa an sit licita, quando nimirum suppetunt alij commodi cibi, vt sunt

sunt oua. Resp. neque adhuc esse licitam, quia est directè contra bonum salutis corporalis, & indiscreta, & contra charitatem, qua quisque tenetur amare seipsum, & conseruare propriam salutem. Quod autem contrariatur charitati, nō potest esse licitū Cap. *Non mediocriter De cōsecrat. Dist.* 5. vnde nec lex, nec votum, nec iuramentum de tali abstinentia erunt licita.

3 Quod autem dicitur de abstinentia à carnibus, extendendum est ad abstinentiam à quocunque genere ciborum, quia adhuc talis abstinentia esset illicita in extrema necessitate, & similiter si esset necessarium ad salutem corporalem.

4 Dices, est licita talis abstinentia, quando est pro toto tempore vitæ, ergo est licita etiam in casu nostro, quia non minus est nociua in illo casu, quam in nostro. Resp. An sit licitum, illam continuare in extrema necessitate, videbimus infra. Adhuc tamen est diuersa ratio in casu nostro, quia cum sit limitata ad casum extremæ necessitatis, est directè cōtraria conseruationi vitæ, in casu autem, quo duraret per totam vitam, per accidens contrariaretur, & ideo lex, votum, & iuramenum non intendunt directe mortem, sicut intenderent in casu nostro.

An lex, iuramentum, votum de perpetua abstinentia per totam vitam à carnibus, aut alio genere ciborum sint licita. Decis. 18.

SVMMARIVM.

1. *Lex, votum, iuramentum de perpetua abstinentia ab aliquo genere ciborum est bona, & licita.*
2. *Est actus virtutis ordinans ad finem supernaturalem.*
3. *Non est indiscreta respiciendo ad prudentiam supernaturalem, sed secundum charitatem.*
4. *Neque secundum prudentiam, & charitatem naturalem est indiscreta.*

1 RESP. affirmatiuè, vt constat ex Regula Carthusianorum, & Minimorum; & ita docent communiter contra nonnullos, qui ab initio impugnauerunt Institutum Carthusianorum præsertim Io. Andreas *in cap. Concil. De obseruat. ieiunior.* Rodriquez *par. 2. sum. cap. 96. num.* 16. Gerson. *tract. De abstinentia Carthusian.* Maior. *in 4. Dist. 38. quæst. 4.* Martin. *de Magistris quæst. de Abstinentia.* Victoria *Relect. de temperant. num.* 8. Ledesma *2. par. 4. quæst. 17. ar. 6. dub.* 5. Salas *disp. 11. de Legib. sect. 2. num. 22.* Hieronim. Rodriquez *in Compend. quæst. Reg. Resol. 75. num.* 11. & alij in Decis. sequentib. citandi.

2 Ratio est, quia talis abstinentia perpetua est quid bonum; est enim opus virtutis; & proinde apta ad conducendum ad vltimum finem; continet enim opus pœnitentiæ, & satisfactionis, & proinde honorem Dei, & speciali modo subijcit hominem Deo, & dicat obsequio ipsius, siquidem talis abstinentia præsumitur assumi ob maiorem gloriam Dei, & ad inseruiendum ipsi.

3 Dices, talem abstinentiam esse indiscretam, & proinde non esse honestam, atque adeo legem, votum, & iuramētum non obligare tanquam de aliquo non licito; siquidem est contra regulas prudentiæ, & contra mediocritatem ab ipsa præsciptam. Res. esse indiscretam, si consideretur secundum regulas prudentiæ humanæ: secus autem, si secundum regulas prudentiæ supernaturalis, quia quando agitur de obsequio in Dei honorem assumpto, nulla passio, aut maceratio est indiscreta, nam prudentia supernaturalis dictat, quod quælibet pœnalitas huius vitæ est leuis pro compensanda pœna debita peccatis, & pro ostendenda gratitudine erga Deum. Neque est contra charitatem supernaturalem, quia hæc inclinat ad nos ipsos amandos propter vltimum finem, atque adeo ad eligenda illa media, quæ nos ad ipsum cōducere possunt, qualis est talis abstinentia.

4 Deinque neque, sistendo intra ordinem naturalem, potest dici indiscreta talis abstinentia; nam tunc est indiscreta, quando affert notabile damnum, & impedit functiones excellentiores, vt colligitur ex Cap. *Non mediocriter De Consecrat. Dist.* 5. talis autem abstinentia non est huiusmodi, vt constat in Carthusianis, & Minimis, qui bene conseruantur, & congrue funguntur suis muneribus; & si in aliquo contingit oppositum, id est per accidens ratione indispositionis, & complexionis illius.

An Carthusiani obligentur sub mortali ad perpetuam abstinentiam à carnibus. Decis. 19.

SVMMARIVM.

1. *Carthusiani non habent votum de perpetua abstinentia à carnibus, sed solum regulam.*
2. *Obligantur sub mortali ad talem abstinentiam secundum aliquos.*
3. *Secundum alios non obligantur, quod est probabilius.*
4. *Votum obedientiæ non obligat ad regulam seruandam, nisi eo modo, quo obligat regula.*
5. *Consuetudo cum animo se obligandi, eo modo obligat, quo obligant leges communitatis.*
6. *Carthusianus peccet mortaliter comedendo carnes, si noceat notabiliter obseruantia.*
7. *Quomodo etiam ratione scandali.*
8. *Quando non peccet comedendo carnes.*

1 CARTHVSIANI nullū habent speciale votum de abstinentia à carnibus, vt tradunt Gerson. *par. 2. in Regul. moral. cap. de Regulari.* 5. *Votum Carthusiensium, & Tract. De non esu carnium Carthusiensium.* Petrus Sutor Cartusian. *in Histor. sui ordinis lib. 1. tit. 3. cap.* 8. Qui asserit, Ordinem Carthusiensem per 170. annos nullam habuisse constitutionem de tali abstinentia, sed ex sola consuetudine seruasse: postea vero anno 1254 facta est constitutio de tali abstinentia sub pœna eiectionis à religione. Sed postea temperata hac pœna, alias & graues transgressoribus imposuit, & complectitur etiam ministrantes, consentientes, & non prohibentes cum possint.

2 Quod autem talis abstinentia obliget sub mortali ex generali voto obedientiæ tenent Nauar. *lib. 3. Concil. 10. de Regularib. num.* 5. Vasquez. *1. 2. disp. 162. cap.* 4.

cap. 4. num. 16. Salas *disp.* 11. *De legib. sect.* 2. *num.* 17. Quomodo autem votum obedientiæ se extendat ad hanc obligationem, non explicant.

3 *Alij vero* docent, non obligare sub mortali, imo neque etiam ad veniale: sed solum ad pœnam; Ita præcipuè Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 2. *in fine*, vbi asserit, ita sentire etiam doctos Iuniores. Quia nimirum Regula ipsorum non obligat ad peccatum.

4 Quæ sententia mihi probabilior videtur. Nam votum obedientiæ non potest se extendere ad obligandos religiosos ad seruandas regulas speciales, nisi eo modo, quo regula intendit obligare, quia obligatio voti assumitur voluntariè; vnde non infert maiorem obligationem, quam assumatur, & cum voto assumitur regula eo modo, quo imponitur; vnde cum assumatur absque obligatione ad peccatum, non potest votum inducere obligationem ad peccatum, quia talis obligatio non assumitur, nec votum assumitur vt inducens ipsam. Confir. quia votum non obligat ad regulam seruandam, nisi ea obligatione, cum qua imponitur regula, siquidem votum suscipitur secundum mensuram regulæ, & proinde extra essentialia non obligat, nisi prout obligat regula, vnde si ipsa non obligat ad peccatum, nec etiam in eadem materia obligabit votum. Quare cum Regula Carthusianorum non obliget ad peccatum, nec etiam obligabit votum ad seruandam talem abstinentiam.

5 Dices, obligare ratione consuetudinis, siquidem fuit introducta talis abstinentia à consuetudine cum animo se obligandi, vnde postea sancita est lex de ipsa. Resp. neque ex hoc colligi obligationem ad peccatum, quia quando introducitur consuetudo aliqua à communitate cum animo se obligandi, quia introducitur instar legis, eodem modo introducitur, ac si ab ipsa sanciretur talis lex, atque adeo cum ea obligatione, quam haberet, si esset lex. Vnde, cum leges sanciantur absque obligatione ad culpam, etiã consuetudo erit absque tali obligatione, licet cum animo se obligandi, quia animus respiciet illam solam obligationem, quam ponunt leges.

6 Existimo tamen, quod possint Carthusiani peccare comedendo carnes, quando nimirum inferrent notabile damnum regulari obseruantiæ, etiam quò ad hanc abstinentiam. Talis enim abstinentia est maximum bonum religionis, quo fiat valde conspicua inter cœteras, & stat in virida obseruantia: vnde qui eam grauiter læderet, vt si pluries comederet carnes, aut comederet in publico, ita vt ostenderet, se parum curare de hac obseruantia, læderet ipsam notabiliter, & proinde inferret damnum religioni operando contra bonum publicum. Confir. Si lædit notabiliter religionem in bonis temporalibus, peccat mortaliter, ergo à fortiori peccabit, si lędat in bonis spiritualibus notabiliter, qualis est hæc obseruantia.

7 Hinc colligitur, quomodo peccare possit ratione scandali comedendo carnes. Non enim peccabit, quia suo exemplo inducat alios ad comedendum, aut introducendas dispensationes, nam in his casibus non induceret ad peccatum, quia stante, quod talis abstinentia non obligat ad mortale, in nullo ex his casibus adest peccatum. Sed quia adhuc causaret damnum religioni, quia induceret quamdam dissipationem talis obseruantiæ, in quo religio valde damnificaretur.

8 Quare si Carthusianus absque notabili detrimento huius obseruantiæ comederet carnes, vt si secreto comederet, etiam si pluries id faceret, non peccaret mortaliter, stante quod constitutio non obligat sub mortali, & cessat damnũ regularis obseruantiæ, ratione cuius potest esse peccatum mortale.

An lex, votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus, aut alio cibo obliget in extrema necessitate, quando nullus alius cibus adesset. Decis. 20.

SVMMARIVM.

1 Lex, *votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus &c. non obligant, quando non adest alius cibus.*

2 *Lex, votum, iuramentum obligant vt conformia regulis rectæ rationis.*

3 *Obligatio legis, voti, & iuramenti est subordinata charitati obligans secundum eius regulas.*

4 *Obligatio voluntariè suscepta non præualet legi naturali.*

5 *Cibus prohibitus lege, voto iuramento, non est prohibitus in extrema necessitate.*

6 *Carthusienses in extrema necessitate edentes carnes non subiacent vlli pœnæ.*

7 *Quomodo accipiendum votum, lex, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus.*

8 *Extrema necessitas est, quando desunt res communiter in cibum destinatæ.*

1 RESP. negatiuè. Et ita docent communiter Gerson. 2. *par. tract. de abstinentiuent. Carthusiens. Alphab.* 39. *littera F. I. & O* Adrian. *quod lib.* 1. *ar.* 3. *ad* 9. Maior. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 24. *conclus.* 5 Martinus, de Magistris *quæst.* 3. *de Abstinent.* Almain. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *Proposit.* 3. Medina Cod. *De ieiunio quæst. vlt. ad* 4. Frauchus *in* Cap. Concil. De *obseruat. ieiunior. in Schol. ad Patton.* ver. *in alijs* Abbas ipse *in* Cap. *Si vero num.* 2. De *iureiurando.* Felin. *n.* 3. Io. Andreas *num.* 15. Alexander de Nauo *num.* 6. *in fine &* 15. *in idem* Cap. Duual. *tract. de legib. quæst.* 5. *ar.* 4. & alij Canonistæ in dict. Cap. *Consilium.* Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 5. *dub.* 5. Rodriquez 2. *par. sum. cap.* 94. *num.* 16. Victoria *Relectione de Temperantia num.* 8. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 7. Vasquez 1. 2. *disp.* 162. *cap.* 4. Salas *disp.* 11. *de legib. sect.* 2. *num.* 22. ver. *Secundo dico.* Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 5. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 2. *de peccatis, quæst.* 8. *punct.* 2. Couaruias *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. Laiman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. Gomez de Amescua *de potestate in seipsum lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 12.

2 Ratio est, quia omnis lex, votum, iuramentum in tantum obligant, in quantum retinent conformitatem ad regulas rectæ rationis; alioquin desinunt habere suam honestatem, in cuius virtute obligant. Et proinde extenditur solum tantum obligatio, quãtum extenditur huiusmodi conformatio, quæ, si in aliquo casu cessat, obligatio quoque cessat. In casu autem nostro stante extrema necessitate, ita vt nullus alius cibus suppetat præter carnes, lex, votum, & iura-

iuramentum non retinet conformitatem ad regulam rationis, nam tunc obligatio esset ad se necandum fame, non est autem conforme regulis rectæ rationis, quod lex, votum, aut iuramentum obliget ad prodigendam vitam, & se necandum fame, imo contrariatur, quia recta ratio dictat, vitam esse conseruandam.

3 Quod etiam confir. Nam obligatio legis, voti, & iuramenti debet esse subordinata charitati, tanquam virtuti generali, à qua omnes aliæ diriguntur. Vnde Apostolus *Ad Rom.* 13. & 1. *Ad Tit.* 1. Plenitudo legis est dilectio, & finis præcepti est charitas. Vnde, quando incipit esse contraria charitati, desinit obligare, quia contra charitatem non habent vim lex, votum, iuramentum. In casu autem nostro obligatio de non comedenda carne, aut alio cibo, est cõtraria charitati, si nullus alius suppetat, quia charitas dictat de conseruanda propria vita, talis autem obligatio tendit ad destruendam, & ideo cessat, quia præualet charitas.

4 Et hoc etiam ex eo constat, quia omnis obligatio voluntarie suscepta, tanquam lex particularis nõ potest præualere contra legem naturalem, quæ est prima, & vniuersalis, à qua omnes aliæ moderari debent, & ideo intelligitur semper suscepta intra terminos legis naturalis, & proinde tantum solum censetur extendi, quantum patitur lex naturalis; vnde quando inciperet contrariari, statim cessat; obligatio autem de non comedendo cibo, à quo obligamur lege, voto, aut iureiurando perpetuo abstinere, est contraria legi naturali, quando nullus alius adest cibus, quia lex naturalis prohibet, se fame necare, & talem mortem natura ipsa abhorret, & obligat ad conseruandam vitam.

5 Nec dici potest, quod tunc censeatur non adesse aliquis cibus, nam cibus prohibitus ex vi talis obligationis, censetur, ac si non adesset; nam re vera est licitus secundum ius naturale, nec obligatio particularis se extẽdit ad illum casum cum non habeat vim, quando naturalis lex aliter disponit, & ideo non potest censeri, quod non adsit stante voluntaria obligatione suscepta.

6 Ex quibus colligitur, quod in tali casu lex Carthusianorum non obligaret ipsos, vt se à carnibus abstinerent, & proinde non deberent subiacere alicui pœnæ. Vnde Gerson. *num.* 1. *citatus*, refert, Carthusianum in itinere fame coactum, sanguinem equi, quo vehebatur, sumpsisse, nec à suis postea reprehensum. Talis enim lex, siue votum, aut iuramentum semper intelligitur, quando adsit copia aliorum ciborum, quibus vita substentari possit, quia est obligatio ad abstinentiam, quæ, cum sit virtus pertinens ad temperantiam, respicit quidem moderationem cibi secundum talem mensuram, quando potest ita temperari, non autem omnimodam subtractionem.

7 Et quod lex, votum, iuramentum ita accipienda sint, constat ex eo, quod si intelligeretur de abstinentia in quocunque casu, etiam extremæ necessitatis, essent illicita, quia haberent obiectum illicitum, nempe abstinentiam necatiuam hominis, vnde implicitè obligarent ad occidendum se ipsum mediante fame. Et ideo, vt materia sit honesta, debet accipi abstinentia vt excludens obligationem ad pereundum fame, atque adeo vt non obligans in extrema necessitate.

8 Vt autem sit extrema necessitas, & censeatur suppetere alius cibus, sufficit, quod non adsint alij cibi vsui communi interuenientes; nam si adessent alij cibi, sed nauseam mouentes, vt sunt animalia, quæ non solent in cibum vsurpari, non per hoc subsisteret obligatio, quia adhuc moraliter non adest cibus, quia nõ adsunt ea, quæ solent pro cibo inseruire.

An in extrema necessitate, quando nullus alius adest cibus liceat seruare legem, votum, iusiurandum de perpetua abstinentia à carnibus, aut alijs cibis.

Decis. 21.

SVMMARIVM.

1 *Obligatus ad perpetuam abstinentiam à carnibus, potest abstinere, etiam quando non adest alius cibus secundum Lessium.*
2 *Non potest.*
3 *Talis abstinentia in dicto casu contrariatur legi naturali.*
4 *In ipsa committitur homicidium sui ipsius.*
4 *Non est virtus.*
5 *Carthusianus, non habens alium cibum, potest edere carnes, nec in hoc est scandalum.*

1 AFFIRMATIVE respondet Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 12. quia nimirum ob bonum virtutis potest continuare abstinentiã assumptã.

2 At communiter omnes negant Panormit. *in cap. Si vero nu.* 2. De *iureiuran.* Francus *in Scholijs ad Panor, in cap. Consil. ver. In alijs* De *obseruat. ieiunor.* Almain *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *Proposit.* De *dominio naturali* Martinus de Magistris *quæst.* 3. De *abstinent.* Medina *Cod. de ieiunio quæst. vlt. ad* 4. Gerson. 2. *par. tract. de Abstinent. Carthusiens. Alphabet.* 39. *littera F. conclus.* 2. *& littera I. & O.* Adrian. *quodlib.* 1. *ar.* 3. *ad* 9. Maior. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 24. *conclus.* 5. Victoria *Relect. de Temperant. num* 10. Azor. 1. *par. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 7. ver. *Si vero nullum.* Vasquez. 1. 2. *disp.* 162. *cap.* 4. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 6. *dub.* 5 Sanchez. *lib.* 5. *Consilior. moral. cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 5 Duual. *tract.* De *legib. quæst.* 5. *ar.* 4. *conclus.* 2. Laiman. *lib* 1. *theol. moral. tract.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. Bonacina *tom* 2. *disp.* 2. *de Peccatis. quæst.* 8. *punct.* 2. *n.* 16. ver. *Ego vero.* Salas *disp* 11. *de legib sect.* 2. *num.* 24. Martinez. 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *dub.* 7. *conclus.* 1. Baldel. *tom* 1. *theol. moral. lib.* 5. *disp.* 26. *num.* 15 Lorca 1. 2. *disp* 23. *de legib.* Tit. *Quartum de Carthusianis* ver. *Sed mihi.* 34. Gomez de Mescua *lib.* 2. *de Potestate in seipsum cap.* 6 *num.* 6. qui alios citat. Et hanc sententiam tenet etiã D. Th. 2. 2. *q.* 88. *ad* 3. vbi docet, quod votũ de sola abstinentia rationabili obligat, non autem quando sequitur mangnum, & manifestum grauamen; quia tunc non est actus virtutis.

3 Quæ sententia absque vlla dubitatione tenenda est, & proinde nequaquam posse talem legem, votum, aut iuramentum seruari. Tunc enim cessat obligatio seruandi, vt visum est in præcedenti Decis. & stat in suo robore lex naturalis, & charitatis, quæ obligant ad conseruandam propriam vitam, ergo tunc non potest abstinere à carnibus, aut alio cibo; alioquin faceret contra legem naturalem, quæ obligat ad sumendum cibum pro seruanda vita.

4 Con-

4 Confir. velle in illo casu seruare illam abstinentiam, esset velle fame perire, quia non adesset alius cibus, vnde esset, velle occidere seipsum, est autem omnino illicitum velle quocunque modo occidere seipsum. Nec esset obseruare abstinentiam ob amorem virtutis, vt dicebat Lessius, quia tunc illa abstinentia non esset opus virtutis, sed quid illicitum, nam tunc solum abstinentia est actus virtutis, quando est discreta, nec contrariatur claritati Cap. *Non mediocriter* De *Consecrat. Dist.* 5. Vnde D. Tho. *in citata responsione ad* 3. ait *Maceratio proprij corporis puta per vigilias, & ieiunia non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis, quod quidem est in quantum cum debita discretione fit, vt scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis grauetur.*

5 Ex quibus colligitur, quod Cartusianus constitutus in extrema necessitate, ita vt non haberet aliũ cibum, quam carnes, non posset seruare tunc propriam regulam de abstinentia à carnibus, sed teneretur illas comedere, vt notanr Doctores pro secunda sententia relati. Nec est ponenda, vt ponunt plures ex ipsis, aliqua exceptio, quod non adsit scandalum, quia nullum scandalum adesse potest, nam casus ipse ostendit, id fieri ad tuendam vitam, contra quam non est adhibenda talis abstinentia: Nec inde introduci potest aliqua relaxatio quo ad illam obseruantiam regularem, nam exemplum non est sufficiens, vt possit inducere ad illam relaxandam. Sic non affert scandalum, quod infirmus comedat carnes quando prohibentur, nec quod generaliter non seruetur lex, quando est contraria legi naturali, nec seruari potest sine amissione vitæ.

An lex, votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus, aut alio cibo obliget in graui infirmitate cum vita periculo. Decis. 22.

SVMMARIVM.

1 *Lex, votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnib. &c. obligat cum periculo vita.*
2 *Secundum probabiliorem sententiam non obligat.*
3 *Abstinentia non obligat, nisi quando corpus est capax macerationis.*
4 *Cur aliqui morti proximi asperitatibus se macerauerint, & vnde id ijs licitum.*
5 *Leges, vota, & iuramenta non obligant, nisi vt modo humano seruari possunt.*
6 *Carthusiani possũt in infirmitate periculosa comedere carnes.*
7 *Quid requiratur, vt possit quis exponere vitam.*
8 *Quid requiratur, vt aliquid sit licitum cum periculo vita.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam tenent Rodriquez 2. *par. sum. cap.* 96. *num.* 16. Sanchez. *lib.* 5. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 34. *num.* 7. Vazquez 1. 2. *disp.* 162. *cap.* 4. Puteanus 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *dub.* 4. *conclus.* 2. Loquitur tamen de Constitutione Carthusianorum, atque adeo de obligatione alicuius communitatis. Quia præceptum conseruandi propriam vitam solum obligat, quando non adest honesta causa exponendi ipsam. Apud Carthusianos autem adest iusta causa abstinendi à carnibus, etiam cum periculo vitæ, quia tunc vita exponitur pro obseruantia regulari conseruanda, in quo est magna vtilitas, quia talis seuera obseruantia obstat, ne introducantur dispensationes, etiam quãdo minus necessariæ essent, & ne tepescat religiosa disciplina in hac præcipua regula. Hinc viri sancti morti propinqui voluerunt reponi in loco aspero, vt legitur de B. Martino. Confir. potest lex ad aliquid obligare cũ periculo vitæ ex causa iusta, vnde obligat militem, ne deserat stationem; imo etiam votũ, vt si quis voto se obligaret ad assistendum aliquibus infirmis, tunc teneretur assistere etiam cum periculo vitæ, vt si morbus esset contagiosus.

2 Communiter tamen negatiuam sententiam tradunt loquentes de Carthusianis, Ita Panor *in cap. Si vero num.* 2. De *iureiurando*, Francus *in Schol. ad eundem Panorm. in cap. Consilium. ver. In alijs.* De *obseruat. ieiunior.* Almain. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *Proposit.* 3. De *Dominio naturali* Maior. *dist.* 38. *quæst.* 24. *conclus.* 5. Martinus de Magistris *quæst.* 3. *de Abstinentia*, Medina *Cod. de ieiunio quæst.* 13 *in resp. ad* 4. Adrianus *quodlib.* 1. *ar.* 3. *ad* 9. Gerson 2. *par. tract.* De *abstinent. Carthusiens. Alphabet.* 39. *littera* F. I. & O. Azor. 1. *par. lib.* 5 *c.* 6 *quæst.* 7. Salas *Disp.* 11. *De legib. sect* 2. *n.* 23. *& sequentib.* Victoria *Relectione de Tẽperantia num.* 10. Laiman. *lib.* 1 *Theol. moral tract.* 4. *cap* 14. *num.* 11. Bonacina *to.* 2. *disp.* 2. *de Peccatis. quæst.* 8. *punc.* 2 *num.* 16. *ver. Ego vero.* Lessius *lib.* 4 De *iust. & iure cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 12. Duual. *tract. de legib. quæst.* 5. *ar.* 4. *conclus.* 4. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 9. *cap.* 9. *nu.* 68. Gomez de Amescua *lib.* 2. *de Potestate in seipsum cap.* 6. *n.* 6. alios citans. Martinez. 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4 *dub.* 7. *conclus.* 4. Mærat. *tom.* 1. *disp.* 13. *de legib. sect.* 7. ver. *Quartum* Lorca 1. 2. *disp.* 23. *de legib.* Tit. *Quartum de Carthusianis* ver. *sed mihi.* Et est conformis doctrinæ D. Th. 2. 2. *quæst.* 8. *ar.* 2. *ad* 3. vbi docet abstinentiam, vt sit materia voti, debere esse cum debita discretione.

3 Hæc posterior sententia tenenda est; nimirum quod, votum, lex, & iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus, aut alio cibo, non obliget, quando necessitas grauis, & periculosæ infirmitatis exigit oppositum. Talis enim obligatio respicit abstinentiam vt exercitium virtutis ordinatum ad macerationem corporis, & proinde respicit corpus macerandum constitutũ in tali statu, vt sit capax macerationis secundũ regulas rectæ rationis: ita vt, quan do non sit capax, cesset obligatio, quia cessat materia, circa quã possit exerceri. Corpus autem ita afflictum infirmitate, in periculo, sit, non est capax macerationis secundũ regulas rectæ rationis, nã recta ratio dictat, corpus esse fouendũ ad vincendũ morbum, nec esse subijciendum ijs passionibus, ex quibus mors possit accelerari, nam mortem sibi accelerare est contra charitatem ad seipsum; & ideo tam lex, quam votum, & iuramentum non obligant in his casibus.

4 Nec obstat, quod aliqui viri perfecti laudentur, quod morti proximi asperitatibus corpus afflixerint, & proinde possit in tali casu secundum regulas rectæ rationis corpus affligi. Quia tales viri non procedebant humano modo, neque secundum consuetas regulas rationis, sed supra ipsas ex aliquo speciali instinctu Spiritus sancti, sine quo non esset licitum sibi asperitatibus mortem accelerare. Vnde D. Hieronimus, vt refertur in Cap. *Non mediocriter* De *cõsecrat. Dist.* 5. ait. *Audiãt igitur, qui ea, quæ necessaria sũt,*

 corpo-

corpori subtrahunt, illud, quod per Prophetam Dominus loquitur. Ego Dominus odio habens rapinam holocaustorum; de rapina vero holocaustum offert, qui siue ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderatè affligit.

5 Leges autem, vota, & iuramenta non obligant, nisi quatenus humano modo seruari possunt, & secundum ordinarias regulas rectæ rationis, quia obligatio ipsorum suscipitur secundum mensuram humani modi operandi, & proinde non obligant contra necessitatem, sed ipsi cedunt, vt notat Nicolaus III. *Cap. Exijt. §. Nec quicquam* De *verborum significatione in* 6. ibi. *Cum ab omni lege extrema necessitas sit excepta: nec talem abdicationem proprietatis omnimoda renuntiationem vsus rerum cuiquam videatur inducere.*

6 Ex quibus colligitur; Carthusianos non obstante ipsorum constitutione posse in periculosis infirmitatibus comedere carnes, nec posse ob hoc subiacere alicui pœnę, si medicus iudicauerit necessarias ad conseruandam vitam; quia constitutio ipsorũ non obligat cum tanto discrimine. Quid autem dicendum sit, si constitutio ipsorum, interpretante consuetudine, amplectatur etiam casum periculosæ infirmitatis, constabit ex Decis. sequenti.

7 Ad id autem, quod dicebat Vasquez & *num.* 1. allatum est, resp. Quod, vt lex, votum & iuramentum obliget ad aliquid cum periculo vitæ, duo requiruntur, & quod id, ad quod obligat, sit de se licitum etiam cum periculo vitæ, & quod explicitè intendat ad id obligare, quia si obligat ad aliquid in generali, quando coniungitur cum ipso periculum vitæ, cessat obligatio, vt si quis se obligasset ad inseruiendum alicui, si vellet ipsum ducere ad locum, vbi vita periclitaretur, non tenetur ire.

8 Vt autem aliquid sit licitum etiam cum periculo vitæ, oportet, quod sit magis appretiabile, quam sit ipsa vita; nam rectus ordo exigit ne magis appretiabilia exponantur pro minus appretiabili; sic licèt exponere vitã pro seruanda vita principis, quia vita principis est magis appretiabilis: licet inseruire infirmis cum periculo propriæ vitæ, quia non solum agitur de conseruanda vita proximi, sed etiam de salute spirituali ipsius, quia si se videret destitutum, facile caderet in desperationem: & semper, in quocunque casu sit licitum exponere propriam vitam, id, pro quo exponitur, erit magis appretiabile aut ratione sui, aut ratione annexorum. In casu autem nostro lex non obligat explicitè ad abstinentiam cum periculo vitæ, & ideo non se extendit ad hunc casum.

An lex, votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus obligent in extremo vitæ periculo ex infirmitate, si explicitè includant talem casum. Decis. 23.

SVMMARIVM.

1 Lex, *votum, iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus non obligat secundum aliquos in extremo periculo vitæ ex infirmitate, si explicitè includant talem casum.*

2 Probabilius *est, quod obliget.*

3 *Ob conseruandam inuiolabilem abstinentiam à carnibus in aliqua communitate, licet se exponere alicui periculo.*

4 *Abstinentia a carnibus in qualibet infirmitate non reddit periculum ineuitabile.*

5 *Carthusiani in qualibet infirmitate possunt abstinere a carnibus.*

9 *Præceptum conseruandi vitam quando prohibeat illam periculo exponere.*

1 LOQVIMVR in præsenti, quando abstinentia est cõmunis alicui communitati, non autem, quando priuata persona se obligauit voto, aut iuramento. Negatiuam sententiam tradunt Abbas, *in cap.* Si vero, *num.* 2. De *iureiurando*, Io. Andr. *nu.* 15. Alexander de Næuo *num.* 6. *&* 15. Martinus de Magistris *quæst.* 3. *de abstinentia* Medina *Cod. de Ieiunio quæst.* 13. *in resp. ad* 4. Almain. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *proposit.* 3. *De dominio naturali* Gomez de Amescua *lib.* 2. *De Potest. in seipsum cap.* 6. *n.* 6. Quia, cum adsit lex Dei naturalis de conseruanda vita, non potest lex humana, votum, aut iuramentum obligare ad abstinendum ab ijs quibus vita exigit conseruari, & talis lex esset crudelis, votum stultum, iuramentum impium. Deinde minus bonum est talis abstinentia cum periculo vitæ, quam conseruatio propriæ vitæ, & ideo non debet præferri abstinentia.

2 Cœteri tamen tenent affirmatiuam sententiã. Ita Maior *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 24. *conclus.* 5. Adrian. *quod lib.* 1. *ar.* 3. *ad* 9. Gerson. 2. *par. tract. de Abstinent. Carthusiens. Alphabet.* 39. *littera F.* 1. *&* O. Victoria *Relect. de Temperantia num.* 8. Azor. 1. *par. lib.* 5 *cap.* 6. *quæst.* 7. Sayrus *lib.* 5. *Clauis Regiæ cap.* 7. *num.* 7. ver. *Quia sicut* Ledesma. 2. *par.* 4 *quæst.* 17 *ar.* 6. *dub.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 162. *cap.* 4. Rodriquez 2. *par. sum. cap.* 96. *num.* 16. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 12. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 6. *dub.* 34. *num.* 6. *& sequentib.* Laiman *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. Salas *disp. de legib. sect.* 2. *num* 25. Molfes. *par.* 1. *sum. tract.* 9. *cap.* 9. *num.* 68. Duual. *tract. De legib. quæst.* 5. *ar.* 8. *conclus.* 3. Martinez 1. 2. *quæst.* 96. *ar.* 4. *dub.* 7. *conclus.* 3. Mæratius *tom* 1. *sum. disp.* 13. *de leg. sect.* 7. *ver. Quartũ.*

3 Hæc sententia posterior habet fundamentum satis firmum, & proinde est tenenda, præsertim cum confirmata sit in praxi apud Carthusianos, & eorum constitutiones confirmatæ sint à Sũmis Pontificibus. Bonum enim priuatum est postponendum bono communi, ita vt etiam vita exponenda sit pro bono communitatis, quando ita necessitas exigit: lex autem, siue votum de perpetua abstinentia à carnibus, ita vt inuiolabiliter seruetur, est maximum bonum communitatis religiosæ; ita vt per hoc fiat maxime conspicua, & ideo est licitum cuilibet ex religiosis subire aliquod periculum vitæ pro conseruando tali bono, ita vt talis abstinentia perpetuo inuiolabilis sit pro quocunque casu apud illam communitatem. Confir. Maius bonum est communitatis seruari hanc abstinentiam inuiolabilem, quam seruari principi aliquod ignobile oppidum, præsertim si possideat plura regna, & tamẽ potest miles se obligare ad illud defendendum cum periculo vitę, ergo multo magis se poterit quisque obligare ad seruandam hanc abstinentiam cum periculo vitæ.

4 Quod præsertim verum est, quia abstinentia à carnibus in quacunque infirmitate non reddit periculum ineuitabile. Nam carnes solum possunt esse

esse necessariæ propter alimentationem corporis, cũ solum, vt cibus, succurrere possint corpori; huic autem indigentiæ corporis occurri potest alijs cibis maximè aptis nutritioni, vt sunt oua præsertim in ijs, qui non sunt assueti carnibus, nam corpus assuetum alijs cibis leuioribus, poterit facilius instaurari, quam assuetum carnibus. Vnde Arnaldus de Villanoua medicus insignis, & Theologus in quodam opusculo, vt refert Io. Andreas *in cap. Consil. De obseruat. ieiuniorum*, ostendit, sine carnibus infirmos optime curari posse.

5 Ex quibus colligitur, quod licet Carthusiani possint in periculosa infirmitate comedere carnes absque peccato, quia constitutiones ipsorum non obligant ad culpam, vt diximus etiam in superioribus, & etiam absque subiectione ad pœnam, quia lex non obligat cum tanto dispendio; possunt tamen abstinere ob conseruãdam inuiolatam abstinentiam, nam valde decorum est, & vtile religioni, quod in nullo casu admittatur comestio carnium.

6 Hinc solutum manet, quod pro se afferebant Doctores oppositæ sententiæ. Præceptum enim de conseruanda propria vita obligat solum ad euitanda pericula, quando non adest rationabilis causa ad illa subeunda, secus autem, quando adest; vnde vita exponi potest pro salute spirituali proximi, pro conseruando principe, pro defensione patriæ, & in alijs pluribus casibus. Et quando licite possumus exponere vitam, possumus etiam obligari ad exponendam lege, quæ sit iusta, & non crudelis, voto sapienter emisso, & iuramento sanctè nuncupato. Ad confir. Resp. abstinentiam, quæ est communis toti communitati, reduci ad bonum commune ipsius, & ideo esse maius bonum, quam vita priuata membri communitatis.

An persona particularis teneatur abstinere à carnibus in extrema necessitate ex infirmitate, si habeat votum; aut iuramentum de abstinendo explicitè, etiam in tali casu. Decis. 24.

SVMMARIVM.

1 *Persona particularis tenetur abstinere à carnibus in omni infirmitate, si habeat votum, aut iuramentum de abstinendo, etiam in hoc casu explicitè, secundum aliquos.*
2 *Probabilius est non teneri.*
3 *In illo casu non adest causa honestans abstinentiam.*
4 *Cur in illo casu abstinentia desinat esse virtus.*

1 AFFIRMATIVE respondet Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 6. *dub.* 5. Victoria *Relectione de Temperant. num.* 8. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure c.* 3. *num.* 12. *ver. Dixi obiter* Quia adhuc persona particularis potest ex motiuo virtutis, & ad gloriam Dei, & pro satisfactione peccatorum seruare huiusmodi abstinentiam, etiam in casu periculosæ infirmitatis.

2 Sed tenendum, personam priuatam non posse seruare tale votum, aut iuramentum, quando inde notabile periculum vitæ immineret, nec votum, aut iuramentum vt complectens talem casum validum esse; Ita docent Rodriquez 2. *par. sum. cap.* 96. *num.* 16. *circa finem*. Syluester. *verbo* Votum 2. *quæst.* 14. Angelus *verbo* Votum 3. *num.* 21. Et ij omnes, qui putant, neque eos, qui sunt de aliqua communitate, & quibus votum est commune, posse in tali casu obligari, quos Decis. *præcedenti num.* 1. citaui.

3 Ratio est, quia talis abstinentia in casu illo constituit in periculo vitæ, seu ipsum auget, nec occurritur periculo infirmitatis, sicut esset occurrendum; & non adest causa honestans talem abstinentiam, quia non potest honestari, nisi assumatur propter bonum magis appretiabile, vt est bonum alicuius communitatis, ideo non est licita, quia non est licitum exponere se periculo vitæ, nisi propter bonum magis appretiabile.

4 Dices; adesse ipsum bonum virtutis abstinentiæ, quod cum sit bonum animæ, potest tanquam excellentius præferri bono corporis. Sed hoc non potest dici, nam abstinentia in tali casu desinit esse virtus, quia est indiscreta stante quod non est medium ad bonum excellentius, à quo rectificetur, & proinde neque est bonum animæ, Quando enim abstinentia nimis grauat corpus, non est virtus, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 88. *ar.* 2. *ad* 3. Et cum charitas dictet, esse subueniendum corpori per tales cibos, abstinentia ab ipsis non erit conformis charitati, quia subtrahet corpori, quod charitas dictat, esse ministrandum vt necessarium. Vnde hic facit, quod D. Hieronimus, & refertur in Cap. *Non mediocriter De consecrat. Dist.* 5. habet; *Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati.* Et infra. *Audiant itaque, qui ea, quæ necessaria sunt, corpori subtrahunt, illud, quod per Prophetam Dominus loquitur. Ego Dominus odio habens rapinam holocaustorum. De rapina vero holocaustum offert, qui siue ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderate affligit*. In nostro autem casu carnes sunt necessariæ corpori, quia ipsis mediantibus debet eripi à periculo mortis.

An quando lex, votum, aut iuramentum de perpetua abstinentia à carnibus non includit explicitè casum extremæ necessitatis ex infirmitate, adsit obligatio illas comedendi in tali casu. Decis. 25.

SVMMARIVM.

1 *Quando lex, votum, iuramentum non includit explicitè casum summæ necessitatis infirmus non tenetur violare perpetuam abstinentiam à carnibus secundum aliquos.*
2 *Secundum alios tenetur.*
3 *Si est persona particularis non tenetur.*
4 *Carnes non dantur infirmis, vt medicina, sed vt alimentum.*
5 *Persona, quæ est membrũ communitatis quando possit seruare cõmunẽ abstinentiã à carnibus in qualibet infirmitate.*
6 *Quando non possit.*
7 *Quid dicendum, si adsit solum propositum de perpetua abstinentia à carnibus.*

1 NON adesse talem obligationẽ, sed posse adhuc abstinere, docent Ledesma 2. *par. 4. quæst. 17. ar. 6. dub. 5.* Victoria *Relect. de Temperant. num 10.* Azor *par. 1. lib. 5. cap. 6. q. 7.* ver. *His præuotatis,* Vasquez 1. 2. *disp. 162. cap. 4.* Quod etiam videtur sentire Salas *disp. 11. De legib. sect. 2, num. 25.* Item Sanchez *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 34. num. 9.* Martinez 1. 2. *quæst. 96. ar. 4. dub 7. conclus. 7.* Lorca *disp. 23. de legib.* Tit. *Quartum, De Carthusian.* ver. *sed mihi.*

2 At adesse obligationem comedendi, tenent Adrian. *Quodlib. 9. ar. 3. ad 9.* Maior *in 4. dist. 38. quæst. 24. conclus. 5.* Gerson. 2. *par. tract. de Abstinent. Carthus. alphab. to 39. F. I. & O.* qui tamen limitant, secluso scãdalo, de quo videndum est in speciali Decis. sequenti. Abbas *in cap. Si vero num. 2. De iureiur.* Io. Andreas *num. 15.* Alexander de Næuo *num. 6. in fine*, & *num. 15.* Anton. Francus *in Schol. ad Panor. in cap. Consil.* ver. *In alijs De obseruat. ieiun.* Martinus de Magistris *quæst. 3. de Abstinent.* Almain. *in 4. dist. 15. quæst. 2. propos. 3. De dominio naturali* Medina *Cod. de ieiunio q. 13. in resp. ad 4.* Gomez de Amescua *De potestate in seipsum lib. 2. cap. 6. num. 6.*

3 Mihi in primis certum videtur, quod priuatum votum, aut iuramentum non sufficiat, quod persona particularis possit abstinere. Non enim habet sufficientem obligationem, quæ præualeat contra charitatem, qua tenetur se ipsam amare, & vitare pericula propriæ vitæ. Imo cessat, vt dictum est in superioribus, talis obligatio. Et ideo, si abstineret, faceret contra charitatem ad seipsum, cui non potest prævalere, nisi alia obligatio maior fundata in charitate, quæ respiciat bonum magis appretiabile, quam proprium.

4 Dices; potest infirmus abstinere à medicina, etiam si censeatur necessaria ad salutem consequendam, ergo poterit etiam abstinere à carnibus, quia tunc se habent per modum medicinę. Resp. esse diversam rationem, quia carnes non se habent per modum medicinæ, ita vt tendant solum ad curandum malum, sicut medicina: sed se habent per modum cibi, qui ordinatur ad vitam substentandam, & saltem secundum ea, quæ fiunt ex ipso, censetur necessarius; vnde substrahere carnes, esset subtrahere cibum necessarium substentationi.

5 Quod autem spectat ad legem, votum publicũ, aut iuramentum alicuius communitatis, videndum est, quomodo consuetudo soleat interpretari. Quia, si interpretatur, vt obliget etiam in tali casu, vt apud Carthusianos solet interpretari cõstitutio: tunc quãuis constitutus in tali infirmitate, pro qua censeantur carnes necessariæ, possit illis vti, non tamen tenetur vti, sed potest abstinere. Talis enim abstinentia rectificatur ratione boni publici, quia ordinatur ad conseruandam vniuersalem abstinentiam à carnibus secundum præscriptum legis, aut voti, quod est maxima vtilitas communitatis, vt dictum est in superioribus.

6 At si non solet ita interpretari, tenebitur relaxare abstinentiam quisquis est de communitate, & adhibere carnes. Tunc enim secundum interpretationem lex, votum, aut iuramentum non obligat ad abstinentiam: & ideo res tota reducitur ad terminos iuris naturalis, & charitatis ad seipsum, & ideo ratione charitatis tenetur in tali necessitate sibi prouidere de sufficienti alimento. Nec bonum commune exigit seruari hanc abstinentiam, quia cum non sit præscripta pro tali casu, nec etiam pertinet in tali casu ad bonum communitatis, siquidem bonum ipsius concluditur intra terminos præscriptos à constitutionibus.

7 Ex dictis colligitur, Sanchez non rectè docere *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 34. num. 9.* Eum, qui proposuit perpetuo abstinere à carnibus, posse etiã abstinere in quacunque summa necessitate ex infirmitate; nam talis abstinentia de se est notabiliter nociua corpori, & proinde secundum se non potest intendi, quia in illo casu intenderetur notabile nocumentum corporis; est enim cooperari morti imminenti, aut ipsam accelerare. Nec adest finis, propter quem liceat exponere vitam, quo rectificetur, & ideo non potest esse licita.

An Carthusianus teneatur in extrema necessitate ex infirmitate ratione scandali abstinere à carnibus. Decis. 26.

SVMMARIVM

1 *Carthusianus infirmus in vitæ periculo tenetur abstinere à carnibus secundum aliquos, ratione scandali.*
2 *Non tenetur.*
3 *Si comedat, nullum scandalum sequitur, quod sit ruina proximi.*
4 *Si proximus peccet male de comedente iudicando, est scandalum passiuum.*
5 *Si comedat, non dat occasionem relexandi hanc abstinentiam.*

1 AFFIRMATIVAM sententiã tradunt Gerson. 2. *par. tract. De abstinentia Carthus. alphab. 39. littera F. I. & O.* Maior. *in 4. dist. 38. quæst. 24. conclus. 5.* Adrian. *quodlib. 1. ar. 3. ad 9.* Salas *disp. 11. De legib. sect. 2. num. 25.* Quia potius moriendum est, quam dare scandalum, vt Apostolus 1. Ad Corinth. c. 8. ait *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum,* loquitur autem de Idolothytis. Si autem quæras, quodnam scandalum possit ex hoc sequi. Respondent, posse sequi aliquam dissolutionem quò ad hanc regularẽ obseruantiã, & quod facilius fiat dispensatio in ipsa, & tepescat ardor monachorum in illa conseruanda, & alia huiusmodi.

2 Negatiua tamen sententia est communior. Eã tradunt Io. Andreas *in cap. Si vero num. 15. De iureiurando* Abbas *num. 2.* Felin. *num. 3.* Alexander de Næuo *num. 15.* Francus *in Schol. ad Panor. in cap. Consiliũ.* ver. *In alijs De obseruat. ieiunior.* Medina *Cod. de ieiunio quæst. 13. in resp ad 4.* Almain. *in 4. dist. 15. quæst. 2. propos. 3. de Dominio naturæ* Martinus de Magistris *quæst. 3. de Abstinentia* Bonacina *tom. 2. disp. 2. de Peccatis quæst. 8. punc. 2. num. 16.* ver. *Dixi, nisi scandalum.* Victor. *Relect. de temperant. num. 8.* Lorca 1. 2. *disp. 23. de legib.* Tit. *Quartum de Carthus.* ver. *Sed mihi.*

3 In hac difficultate mihi certum videtur, ex hac comestione carnium nullum verum scandalum oriri posse,

posse, quod sit vitandum sub mortali, tanquam ruina spiritualis proximi. Quod enim introducatur dispensatio quo ad carnes, & quod minuatur abstinentia ab ipsis; quod est totum illud scandalum, quod potest oriri, nullum continet peccatum, quod tanquam ruina proximi vitandum sit.

4 Dices; posse talem manducationem dare occasionem scandali, quia nimirum faciat alios monachos formare malum conceptum de comedente, in quo moraliter peccent. Sed, si in hoc sequatur scandalum; erit scandalum omnino passiuum; quia stante euidenti periculo vitæ in comedente, non potest prudenter aliud iudicari, nisi quod adhibeat carnes ex necessitate, & absque peccato, præsertim cum vnicuique nota sit propria obligatio ad tuendam vitã: vnde irrationabile omnino esset scandalum; & dicendũ de ipsis, quod de Pharisæis dixit Christus. Matth. 15. *Sinite illos; cæci sunt.*

5 Sed neque ex hac manducatione carnium in tali necessitate potest prouenire aliqua relaxatio in religione quò ad hanc obseruantiam, nam nota esset summa necessitas infirmi, & ideo extra casum talis necessitatis non adesset motiuum introducendi dispensationes, quia non adesset exemplum. Et si introducerentur, non essent imputandum exemplo illius, qui est constitutus in tali necessitate sed comedendi. Et ideo, si religio pateretur in hoc aliquod damnum, non esset imputandum Monaco comedenti carnes, sed alteri, qui irrationabiliter sumeret occasionem laxandi obseruantiam abstinentiæ.

Quare, cum nullum oriatur scandalum ex eo, quod Carthusianus comedat carnes, dum per infirmitatem constituitur in vitæ periculo; non poterit obligari, vt abstineat ratione scandali.

An licita sit abstinentia, quæ notabiliter noceat saluti, aut vitam minuat. Decis. 27.

SVMMARIVM.

1 *Nemo tenetur vti cibis delicatioribus ad prolungandã vitã.*
2 *Non potest quis indiscreta ieiunia assumere, vt citius moriatur.*
3 *Peccat mortaliter assumens indiscretas abstinentias cum diminutione vitæ, quando pro fine intento non liceret ponere vitam.*
4 *Assumens indiscretas abstinentias intuitu religionis secundum aliquos non peccat.*
5 *Secundum alios peccat venialiter.*
6 *Peccat mortaliter, si preuideat notabile damnum.*
7 *Quãdo abstinẽtia est contra charitatẽ, non potest honestari.*
8 *Cum tribuitur corpori sufficiens alimentum, licet suscipere abstinentiam etiam cum diminutione vitæ.*
9 *Ieiunia, quæ inhabilitant corpus ad munus obligans, sunt illicita, sicut etiam ad consueta exercitia.*
10 *Abstinentiæ Religionum sunt licitæ.*
11 *Indiscreta abstinentia cum inaduertentia damni, non continet peccatum.*
12 *Quid si damnum prauideatur, sed putetur licere.*

1 DOCENT omnes tanquam certum, quod nemo tenetur vti cibis delicatioribus, & magis habilibus in hunc finem, vt vitam prolonget, etiamsi commode possit, sed potest esse contentus cõmunibus, & congruentibus proprio statui; quia licet quisque teneatur conseruare propriam vitam, non tamen tenetur prolungare. Et ita specialiter docent Adrian. *Quodlib.* 4. *ar.* 3. *ad* 4. Maior. *in* 4 *dist.* 38. *quæst.* 24. Gerson. *tract. de Abstinent. Carthus. par.* 3. *alphabet.* 39. Sotus *lib.* 5. *de Iust. & iure quæst.* 1. *ar.* 5. *ad* 1. Corduba *in quæstionario lib.* 1. *quæst.* 38. *ad* 4. Couaruuias *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *num.* 10. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 88. Ledesma 2. *par.* 4 *quæst.* 17. *ar.* 6 *dub.* 6. *conclus* 2. Victoria *relect. de Temperant. dub. vlt.* Medina Cod. De *ieiunio quæst.* 13. *n. resp. ad* 1. Panor. *Cap. Si vero* De *iureiurando*, Sanchez. *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 2. Angles *in Florib. quæst.* 8. *De ieiunio Conclus.* 1.

2 Conueniunt etiam omnes, quod, si quis abstinentijs, & ieiunijs corpus castigat in hunc finem, vt citius moriatur, peccat mortaliter tanquam interfector sui ipsius, quia intendit sibi vitam adminere citius, quam naturaliter mors sequutura sit, & adhibet violentas causas contra durationem vitæ. Et ita docent Caiet. 2.2. *quæst.* 147. *ar.* 1. Victoria *Relect. de Temperantia dub. vlt.* Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 6. *dub.* 6. *ver. Secundo dico.* Nauar. *in Manuali c.* 15. *num.* 12. Aragon. 2.2 *q.* 64. *ar.* 5. *ad* 5. Couaruuias *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *num.* 10. Angles *in Florib. quæst* 8. *de ieiunio conclus.* 1. Gomez de Amescua *lib.* 2. *De potestate in seipsum num.* 1 & 2. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *Dub.* 33. *num.* 9. Vnde D. Hieronim. vt refertur in Cap. *Non mediocriter* De *consecrat.* habet. *Nihil interest paruo, an magno tempore te occidas.* Vnde neque hoc licet intendere, & facere pietatis causa, vt optime confirmat Nazianzenus *in Epist. ad Hellenium.* Neque enim sunt facienda mala, vt eueniant bona, & ideo ad pietatem exercendam non debent assumi media mala.

3 Præterea certum quoque debet esse, quod, quando quis vtitur indiscretis abstinentijs, & ieiunijs, etiam si non habeat finem minuendi sibi vitam, si tamen aduertat, sequi notabilem diminutionem, peccat mortaliter, quando finis non est talis, vt liceat pro ipso subire talem diminutionem; quod ideo addidi; quia finis potest esse talis, vt opere pretium sit pro ipso vitam minuere. Et hoc ipsum ratio suadet, quia statim ac abstinentia indiscreta est, non est virtus, sed vitium, vt docet D. Th. 2.2. *quæst.* 88. *ar.* 2. *ad* 3. & habetur in Cap. *Non mediocriter* De *consecrat. dist.* 5. nam vt actus sit virtuosus, debet esse commensuratus regulis rationis, quia virtus est habitus perficiens secundum mensuram rationis; abstinentia autem eo ipso, quod est indiscreta, non est conformis regulis rationis. Et in hoc sensu accipiendum est, quod tradunt Graf. 1. *par. Decis.* 2. *c.* 62. *num.* 63. Couaruuias *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *num.* 10. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de Restit. c.* 3. *num* 88. Amescua *lib.* 2. *de potest. in seipsum cap.* 3. *num.* 3.

4 Quando autem adhibentur indiscretæ abstinentiæ intuitu religionis cum aduertentia, quod sequatur diminutio vitæ, nullum adesse peccatum tradunt Simancas *in Cathol. Instit. Tit.* 18 *num.* 30. Plaza *in Epitome delictor. cap.* 23. *num.* 2. Graf. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 62. *num.* 63.

5 Alij vero docent, esse tantum peccatum veniale. Ita Caiet. 2.2. *quæst.* 147. *ar.* 1. §. *Ad hoc dicitur* Couaruuias *lib.* 1. *Variar. cap* 2. *num.* 10. Sanchez *lib.* 5 *Consil. mor. cap.* 1. *dub.* 33 *num.* 12.

6 Sed tenendum est, quod non liceat, etiam intuitu religionis, nempe ob subijciendam carnem spiritui, ob merendum, &c. vitam minuere indiscretis absti-

abstinentijs, etiam si non adsit intentio minuendi vitam, sed esse peccatum mortale. Et ita docet tex. Cap. *Non mediocriter* De Consecrat. *Dist.* 5. vbi Cononistæ Archidiacon. Bellamera. Turrecrem. Abbas *in Cap. Cum infirmitas n.* 3 De Pœnit. & Remiss. & *in Cap. Et si Christus num.* 3. De iureiuran. Nauar. *in Manuali cap.* 15. Petrus Nauar. *lib.* 2. *de Rest. cap.* 3. *num.* 88. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 6. *conclus.* 4. Victoria *Relect. de temper. quæst. vlt. num.* 12. *conclus.* 4. Angles *in Florib. q.* 8. *de ieiunio in fine conclus.* 5. Amescua *lib.* 2. *de Potest. in se ipsum cap.* 6. *num.* 5 ver. *Sed tertia.*

7 Ratio est quia facit contra charitatem ad seipsum, quæ obligat ad conseruandam propriam vitam; vnde Ad *Ephes.* 5. Nemo carnem suē odio habuit, sed nutrit, & fouet eam; & cum diminutio vitæ sit notabile damnum, peccatum erit mortale, vt exprimitur in dicto Cap. *Non mediocriter.* Nec honestari potest à fine pietatis, & religionis, quia finis bonus nō honestat, quod est in se turpe, & ideo cum non auferat turpitudinem, nec etiam minuit, ita vt peccatum sit solum veniale, nam remanet eadem contrarietas ad charitatem in eadem re.

8 Quando tamen subministratur corpori debitū alimentum sufficiens ad ipsum conseruandum, licebit ieiunijs vacare ob bonum spirituale animæ, etiā si inde sequi præuideatur diminutio vitæ. Ita Angles *in Florib. quæst.* 8. *de ieiunio conclus. vlt.* Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 6. *dub.* 6. *conclus.* 3. Victoria *Relect. de Temp. quæst. vlt. conclus.* 3. Sanchez. *lib.* 5. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 33. *num.* 11. Et idem dicendum, si præuideatur aliqua infirmitas superuentura. Ratio est, quia hoc non est minuere vitam, cum subministretur sufficiens alimentum, sed non prolungare, quantum posset. Et sicut pro salute spirituali proximi licet exponere vitam, ita etiam licebit sic ieiunare pro propria. Quod constat etiam ex praxi Sanctorum; imo & eorum, qui vacant artibus, quæ notabiliter minuunt vitam, nam hæc diminutio sequitur per accidens, & non est intenta.

9 Ex his autem sequitur, Illicitum esse assumere illa ieiunia quę debilitando corpus redderent impotens ad illa munera, ad quæ quisque sub mortali tenetur. Ita Angles *in Florib. quæst.* 8. *de ieiunio in limit. conclus.* 4. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 33. *nu.* 13. Hoc enim esset offerre holocaustum de rapina, vt dicitur in Cap. *Non mediocriter. De consecrat. Dist.* 5. nam tolleretur, quod est debitum ex iustitia, vt Deo offeratur ieiunium. Imo etiam qui se ita debilitaret, vt non posset consueta exercitia exequi, vt docet D. Th. *Quodlib.* 5. *ar.* 18. & *lect.* 1. *in cap.* 12. *Epist. Ad Roman.* nam adhuc subiret notabile detrimentū in corpore, cuius cum non sit Dominus, non potest ipsum tali pacto per ieiunia macerare.

10 Sequitur secundo. Abstinentias, & ieiunia, quæ præscribuntur in Regulis Religiosorum, non esse indiscretas, & proinde posse assumi, etiam si inde præuideatur, quod vita futura sit bræuior, vt notat etiam Petrus Nauar. *De restit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 89. nam in qualis regula semper conceditur sufficiens alimentum pro substentatione corporis, & qualibet regula examinata est ad regulas rationis. Vnde cum ordinentur ad profectum spiritualem animæ, poterunt assumi cum aliquo detrimento corporis, cum corpus debeat inseruire animæ.

11 Sequitur tertio, quod si quis suscipiat indiscretas abstinentias, & ieiunia, quæ vitam abbreuiatura sint; sed hoc non aduertat, & intendat profectum spiritualem animæ, excusetur à peccato; vt notant Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 1. § *Ad hoc dicitur* Couaruuias *lib.* 1. *Variar. cap.* 2. *num.* 10. Nauar. *in Manuali cap.* 15. *num.* 12. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 3. *num.* 85. Amescua *lib.* 2. *De potest. in seipsum cap.* 6. *num.* 4. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 12. Inaduertentia enim facit, quod vitæ diminutio non sit voluntaria, vnde cum totum id, quod est voluntarium sit bonum, in hoc non peccatur.

12 Quod, si aduertat excessum abstinentiæ, & consequenter damnum inde proueniens, sed tamen putet se bene facere, secundum Caiet. Couaruuiam, Sanchez *num. præcedenti* citatos peccat tantum venialiter. Quod mihi non placet, sicut nec etiam alijs præsertim Petro Nauaro *citato lib.* 2. *de Restitut. cap.* 3. *num.* 92. Quia obiectum est de se obiectum peccati mortalis, & solum potest excusari à peccato ratione ignorantiæ; vnde, si putat esse licitum ob bonum spirituale animæ inferre tale damnum corpori, nullo modo peccat. Si vero non putat esse licitum, cum aduertat damnum, & proinde agnoscat notabile, peccabit mortaliter.

An peccent Concionantes in quadragesima, & Cathedratici, si nimia abstinentia, aut cibis nociuis se reddant inhabiles ad suum munus. Decis. 28.

1 *Concionantes in quadragesima peccant, si astinentia, aut nociuis cibis se reddant inhabiles per plures dies.*
2 *Etiam si alius concionator supplere possit.*
3 *Cathedratici peccant, cum se inhabilitant abstinentia, aut nociuis cibis.*
4 *Idem dicendum, si hoc contingat ex cibi excessu.*
5 *Inhabilitans se ad suum munus, in confessione nedum debet exprimere damnum proprium, sed etiam alterius.*
6 *Concionatores, & Cathedratici se inhabilitantes ad proprium munus an teneantur aliquid restituere.*

1 QVO ad concionantes in quadragesima resp. affirmatiuè, quando tamen ex causa nimiæ abstinentię præuidetur inhabilitas, aut ex cibis nociuis cum Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 13. qui asserit, ita sentire etiam doctos iuniores. Et colligitur ex D. Th. *quodlib.* 5. *ar.* 18. & *Lect.* 1. *in c.* 12. *Ad Roman.* Quod tamen debet intelligi, quando per tempus cōsiderabile fierent inhabiles. Ratio est, quia, si sunt conducti ab aliqua Ecclesia, subtrahunt ipsi aliquod notabile, quod tenentur persoluere, nempe plures conciones, quod censetur damnum considerabile pro illa Ecclesia. Si vero non sunt conducti, sed concionantur in propria Ecclesia, vt sunt Regulares, tunc non solum subtrahuntur Ecclesiæ cum graui suo pręiudicio conciones, sed etiam religioni exhibitio debitæ obedientiæ in tali officio. Deinde non possunt fieri inhabiles ad hoc munus per plures dies, nisi damnum corporis sit notabile, ratione cuius etiam præcisè peccant mortaliter.

2 Et hoc verum est, etiam si per alium concionatorem suppleri possit defectus ipsius; Si quidem per ipsum

ipſum non ſtat, quin inferatur damnum, & ipſe de facto non ſoluit, quod teneretur ſoluere. Sic non excuſatur à peccato, qui diſſipat bona cum præuiſione, quod non poterit ſoluere debitum, quamuis alter poſſit creditori reſarcire damnum.

3 De Cathedraticis idem dicendum eſt, vt docet etiam Sanchez *citato lib. 5. Opuſculor. moral. cap. 1. dub. 33. num. 13.* Et deſumitur etiam ex D. Th. *quodlib. 5. ar. 18.* & *lect. 1. in Caput 12. Epiſt. ad Roman.* infert enim damnum graue diſcipulis, quibus tenetur legere. Deinde militat etiam ratio communis damni notabilis, quod proprio corpori infert; ſi quidem non poteſt inhabilis fieri ad legem dum per plures dies, niſi notabiliter corpus patiatur.

4 Quod autem dictum eſt de nimia abſtinentia, & cibis nociuis, valeat etiam, quando cibus ſuperat exigentiam naturæ, & proinde ratione exceſſus, cauſat eamdem inhabilitatem. Neque hic exceſſus conſiderandus eſt ſecundum vnam, aut alteram vicem tantum, ſed etiam ſecundum plures. Vnde fieri poteſt, quod in ſingulis vicibus, non ſit admodum notabilis, quia tamen continuatur, fit vnus magnus, quia illa continuatio contrariatur ſaluti corporali, & ipſi infert magnum damnum, & proinde omnes illi exceſſus contra idem præceptum conſeruandæ propriæ ſalutis. Sic etiam, qui in die ieiunij pluries, & pluries ſumeret paruam materiam cibi, peccaret mortaliter, quia grauiter læderet præceptum.

5 Ex quibus colligitur, quod in confeſſione non ſufficit exprimere hoc damnum corporale cauſatum à cibis nociuis, aut ab exceſſu in comedendo, aut à nimijs abſtinentijs, ſed etiam damnum, quod inde alteri prouenit: nam adeſt duplex peccatum, alterum contra charitatem ad ſeipſum, & alterum contra iuſtitiam, dum alteri ſubtrahitur, quod eſt ipſi debitũ.

6 An autem adſit obligatio aliquid reſtituendi, videtur negatiuè reſpondendum, quia, quod alteri ſubtrahitur, eſt concio, & lectio, quæ ſunt functiones ita quidem alteri debitæ, vt tamen ſint affixæ diei: & ideo tranſacto die, non retinent ius ij, quibus ſunt debitæ, ad ipſas, cum ſint debitæ pro illo die præcisè, & non vltra. Sic etiam recitatio officij eſt debita Eccleſiæ ex tacito quodam contractu, & tamen, ſi non recitetur determinato die, non eſt vlterius recitandum, nec recitatio compenſanda, ſed ſolum, ſi adſit beneficium, reſtituendi fructus proportionati, quia tunc non fiunt beneficiati.

An Prælati poſſint imponere ſubditis abſtinentias tam rigidas, & ieiunia, qualia poſſint ipſi ſine peccato aſſumere. Deciſ. 29.

SVMMARIVM.

1 *Prælati non poſſunt imponere ſubditis omnes illas abſtinentias, quas ipſi ſuſcipere poſſunt.*

2 *Prælatus non poteſt præcipere, quæ ſunt extra ordinem quem ipſe moderatur.*

3 *Confeſſarius non poteſt imponere indiſcretas pœnitentias, nec pœnitens exequi.*

1 RESP. negatiuè; & ita etiam docet Angles *in Florib. quæſt. 8. de ieiunio difficul. 1.* Quia, lex, & præceptum debet eſſe ſuaue, & imitari legem diuinam, quæ, quando aliqua ardua ſunt, illa non exigit à nobis: vnde non ſemper exigit, quod exponamus vitam pro proximo, quando eſt licitum exponere; vnde, licet nobis ſint licitæ aliquæ abſtinentiæ cum aliquo detrimento ſalutis, cæteris tamen illas imponere erit nimis oneroſum, nec tenebuntur illas acceptare.

3 Deinde tales abſtinentiæ ſunt extra ordinem conſuetum ſeruari in macceranda carne, ſiquidem ſunt extraordinariæ. Et ideo auctoritas ſuperioris non ſe extendit ad illas alteri imponendas, quia ſubiectio, atque iuriſdictio eſt ſolum in ordine ad manutenendum conſuetum ordinem, & proinde auctoritas ſuperioris in præſcribenda maceratione carnis non ſe extendit ad extraordinarias macerationes, alioquin exigeret ſubiectionem extra ſuam ſphæram,

3 Vnde Angles citatus in *Appendice 3.* rectè infert, quod quando confeſſarij imponunt pœnitentias, & ſatisfactiones indiſcretas, quæ non poſſunt executioni mandari, niſi aut cum diſpendio ſalutis, aut famæ, non tenetur pœnitens illas exequi, quia tunc onus impoſitum irrationabile eſt. Eſt tamen verum, vt etiam ipſe notat in *Appendice 2.* quod cum confeſſarius tanquam iudex decernat pro perſona particulari, poteſt imponere rigidiores abſtinentias, quam præcipi ſoleãt in communi, non tamen indiſcretas, ſed proportionatas complexioni pœnitentis. Vnde ſi ſint indiſcretæ, non tenebitur pœnitens illas acceptare, quia pœnitentia ita debet eſſe ſatisfactoria pro peccatis; vt ſit etiam actus virtutis, nam per actus malos, licet pœnales non poſſumus ſatisfacere, vt pote quia non ſunt Deo grati; macerationes autem, & pœnitentiæ indiſcretæ non ſunt actus virtutis, quia ſunt contra charitatem, qua quis tenetur diligere ſeipſum.

DE

DE PRAECEPTO IEIVNANDI.

An adsit præceptum ieiunandi, & qualiter obliget. Decis. 30.

SVMMARIVM

1 *Ieiunium præcipitur ab Ecclesia.*
2 *Secundum Caiet. non præcipitur sub mortali secluso contemptu.*
3 *Præcipitur sub mortali.*
4 *Ecclesia obligat ad ieiunium rigorosa obligatione.*
5 *Præcipit ieiunium vt actum virtutis necessarium ad salutē.*
6 *Violans ieiunium ex fragilitate peccat mortaliter.*
7 *Violatio ieiunij est contra charitatem Dei, & proximi.*
8 *Hæretici imprudenter asserunt, ieiunia esse libera.*

1 QVO ad primum affirmatiuè respondetur. Et quia ieiunium ab Ecclesia pro diuersis temporibus, & diebus institutum est, ideo ex iure non colligitur vnum commune præceptum ieiunandi, sed diuersa præcepta pro diuersis temporibus. Sic habetur tale præceptum ex Cap. *Non liceat.* Cap. *Non oportet.* Cap. *Placuit* De *consecrat. Dist.* 3. & Cap. *Quadragesima* De *consecrat. Dist.* 5. & Cap. 1. *& Cap. Consilium.* De *obseruat. ieiunior.* Circa autem hos textus est aduertendum, quod non condunt nouum ius circa ieiunium, sed declarant obligationem iam ab Ecclesia impositam, & ideo non vtuntur præceptiuis verbis, sed tantum declaratiuis obligationis. In Clement. item *Exiui* De *verbor. significat.* declarat Pontifex, Quod fratres Minores tenentur, non solum ad ieiunia propria Regulæ, sed etiam ad communia Ecclesiæ, per quod significat commune præceptum ieiunandi.

2 Quò ad secundum; qualiter obliget præceptum ad ieiunium. Caiet. *in Sum. verbo* Ieiunium *cap.* 4. & 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 3. §. *Ad huius euidentiam, in fine*, vult, quod non obliget de se ad mortale, & proinde non seruantes ieiunia indicta, non peccent mortaliter, sed tantum venialiter; secluso tamen contemptu; nam si accedat contemptus præcepti, peccatur mortaliter. Ratio ipsius est, quia violare legem non est mortale, nisi quando contrariatur charitati Dei, & proximi Addit tamen, quod communis Christianæ Ecclesiæ interpretatio suscipit statutum ieiunij tanquam præceptum strictè sumptum, atque adeo obligans ad mortale suffragatur Cardin. *in cap.* 2. De *obligat. ieiun.* asserens, non obseruantem ieiunia non peccare mortaliter, nisi interueniat contemptus.

3 Sed hæc opinio tanquam falsa refutatur ab omnibus, & asserunt, quod præceptum ieiunij de se obligat ad mortale Ita D.Th. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 3 *in corpore*, iuncta responsione *ad* 2. vbi docet, non ieiunantes peccare mortaliter, nisi interueniat iusta causa non ieiunandi. Durand. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 9. Riccar. *quæst.* 3. Palat. *disp.* 8. Gabr. *dist.* 16. *quæst.* 3. *ar.* 1. *notab.* 3. Palud. *quæst.* 4. Panormit. *in Rubr. num.* 11. De *conseruat. ieiunior* Glos. *in Cap. Vnum horarium* §. *Alias ea demum verbo* Ieiunantibus *Dist.* 25. Archidiacon. *in Cap. Vtinam Dist.* 76. Alens. 4. *par. quæst.* 102. *memb.* 2. Medina Cod. *de Ieiunio quæst* 7. ver. *Iam ad id* Castro *verbo* Ieiunium *Hæresi.* 2. Couaruuias *lib.* 4. *Variar. Resol. cap.* 20. *num.* 10. Valent. *to.* 3. *dist.* 9. *q.* 2. *punct.* 2. §. *Quæ nam sint controuer.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *q.* 1. Armilla *num.* 7. alter Medina 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. *in fine* Sotus *lib.* 1. *de Iust. & iure q.* 6. *ar.* 4. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar* 2. *dub.* 6. Canus *lib.* 2. *de locis Theologicis c.* 9. *ad* 2. Nauar. *cap.* 21 *Manual. num.* 13. Angles *in Florib. q.* 4. *De ieiunio in conclus. ante primam difficultatem*, Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap* 8. *quæst.* 2. ver. *Ex communi itaque.* Vega *par.* 1. *Sum. cap.* 14. *De ieiunio Casu* 8. Llamas 3. *par. Meth. cap.* 5. §. 19. Sylujus 2. 2. *q.* 147. *ar.* 3. *q.* 1. *conclus.* 2. Gordonus *lib.* 3. *Theol. mor. q.* 18. *cap.* 5. *quæst.* 3. Sanchez. *lib.* 5 *Consil. mor. cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 5. Villalob. *par.* 1 *sum. tract.* 23. *difficul.* 2. *num.* 3. Gruff. *lib.* 2. *decis. cap.* 36. *num.* 7. Amicus *tom.* 5. *Curs. Theol. disp. sect.* 8. *num.* 208. Leunder. *in præcep. Eccles. mut.* 5. *disp.* 1. *quæst.* 8. Et communiter omnes hoc tanquam certum supponunt.

4 Quod autē Ecclesia sub mortali intendat obligare ad ieiunium, colligitur ex Cap. *Quadragesima*, & ex Cap. *Ieiunia* De *consecrat. Dist.* 5. vbi habetur; quod sine rationabili necessitate ieiunia non sint soluenda. Et in Cap. *Consilium* De *obseruat. ieiuniorum*, declarat Pontifex, quod infirmi vrgente necessitate dispensari possunt in ieiunijs. Vnde, cum requiratur semper necessitas, vt solui possint ieiunia, signum est, pręcipi sub stricta obligatione, atque adeo sub peccato mortali. Deinde violatores ieiunij quadragesimalis absque legitima causa grauiter puniuntur, nempe pœna excommunicationis, vt constat ex Can. 68. *Apostolorum*, & Consil. *Gangrensi cap.* 69. & Concilio *Tholetano quarto can.* 7. pœna autem grauis, & præsertim excommunicatio non imponitur, nisi vbi adest peccatum mortale.

5 Deinde quando Ecclesia pręcipit aliquem actū virtutis tanquam necessarium ad salutem, præcipit sub mortali, quia præcipit tanquam medium ad expellendum vitium oppositum auertens ab vltimo fine, & proinde, qui non seruat, quod pręcipitur, se exponit periculo deflectendi ab vltimo fine, atque adeo in materia graui facit contra præceptum Ecclesiæ, & se subtrahit regimini ipsius. Ecclesia autem præcipit ieiunium, quia ex verbis *Non opportet, Non liceat*, quæ adhibentur in textib. citatis *num.* 1. satis manifestatur, quod aderat præceptum, & præcipit tanquam actum virtutis abstinentiæ necessarium ad subiugandam carnem spiritui, & proinde tanquam

mate-

materiam grauem, & necessariam ad essequendam salutem; & ideo non obediens in re graui, facit contra ordinationem Ecclesiæ, & peccat mortaliter.

6 Ex quibus colligitur, quod si quis ex sola fragilitate violaret ieiunium, peccaret mortaliter, quia recederet ab ordinatione Ecclesiæ in ijs, quæ ab ipsa constituta sunt tanquam necessaria ad perueniendũ ad vltimum finem, atq; adeo fieret extra ordinem deducentem ad ipsum, quod est se auertere ab vltimo fine, in quo consistit ratio peccati mortalis.

7 Secundo colligitur. Quomodo, non seruare ieiunia indicta ab Ecclesia, sit contra charitatem Dei, & proximi. Est enim contra charitatem Dei, quia præfert Deo escam, si quidẽ cum ex institutione Ecclesiæ debeat tendere ad Deum, vt ad suum finem, mediante ieiunio, eo ipso quod non ieiunat, contemnit tendere ad Deum, & potius eligit comedere, quam tendere ad ipsum. Vnde est etiam contra charitatem, qua tenetur amare seipsum, quia præfert bonum corporis bono proprio spirituali.

8 Tertio colligitur, quam impudenter hæretici asserant, vt Acriani, vt refert Epiphan. *Hæresi.* 75. quos sequuntur sectarij nostri temporis, ieiunia esse libera, & ex cuiuscunque arbitratu suscipienda. Nam cũ constet, non solum in Concilijs antiquissimis, sed etiã ab Apostolis, violatores Quadragesimalis ieiunij anathematis pœna esse damnatos, non remanet locus dubitandi, quod non adsit præceptum obligans, nam non potest habere pœna locum, nisi vbi adest culpa, nec adest culpa, nisi non satisfiat obligationi. Dicere autem, quod Apostoli male imposuerint hãc obligationem, est recedere à sana fide, & se impudentissimum ostendere.

An præceptum ieiunij obliget etiam iustos, & perfectos. Decis. 31.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunij præceptum obligat etiam iustos.*
2 *Iusti debent incedere ad vitam æternam per viam præscriptam a Pastore.*
3 *Ieiunium sortitur in iustis effectus, quos intendit Ecclesia.*

1 RESP. affirmatiuè: & est certum secundum fidem determinatum in Concilio Viennensi. & refertur in Clementina *Ad nostrum De hæreticis*, vbi dãnãtur Beguardi, & Beguini asserentes, Iustos, & perfectos non obligari ad seruanda ieiunia Ecclesiæ: sed posse indulgere corpori, quicquid libuerit. Et in speciali ita tradunt Castrus *contra Hæreses verbo* Ieiunium *Hæresi* 3. Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 3. *dub.* 3. circa secundam causam soluendi ieiunium Valentia *tom.* 3. *dis.* 9. *quæst.* 2. *punct.* 2. *initio*, Angles. *in Florib. q.* 6. *De ieiunio diffic.* 1. Molfes. *par.* 1. *sum. cap.* 4. *num.* 14. *& sequent.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 3. *num.* 9.

2 Ratio autẽ est, quia ex eo, quod quis sit iustus, & perfectus non tollitur, quin sit de ouili Christi, atque adeo quin sit subiectus potestati spirituali sui Pastoris; qui gerit vices Christi in perducendis ouibus ad pascua vitę æternæ, & proinde vt subiectus tali potestati debet incedere per illam viam, quam ipse Pastor præscribit, atque adeo obseruare pręcepta ipsius, quæ præscribunt media, & opera bona, quibus conficitur hæc via. Vnde vniuersaliter tenentur omnes obedire legibus ecclesiasticis iuxta illud Ad *Rom.* 13. Omnis *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* & Ad Hebreos 13. Obedite *Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* & 2. Ad *Thessal. cap.* 3. Si *quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo.*

3 Deinde cum iusti adhuc indigeant reddere carnem subditam spiritui, satisfacere pro peccatis, si nõ proprijs, saltem alienis: cũ possint impetrare, acquirere maiorem gratiam, iuxta illud Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*, habet ieiunium obtinere in ipsis eosdem effectus, propter quos præcipitur ab Ecclesia, & nulla est causa, ob quam sint exempti.

An præceptum ieiunij obliget eos: qui non egent. 32.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum ieiunij obligat omnes, etiam si non egeant, ad frænandam carnem.*
2 *Lex non cessat, nisi cesset adæquatus finis.*
3 *Finis ieiunij, non est solum mortificare carnem, sed etiam exercitium virtutis.*
4 *Ieiunium non est quid indifferens, sed actus bonus.*

1 RESP. Obligare omnes, nec quemquam eximi ex eo, quod non indigeat ieiunio. Ita docet inter alios Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 2. *dub.* 3. Et responsio tenet, etiam si teneretur, quod cessante fine legis etiã in particulari, cesset lex respectu illius, in quo cessat.

2 Ratio est, quia tunc solum desinit obligare lex, quando cessat eius finis adæquatè, quod si aliquis remaneat, non cessat obligatio, vt desumitur ex §. *Affinitatis. &* §. *Sacrum* Instit. *De nupt.* Glos. *in l. Si ventri.* §. *in bonis ff.* De *priuil. cred.* vbi etiam Bar. & Angel. & *in l. Tam is* §. 1. *ff.* De *Donat. cau. mor.* vbi etiam Imola & *in* §. *Minima Instit.* De *capit. dim.* vbi etiam Aretin. Si enim aliquo pacto permanet finis, permanet etiam intentio legislatoris, atque adeo obligatio proueniens ex tali intentione.

3 In nullo autem potest cessare finis intentus ab Ecclesia in ieiunio; nam licet causa impulsiua ad indicendum ieiunium videatur esse rebellio carnis cõtra spiritum, non tamen intendit solum domare carnem, sed etiam exercitium virtutis abstinentiæ, & meritum ieiunantis, & satisfactionem pro peccatis; quandiu autem aliquis est viator, sicut debet se promouere ad vitam æternam, ita etiam debet exercere opera meritoria, & satisfactoria, & ideo semper habet locum in ipso finis intentus ab Ecclesia in ieiunio.

4 Ex quibus colligitur, quomodo Ecclesia præcipiens ieiunium, non pręcipiat actum indifferentem secluso etiam quocunque fine extrinseco, quia habet

ſuam intrinſecam bonitatem, ſecundum quam eſt actus virtutis per ſe amabilis, & conducens ad aſſecutionem vltimi finis, ſi quidem vt actus virtutis retinet virtualem ordinem ad ipſum, & proinde exercens, ſe ordinat mediante ipſo ad talem finem.

An præceptum ieiunij ſit affirmatiuum, an verò negatiuum. Deciſ. 33.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum ieiunandi ſecundum aliquos eſt negatiuum.*
2 *Eſt ſecundum alios affirmatiuum, quod & probabilius eſt.*
3 *Quod in ieiunio prohibetur, conſecutiuè ſe habet ad id, quod præcipitur.*
4 *Præceptum negatiuum obſeruatur mere negatiuè ſe habendo, præceptum vero poſitiuum requirit actum poſitiuum, vt in ieiunio.*
5 *Præceptum poſitiuum habet finem poſitiuum, vt eſt præceptum ieiunij; præceptum autem negatiuum non habet.*

1 ESSE negatiuum docent Couaruuias *lib.4. variar. Reſol.cap.20. num.* 13. Medina *Cod. De ieiunio q.* 5. ver. *Ego tamen* Maior. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 6. Monteſin. 1.2. *tom.* 1. *q.* 73. *ar.* 2. *q.* 4. *num.* 47. Syluius 2.2. *q.* 147. *ar.* 3. *q.* 3. ver. *Verumtamen reſponſio* Durand. *in* 4. *dict.* 15 *q.* 11 *num.* 9. Gabr. *diſt.* 16. *q.* 3. *ar.* 3. *dub* 5. ver. *Alia opinio.* Caiet. 2.2. *q.* 147. *ar.* 8. §. *Ad hoc dicitur, quod.* Syueſter *verbo* Ieiuniũ. *num.* 22. ver. *Quartum* Villalobos *par.* 1. *ſum. tract.* 23. *difficul.* 6. *num.* 6. Sanchez *lib.* 4. *Sum cap.* 11. *num.* 42. Beia 1. *par. Caſu* 45. ver. *Aduertendum ſecundo* Io. Sanchez *in Selectis De ſacramentis diſp.* 54. *num.* 42. Turrian. *de iuſt. & iure diſp.* 9. *dub.* 2. *num.* 10. Angles *in Florib. quæſt.* 9. *de ieiun. difficul.* 6. *dub.* 4. Pontius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 4. *num.* 3. Salas *diſp.* 9. *de legeb. ſect.* 1. *nu.* 12. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de præcep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 5. & alij plures.

2 Sed probabilior ſententia eſt, quod ſit affirmatiuum, vt docent Ledeſma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 5. ver. *Quinto. Præceptum de ieiunio.* Bonacina *Diſ. vlt. De præcep. Eccleſ. q.* 1. *punct.* 3. *num.* 7. Baſſeus *in Florib. Theol. Pract. verbo* Ieiunium 1. *num.* 10.

3 Ratio eſt, quia, licet præceptum de ieiunio habeat aliquid negatiuum annexum, videlicet ne manducetur plus, quam ſemel, & ne adhibeantur tales cibi, hoc tamen conſequutiuè ſe habet, quia, quod per ſe primo intenditur in tali præcepto, eſt moderatio cibi, & certa menſura illius, vt conſtituatur quædam mediocritas, per quam exerceatur virtus abſtinentiæ: & proinde per tale præceptum præcipitur exercitium talis virtutis, nempe abſtinentiæ. Et hoc commune cuicunque præcepto affirmatiuo, quod per ipſum conſequutiuè excluditur quicquid ipſi contrariatur: vnde in caſu noſtro remanet excluſa multiplex comeſtio, & vſus carnium, quatenus præcipitur refectio cum tali menſura, & tali genere ciborum.

4 Deinde illud eſt præceptum poſitiuum, quod intendit aliquid faciendum, cum in hoc diſtinguatur à negatiuo, quod ſolum prohibet, ne aliquid fiat: vnde conſurgit alia differentia, quod poſitiuum non poteſt ſeruari, niſi per actum poſitiuum, negatiuum verò ſeruatur per id mere, quod quis negatiuè ſe habeat: atque adeo obſeruantia poſitiui poteſt eſſe meritoria, ſi concurrant cœteræ conditiones: obſeruantia vero negatiui non poteſt eſſe meritoria de ſe, ſed ad ſummum ratione actus imperantis poſitiui. Sic præceptum non occidendi, non furandi merè negatiuè ſe habendo obſeruatur, & nullum in ſe continet meritum. Ad præceptum autem ieiunij ſeruandum requiritur actus poſitiuus tam internus, quam externus, nam neceſſe eſt, quod voluntas decernat ponere moderationem in cibo tam quò ad qualitatem, quam quo ad quantitatem, & actus externus comeſtionis menſuratæ ſecundum terminos præfixos, ſeu mediocritas comedendi proportionata macerationi corporis.

5 Præterea in hoc etiam differunt præceptum affirmatiuum, & negatiuum, quod affirmatiuum per ſuum actum intendit aliquem finem poſitiuum. Negatiuum vero, cum non habeat actum, in quo conſiſtat eius obſeruantia, ſed ſolum negationem actus prohibiti, non intendit finem poſitiuum. Præceptum autem ieiunij intendit per ſui obſeruantiam finem poſitiuum, nempe macerationẽ corporis, ſatisfactionem pro peccatis, ſubiectionem carnis ſpiritui: vnde etiam ex hoc capite participiat conditiones præcepti poſitiui.

Et hoc eſt, quod dixit Leander *à Sanctiſſimo Sacramento par.* 3. *in præcepta tract.* 5. *diſp.* 1. *quæſt.* 6. ver. *ſed ego*, vbi me citato pro antecedente doctrina ſubdit; poſſe dici apſiùs, quod ſit præceptum poſitiuum formaliter, quia intendit aliquid poſitiuum: & negatiuum materialiter, quia habet negationem veſcendi carnibus, & tamen nihil dicit, quod ego non dixerim.

An conſuetudo poſſit inducere ieiunia obligantia ſub mortali. Deciſ. 34.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudo poteſt inducere ieiunia obligantia ſub mortali.*
2 *Conſuetudo poteſt acquirere vim legis, quando habet conditiones neceſſarias.*

1 RESP. affirmatiuè, & ita ſpecialiter tradunt Maior. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 5. Palud. *q.* 4. *ar.* 3. D. Antonin. 2. *par. tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 2. Roſella *num.* 8. Medina *Cod. De ieiunio q.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 19. *quæſt.* 1. Bonacina *diſp. vlt. De præcep. Eccleſ. quæſt.* 1. *punc.* 5. *num.* 2. Molfes. *par.* 1. *Sum. tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 47. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. Villalob. *par.* 2. *Sum. tract.* 23. *difficul.* 5. *num.* 4. Leander à Sanctiſſimo Sacramento *tom.* 3. *in præcep. tract.* 5. *diſp.* 1. *quæſt.* 9. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure. cap.* 4. *dub.* 9. Roccaful. *in praxi tract.* 6. *de præcep. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. & alij communiter, dum docent, poſſe introduci conſuetudinem habentem vim legis.

2 Et

2 Et hoc nemini dubium esse debet; nam consuetudo potest inducere legem l. *De quibus*; *ff.* *De legib.* & passim in C. *Quæ sit longa consuetudo* & cap. 1. De *constit. in 6.* & Cap. *Consuetudo Dist.* 1. & Cap. *Frustra Dist.* 8. & in Decretali toto *Titulo Consuetud.* quando nimirum obtinet necessarias conditiones, vt habeat vim legis. Et ideo quando ipsę concurrunt in ordine ad ieiunium, poterit consuetudo tanquam lex præscribere ieiunium obligans sub mortali.

An consuetudo possit abrogare ieiunia. Decis. 35.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo potest abrogare ieiunia.*
2 *Consuetudo abrogauit nonnulla ieiunia, & quædam mutauit.*
3 *Consuetudo potest abrogare legem.*
4 *Consuetudo, non solum vt legem inducat, sed etiam vt legem abroget, debet esse rationabilis.*
5 *Quænam consuetudo sit irrationabilis.*
6 *Consuetudo debet esse in se ipsa rationabilis, nec ius hanc reprobat.*
7 *Quando consuetudo est rationabiliter contra ius, non improbatur a iure, cui contrariatur.*

1 RESP. Affirmatiuè. Et ita docent Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5. Palud. *q.* 4. *ar.* 3. D. Antonin. 2. *par. tit.* 6. *cap.* 2. §. 2. Syuester. *verbo* Ieiunium *q.* 2. Rotella *nu.* 8. Angles *in Florib. q.* 5. *de ieiunio difficul.* 1. *in conclus.* Azor. *par.* 1. *lib.* 7 *cap.* 19. *quæst.* 1. Medina *Cod. de ieiunio q.* 8. ver. *His non obstantibus* Bonacina *disp. vlt. de Præcep. Eccles. q.* 1 *punct.* 5. *num.* 2. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.* 9. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori Pœnit. num.* 133. Molfes *par.* 1. *sum. tract.* 0. *cap.* 3. *num.* 48. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 1. Et alij communiter hoc supponunt tanquam certum.

2 Quod autē consuetudo ieiunia abrogare possit, constat ex praxi. Sic apud Mediolanenses abrogati sunt quatuor primi dies quadragesimæ. Clerici non seruant amplius ieiunium septimæ hebdomadæ ante Pascha, quod decernitur seruandum ad ipsis. Cap. *statuimus Dist.* 3. Ieiunium quartæ feriæ, quod olim obligabat, abrogatum est. Item ieiunium aduentus Domini, quod seruabatur apud Romanos, vt colligitur ex Cap. *Concilium* De *obseruatione ieiuniorum.* Item ieiunium quadragesimæ varium fuit, & modo longius, modo breuius, vt constabit, cum infra agetur de tempore, in quo est ieiunandum, vbi eiusdem veritatem notabimus.

3 Ratio autem est, quia consuetudo potest acquirere vim legis, & obligare non secus, quam lex; & consequenter etiam abrogare legem tam ciuilem, quam canonicam, vt docent D. Th. 1. 2. *q.* 97. *ar.* 3. & communiter Theologi, & Canonistæ in Cap. *vlt.* De *consuet.* & in l. *De quibus ff.* De *legib.* & l. 1. & 2. C. *Quæ sit longa consuetudo*, vnde in dicta *l. De quibus* habetur *Rectissimè receptum est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per dissuetudinem abrogentur*, & etiam dicto Cap. *vlt.* De *consuet.* Licet *etiam longeua consuetudinis non sit vilis auctoritas; nam tamen est vsque adeo valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudiciū generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Vnde poterit etiam abrogare legem de ieiunio.

4 Sed ex citato tex. statim insurgit difficultas. Nam consuetudo non potest legi positiuæ præiudicare, nisi sit rationabilis, vt ibi habetur, consuetudo autem contra præceptum ieiunij non videtur rationabilis, quia est contra id, quod iustè, & rationabiliter ab Ecclesia statuitur. Quod si respondeas cum Medina citato *Cod. De ieiunio q.* 8. *in Resp. ad* 1. Angles *q.* 5. *de Ieiunio difficul.* 1. ver. *Consuetudo vi priorem*, id esse verum de consuetudine, quæ introducit legem, non autem de ea, quæ abrogat legem, quia hæc habet vim ex tacito consensu Principis, statim refellitur ex ipso tex. nam loquitur de consuetudine, quæ abrogat legem; nam inquit, quod non debet iuri positiuo præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis. Deinde non potest præsumi, quod princeps consentiat tacitè operantibus irrationabiliter.

5 Quod si rursus respondeatur cum Glos. *in cap. vlt.* verbo *Rationabilis* De *consuetud.* Illam esse rationabilem consuetudinem, quam non improbant iura, iam omnis consuetudo contra ius canonicum irrationabilis erit. Si quidem ius canonicum improbat omnes consuetudines, quæ contra ipsum procedunt Cap. *Consequens est Dist.* 11. ibi enim Nicolaus Papa ait *Consequens est, vt quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione propria, tantum sequendo voluntates, remoueatur, sed firmiter, atque inconcussè teneatur.*

6 Itaque mihi dicendum videtur, quod vt consuetudo deroget legi canonicæ, debet esse in se rationabilis, quia cum lex nitatur rationi, non potest corruere, nisi in virtute eiusdem rationis; & hanc cōsuetudinem admittit lex canonica, vt in dicto Cap. *vlt* De *Consuetud.* Quando autem in Cap. *Consequens est Dist.* 11. reprobatur consuetudo contra ius canonicum, reprobatur illa, quæ non nititur rationi, sed tantum propriæ voluntati; nam ibi dicit Pontifex *Proprias tantum sequendo voluntates.* Vt autem consuetudo sit in se rationabilis, sufficit, si id, quod præcipitur à lege, non sit multum necessarium pro publica vtilitate, quia enim lex non debet onerare libertatē, nisi exigente publica vtilitate, est rationabile, quod libertas se vindicet contra legem per consuetudinē in oppositum, quando lex grauat absque notabili profectu boni publici. Et hoc contingere potest in aliquibus legibus, vt in lege ieiunij, quæ non multum necessariæ sunt pro communi vtilitate conseruanda.

7 Atque hæc consuetudo non reprobatur à iure, cui contrariatur, quia cum sit rationabiliter contra ipsum, non habet vim reprobandi, si quidem tacita reprobatio, quam importat, cōsistit in ratione legis; ratio autem legis damnat tacite oppositum, quatenus est irrationabile: vnde consuetudo rationabilis habet, quod non possit damnari.

An consuetudo possit abrogare ieiunium quadragesimæ. Decis. 36.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo contra ieiunium quadragesimale non valet.*
2 *Quid faciat in oppositum.*

3 *Consuetudo contra ieiunium quadragesimæ est irrationabilis, & ideo non potest ipsi derogare.*
4 *Consuetudo reprobata à lege non derogat legi.*
5 *Nec etiam, si facto vtentium lege, sit reprobata.*
6 *An abusus non seruandi ieiunium quadragesimæ possit euadere consuetudo.*
7 *Quid dicendum de consuetudine ieiunandi in quadragesima ter in hebdomada.*
8 *Leander admittit consuetudinem abrogantem totum Quadragesimale ieiunium.*
9 *Quid requiratur, vt consuetudo præualeat legi.*
9 *Consuetudo irrationabilis non soluit à lege, sed reddit dignum grauiori pœna.*
9 *Consuetudo contra bonum commune non valet.*
10 *Consuetudo contra ius Canonicum non valet, nisi præscribatur.*
11 *Ratio est causa formalis consuetudinis.*
12 *In quantitatis non valet argumentum à parte ad totum.*
13 *Ieiunium Aduentus, Quadragesima est institutum ex diuersa ratione.*
14 *Consuetudo irrationabilis quando possit fieri rationabilis.*
15 *Consuetudo contra ius Diuinum, aut naturale, siuè directè, siuè etiam indirectè est irrationabilis.*
15 *Quando ratio consuetudinis præualet rationi legis, est rationabilis.*

1 NEGATIVE resp. Hostiens. *in Rubr.* & Cap. 2. De *obseruat. ieiunior.* Abbas *ibid.* dum docet, quod consuetudo non valet cõtra substantiam ieiunij, loquẽdo de quadragesimali.

2 Ex communi tamen sententia, quod possit consuetudo legem abrogare, videtur sequi, quod possit etiam abrogare legem de quadragesimali ieiunio, si quidem est lex humana positiua, vt constabit ex dicendis infra suo loco. Et hoc videtur tenere Auctores citati *Decis. præcedenti num.* 1. dum absolute docent, quod potest consuetudo legem ieiunij abrogare.

3 Tenendum tamen est, quod consuetudo, licet mutare possit ieiunium quadragesimale, aut ex aliqua parte minuere, non possit tamen totaliter ipsi derogare. Cum enim ex Cap. *fin.* De *consuetud.* non possit consuetudo contra ius præualere, nisi sit rationabilis, nullo pacto præualere potest contra ieiuniũ quadragesimale, quia non potest esse rationabilis. Cum enim hoc ieiunium institutum sit ab initio Ecclesiæ, & semper continuatum; & ab omnibus præceptum, rationabilis esse non potest consuetudo in contrarium; imo irrationabilis erit, vtpote contra communem sensum omnium fidelium, quo iudicauerunt, tale ieiunium esse manutenendum.

4 Deinde quando lex reprobat consuetudinem, & legislator non præsumitur illi assentiri, sed repugnare, non potest consuetudo accipere vigorem, quia tunc supponitur, non vera consuetudo, sed abusus; nisi forte res ita mutentur, vt quod non erat rationabile, fiat rationabile vt docent Sanchez. 7. *de Matrim. disp.* 4. *n.* 14. Couarunias *lib.* 3. *Variar cap.* 13. *n.* 4. Azor. *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 17. *q.* 10. Salas *disp.* 19. *de legib. sect.* 7. *num.* 71. Suarez. *lib.* 7. *de Legib. cap.* 19. *nu.* 21. & 24. & communiter.

5 In casu autem nostro quamuis non adsit specialis reprobatio consuetudinis contra ieiunium quadragesimæ, quia tamen lex est firmata vtentium more per tot sæcula ab omnibus vniuersaliter, acquirit quamdam eminentem reprobationem talis consuetudinis, qua facto ipso declaratur tanquam abusus, quod est plus, quàm si vt talis declararetur à legislatore, quia factum ipsum comprobantium legem, non solum reprobat consuetudinem in oppositum, sed etiam comprobat ipsam reprobationem. Vnde communis omnium sensus, non tanquam consuetudinem, sed solum tanquam abusum censet posse introduci, & proinde communiter malè sentiunt de ijs, qui sine rationabili causa non seruant ieiunium quadragesimæ.

6 An autem introducto abusu non seruandi ieiunium quadragesimale in aliquo loco, posset inde cõsurgere legitima consuetudo excusans à peccato. Videtur affirmatiuè respondendum, ita vt quod primo fuit abusus processu temporis fiat consuetudo, si quidem tunc, cum lex non seruetur, abit in desuetudinem, & cùm non seruari, non præiudicet iuri alterius, si Pontifex conniueret, censeretur relaxare legem, & consuetudo fieret rationabilis, quia esset rationabile, communitatem non ligari repugnantibus omnibus quò ad ea, quæ nulli præiudicant, si non seruentur, nec ipsi necessaria sunt ad salutem consequẽdam Nec obstat, quod tractu temporis non fiat validum, quod ab initio non fuit validum, iuxta regulam iuris, nam hoc intelligitur, quando manet sub ijsdem conditionibus, secus autem, si varietur. Deinde in casu nostro, abusus non fit consuetudo legitima, sed definit abusus, & incipit consuedo.

7 Ex his colligitur, quid dicendum sit de illa consuetudine, per quam in quibusdam Germaniæ locis introductum est, vt in quadragesima ter tantũ ieiunent singulis hebdomadis; de qua meminit Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 7. quamuis dicat, de ea sibi non constare; & eam tanquam abusum refellit. Si enim talis consuetudo præscripta est, poterit excusare à peccato, sicut excusat etiam Mediolanenses consuetudo non ieiunandi primis quattuor diebus quadragesimæ, non autem aufert.

8 Verum contra supradicta insurgit Leander à Sanctissimo Sacramento *par.* 3. *in præcep. tract.* 5 *disp.* 1. *quæst.* 12. concedens, posse consuetudinem abrogare totum ieiunium Quadragesimale. Et probat primo Consuetudo potest præualere contra ius humanum, & Canonicum (quasi Canonicum non sit humanum) Ergò etiam contra ieiunium Quadragesimæ, quia est de Iure humano. Secundo, De facto consuetudo abrogauit alia ieiunia Quadragesimæ, ergò potest abrogare omnia, cum sint paria in dignitate, & solemnitate. Tertio Consuetudo abrogauit omnia ieiunia Aduentus, ergo potest, & omnia Quadragesimæ. Quarto ipsemet Pasqualigus velit, nolit contra seipsum concedit, quod ex abusu non seruandi ieiunium in aliquo loco potest consurgere legitima consuetudo excusans à peccato. Hoc autem solum euenire potest, quia consuetudo potest in totum abrogare ieiunia Quadragesimæ, quia parum refert, quod proueniat ex abusu, an aliunde; & potentior erit, si non proueniat ex abusu. Quinto Consuetudo non est irrationabilis, nisi sit contra ius Diuinum, aut naturale, vt habet idem Pasqualigus *Decis.* 74. *num.* 11. Consuetudo autem contra ieiunia Quadragesimæ non esset contra ius diuinum, aut naturale.

9 At hæc non euertunt doctrinam traditam, nam semper

semper stat firmum, quod, vt consuetudo valeat contra legem, debet esse rationabilis, & præscripta ex Cap. *Quarto*. De *consuetudine*. Quod si irrationabilis sit, quantocumque tempore duret, non potest præualere contra ius, quia remanet semper eiusdem qualitatis, & inducit diuturnitatem peccandi, quæ aggrauat delictum, non autem soluit à lege ex dicto Cap. *Quarto*; & reddit dignum grauiori punitione. Cap. *Cum in Eccles.* & Cap. *Cum haberet. De eo, qui dux. in matr. quam pol. per adult.* Consuetudo autē tollens totum ieiunium Quadragesimale nunquam potest fieri rationabilis, cum sit contra bonum commune spirituale animarum, & proindè non valet, sicut non valaret lex *l. fin. C. si contra ius, vel vtil. pub.* & notat Abbas *in Cap. Quarto, num. 23. in fine*. De *consuet.* Quia nimirum tunc est etiam contra ius naturale assistens possitiuo, quatenus per illud generale principium; *Declina à malo* obligat ad non ledendam publicam vtilitatem.

10 Quod pręcipuè habet locum in pręsenti materia, nam ieiunium Quadragesimæ est de iure Canonico contra autem ius Canonicum non potest induci consuetudo, nisi accedat præscriptio pręscribens legem, vt notat Abbas *in Cap. fin.* De *consuet. num. 7. in fine*. Et habetur ex *eodem Cap. fin.* Præscriptio autem non potest esse, vbi est mala fides, vt contingit, quando fit irrationabiliter contra legem, & interuenit peccatum.

11 Ad. 1. resp. Consuetudinem posse præualere contra ius Canonicum, si sit rationabilis, vt in dicto Cap. *fin.* De *consuet.* Nam ratio, vt ibidem notat Abbas *num. 15. in fine*, est quasi causa formalis consuetudinis; vnde cum forma det esse rei, propter irrationabilitatem impeditur consuetudo.

12 Ad. 2. neg. conseq. Nam abrogatis aliquibus ieiunijs Quadragesimæ, adhuc remanet ieiunium Quadragesimale, licet mutilatum, & consequenter adhuc obtinetur finis, ob quem est institutum, & ideo illa consuetudo non habet illam irrationabilitatem, quam haberet contra totum ieiunium. Neque in quantitatiuis valet argumentum à parte ad totū, vt notant Calderin. *cons. 111. alias 2. de arbitr.* Surdus *cons. 435. num. 21.* quia totum non regulatur à parte. Præsertim quando in toto, & parte, est diuersa ratio, sicut neque tunc valet à toto ad partem, vt notant Doctores *in l. Cum notissimi. §. In his C.* De *præscrip. trigin. vel quad. an.* Cin. *in l. 2. C.* De *non num. pecun.* Ceccar. *loco* 8. vers. *Ne tamen erret.* Tiraquel. *De retract. consanguin. §. 1. glos. 7. nu. 47.*

13 Ad. 3. Non constare, quod ieiunia Aduentus fuerint de præcepto, vt cōstabit ex dicēdis *Decis. 177.* Deinde non est eadem ratio de ieiunio Aduentus, ac de ieiunio Quadragesimæ. Quia ieiunium Aduentus est præcipuè institutum in honorem Natiuitatis Christi, quod non infert necessitatem aliquam medij in ordine ad salutem. At ieiunium Quadragesimę est institutum ad imitationem ieiunij Christi, & tanquam necessarium pro mortificatione carnis, & pro satisfactione pro peccatis. Et ideò consuetudò contra ipsum habet specialem irrationabilitatem.

14 Ad. 4. Si Leander considerasset omnia, quæ illo loco trado, non vsus fuisset hoc argumento, nec dixisset, quod velim, nolim, concedo ex abusu nasci legitimam consuetudinem. Nam suprà *num. 6.* solū dico, quod irrationabilis consuetudo desineret, & consurgeret rationabilis ex coniuētia Pontificis, quæ esset tacita relaxatio legis. Vnde consuetudo irrationabilis non præualeret contra legem sed stante illa, lex censeretur relaxari, ne esset in laqueum; & non esset causa abrogationis legis, sed indicium voluntatis Principis relaxantis legem iuxta doctrinā Caiet. 1. 2. *quæst. 97. ar. 3. ad. 2.* Sanchez. *lib. 7. de matr. disp. 4. num. 14.* Suarez. *lib. 7. de legib. cap. 18. num. 24.* Quos sequitur Merolla *tom. 3. Theol. moral. disp. 5. cap. 4. dub. 7. num. 6.*

15 Ad. 5. Solam consuetudinē contra ius diuinū, aut naturale esse irrationabilem, si hæc contrarietas quomodocumq; sumatur. Potest enim consuetudo esse contra hęc iura vel directè vel indirectè. Primo modo tendit directè contra ipsa. Secundo modo tendit indirectè, præsertim quando hęc iura imbibuntur in lege humana, vt præsertim contingit quò ad naturale, quando ratio iuris naturalis reperitur in lege humana. Cum enim omnes leges deriuent ab ęterna, vt docent communiter cum D. Th. 1. 2. *quæst. 93. ar. 3.* æterna mediante naturali se communicat humanę, & in ipsam transfundit suam rationē, & ideò quando consuetudo est contraria rationi ipsius, est irrationabilis tanquam contra naturalem deriuatam in humanam. Non tamen hinc fit, quod omnis consuetudo sit irrationabilis vtpotè contra rationem legis; Nam, vt notat Abbas cum Io. Andr. *in Cap. fin.* De *consuet.* id non valet consideratis diuersis finibus, & diuersa ratione; & ideò quādo ratio cōsuetudinis præualet rationi legis, est rationabilis, & quando habet potiorem finem.

An aliquando teneamur ieiunare de iure naturali. Decis. 37.

SVMMARIVM.

1 *Ad ieiunium ecclesiasticum nunquam tenemur iure naturali.*
2 *Aliquando tenemur ad abstinentiam maceratiuam iure naturali.*
3 *Iure naturali tenemur ad media necessaria ad honestè viuendum.*
4 *Quando ieiunium sit necessarium pro affligenda carne.*
5 *Ieiunium non est moraliter necessarium pro subijcienda carne spiritui.*
6 *An præter ieiunia ab Ecclesia indicta sint necessaria alia ieiunia pro edomanda carne:*

1 AD ieiunium ecclesiasticum nūquam tenemur iure naturali, vt inter alios notat Facūdez *Præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 5. num. 3.* per ieiunium autem eccesiasticum intelligitur, quod est, secundum modum, & mensuram præscriptam ab Ecclesia, nempe cum abstinentia à carnibus, & cum vnica comestione. Ratio clara est, quia cum tale ieiunium cum tali forma sit ab Ecclesia institutum, non potest esse obiectum iuris naturalis, quod respicit solum vt obiectum, quæ sunt secundum institutionem naturæ, non autem quæ sunt secundum institutionem humanam, & veluti artificialia.

2 Si autem ieiunium sumatur, vt dicit solam subtractio-

tractionem cibi, & potus, quocunque modo fiat, tunc aliquando iure naturæ tenemur ad ipsum. Ita D.Th. 2.2. *q.* 147. *ar.* 3. Caiet. & Syluius *ibid.* & rursus D.Th. *in* 4. *Dist* 15. *q.* 3. *ad* 4. Abulens. *q.* 128 *in cap* 6. *Matth.* Couarruuias *lib.* 4. *Variar. cap.* 20. *num.* 2. Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 11. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 2. *dub.* 2. *post.* 1. *conclus.* Facundez. *Præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Angles *in Florib. q.* 4. *de Ieiunio difficul.* 4. & 5 Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 1. Bizozero *par.* 4. *De* 3. *Præcep. Decal. cap. vlt. mem.* 1. *num.* 3.

3 Ratio est, quia de iure naturali tenemur honeste viuere, atque adeo abstinere ab illicitis operationibus carnis, ergo tenemur etiam adhibere illa media, quæ sunt necessaria ad talem finem consequendum, quia idem ius, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media necessaria. Ieiunium est vnũ ex medijs necessarijs secundum moralem æstimationem, quia cum affligat corpus, subtrahit vires carni ad rebellandum contra spiritum.

4 Sed difficultas est, quando sit necessarium ieiunium pro tali fine, ita vt omissio sit peccatum graue. Resp. Non posse dari certam regulam, quia hoc dependet à qualitate tentationum, rebellionis carnis cœterisque circumstantijs: & ideo est remittendũ conscientiæ vniuscuiusque, ita vt tunc teneatur ieiunare, quando illi conscientia dictat, ieiunium esse moraliter necessarium. Ex quo fit, quod si non sentiat in seipso hoc dictamen, non obligatur, quia non est asserenda obligatio; quando de ipsa non constat, non potest autem alio pacto constare, quam per dictamen conscientiæ. Vnde quando quis esset dubius, an ieiunium esset moraliter necessarium, non obligaretur ad ieiunium, quia in dubio nemo tenetur se subijcere præcepto, cum melior sit conditio ipsius, nam sine dubio possidet propriam libertatem; obligatio autem incerta non potest derogare possessioni certæ.

5 Sed mihi probabile videtur. Ieiunium nunquã posse esse necessarium pro vincenda rebellione carnis, nisi sit abstinentia ab aliquo cibo, quod de se (?) queat motus carnis, vt de pluribus potest contingere respectu illorum, in quibus motus carnis valde vigent, quia tunc ius naturale obligabit ad abstinentiam ab ipsis. Semper enim adsunt alia media, quibus possunt vinci tales motus carnis, vt verberatio corporis, applicatio mentis ad aliquod opus, quod valde mentem occupet, ita vt profunda attentio alias cogitationes expellat, & alia huiusmodi. Quando enim finis cadit sub præcepto, & obtineri potest per media diuersa, non tenemur eligere aliquod ex ijs determinate, sed aut vnum, aut alterum.

6 Stantibus autem ieiunijs institutis ab Ecclesia non est putandum, quod præter ipsa aliquod aliud Ieiunium sit necessarium, quia præsumendum est, quod Ecclesia pro singulis sufficienter prouiderit: atque adeo instituerit ea ieiunia, quę censentur pro singulis moraliter sufficientia. Erit tamen valde vtile, & laudabile superaddere aliqua alia ieiunia, vt faciunt Religiosi, & piæ personæ.

An præceptum ieiunij possit impleri per alium. Decis. 38.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum ieiunij non potest per alium impleri.*
2 *Nec etiam pater per filium, aut è contra.*
2 *Quando pater, & filius censeantur eadem persona.*
3 *Ieiunium quatenus satisfactiuum potest per alium impleri.*
4 *Non potest quis per alium satisfacere ieiunijs impositis pro pœnitentia.*
5 *An ieiunia, quæ sunt mera pœna, possint per alium impleri.*

1 NEGATIVE respondendum est, quia importat propriam, & personalem obligationem: & quia finis talis præcepti est maceratio propriæ carnis. Ita Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 21 *q.* 7. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pœnit. num.* 187. Bonacina *disp. vlt. D. præcep. Eccles. q.* 1. *punc.* 6. *num.* 2. Moltes. *par.* 1. *sum. tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 13. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *num.* 27. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 8. Ghetius *in Thesauro animæ, verbo* Ieiunium *cap.* 2. *num.* 5. *circa finem* & alij communiter cum Glos. *in Cap. Cum Presbiter Dist.* 82. & Cap. *Pœnitentia* De Pœnitent. *Dist.* 3.

2 Nec est admittendum, quod ait Glos. *ibid* quod possit pater per filium ieiunare, aut è contra. Quia pater, & filius censeantur eadem persona §. *Hac auctoritate* post Cap. *Contradicimus* 35. *quæst.* 3. Et quia Patres magis terreantur in filijs, quam in se ipsis l. *Isti quidem* §. *vltimo* ff. *Quod metus causa*. Nam hoc solum procedit in ijs, in quibus Pater, & filius coniunguntur, ita vt fictione iuris repræsentent eamdem personam, non autem in ijs, in quibus singuli agnoscunt proprietatem, quale est seruare, aut violare præcepta.

3 Ieiunium tamen, quatenus satisfactiuum est, poterit per alterum exerceri, vt notant dicta Glos. *in Cap. Presbiter Dist.* 82. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 21. *q.* 7 Bonacina *disput. vult. De Præcep. Eccles. q.* 1. *punc.* 6. *num.* 2. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pœnit. num.* 187. Ghetius *in Thesauro animæ, verbo* Ieiunium *cap.* 2. *num.* 5. *in fine*, & alij, quia satisfactio vnius potest pro alio applicari. Nam non est aliud, quam debitum soluere, quod quis pro alio facere potest.

4 An autẽ possit quis per alium satisfacere ieiunijs impositis pro pœnitentia à Confessario. Negatiue respondendum est cum Azorio *num. præcedenti* citato. Quia talia ieiunia non solum imponuntur vt satisfactiua, sed etiam tanquam castigatiua corporis, & punitiua ipsius in pœnam peccatorum; qui effectus non habetur, si ieiunia per alios impleantur.

5 De ieiunijs autem, quæ sunt mera pœna, docet idem Azor. *eodem loco num.* 3. citato, & Lublinus *par.* 1. *sum. verbo* Ieiunium. *num.* 27. quod possint per alium impleri. Sed hoc non puto verum, nisi accedat consensus punientis, ob quem ieiunia nostra prosunt animabus Purgatorij: quia tunc ieiunia imponuntur, vt qui deliquit, puniatur in corpore: pœna autem corporalis inflicta à iudice, non potest per alium solui, nisi consentiat iudex, alioquin frustraretur inten-

intentio ipsius, quæ pro pœna intendit afflictionem corporalem delinquentis.

An, qui non seruat præceptum Ieiunij, teneatur loco illius aliquid facere. Decis. 39.

SVMMARIVM.

1 *Non ieiunans non tenetur aliquid loco ieiunij præstare.*

1 RESPONDETVR negatiuè, quia præceptum imponit tantum ieiunium, non autem aliquid aliud, nec adest aliud præceptum obligans ad aliquid aliud, quando non ieiunatur. Deinde si quis non ieiunat, quia non tenetur, iam absolutus est ab obligatione præcepti, & ideo ex vi ipsius non tenetur aliquid aliud præstare. Si vero non ieiunat, quia non vult, tunc facit contra præceptum, quod non contingeret, si loco ieiunij posset aliquid aliud præstare, nam apud ipsum esset electio aut ieiunandi, aut aliud præstandi. Et hæc Decisio est communis, & traditur à Bonacina *Disp. vlt. De præcep. Eccles. quæst. 1. punc. 6. num. 3.* ver. *Respondeo ad primam.* qui etiam alios citat. Nauar. *cap. 21. Manual. num. 22.* Leandro *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 1. quæst. 15.*

An Regulares in suis Ecclesijs possint populis annuntiare ieiunia seruanda ex præcepto. Decis. 40.

SVMMARIVM.

1 *Regulares possunt in suis Ecclesijs annuntiare ieiunia seruanda:*

2 *Possunt secundum aliquos cogi ab Episcopis, vt annuncient.*

3 *Quam delegationem Sedis Apostolicæ habeant Episcopi ex Trident.* sess. 22. *in* Decreto de seruandis, & vitand. in celebrat. missar.

4 *Episcopi non possunt cogere Regulares, vt annuntient ieiunia.*

5 *Etiam si Parochiani possint audire missam in Festo in Ecclesijs Regularium.*

1 AFFIRMATIVE respondendum est cum Bordono *in Consil. Regular. Resolut. 18. num. 12.* & asserit ita Declarasse Sacram Cõgregationem *die 2. Iulij 1630.* Et Portel *in Dubijs Regularib. verbo* Episcopus *num. 7.* asserit annunciandà esse. Nouar. *in Lucerna Regular. verbo* Ieiunium *num. 1.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 13.* Barbosa *ad cap. 8. De sacrif. missæ num. 34. sess. 22. Concil. Trident. & de potest. Parochi cap. 16. num. 26. in fine* Peirin. *tom. 2. Priuileg. constit. 7. Pij V. num. 13. ver. ad primum.* Ratio autem est, quia non est actus iurisdictionis, & proinde non vsurpatur in hoc iurisdictio Parochorum, sed est actus charitatis, quia monet populos de obligatione ad ieiunandum.

2 An autem Regulares exempti cogi possint ab Episcopis, vt denuncient populis ieiunia seruanda: Affirmatiuè respondet Rodriquez *tom. 1 quæst. Regul. q. 43. ar. 7. in fine*; idque colligit ex Concil. Trident. *sessione 22. in Decreto De seruand. & vitandis in celebrat. Missar.* vbi postquam plura statuit circa celebrationem missarum quò ad ritus, tempus, locum, personas, & quo ad eleemosinas, & quò ad debitam reuerentiam erga Ecclesias, constituit Ordinarios quò ad ipsa, & alia ad hoc ipsum concernentia Apostolicæ Sedis delegatos: & proinde in virtute talis delegationis possunt cogere Regulares ad ieiunia annuncianda. Secuti sunt Portel. *in dub. Regul. verbo* Episcopus *num. 7.* Barbosa *in Declarat. ad Concil. Trident. sess. 22. ad citatum Decretum De obseruandis, & vitand. in celebrat. Missar.* in *Remissionib. in fine* & *par. 2. De Episcopi potest. allegat. 24 num. 21.* Rubeus *in Aphorismis Episcop. verbo* Festum *num. 6.* Bordon. *citata Resol. 18. Consil. moral. num. 12.* Hieronym. Rodriq. *in compend. resol. 25. num. 5.*

3 Sed hoc ex Trident. non elicitur, nam solùm ibi constituit Ordinarios delegatos Sedis Apostolicę in ijs, quæ pertinent ad celebrandas Missas, & ad reuerentiam Ecclesiæ; & ad ea, quæ ista concernunt. Annuntiare autem ieiunia populis pertinet ad instructionem populorum, atque adeo potius ad concionatores, quam ad Sacerdotes celebrantes, cum per accidens sit, quod à Parochis annuncietur in celebratione Missæ, quia nimirum tunc est congregatus populus. Neque si non annuntietur interuenit abusus aliquis, vel quia non obseruetur, quod debeat obseruari in celebratione Missæ, aut quia adsit aliquid vitandum, vel quia peccetur contra Ecclesiarum. Ordinarij autem sunt tantum à Concilio constituti delegati Sedis Apostolicæ in ordine ad hoc abusus.

4 Itaque tenendum est, quod non possit cogere, quia cum non sint ipsis subiecti, non possunt cogi ad suscipiendum onus, quod incumbit Pastoribus, sicut nec possent cogere ad instruendum populum quò ad reliqua.

5 Neque obstat, quod stante priuilegio, quod Parochiani possint in festis audire missam in Ecclesijs Regularium, dum audiunt, nec accedunt ad Parochiam, non possunt habere notitiam ieiuniorum; nam alio modo potest Episcopus prouidere, vt instruantur circa ieiunia. Nec debet priuilegium concessum Regularibus esse ipsis onerosum, vt esset, si Episcopus posset illos ad hoc cogere; imo neque obuiaretur incommodo, nam non publicarentur ieiunia in singulis missis, sicut nec etiam publicantur in Parochia, & ideo, qui audirent missas, in quibus non publicarentur, non monerentur circa ieiunia seruanda.

DE

DE CIBIS PROHIBITIS IN IEIVNIO.

An abstinentia à carnibus sit essentialis ieiunio ecclesiastico.
Decis. 41.

SVMMARIVM.

1 *Carnes prohibentur in diebus ieiunij.*
2 *Abstinentia à carnibus est essentialis, & necessaria pro ieiunio ecclesiastico.*
3 *Ieiunium ecclesiasticum fundatur in abstinētia à carnibus.*
4 *Cur in ieiunijs abstinendum à carnibus.*

1 CERTVM est, carnes cuiuscunque generis esse prohibitas ab Ecclesia in diebus ieiunij ex generali, & perpetua consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, vt tradunt Clemens Romanus *lib.* 5. *Constit. cap.* 17. Cyril. Hierosolim. *Catech.* 4 Theophilus Alexandrin. *Epist.* 2. *ad Episcopos Aegypti. tom.* 1. *Biblioth. Patrum* August. *lib.* 30. *contra Faust. cap.* 5. & *serm.* 55 *de tempore.* Basil. *hom.* 1. *de Ieiunio* Theodoret. *in Epitome diuinor. decretor. Cap. de abstinentia*, Chrisost. *hom.* 2. *in Genes.* Et habetur ex Cap. *Statuimus Dist.* 4. & ex *Can.* 56. *sexta synodi*, atque ex Concilio *Toletan.* 8. *cap.* 9. & id confirmat constans, & perpetua traditio Ecclesiæ. Et hoc nedum in ieiunijs quadragesimæ, sed etiam in cœteris, vt desumitur ex Cap. *De esu carnium* De *consecrat. Dist.* 3. & Concil. *Gerundensi c.* 3. Solum quæritur, an abstinentia à carnibus sit de essentia ieiunij.

2 Quia autem ieiunium ecclesiasticum pendet ex institutione ecclesiæ, ideo abstinentia à carnibus solum potest esse de essentia ipsius, supposita eiusdem ecclesiæ institutione. Tenendum est ergo, ex institutione ecclesiæ abstinentiam à carnibus esse essentialem, & necessariam pro ieiunio ecclesiastico. Desumitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 8. Caiet. *ibid.* & in sum. *verbo* Ieiunium. Syluestro *num.* 9. Riccar. *in* 4. *dist.* 15. *ar.* 3. *q.* 7. Durando *q.* 9. Palud. *q.* 4. *ar.* 4. Angelo *verbo* Ieiunium *num.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 1. Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 3. *dub.* 1. §. *De secundo* Vega 1. *par. sum. cap.* 14. *Casu* 3. Suarez *tom* 3. *in* 3. *par. disp.* 70. *sect.* 2. Medina *cap.* 14. *sum.* § 10. Llamas 3. *par. sum. cap.* 5. §. 26. Filliucio *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *num.* 52. Io. à cruce *par.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 3. *ar.* 4. *conclus.* 3. Hieronimo Perez. *par.* 1. *theol. moral. Præcep.* 3. §. *De ieiunio* Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 1. Facundez *lib.* 1. *de* 4. *præcep. Eccles. cap.* 2. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 8. Angles *in Florib. q* 9. *de ieiunio ar.* 1. *difficul.* 2. Fernandez *par.* 2. *Exam. theol. moral. cap.* 7. §. 2. *num.* 3. Sanchez. *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 1 *dub.* 29. *num.* 1. Leandro *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst* 3. Pensantio 2. 2 *q.* 62. *ar.* 2. *disp.* 6. Sanchez *in Selectis de Sacram. disp.* 51. *num* 4. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 2. Contra Cordubam *in sum. q.* 143. & alios.

3 Hoc autem colligitur ex eo, quod Ecclesia fundat ieiunium à se institutum in abstinētia à carnibus, & ipsam præcipit pro seruando ieiunio; vnde cum essentia ieiunij sit attendenda secundum institutionem eiusdem ecclesiæ, debet esse talis, qualis ab ipsa præcipitur: vnde cum præcipiatur cum abstinētia à carnibus, talis abstinentia erit de essentia ipsius. Hinc Pontifices supponunt, non posse cum carnibus stare ieiunium; sic in Bullis *Cruciatæ* Gregor. XIII. Sixtus V & Clemens VIII. dum dicunt, quòd qui carnes non comederit, & si oua comedat, & lacticinia cum priuilegio dictarum Bullarum adimplere sit visus præcepti ieiunium: qua formula antea vsus fuerat Pius V. quem ferunt viua voce declarasse, sine abstinentia à carnibus non posse stare ieiunium.

4 Et militat etiam ratio, quia ieiunium consistit in abstinentia ordinata ad macerandum corpus, & proinde debet esse abstinentia à cibo, qui est magis gustui gratus, & qui magis reficit corpus, & sensui subministrat vires contra rationem: tales autē sunt ex genere suo carnes: alioquin si ab ipsis non abstineretur, licet abstineretur ab alijs cibis inferioribus, nullum corpus sentiret incommodum.

An paruitas materiæ excuset comedentem carnes in die ieiunij.
Decis. 42.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum negatiuum non excludit paruitatem materiæ exclusantem a mortali.*
2 *Paruitas materiæ excusat comedentem carnes in die ieiunij a mortali.*
3 *In quibus paruitās materiæ excusans a mortali habeat locū.*
3 *Prohibitio carnium est prohibitio refectionis per carnes.*
4 *Quænam sit paruitas materiæ in comestione carnium.*
5 *Vera regula ad cognoscendam paruitatem materiæ in esu carnium.*
6 *Quænam quantitas præcise in comestione carnium sit paruitas materiæ.*
7 *Manducans carnes in die ieiunij in paruitate materiæ ob gulositatem, non peccat, nisi venialiter.*
8 *An sit hæreticus externus qui ex hæresi interna manducat carnes in paruitate materiæ.*
9 *An incidat in casum reseruatum, vbi est reseruatum tale peccatum.*
10 *Contrarium sensit Leander.*
11 *Regula ad cognoscendam paruitatem materiæ.*

12 *Votum*

12 *Votum non bibendi vinum quando frangatur.*
13 *Materia parua cibi non frangens ieiunium remissiuè.*
14 *Panis maximè nutrit.*
15 *Plus nutriunt duæ vnciæ Cocholatæ, quam tres Carnis.*

1 VIDETVR negatiue respondendum. Et ita tenent Leander à Murcia *in cap 3. Reg. S. Francis. cap. 2. §. 2. num. 48.* quia cum comestio carnis in die ieiunij sit contra præceptum negatiuum, videtur non admittendam esse paruitatem materiæ, quia quælibet paruitas materię est illud totum, quod per pręceptum prohibetur. Verum hoc non obstat, quia in alijs quoque præceptis negatiuis, etiam naturalibus, habet locum paruitas materiæ, vt in furto, & iniuria illata proximo, quæ sunt contra præcepta negatiua. Nec in tali paruitate contrariatur professioni fidei, quia ipsa paruitas declarat non prouenire ex animo male sentiente.

2 Itaque tenendum est, dari paruitatem materiæ in comestione carnis excusantem à mortali in diebus ieiunij, vt docent Sanchez *lib. 2. in Decal. cap. 8. num. 17.* Merolla *tom. 1. disp. 2. cap 4. dub. 7. num. 11.* Tannerus *disp. 3. in 2. 2. q. 3. dub. 5. num. 93.* Petrus Hurtad. *disp. 83. de Fide sect. 3. §. 21.* Anton. de Leone *in q. moral. de Cocholate p. 3. num. 3.* Diana *par. 1. tract. 9. Resol 43.* & *par. 5. Resol. 32.* Bonacina *Disp. vlt. de præcep. Eccles. q. 1. punc. 2. num 2. ver. Ex dictis.* Trullench. *lib 3 in Decal. cap. 2. dub 2 num. 5. in fine* Basseus *verbo* Ieiunium 1. *num. 8. ver. Petes secundo* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 11.*

3 Ratio autem est, quia in ijs, quæ habent latitudinem in dissonantia ad præceptum, seu rectam rationem, sicut datur magis & minus in ipsa dissonãtia, ita etiam datur aliquid minimum fundans minimam dissonantiã, atque adeo non sufficiens ad mortale, vt patet in furto, in quo paruitas rei furatæ non constituit peccatum mortale, dissonantia autem ad præceptum, & rectam rationem comestionis carnis in die ieiunij habet latitudinem, nec consistit in indiuisibili, quia præceptum prohibet carnes vt substentatiuas, & refectiuas corporis, seu potius prohibet refectionem ex carnibus, vnde quia refectio habet latitudinem, & potest in ratione refectionis esse maior, & minor, ita etiam dissonantia, quam dicit vt refectio ad præceptum erit maior, & minor iuxta quãtitatem refectionis: & aliquando adeo parua, vt non dicat integram malitiam opposita n præcepto; atque adeo sit mali ia tantum venialis.

4 Sed hic difficultas insurgit, quænam in hac re censenda sit paruitas materiæ. Antonius de Leone *citat q. Cocholate par. 3 num. 8.* quem videtur sequi Diana *citato loco 5. par. ver. Post hæc*, ait, Paruitatem materiæ se extendere ad illam quantitatem, quam solent sumere Coqui, & Pincernæ ad prægustandos cibos; vnde, si excedat, non esse amplius materiam paruam. Alij verò volunt esse octauam partem vnciæ. Ita Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 13.*

5 Mihi tamen dicendum videtur, quod moraliter pensanda sit paruitas materiæ, ita vt illa censeatur paruitas materiæ, quæ moraliter non sufficit, vt quis dicatur refici per talem cibum. Quia, vt diximus, quod per se primo prohibetur per hoc pręceptum est refectio ex carnibus, quia prohibentur carnes, vt ordinatę ad refectionem: vnde quando non interuenit moraliter refectio, nec etiam interuenit illa mortalis malitia, quæ prohibetur per præceptum, sed tantum imperfecta quædam, & inchoata malitia, sicut ad summum interuenit inchoata refectio.

6 Quod si rursus quæras, in quanam quantitate præcisè consistat paruitas materiæ, quæ non sufficit ad inducendam moralem refectionem. Resp. posse assignari dimidiam vnciam circiter, & moraliter ponderatam, quia hæc quantitas parum nutrimenti potest afferre; & proinde per tam paruam quantitatem non poterit dici, quod quis reficiatur carne. Nec debet assignari maior quantitas, quia licet pro fractione ieiunij requiratur secundum plures maior quantitas, attamen hic considerari debet, quod carnes non sunt integra refectio, cum simul comedatur panis, & alij cibi: vnde habita ratione ad integram refectionem maior quantitas requiretur ad frangendum ieiunium, quia frangitur per refectionem, quam requiratur ad violandum præceptum de abstinentia à carnibus, quia prohibet carnes, prout in refectione adhibentur.

7 Contra prædicta insurgit Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 12.* prætendens in tali quantitate non saluari paruitatem materiæ. Per ipsum Pasqualigum dimidia vnca Cocholatę, inquit, *Decis. 141. num. 5* frangit ieiunium, quia est valdè nutritiua, & non attenditur quantitas materialis, sed formalis. Ergo etiam dimidia vnica carnis, quia plus nutrit, quàm cæteri cibi, & tamquam talis prohibetur in ieiunio. Deinde qui feria sexta sumeret pro ientaculo dimidiam vnciam carnis cum duabus, aut tribus vncijs panis non parum reficeret Corpus. Ergo dimidia vncia non est parua materia.

8 Sed si attendatur regula, secundum quam dignoscitur paruitas materiæ in præceptis, non erit recedendum à tradita doctrina. Regula autem est, Quod tunc censeatur parua materia, quæ parum lædit finem præcepti, si subtrahatur, aut parum conducit, si ponatur; ita inter alios notant Vasquez 1. 2. *quæst. 96. disp. 158. cap. 6. num. 59.* Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 4. num. 2.* Cum ergo finis precepti abstinentiæ à carnibus sit maceratio corporis, tunc comestio carnis erit exigua materia, quando abstinentia ab illa quantitate parum conducet ad macerationem, aut comestio parum obstabit macerationi. Comestio autem Carnis ad dimidiam vnciam circiter parum obstabit macerationi intentæ, quia sicuti est exigua refectio, quæ inde prouenit, ita etiam exigua erit maceratio ex ipsius subtractione.

9 Et confirmari potest ex doctrina, quam tradit Sanchez *lib. 4. summ. cap. 12. num. 21.* Vt frangatur votum non bibendi vinum, non sufficit semel bibere, aut etiam bis, quia ratione paruitatis materiæ erit tantum veniale; sed requiritur, quod tantum bibatur, quantum solet potari ab aliquo in prandio qui temperatè vtatur vino. Non alia ratione, nisi quia finis voti est subtrahere talem potum, prout stat in communi æstimatione, quæ cumpendent ipsum potare in ordine ad comestionem non habet pro integra potatione, nisi illam, quæ ordinatur ad vnam integrã comestionem. Ergò cum prohitio carnis habeat pro fine negationẽ refectionis ex carne, non erit mortale comedere illã quantitatem, quæ est exigua respectu illius quæ solet adhiberi à temperatè comedente pro vnica refectione, talis autẽ est dimidia vncia circiter.

10 Confirmatur secundo. Duæ vnciæ cibi, etiã panis secundum plures Doctores est parua materia nõ frangens ieiuniũ, quod admittit etiã Leãder *par.3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp.4. quæst. 13.* dum duas vncias admittit vt paruã materiam supra assignatã quantitatẽ vespertinæ collationis, atq; adeò etiàm ex pane, cũ in collatione adhibeatur. At panis plus nutrit, quã caro; tum quia ipsi tribuitur tanquam cibo omnium maximè nutritiuo confirmare cor hominis, iuxta illud Psalmi. *Et panis cor hominis confirmet*; tum quia personæ infimæ conditionis vt plurimum solo pane cũ aliquo leuiori obsonio absq; carnibus vtuntur, & maximũ robur ex nutritione obtinent. Tum quia Religiosi minores putabant non sibi licere vti pane in collatione ob magnam illius nutritionem, & ideò de hoc obtinuerunt Priuilegium à Summo Pontifice. Erunt ergò parua materia duæ vnciæ panis, & non dimidia circiter carnis? Et meam opinionem approbat Remig. *tract. 3. sum. cap 4. §. 2. num. 7. vers. Panis.*

11 Ad. 1. neg conseq. nam plus nutriunt duę vncię Cocholatę quã tres carnis. Si quidem experientia facta tres vnciæ substẽtant per viginti quattuor horas, quod nón præstarent tres vnciæ carnis. Ad 2. neg. conseq. Nec video quomodo ex illo antecedenti sequatur. An non commodè reficeret corpus qui sumeret tres vncias panis cum vigesima parte vnciæ carnis, & tamèn per Leandrum etiam octaua pars vnciæ est parua materia. Commoda ergo refectio est ex pane, non ex carne illa.

12 Ex quibus colligitur. Quod si quis dedita opera comedat carnes in die ieiunij in supradicta modica quantitate, vt satisfaciat gustui, non peccabit, nisi venialiter, quia ratione paruitatis materię excusabitur à mortali, nec censebitur carnibus se reficere.

13 Colligitur etiam cum Sanchez, Merolla Hurtado, Diana supracitatis *num. 1.* Quod si quis motus hęresi interna comedat carnes in die prohibito in hac parua quantitate, nõ per hoc fore hæreticum externum, atque adeo nec incurrere pœnas latas contra hæreticos externos. Ille enim censetur hæreticus externus, qui externo signo explicat hæresim internam, ita vt per tale signum possit hæresis in aliorum cognitionem deuenire: talis autem comestio non explicat internam hæresim ducendo in cognitionem ipsius, quamuis alioquin ex hæresi interna procedat, sed potius indicat gulositatis vitium. Et, cum de se non sit actio externa peccaminosa mortaliter, non potest esse ea, cui tamquã hæresi externæ imponitur excommunicatio, cum hæc imponatur tantum pro peccato mortali externo explicante internum.

14 Colligitur secundo. comedentem carnem in paruitate materię; non indicere in casum reseruatum, vbi comestio carnis, quando prohibetur, est peccatum reseruatum, vt docet Bonacina *tom. 2. disp. vlt. De præcep. Eccles. q. 1. punc. 2. num. 2. ver. Ex dictis* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 5. in fine.* Diana *par. 5. tract. 5. resol. 32.* Merol. *tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. num. 111.* Et postea sequutus est Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5, disp. 2. quæst. 14.* Quia reseruatio cadit tantum supra peccata grauia, quæ ideo reseruantur, vt frænum ponatur, ne committantur.

An, si quis initio quadragesimæ, habeat intentionem comedendi singulis diebus carnem in paruitate materiæ, peccet mortaliter. Decis. 43.

SVMMARIVM.

1 *Intendens initio quadragesimæ sumere carnem singulis diebus in paruitate materiæ, non peccat mortaliter.*

2 *Hæ comestiones non vniuntur, sed sunt contra diuersas obligationes.*

3 *Non interuenit integra materia prohibita per præceptum.*

1 NEGATIVE respondet Merolla *tomo 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. num. 111.* Et post hæc scripta sequutus est Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 15.* quod in alio simili casu docent Sotus *lib. 7. de Iust. & iure q. 2. ar. 1.* Angles *in Florib. q. de Voto ar. 2. difficul. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 4. num. 15.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 5. de voto cap. 5. num. 16.* Auctor *Casuum Conscientiæ Bononiensium anni 1638. Casu 1. Mensis Martij prima par. quæsiti.*

2 Ratio autem est, quia quælibet illarum comestionum de se continet tantum peccatum veniale; vnde etiam omnes simul continent solum peccatum veniale, quia manent seorsim, nec continuantur aliquo modo, ita vt induant rationẽ vnius moralis comestionis. Quod inde prouenit, quia obligatio non comedendi carnes est affixa diei, ita vt singuli dies habeant singulas obligationes: vnde, transacto die, cessat etiam obligatio; atque adeo comestio vnius diei, non autem contra obligationem alterius diei. Vnde cum singulæ comestiones sint in paruitate materiæ, nec vniantur contra vnicum præceptum, manent in sua leuitate singulæ seorsim, etiam si simul sint volitæ, quia hæc simultas non se tenet ex parte comestionum, quæ sunt volitæ vt singulæ seorsim se habentes, sed tantum ex parte intentionis.

3 Deinde nunquam interuenit integra materia prohibita per huiusmodi præceptum, nempe refectio per carnes, quia cum singulis diebus sumantur carnes in paruitate materiæ, nunquam verificatur, quod adsit refectio per carnes. Nec etiam adest voluntas materiæ prohibitę, quia est volita illa comestio, quæ ponitur in executione, nõ ponitur autem in executione comestio, quæ habeat rationem refectionis. Vnde cũ non adsit integra materia prohibita, nec etiam aderit peccatum graue contra præceptum.

An Coqui, & Pincernæ possint in diebus, quibus carnes prohibentur, eas prægustare, & vulgo Far la credenza. Decis. 44.

SVMMARIVM.

1 *Coqui, & Pincernæ possunt prægustare carnes in diebus, quibus prohibentur.*

2 *Prægustando cur neque venialiter peccent.*

5 *Lex de abstinentia carnium non obligat cum graui incommodo.*
4 *Huiusmodi prægustatores non soluuntur lege ieiunij.*

1 RESP. affirmatiuè cum Syluest. *verbo* Ieiunium. *q.* 3. *num.* 9. Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 13. Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 10. Caiet. 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 3. *circa finem.* Palat. *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. Sanchez. *lib.* 5. *Consil. Moral. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 9. Anton. de Leone *in q. de Cocbolate p.* 3. *num.* 8. Facundez *lib.* 1. *de* 4. *præcep. Eccles. cap.* 2. *num.* 8. Bizozer. *in sum. par.* 4. *de* 3. *præcep. Decal. cap. vlt. memb.* 2. *num.* 3. ver. *Simili modo* Diana *par.* 5. *tract.* 5. *Resol.* 32. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 3. *ar.* 4. *dub.* 8. *num.* 1. Trullench *in Decal. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 10. Leander *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 16. Remigius *tract.* 3. *sum. cap.* 4. §. 2. *num.* 7. *vers. Opiniones* Bossius *tom.* 3. *moral. tit* 21. *num.* 209. Hoc enim fit in paruitate materiæ, & alioquin huiusmodi prægustatio fit, vt munus suum adimpleant: vnde non fit ob manducandū, sed ex necessitate seruitij.

2 Ex quo fit, quod neque etiam peccent venialiter, quia non faciunt contra præceptum de non comedendis carnibus. Hoc enim præceptum prohibet carnes quatenus ordinantur ad nostram substentationem, & refectionem, ab his autem non ordinantur ad refectionem, & substentationem, sed ad prægustationem, & ad proprium munus adimplendum; vnde cum in hac prægustatione cesset ratio prohibitionis, cessat etiam prohibitio.

3 Quod etiam deducitur ex fine legis, quæ, vt sit vera lex, debet ordinari ad bonum commune: non autem debet impedire ea, quæ necessaria sunt ad cōmodum communitatis. Rursus quando etiam est damnosa alicui, cessat ipsum obligare. Cum autem hæc prægustatio sit necessaria ad bonum communitatis præsertim ad præcauenda pericula Principum: nec possint Coqui, ac Pincernæ absque damno abstinere à prægustatione, alioquin non possent adimplere proprium munus, sequitur, quod lex non prohibeat huiusmodi prægustationem.

4 Ex hoc tamen non sequitur, vt notat etiam Sāchez *citat.* quod huiusmodi prægustatores absoluātur à Ieiunio: sed tenentur ieiunare non secus, ac si non prægustassent. Tum quia, si loquamur de abstinentia à carnibus, cum præceptum prohibens sit negatiuum, semper obligat: vnde etiam si transgessum fuisset, adhuc obligaret pro reliquo tempore diei: tum quia cum hæc prægustatio fiat in paruitate materiæ, nō soluit ieiunium: tū quia solum ratio interpretatur legem ieiunij, quod concedat huiusmodi prægustationem, non autem quodlibet à ieiunio.

An qui ministrant infirmis possint in diebus prohibitis comedere aliquid carnium, vt excitent in ipsis appetitum, & inducant ad comedendum. Decis. 45.

SVMMARIVM.

1 *Ministrantes infirmis possunt in diebus prohibitis comedere aliquid carnium, vt inducant ipsos ad comedendum.*
2 *Talis comestio desinit esse prohibita, & euadit honesta.*
3 *Lex debet ita accipi, vt non contrarietur principijs charitatis, & ijs, quæ ab ipsa præscribuntur.*

1 RESP. affirmatiuè cum Nauar. *in sum. hisp. cap.* 21. *num.* 12. & in *sum. lat. num.* 13. Sanchez. *lib.* 5. *Consil. moral. cap* 1. *dub.* 22. *num.* 10. qui asserit, ita sentire etiam Doctos Recentiores Diana *par.* 5. *tract.* 5. *Resol.* 32. vēr. *Notandum est.* Remigius *tract.* 3. *sum. cap.* 4. §. 2. *num.* 7. *in fine* Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 209.

Ratio autem est, quia stante paruitate materię nō adest materia integra prohibita, atque adeo nec materia peccati mortalis, sed tantum venialis. Quia autem apponitur finis honestus, & quem charitas imperat, desinit etiam esse materia peccati venialis, quia induit etiam rationem ab ea, sub qua prohibetur: nam prohibetur sub ratione refectionis: & assumitur non vt refectio, sed vt incitatio, qua infirmus incitetur ad comedendum. In ijs enim, quę sunt tantum mala, quia prohibita, quando cessat ratio prohibitionis, desinunt esse mala, & sunt honesta prout induunt hanc, vel illam rationem honestatis.

3 Quod etiam deducitnr ex eo, quia cum omnis lex deriuet à principijs charitatis, debet ita accipi, & interpretari, vt non sit contraria charitati, & ijs, quæ ab ipsa præscribuntnr. Charitas autem præscribit vt medijs congruis inducantur infirmi ad comedendum, quia hoc pertinet ad sublepamentum morbi, & conducit ad acquirendam sanitatem, & ideo cum comedere aliquid carnium sit medium congruum lex prohibens carnes in certis diebus debet ita accipi, vt non prohibeat comedere in paruitate materiæ ad finem huiusmodi assequendum.

An, qui ex dispensatione comedit carnes, quando prohibentur, possit comedere carnes nociuas. Decis. 46.

SVMMARIVM.

1 *Qui ex dispensatione comedit carnes, peccat, si comedat carnes nociuas.*
2 *Non peccat secundum alios, si in modica quantitate comedat ad excitandum appetitum.*
3 *Absolute potest comedere etiam nociuas.*
4 *Dispensatio ad carnes comedendas tollit totalem prohibitionem carnium.*
5 *Si possent manducari sola carnes proficua, opus esset noua lege prohibente nociuas.*
6 *Motiuum dispensandi in carnibus fuit, vt tollatur totalis prohibitio.*

1 NEGATIVE respondet Rodriquez 1. *par. sum. cap.* 24. *nu.* 3. qui tamen excusat à mortali, quando adest paruitas materię Io. à Cruce *par.* 1. *Direct conscient. præcep.* 3. *art* 4. *dub.* 8. *nu.* 3. quia tales carnes nociuæ iam sunt vetitæ, & dispensatio non se extendit ad ipsas, quia est tantum de ijs, quæ conferunt sanitati, cum sit facta in ordine ad sanitatem.

 2 Alij

2 Alij autem vt Henriquez *lib.7. sum. cap.30. nu.3.* concedunt etiam has carnes in modica quantitate, quando adhibentur ad excitandum appetitum: & volunt tunc non interuenire peccatum neque contra præceptum prohibens carnes, neque contra præceptum temperantiæ.

3 Alij vero absolutè volunt, eum, qui potest comedere carnes, posse etiam comedere nociuas, neque comedendo facere contra præceptum, sed solū posse peccare venialiter, vel mortaliter ratione damni, quod inde præcipit. Ita Villalobos *par. 1. sum. tract. 23. dub. 8. num. 11.* Diana *par. 5. tract. 5. Resol. 47. ver. Sed contrariam.* Qui tamen nullam rationem afferunt. Idem tenet Bartholom. à S. Fausto *lib. 1. Thesauri Relig. q. 146. vlt. edit. Neapol.* Io. Sanchez *in Select. de Sacram. dis. 51. num. 20. & 21.* alter Sanchez *lib. 4 sum. cap. 11. num. 57.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 9.* Machab. *lib. 2. par. 4. tract. 3. docum. 2. num. 5.* Leander à Murtia *in cap. 3. Regul. S. Francisci quæst. 12. num. 4.* Leander à Sanctissimo Sacramento *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 28.* Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 1. num. 9.* Bossius *tract. 3. moral. tit. 21. num. 198.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. de ieiun. num. 7.*

4 Hæc autem postrema sententia mihi probabilior videtur: imo etiam certa quia cum prohibitio carnium non respiciat has, vel illas carnes; sed carnes in genere, quatenus sunt cibus maximè refectionis, & procedat ex fine macerationis, eo ipso, quod Ecclesia tollit prohibitionem, & non intendit amplius finem macerationis in eo, cum quo dispensat, vt per se patet, iam cessat totalis prohibitio, quia cessat in materia prohibita illa ratio, sub qua carnes erant prohibitæ, nempe ratio illa refectiui communis omnibus carnibus, quia prohibitæ sunt carnes, non quia talis, vel talis caro sunt, sed quia sunt cibus talis refectionis. Si igitur ecclesia non vult prohibere talem refectionem, nec etiam prohibet ea, ex quibus talis refectio habetur, quæcunque sint.

5 Deinde si ecclesia dispensaret in solis carnibus salutiferis, non haberet amplius pro fine macerationem corporis neque exercitium virtutis abstinentiæ, quia iam concederet eas carnes, quæ magis cōtrariantur macerationi, & plus delectant gustum, sed salutem illius, cum quo dispensaret, ergo cum varietur finis, & non permaneat idem, non potest in aliquo permanere lex respiciens illum finem, sed deberet succedere alia lex, quam tamen, constat, non succedere.

7 Ad id, quod *num. 1.* in oppositum afferratur, Resp. quod posita dispensatione cessat prohibitio etiam carnium nociuarum, vt constat ex dictis. Et licet motiuum dispensandi sit necessitas illius, cum quo dispensatur, non tamen fit dispensatio iuxta mēsuram necessitatis, sed tollitur absolutè obligatio imposita ab Ecclesia eò, quod esset ipsi nimis onerosa, & cum damno salutis: & relinquitur præcepto naturali temperātiæ moderari quantitatem, & qualitatem carnium iuxta exigentiam salutis.

An, qui ex dispensatione comedit carnes, quando ipsi prohibentur, possit simul etiam edere pisces. Decis. 47.

SVMMARIVM.

1 *Qui ex dispensatione comedit carnes, non potest simul comedere pisces secundum aliquos.*
2 *Secundum alios potest.*
3 *In modica quantitate ad excitandum appetitum possunt secundum omnes sumi pisces.*
3 *Pisces, quando nocent, non possunt manducari simul cum carnibus.*
4 *Quando non nocent, possunt simul manducari cum carnibus.*
5 *Cur, si pisces non nocent simul cum carnibus, possit fieri dispensatio ad carnes.*
6 *Quæ tacitè insunt habentur pro expressis.*
7 *Quid si edicto speciali prohibeantur pisces dispensatis ad carnes.*

1 NEGATIVE respondent Nauar. *tom. 1. Consil. 5. de obseruat. ieiunij num. 2.* qui id docet de lacticinijs, & piscibus. Graff. *par. 1. lib. 2. cap. 37. num. 59.* Lanorius *par. 1 de Iubileo cap. 20. num. 28.* Quia vel pisces nocent, & tunc peccatur, quia comeditur aliquid nociuum: vel non nocent, & tunc non adest iusta causa ad dispensandum.

2 Alij tamen, & frequenter oppositum tenent. Ita Reginal. *tom. 1 Prax. Fori pœnit. lib 4. cap. 14. num. 168* Filliucius *tract. 27. par. 2. cap. 3. num. 55.* Facundez *lib. 1. de 4. præcep. Eccles. cap. 2. num. 18.* Angles *in Florib. quæst. 9 de Ieiunio ar. 1. difficul. 6.* Henriquez. *lib. 7. sum. cap. 13. num. 13. Littera F.* Trullench. *lib. 3. in Decal cap. 2. dub. 2. num. 10.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 11.* Nugnus *in Addition. ad 3. par. tom. 2. tract. de Bulla §. 8 dub. 4.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 23. dub. 8. num. 10.* Azor. *tom. 1 lib. 7. cap. 10. q. 5.* Ortez. *cap. 19 sum. num. 18. & 19.* Fernandez. *par. 3. Exam. theol. mor. cap. 9. §. 5. num. 4.* Corduba *in sum. q. 168.* Rodriquez. *in Bullam Cruciatæ §. 6. num. 5. dub. 4.* qui tamen limitat, vt non liceat, quando dispensatio fit, quia pisces nocent, Acosta *in Bullam item Cruciatæ q. 80. ver. Si autem quæras.* Diana *par. 1. tract. 9. Resol. 26.* Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 1. num. 9.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 186.* Io. Henriquez. *in sum. secr. 16. quæst. 11.* Machael. *tom. 1. lib. 2. par. 4. tract. 3. docum. 2. n. 4.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 2. de ieiun. num. 8.* Leander à Murcia *in cap. 3. Regul. 5. Francisc. quæst. 12. num. 3.*

3 Conueniunt auctores vtriusque sententiæ, quod non sit peccatum comedere aliquid piscis ad excitādum appetitum, præsertim quando carnes alioquin nauseam excitarent, quia tunc ratione finis illa comestio honestatur. Rursus consentiunt Doctores posterioris sententiæ, quod comestio piscium possit esse peccatum, si nimirum causet aliquod damnum; vnde erit mortale, aut veniale iuxta qualitatem damni. Vnde difficultas est, an liceat comedere pisces simul cum carnibus, quando non inde prouenit aliquod damnum.

4 Et in hac difficultate posterior sententia mihi certa

certa videtur. Quia piſces de ſe ſunt liciti in illis diebus, in quibus prohibentur carnes; & diſpenſatio facit licitas carnes, nec prohibet piſces, cum nõ afferat ſecum aliquod præceptum, ſed ſit pura diſpenſatio, quæ ex genere ſuo aliquid concedit, nec aliquid prohibet, ſed relinquit licitum omne id, quod reperit licitum. ergo diſpenſatus, vt edat carnes, retinet etiam facultatem, quã habebat, edendi piſces: & proinde edendo non peccat, non ſecus, ac ſi non comederet carnes.

5 Atque ad id, quod affertur pro oppoſita ſententia facile reſp. quod piſces nocere it, ſi continuo comederentur, aut ſi ſoli, quia non præberent debitum, & neceſſarium nutrimentum corpori, quę eſt iuſta cauſa, vt poſſit fieri diſpenſatio. Dum autem comeduntur ſimul cum carne, non nocent, quia caro ſupplet defectum nutrimenti, quod à piſcibus haberi non poteſt.

6 Aduertit Leander 3. *par. in præcep. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 29. Quod Henriquez Angles, Oniz non loquuntur abſolutè, ſed cum limitatione quod non adſit ſcandalum, aut quod non adſit ſpeciale ſtatutum prohibens. Verum non aduertit hic Doctor, quod iſta ſunt conditiones, quæ tacitè inſunt, & proindè habentur pro expreſſis *l. ſi ita §. ſi filio ff.* de *ſecund. tab.* & *l. Prætor ait §.1.ff.* De *noui oper. nũt.* vbi Gloſ. verbo. *Expreſſum.* Et notãt Bald. *in l. fin. num.* 9. *C.* de *hæred. inſtit.* Paris. *conſ.* 66. *num.* 62. *vol.* 2. Rolan. *conſ.* 27. *n.* 34. *vol.* 44. Et ideo omnes Doctores citati idem ſentiunt ſiuè tacitè, ſiuè expreſsè. Nec debebat Leander tàm anxiè quęrere, quod reprehenderet.

7 An autem, vbi ſub pęna ex communicationis prohibetur in diebus, quibus prohibentur carnes, & ex diſpenſatione adhibentur, edere ſimul piſces, ſit peccatum mortale, & contrahatur excommunicatio. Reſp. Leander *in præcep. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 30. Remigius *tract.* 3. *ſum. cap.* 4. *§.* 1. *num.* 9. Secluſa abundantia, & graui periculo ſalutis, & temperantiæ, non eſſe mortale; quia excommunicatio ſupponit peccatum mortale, & peccatum mortale in comeſtione requirit materiam grauem. Sed non rectè. Quia finis excommunicationis eſt, ne gulæ laxentur habenæ, & tollatur ſcandalum; nam qui vident aliquem comedere piſces, & carnes ſimul, iudicant, quod piſces non noceant, & proinde quod abſq; rationabili cauſa adhibeantur carnes. vnde excommunicatio habeat annexum præceptum, quod dũ comeduntur carnes, non edantur piſces: Et ideò ſemper erit mortalis culpa, quando quantitas piſcis erit notabilis, & habebit annexam excommunicationem. Quare meliùs docet Io. Sanchez *in ſelectis de Sacrament. diſp.* 51. *num.* 20. *&* 21. eſſe peccatum mortale, niſi fortè ad excitandum appetitum parum piſcis ſumeretur, quod tamen debet intelligi de modica quantitate. Nec placet, quod idem Sanchez ſubdit, quod id non habeat locum in piſce ſuaui, & ſalubri; nam adhuc fouetur gula, & ſcandalum habet locum, & læditur temperantia, quæ non ſolum læditur per inſalubres cibos, ſed etiam per extraordinariam comeſtionem. Et ideò abſolutè peccare mortaliter, & ſubeſſe excommunicationi: tradit Palaus *par.* 4. *oper. moral. tract.* 25. *diſp. vn. punc.* 8. *§.* 1. *num.* 12. Boſſius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 187.

8 Eſt tamen aduertendum cum Leandro à Murcia *in cap.* 3. *Reg.* 5. *Franciſ. quæſt.* 12. *num.* 6. quod ſi quis aliquid modium de piſce ederet ad excitandum appetitum; neque peccaret contra temperantiam, neq; violaret Statutum Synodale, quia neq; indulgeret gulæ, neq; præberet occaſionem ſcandali, nam conſtaret de fine honeſto.

An qui ex diſpenſatione comedit carnes, quando prohibentur, poſſit etiam comedere oua, & lacticinia. Deciſ. 48.

SVMMARIVM.

1 *Carnes, & lacticinia diſtinctim prohibentur in ieiunijs.*
2 *Diſpenſatus ad carnes cenſetur diſpenſatus etiam ad lacticinia.*
3 *Cur diſpenſatio ad carnes contineat diſpenſationem ad lacticinia.*
4 *Diſpenſatio ad lacticinia ſequitur vt acceſſorium diſpenſationem ad carnes.*

1 VIDETVR negatiuè reſpondendum, quia carnes, & lacticinia ſunt quid diuerſum, diſtincta prohibitione prohibentur vnde prohibitio carnis eſt generalis ad omnia ieiunia, & loca, non autem prohibitio lacticiniorum.

2 Tenendum eſt tamen, quod qui eſt diſpenſatus ad carnes edendas, poteſt etiam oua, & lacticinia comedere, vt tradunt Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 4. Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 14. *§.* 10. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 50. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap* 2. *dub.* 2. *num.* 8. Leander *par.* 3. *in præcep. Eccleſ. tract* 5. *diſp.* 2. *quæſt.* 31. vbi habet more ſuo, male dictos Doctores citari, quia non loquuntur in terminis terminantibus, non aduertens, quod vbi eſt eadem ratio, ibi eſt eadem opinio, ſicuti eſt etiam eadem diſpoſitio. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pœnit. nu.* 170. Ouiedus 1. 2. *tract.* 6. *controuerſ.* 5. *pun.* 3. *num.* 26. Boſſius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 199. Martin. à S. Ioſeph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract.* 2. *num.* 7.

3 Ratio autem eſt, quia prohibitio carnium indicit maiorem abſtinẽtiam, quam prohibitio ouorum, & lacticiniorum: & vſus lacticiniorum mediat inter vſum carnis, & piſcium. Si quis igitur per diſpenſationem transfertur ab vſu piſcium ad vſum carnis à fortiori transfertur etiam ad vſum lacticiniorum, tanquam ad id, quod mediat, & eſt quid minus. Quando enim conceditur maius, conceditur etiam quod minus eſt, ſi ſubordinatur maiori. Vnde aliqui diſpenſantur ad ſola oua, & lacticinia, & non ad carnes, quia hæc eſt maior diſpenſatio.

4 Deinde oua, & lacticinia, cum originem ducãt ex carnibus, ſequuntur prohibitionem carnium, quaſi principale trahat ſecum acceſſorium etiam in prohibitione, quæ ſtricti iuris eſt, Cap. *Denique Diſt.* 4. ergo etiam quando conceduntur carnes, debent cenſeri conceſſa etiam lacticinia tanquam acceſſorium, quod ſequatur conceſſionem principalis.

An,

An, qui non habet alios cibos, quam carnes, possit ijs vesci, quando sunt prohibitæ; Et quid si habeat panem, quo possit substentari. Decis. 49.

SVMMARIVM.

1 *Quando non suppetunt alij cibi, licet carnibus vesci, etiam si sint prohibitæ.*
2 *Quando adest panis non licet, nisi per plures dies defuturi sint alij cibi, secundum Angles, & alios.*
3 *Licet, etiam si per vnicum solum diem deficiant alij cibi.*
4 *Præsumptio legis in prohibendis carnibus.*
5 *Opinio Leandri.*
6 *Assueti vilibus cibis non liberantur ab abstinentia à carnibus, si per vnicum diem habeant solum panem.*

1 RESP. Affirmatiuè cum Abulens. *quæst.* 371. *in cap.* 6. *Matth.* Cardin. *in Rubrica De obseruat. Ieiun. quæst.* 8. Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13. *nu.* 12. Facundez *lib.* 1. *De* 4. *pracep. Eccles. cap.* 2. *num.* 8. *in fine* Syluestro *verbo* Ieiunium. *quæst.* 9. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæst.* 7. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 4 *num.* 4 Filliucio *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 115. Bonacina *disp. vlt. De præcep. Eccles. q.* 1. *punc. vlt. num.* 5. Angles *in Florib. q.* 9. *de Ieiunio ar.* 1. *difficul.* 4. *append.* 1. Sanchez. *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 29. *num.* 4. Neque de hoc est aliqua difficultas, quia, cum lex prohibens carnes, sit lex humana positiua, non obligat, nisi quando absq; graui detrimento seruari potest: vnde multò minus obligat, quando agitur de conseruanda vita.

2 Difficultas est, quid dicendum, si quis haberet panem, quo posset vitam substentare, sed non haberet alios cibos concessos, an tunc posset vesci carnibus. Resp. Angles modo *citatus*, & Vega *par.* 1. *sum. cap.* 14. *Casu* 28. Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1 *dub.* 19. *num.* 7. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 61. *in fine*, quod si per vnicum tantum diem careret alijs cibis, tunc non posset vesci carnibus, sed deberet contentus esse solo pane, secus autem si deberet carere per plures dies.

3 Arbitror tamen, quod si etiam per vnicũ tantum diem careret alijs cibis concessis, posset loco ipsorum vesci carnibus. Lex enim prohibens carnes intendit tantum macerationem illam, & abstinentiam, quæ prouenit ex subtractione carnium, & nõ aliam maiorem; ergo quando lex non potest seruari sine extrordinaria abstinentia, & maceratione, desinit obligare, tum quia cessat intentio legis, quæ intendit moderatam tantum abstinentiam: tum quia lex fieret nimis onerosa absque noua causa.

4 Rursus lex in tantum prohibet carnes, in quantum relinquit alios cibos, quibus commodè cibari possumus, ergo habemus sufficiens fundamentum ad interpretandam, quod non obliget, quando non relinquuntur ij cibi, quos lex præsumit relinqui.

5 Supradicta corrigit Leander *par.* 3. *in pacep. Eccles. tract.* 5, *disp.* 2. *quæst.* 19. *ver. sed ego*. Quod scilicet dum adest solus panis possit assuetus epulari splendidè, comedere carnes, si etiam pro vnico die habeat solum panem; vel est assuetus vilibus escis, vt sunt pastores, & pauperrimi agricolę, & tunc si pro vnico die habeant solum panem, non poterunt vti carnibus.

6 At si considerasset omnia supradicta, vidisset, quod hæc correctio sit superflua. Nàm ratio allata declarat interum, & procedit de ijs, qui non possunt seruare legem abstinentiæ à carnibus sine extraordinaria maceratione, & quando præsumuntur adesse cibi, quibus commodè cibari possumus. Quis autem dicat, pastores, aut pauperrimos agricolas extraordinario modo macerari, quando habent solum panem, aut non satis commodè cibari, cum regulariter solo pane vescantur cum aliquo allio, aut cepa, & ad summum cum exiguo caseo? Deinde vbi relinquit eos, qui nec splendidè epulantur nec sunt pastores, aut pauperrimi agricolæ sed medioeri modo se cibant comedendo carnes ordinarias. Quoad hos ergò erit considerandum, quantum patiantur vescendo solo pane, & si notabilitèr patiantur, erunt soluti lege abstinentiæ à carne.

An liceat pueris ministrare carnes, quando prohibentur, antequam septennium compleuerint: Et quid de Infidelibus. Decis. 50.

SVMMARIVM.

1 *Pueri ante septennium possunt comedere carnes, quando prohibentur.*
2 *Etiam si vsus rationis anticipet septentium.*
3 *Adhuc comedentes expleto septennio, si nondum habeant vsum rationis, non peccant.*
4 *Carnes secundum aliquos non possunt pueris ministrari, vbi non est consuetum.*
5 *Possunt ministrari.*
6 *Ministrans carnes comedendi absque peccato, non peccat.*
7 *Quid si expleto septentio careat puer vsu rationis, an liceat ipsi ministrare carnes.*
8 *Licet ministrare infidelibus carnes, quando prohibentur.*

1 CONVENIVNT omnes, pueros, antequam compleuerint septennium non peccare, si comedãt carnes, quando prohibentur, quia leges positiuæ eos non obligant, cum non habeant vsum rationis, vt præsertim notant Doctores *infra citandi*.

2 Quod etiam habet locum in ijs, qui antequam perueniant ad septennium, acquirunt vsum rationis, vt docent Narbona *in annal. iur. anno* 7. *q.* 6. *num.* 3. Escobar. *De vtroq; foro ar.* 6. *num.* 34. Diana *par.* 4. *tract.* 3. *resol.* 52. Io. Henriquez *sect.* 16. *sum. quæst.* 19. *num.* 48. Rouaful. *in Praxi tract. de præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 46. Io. Sanchez *in Selectis de sacram. disp.* 51. *num.* 31. *ver. Vnde non assentior*. Quia lex humano modo procedit in obligando: vnde quia non intendit obligare nisi habentes vsum rationis, ideo solum intendit obligare, quando præsumitur vsus rationis. vsus autem rationis non præsumitur, nisi expleto septennio, quia si aliquando anticipat, per accidens est, & ea, quę per accidens fiunt non computantur. Quare cum lex non intendat obligare nisi eos, qui pręsumuntur vsum rationis exercere, non intendit obligare ante septennium. Oppositum tamen

men tenet Villalob. 1.*par. sum. tract.* 23. *diff.*8. *num.*7. *in fine* Merol. *tom.* 2. *disp.*4. *cap.*3. *n.* 451. *in fine* Azor. *par.*1. *lib.*7. *cap.* 18. 17. *q* 2: Trullench. *lib.* 3. *in Decal. lib.*1. §.4: *dub.*2. *num.*11. Baldel. *lib.*5. *Theol. moral. disp.* 30. *num.* 8. Leander *tract.* 5. *in pracep. Eccles. disp.* 2. *q.*42. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 25.

3 Imo si septennio expleto nondum habent vsum rationis, neque adhuc ob eamdem rationem sunt capaces obligationis ex legibus, & ideo, si comedant carnes, quando prohibentur, non peccabunt. Nec est eadem ratio de ipsis, ac de ijs, qui ante septennium habent vsum rationis, quia hi non obligantur, non quia non sint capaces obligationis, sed quia intentio legis eos non respicit tanquam præsumptos incapaces obligationis; ad eos vero, qui post septennium nondum habent vsum rationis, dirigitur quidem, sed non sortitur effectum obligandi, quia reperit incapaces; vnde neutri ex diuerso tamen capite obligantur.

4 An autem liceat pueris ante septennium expletum ministrare carnes. Resp. negatiuè, vbi non adest consuetudo Lopez 2. *par. Instruc. cap.* 212. Syluius 2.2. *q.*147. *ar.*4. ver. *Primus est in fine citans* Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. Quia debet erga ipsos seruari praxis Ecclesiæ.

5 An licitum esse, ijs ministrare carnes, quando septennium nondum est completum, siue adsit consuetudo, siue non, docent Azor. *tom.*1. *lib.*7. *cap.* 17. *q.*3. Caiet. 2.2. *q.* 147. *ar.*8. *dub.*1. Tanner *disp.*3. *q.*3. *dub.*5. *num.* 99. Graff. 1. *par. Decis. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 41. Sanchez *tom.*1. *sum. lib.*1. *cap.*12. *num.*9. Corduba *in sum. q.* 60. *in fine* Gomez *in Bullam Cruciatæ clausula* 7. *num.* 16 & 17. Pedraza *pracep.*3. §.14. Sà *verbo* Ieiunium *num.*17. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *sum. tract. de Ieiunio ar.*6. Villalob. 1. *item par. sum. tract.* 23. *difficul.* 4. *num.*4. Filliucius *tract.* 27. *par.*2. *cap.*3. *num.* 57. Facundez *lib.*1. *de* 4. *pracep. Eccles. cap.*8. *num.*8. Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp.* 51. *num.*31. Naldus *verbo* Ieiunium *num.* 5. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de Ieiunio Resol.* 42. Angles *in Florib. q.* 9. *de Ieiunio ar.*1. *difficul.* 4. *Append.*4. Bonacina *dis.* 1. *de legib. q.* 1. *punc.* 6. *num.* 9. Trullench. *lib.*4. *in Decal. cap.* 2. *dub.*6. *num.* 1. *in fine*. Merol. *tom.* 2. *theol. moral. disp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 38. *num.* 441. Caspens. *par.*1. *curs. theol. tract* 13. *de legib. disp.* 4. *sect.* 3. *num.*25. Palaus *par.*1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 2. *num.* 11. Narbona *in Annal. iur. anno* 7. *quæst.*6. *num.*7. Leander *par.* 3. *in pracep tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 43. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 2. *nu.* 27. Martin. à S. Ioseph. *tom.*1. *moral. lib.* 2. *tract.* 3. *de ieiun.* 4. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de pracep: Eccles. lib:* 3. *cap* 3. *num* 45.

6 Quam sententiam certam existimo. Quia cum paruuli ante septennium nulla obligentur lege, nec etiam obligantur consuetudine, quæ habeat vim legis: vnde, si adsit consuetudo non ministrandi ipsis carnes, & haberet vim legis, non obligarentur. Et ideo ministrans carnes non peccaret, quia ministraret; nam ministratio carnium non est prohibita de se in talibus diebus, sed solum quatenus concurrit ad peccatum comedentis: Nec quia concurreret ad peccatum comedentium carnes, aut ad aliquid prohibitum, quia nec pueri peccarent, nec ipsis est prohibitum comedere carnes; vnde fieret ministratio alicuius rei licitæ.

7 Et idem dicendum puto etiam respectu puerorum, quia iam expleto septennio nondum rationis vsum adepti sunt, dummodo tamen constet, quod nõ sint adepti, quia militat eadem ratio, nam cum non obligentur lege, non facit contra legem, qui eos inducit ad comedendas carnes, quia non inducit ad aliquid malum, nec ministratio de se est prohibita, sed solum vt inducit ad actum illicitum. Quod si non constaret; Non habere vsum rationis, aut res esset dubia, tunc non liceret ijs ministrare carnes, quia in dubio præsumendum est pro lege, alioquin ministrans se exponeret periculo peccandi. Et quia quando sumus in dubijs standum est determinationi legis, cum lex determinet septennium expletum pro vsu rationis, debet in dubio censeri, adesse vsum rationis, vt docent Io. Andr. *in Cap. Iuuenis num.* 9. *De sponsalib.* Ancharan *num.* 4. Alexander de Næuo *num.* 19. Henr. *in cap. Accessit num.*2. *De desponsat. Impub.* Lopez 2. *par. Instructor. cap.*37. *De matrim.* quos sequitur Sanchez *lib.* 1. *De matrim. disp.* 16 *num.* 10. Poterit tamen ministrari, etiam si ante spetennium habeant vsum rationis, quia lex ante septennium non obligat. ita Matrin. à S. Ioseph. citat.

Merol. *tom.* 2. *disp.*4. *cap.*3. *dub* 40. *nu.*466. ver. *Hinc deducitur* Bossius *tom.*3. *moral. tit.* 21. §.2. *num.*27. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.*2. *tract.*3. *de ieiun. nu.* 6. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de pracep. Eccles. lib* 3. *cap.* 3. *num.* 47.

8 Hinc licet ministrare carnes, quando prohibentur, infidelibus, vt notant Auctores *num.* 5. relati, præsertim Azor Facundez Diana. Sanchez. *num.*14. *supracitati cap.* Io. Sãchez *num.*29. *citata disp.* Trullẽch. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Quod etiam extendendum est ad Cathecumenos, vt notant Sanchez, & Merol. citati, nam cum nondum sint baptizati nondum tenentur legibus Ecclesiasticis, quia nondum sunt de corpore Ecclesiæ. Et hoc ipsum tenent Sanchez *in select. disp.* 31. *num.*39. Facundez *pracep.* 4. *Eccles. lib.*1. *cap* 8 *num.* 8. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *resol.* 43. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.*2. *n.*2. Leander *par.* 3. *in pracep. Eccles. tract.*5. *dis.*2. *quæst.*46. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de pracep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 203. Quia infideles non subsunt legibus ecclesiasticis tanquam ij, qui sunt extra ecclesiam; vnde non est illis prohibitum comedere carnes in quacumque die, & proinde ministrans non concurrit ad aliquid illicitum.

An comedens carnes frequenter in diebus prohibitis, sed in paruitate materiæ, sit suspectus de hæresi, & proinde denunciandus. Decis. 51.

SVMMARIVM.

1 *Comedens carnes frequenter in diebus prohibitis, licet in paruitate materiæ, est suspectus de hæresi secundum aliquos.*
2 *Non est suspectus.*
2 *Cur esus carnium contrarietur professioni fidei.*
3 *Quando trasgressio praceptorum Ecclesiæ generet suspicionem contra fidem.*

AFFIR-

1 AFFIRMATIVE respondent Tanerus 2.2.*disp.3.q.3.dub.5 nu.* 93 & Auctor. *Casuum conscientiæ Bononiensium anni* 1638. *Casu* 1. *Mensis Martij*. ver. *Aduertendum tamen*. Quia nimirum consensus fidelium putat, esum carnium in diebus prohibitis aduersari fidei professioni.

2 Sed negatiua sententia tenenda est. Quia in tantum esus carnium censetur contrariari professioni fidei, in quantum præsefert contemptum præcepti Ecclesiæ, ex quo infertur, quod non benè de ipsa sentiat, at stante paruitate materiæ oppositum colligitur, nam ostenditur, quod magni fit præceptum Ecclesiæ, quia non obstante inclinatione gulæ non intenditur grauiter ipsi contrariari, sed tantum leuiter, & proinde potius arguitur æstimatio præcepti, licet non tanta, quanta deberet esse.

3 Deinde in his omnibus commestionibus non interuenit peccatum mortale, vt dictum est Decis. 42. ergo neque possunt generare suspicionem contra fidem, quia transgressio præceptorum Ecclesiæ tunc solum generat suspicionem contra fidem, quando indicat depositum fuisse timorem violandi præceptum, quod non contingit, nisi deueniatur ad peccatum mortale.

An Catholicus existens in terris hæreticorum, aut infidelium possit comedere carnes, quando prohibentur. Decis. 52.

SVMMARIVM.

1 *Catholicus apud hæreticos, & infideles potest comedere carnes, quando prohibentur, si non comedendo subeat graue periculum.*

2 *Comestio carnium non est protestatio falsæ religionis, nec etiam apud hæreticos &c.*

3 *Carnes appositæ publica auctoritate, quando ab Ecclesia prohibentur, in protestationem falsæ sectæ debent respui, etiam si conueniat mori.*

4 *Remiges in triremib. infidelium possunt vesci carnibus, quando prohibentur.*

5 *Catholicus apud hæreticos, aut infideles non potest vesci carnibus, quasi apud eos non habeat vim præceptum Ecclesiæ.*

6 *Ius commune canonicum obligat catholicum apud hæreticos, & infideles.*

7 *Catholicus apud hæreticos, & infideles non potest secluso periculo vesci carnibus, cum prohibentur*

1 AFFIRMATIVE resp. Azor. *par.* 1. *Moral. Instit. lib.* 7. *cap.* 18. *q.* 7 *& lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 4 *num.* 13. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 11. Lublinus *par.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *n.* 15. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 1. *num.* 97. Ratio est, quia abstinentia à carnibus est de præcepto ecclesiastico, quod non obligat cum periculo graui; est autem graue periculum in terris hæreticorum, aut infidelium prodere se catholicum.

2 Dices, esus carnium in illis diebus esse signum infidelitatis, aut professionis hæreticæ, & ideo non licere. Resp. de se esse indifferentem, vnde etiam catholicis est licitus ex cansa. Apud illas autem Gentes neque est signum de se protestatiuum hęresis, aut infidelitatis, quia licet carnes comedant, quia non sunt catholici; non tamen comedunt, vt se protestētur hæreticos, aut infideles, vnde non est cibus assumptus in protestationem hæresis, aut infidelitatis, licet adhibeatur ex hæresi, aut infidelitate. Catholici autem non tenentur ab his abstinere, sed tantum ab ijs, quæ sunt in protestationem falsæ sectæ.

3 Hinc sequitur, vt notat etiam Azor. & Facundez *citati*. Quod si carnes apponerentur comedendæ publica auctoritate in protestationem falsæ sectæ, aut in odium catholicæ religionis, tunc potius Catholicus deberet mori, quàm illas comedere, quia comestio esset cōtra exteriorem confessionem fidei. Vnde nec Eleazarus *Machab.* 2. *cap.* 6. voluit comedere carnes porcinas, quia auctoritate publica proponebantur comedendæ in contemptum religionis, sed potius elegit mori.

4 Rursus rectè inferunt ijdem Azor. & Facundez *citati*: Remiges in triremibus infidelium, aut hæreticorum absolui à ieiunio; quod verum est non solū ratione laboris, sed etiam ratione periculi, vnde possunt etiam vesci carnibus, quia cessat pro ipsis præceptum. hoc tamen verum est, si non adsit contemptus religionis.

5 An autem possit Catholicus comedere carnes, dum est apud hæreticos, vel infideles, ratione loci, quia nimirum ibi locus sit exemptus à lege Ecclesiastica, & præceptum non comedendi carnes ibi nō habeat vim, sicut contingit, quando apud Catholicos aliqua lex Ecclesiastica est abrogata. Resp. negatiuè. quia ius comune Ecclesiasticum non est affixum loco, cum non sit positum pro certa aliqua communitate affixa certo loco determinato; sed pro tota communitate fidelium sparsa per totum orbem, & ideo eiusdem obligatio non relinquitur relicto loco, sed sequitur personas, & in tantum potest recipere aliquam restrictionem quò ad aliquod præceptum, in quantum fideles inuicem communicant in eadem ecclesia, & proinde si apud aliquos abrogatum est quò ad aliquod præceptum, accedens ad talem locum ratione communicationis cum ipsis in eadem ecclesia potest vti tali abrogatione. At Catholicus apud hæreticos degens ex vna parte affert secum obligationem iuris communis, & non communicat cum hæreticis, aut infidelibus, sed remanet in eadem communitate fidelium, & ideo debet cum fidelibus se conformare, & non cum hæreticis, aut infidelibus in obseruantia iuris communis. Et hoc posteà approbauit Leander *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 22. *ver. sed ego.* Qui etiam confirmat, vers. *Dico secundò* quæ habetur *num. sequent.*

7 Ex quo fit, quod secluso periculo tenetur ieiunare, & abstinere à carnibus, quando id præcipitur ab Ecclesia: & proinde non poterit in secreto comedere carnes, quando prohibentur, si tamen suppetant alij cibi.

An

An, Catholicis laborantibus, aut famulantibus in oppidis hæreticorum permitti poſſit, vt veſcantur carnibus, quando prohibentur. Deciſ. 53.

SVMMARIVM.

1 *Catholici famulantes, vel laborantes in oppidis hæreticorum poſſunt veſci carnibus, quando prohibentur, ſecundum Laiman.*
2 *Limitatur hæc doctrina.*
3 *Famuli facilius excuſantur, quam qui locant operas ſuas.*
4 *An laboratores poſſint locare operas ſuas, quando ſciunt non ſibi ſubminiſtrandos cibos, vt poſſint ſeruare præcepta Eccleſiæ.*

1 AFFIRMATIVE reſpondet Laiman *lib. 4. theol. moral. tract.8: cap.3. n.3.*ver. *Tertia eſt*, dummodo tamen ſcandalum tolli poſſit, vt ſi dicant, ſe in tali caſu neceſſitatis non obligari præcepto Eccleſiæ. Et ſubdit; Societatem Ieſu habere priuilegium, vt in partibus ſeptentrionalibus poſſit ob maiorem ſecuritatem cum talibus diſpenſare.

2 At mihi diſtinguendum videtur. Vel enim catholicus poteſt habere ſine magno incommodo alios cibos, & tunc tenetur abſtinere à carnibus, quia non adeſt cauſa ſufficiens, qua excuſetur ab obſeruando præcepto, cum neque adſit periculum, neque neceſſitas. Vel hæretici negant ſubminiſtrare alios cibos, & hoc non in contemptum religionis catholicæ, & tunc adeſt neceſſitas excuſans, & ideo veſci poſſunt carnibus, quia etiam ceſſat periculum ſcandali, quod alias oriri poſſet.

3 Aduertendum eſt tamen, quod facilius excuſari poſſunt famuli, quam qui locant operas ſuas, quia regulariter Domini nolunt parari pro famulis cibos ſpeciales, ſed volunt vti ijs, qui ſibi ſuperſunt. Laboratores autem poſſunt de hoc paciſci cum ijs, quibus locant operas ſuas.

4 Dubium tamen eſt, an laboratores poſſint locare operas ſuas, quando ſciunt, non eſſe ſibi ſubminiſtrãdos cibos proportionatos, vt poſſint ſeruare præcepta Eccleſiæ. Reſp. abſque rationabili cauſa id non poſſe, quia vt præcepta deſinãt obligare, debet interuenire cauſa rationabilis. Rationabilis autem cauſa eſſet, ſi alio modo non inuenirent, quibus locarent operas ſuas, aut ſi amitterent occaſionem magni lucri argum. ex Cap. *Licet* De Ferijs.

An in diebus, in quibus carnes prohibentur, liceat eas miniſtrare amentibus Deciſ. 54.

SVMMARIVM.

1 *Non licet amentibus miniſtrare carnes, quando prohibentur ſecundum aliquos.*
2 *Licet miniſtrare.*
3 *Amentes non obligantur legibus.*
4 *An liceat carnes miniſtrare amentibus per interualla, aut in aliqua tantum materia.*
5 *Quid de amentibus in eo tantum, quod non cognoſcant obligationem legis.*

1 NEGATIVE reſpondet Io. Sanchez *in Select. de Sacram. diſp.*51. *nu.* 30. & videtur deſumi ex doctrina alterius Sãchez *lib. 9. de Matrim. diſp.* 32. *num.* 2. & *in ſum. lib.*1. *cap.* 12. *num.* 1. vbi docet, quod aliud eſt. Non obligari lege, & aliud, A legis tranſgreſſione excuſari. Qui igitur miniſtrat carnes amenti, miniſtrat id, quod ipſi eſt prohibitum, quia obligatur lege, licet per accidens ratione amentiæ excuſetur à tranſgreſſione legis.

2 Tenendum tamen eſt, quod liceat miniſtrare carnes amentibus, quando prohibentur. Ita Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 17. *q.* 3. *in fine* Sanchez *lib.* 1. *in Decal. cap.* 12. *num.* 16. Facundez *lib.* 1. *de* 4 *præcep. Eccleſ. cap* 8. *num.* 8. Ludouicus *a S.* Io. 1. *par. Ieiu. tract. de Ieiunio ar.*6. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de Ieiunio Reſol* 42. *in fine* Angles *in Florib. par.*2 *in* 4 *q.*6. *de Ieiunio difficul.* 6. *in fine* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.*2. *dub.*2. *num.* 11. *in fine*. Bonacina *diſp.*1. *de legib. q.* 1. *punc.*6. *num.* 5. Merol. *tom.* 2. *Theol. moral. diſp.*4. *cap.* 3 *dub.*38. *num* 445. Caſpenſis *par.* 1. *curſ. theol. tract.* 13. *de legib. diſp.*4. *ſect.* 3. *num.*25. Baldel. *tom.*1 *theol. moral. lib.*5. *diſp.*30 *nu.*4. Palaus *par.* 1. *oper. mor. tract* 3. *diſp.*1. *punc.*24. §. 2. *nu.* 11. Fragoſ *par.* 1. *Regimin. Chriſt. Reipub. lib.*5. *diſp.* 12. *nu.* 99. ver. *Ex dictis* Leander *par.* 3. *in præcep. Eccleſ. tract.* 5. *diſp* 2. *q.*44. vbi ait, male me citaſſe Azorium ſed immeritò, cum loco citato dicat, Amentes, perpetuos non ligari legibus Eccleſiaſticis. Boſſius *tom.* 3. *moral. tract.* 21. §. 2. *num.* 27.

3 Quam ſententiã certam exiſtimo, etiam ſi amẽtes non indigeant carnibus tanquam infirmi. Contra Merol. *citat.* qui excludit Amentes, qui aliquando habuerunt vſum rationis, vt pote legibus obligatos; quod tamen non ſubſiſtit. Quia eo ipſo, quod ſunt amentes, ſicut non operãtur amplius humano modo, ita nec amplius sũt capaces obligationis ex legibus, quia cum lex præſcribat ſolum circa operationes humano modo exercẽdas, obligat eos ſolũ, qui humano modo operari poſſunt. Et proinde amentes non ſolum excuſantur à tranſgreſſione legis, ſed neq; ipſa obligãtur. Vnde nõ facit cõtra legẽ qui eis carnes miniſtrat, cũ nõ miniſtret aliquid ipſis lege prohibitũ.

4 Hoc autem intelligi debet de ijs, qui continuo, & in omnibus amentes ſunt, quia ſi amentes ſint per aliqua ſola interualla, aut in aliqua ſola materia, ita vt in cœteris habeãt vſum rationis, atque cognoſcãt obligationem legis, tunc non licebit ipſis miniſtrare carnes, niſi fortè ipſis indigeant ratione infirmitatis, quod facilè præſumi poteſt, quia cibi quadrageſimales fouent prauos humores, & malũ temperamẽtũ, in quo amentia radicatur. Ita etiã Sãchez. *lib.*1. *ſum. cap.*12. *n.*16. Leander *par.* 3. *in præcep Eccl. diſp.*2. *quæſt.*45.

5 An autẽ, quis in eo dum taxat eſſet amẽs, quod non cognoſceret obligationem legis, liceret ipſi cárnes miniſtrare. Videtur affirmatiuè reſpondendum, quia, dum non cognoſceret obligationem legis, non poſſet circa legis præcepta humano modo operari: vnde nec etiam obligaretur lege, & proinde non miniſtraretur ipſi aliquid lege prohibitum.

An liceat ministrare Ebrijs carnes, quando prohibentur. Decis. 55.

SVMMARIVM.

1 *Ebrijs non possunt ministrari carnes, quando prohibentur.*
2 *Quid si tanquam infirmi indigeat carnibus?*

1 NEGATIVE respondendum est cum Sanchez *lib. 1. in Decal. cap.12.num.16.in fine* Baldel. *lib. 5. theol. moral.disp.30.num.4.* Leander *par. 3. in Pracep. Eccles. tract.5.disp.2. quaest.45.* Roccaful. *in Praxi tract. 6. de pracep. Eccles. lib. 3. cap.11. num.* 205. quia Ebrietas, cum per breue tempus priuet vsu rationis non eximit ab obligatione legis, cum per accidens se habeat talis priuatio, & in his locum habet, quod licet Ebrietas excuset à transgressione legis, non tamen eximit ab obligatione ipsius, vnde ministrans carnes, quando prohibentur, faceret contra legem, quia ministraret, quod est lege prohibitum.

2 Hęc tamen doctrina locum non habet, quando tanquam infirmi indigerent carnibus, quod tamen rarò potest contingere, quia ebrietas sobrietate nedum potus, sed etiam cibi curanda est, vt vinum possit in stomacho concoqui.

An, si quis vouerit abstinere ab ouis, & lacticinijs, teneatur etiam abstinere à carnibus. Decis. 56.

SVMMARIVM.

1 *Vouens abstinere ab ouis, tenetur etiam abstinere a carnibus secundum aliquos.*
2 *Quomodo alij in hoc distinguant.*
3 *Non tenetur abstinere a carnibus.*
4 *Peculiaris species abstinentia est obiectum huius voti.*
5 *Solum ex institutione ecclesia abstinentia a lacticinijs includit abstinentiam a carnibus.*
6 *Abstinentia a lacticinijs non trahit abstinentiam a carnibus, licet ab ea originentur.*
7 *Quid si vouens credat, quod etiam vouisset abstinere a carnibus, si meminisset.*
8 *Quid si tempore voti cogitasset, & intendisset abstinere a carnibus.*
9 *Intentio concomitans nihil influit in votum.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam tradit absolute Villalobos *par.1. sum. tract. 23. difficul.8. num* 5. nisi forte haberet intentionem contrariam. Et fundamentum esse potest, quia abstinentia ab ouis, & lacticinijs includit etiam abstinentiam à carne, quia non ex eo, quod prohibetur caro, prohibentur etiam lacticinia, & oua, sed eo ipso, quod prohibentur oua, & lacticinia, prohibetur etiam caro: vnde abstinẽtia ab ouis, & lacticinijs est superioris ordinis includẽs etiã abstinentiã à carne.

2 Alij vero distinguunt, quod si vouens deliberasset abstinere etiam à carnibus, si de ijs cogitasset, tenetur abstinere: secus autem, si non deliberasset. Ita Syluester *verbo* Dominica *num.* 2. *in fine*, & verbo Ieiunium *q.* 10. *dicto* 2. Armilla *num.* 13. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 2. Lopez 2. *par. Instruct. tract. de poenit. cap.* 112. Beia *par.*2. *Casuum conscient. Casu* 3. Quod si vouens nescit discernere, quid fecisset, si cogitasset de carnibus, asserũt debere abstinere à carnibus, aut dispensationem petere. Ita Beia *citat.* Syluester *citato verbo* Dominica *num.* 2. Tabiena *verbo* Ieiunium *q.* 1. *num.* 10. *in fine*. Quia abstinentia à lacticinijs includit abstinentiam à carnibus, cum illa originem trahant à carnibus Cap. *Denique Dist.* 4.

3 At Alij volunt absolutè, non teneri abstinere à carnibus. Ita idem Syluester *citato verbo* Ieiunium *q.* 19 *in fine*, quia, ait, licet sit tutius non comedere, non tenemur tamen sequi, quod tutius est; quod etiam tradunt Azor, & Lopez *citati* prӕterea Sà *verbo* Votum *num.* 25. Sanchez *lib.*4. *in Decal.cap.*11. *num.* 46. Bonacina *disp.*4. *de legib. q.*2. *punc.*6. *num.* 17. Diana *par.* 1. *tract.*9. *de Ieiunio Resol.*22. *ver. Restat modo,* in fine Bartholom. à S. Fausto *lib.*1. *Thesauri Relig. q.*137. *vlt. editionis Neapol.*

4 Et hӕc vltima sententia mihi probabilior videtur, quia huiusmodi votum habet pro obiecto peculiarem speciem abstinentiӕ, nempe à tali cibo: vnde non debet extendi ad aliam speciem abstinentiӕ, quӕ sit maior, & magis afflictiua, quia talis maior afflictio non fuit de intentione vouentis.

5 Nec debemus arguere à prohibitione ecclesię, quӕ, quando prohibet oua, & lacticinia, prohibet etiam carnes, quia votum non est factum secundum mensuram talis prohibitionis. Ecclesia enim quando prohibet oua, & lacticina, vult perfectam abstinentiam, & ideo prohibet etiam carnes: Quare abstinentia à carnibus ex institutione ecclesiӕ includitur in abstinentia ab ouis, & lacticinijs, non autem ex natura rei, & ideo non trahitur secum ab abstinentia ab ouis, & lacticinijs, quando est obiectum voti, quia est obiectum ipsius, prout se habet ex natura rei.

6 Neque obstat, quod oua, & lacticinia originem trahant à carnibus quia cum non sint in genere carnium, non sunt pars carnis. Nec talis origo sufficit, vt abstinentia ab ipsis trahat secum ex natura rei abstinentiam à carnibus, quia sunt in diuerso genere: & vouens pręsumitur, quod velit solum talem abstinentiam, vt minorem.

7 Addo etiam cum Sanchez *citato*. Quod, etiam si vouens sibi persuadeat, quod vouisset etiam abstinentiam à carnibus, si de ipsa tempore voti meminisset, adhuc potest comedere carnes. Quia etiam si voluntas interpretatiua sufficiat ad interpretandum votum, quod de facto existit circa materiam, quӕ fuit de intentione vouentis; non tamen sufficit ad inducendam nouam obligationem, quia votum non obligat secundum mensuram voluntatis, quӕ habenda fuisset, si talis cogitatio adfuisset, sed secundum mensuram voluntatis, quę adfuit, quia obligatio voti tota prouenit à voluntate se obligandi.

8 Sed quid si tempore voti meminisset de abstinentia à carnibus, & habuisset intentionem seruandi talem abstinentiam? Resp. cum Sanchez *citato*. Quod in tali casu considerandum est, quomodo se habeat talis intentio ad votum; si enim est causa voti,

voti, ita vt votum proueniat ex tali intentione, certū est, quòd debet abstinere à carnibus, quia tunc vouens ita habuit intentionem abstinendi à carnibus, vt ipsam Deo promiserit, quia votum totum id promittit, quod est in intentione, à qua prouenit.

9 Si vero talis intentio se habet tantum concomitanter, tunc non influit in votum, atque adeo non obligat ad illam abstinentiam conceptam, quia non est materia voti eo, quod non sit obiectum intentionis, ex qua votum proficiscitur. vnde poterit adhuc comedere carnes. Intentio enim concomitans nihil circa votum operatur: sed se habet, ac si non adesset, vt tradunt Riccar. *in 4. dist. 38. ar. 8. quæst. 3.* Valent. 2. 2. *disp. 6. q. 6. punc. 4. quæstiun. 3. ver. Vnde benè* Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 5.* vbi alios citat. & sequuntur Portel. *in dub. Regul. verbo* Ieiunium *num. 5.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num 201.*

An, qui vouit abstinere à carnibus, teneatur etiam abstinere à iure carnium. Decis. 57.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia prohibens carnes, prohibet etiam ius carnium.*
2 *Vouens abstinentiam à carnibus, quando teneatur abstinere etiam à iure carnium.*
3 *Semper tenetur abstinere.*
4 *Votum est strictè interpretandum.*
5 *Vouens abstinentiam à carnibus, vouet sibi subtrahere nutritionem ex carnibus.*
6 *An liceat vti iure, quando conceduntur intestina.*

1 QVANDO Ecclesia prohibet carnes, prohibet etiam ius carnium: & ita praxis, & consuetudo vniuersalis interpretatur præceptum, & docent communiter. Et ratio est, quia, quando carnes elixātur, resoluūtur partes subtiliores, & immiscentur iuri: vnde qui sumit ius, sumit substantiam carnis ipsi permixtam.

2 Rosella *verbo* Ieiunium *num. 31.* ait, quod si vouens meminit iuris tempore voti, & illud sub voto comprehendit, aut comprehendisset, si meminisset, tenetur abstinere à iure Secus autem, si non meminit, aut si meminisset, non comprehendisset sub voto, quia tunc non est materia.

3 At Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 40.* Bonacina *Disp. 4 circa 2. præcep. Decal. q. 2. punc. 6. num. 23.* Bartholomeus à S. Fausto *lib. 1. Thesauri Religios. q. 140. vltimæ edit. Neapol.* Portel. *in Dub. Regul. verbo* Ieiuniū. *n. 6.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 203.* voluerunt, absolutè teneri abstinere à iure, quia Votum intelligitur sicut præceptum, quando est de eadem materia: præceptum autem de abstinentia à carnibus, est de abstinendo etiam à iure carnis.

4 Obijci tamen potest, quia votum debet strictè explicari, quantum potest, vt tradunt Azor. *1. par. lib. 11. cap. 20. q. 1.* qui alios citat Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Voto cap. 7. nu. 16. & 18.* Laiman *lib 4. theol. moral. tract. 4. cap. 3. num. 4.* Sanchez. *lib. 4. in Decal. cap. 11. nu. 3.* Bonacina *Disp. 4. circa 2. Decal. præcep. q. 2. punc. 6. nu. 10.* Panor. *in Cap. Ex parte nu. 4. de Censib.* Filliuc. *tract. 26. cap. 3. q. 8. nu. 96. & 108.* tum quia onerosum est, & ideo debet minui, quantum potest, tum quia, quantum fieri potest, debet vitari periculum peccandi, vitatur autem, dum votum strictè explicatur. Vnde cum ius non sit proprie caro, & subtiliores partes carnis ipsi immixtę non amplius sint sub specie carnis: vnde nec etiam nomen carnis obtinent; imo nec sub specie cibi, sed potus, non videtur explicando votum strictè, quod obliget ad abstinentiam à iure.

5 Propter hoc opposita sententia habet aliquam probabilitatem, non est tamen tenenda, quia quando quis vouet abstinentiam à carnibus, nō respicit carnes materialiter, sed vt cibum optimè nutritiuum, vnde promittit subtrahere proprio corpori illam nutritionem, quam conferunt carnes. In hoc autem includitur abstinentia etiam à iure, quia ius carnis prębet eamdem nutritionem, quam prębet caro ratione substantiæ carnis ipsi immixtę, & in subtilissimas partes resolutæ.

6 Notat Benedictus Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 1. num. 4.* Quod vbi in Sabbato conceduntur intestina animalium, potest etiam adhiberi ius carnis, quia hoc minus substantię animalium habet. Sed hoc non probatur, quia caro est diuersæ qualitatis, & speciei, & potentius confert ad nutritionem; & si caro remanet prohibita etiam in parua quantitate, remanebit prohibitum etiam ius, nam ideò prohibetur, quia continet partes subtiliores carnis.

An, si quis absolutè voueat non comedere carnes, vel in tali die, possit comedere, si contingat morbo laborare. Decis. 58.

SVMMARIVM.

1 *Vouens non comedere carnes, potest comedere tēpore morbi.*
2 *Tale votum non præsumitur susceptum in damnum salutis.*
3 *Obligat, quando vouens potest substinere macerationem.*
4 *Obligat eo modo, quo obligat præceptum prohibens carnes.*
5 *Poterit etiam comedere carnes no ciuas, & solum peccabit contra temperantiam.*
6 *An possit edere carnes, ad quarum abstinentiam votum specialiter obligat.*

1 RESP. posse vesci carnibus non obstante voto, quando medicus iudicat, id esse necessarium pro remedio morbi. Ita etiam docet Sanchez *lib. 4. in lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 34 num. 10.* Faustus *lib. 1. Thesauri Relig. q. 146. vlt. edit. Neapol.*

2 Ratio autem est, quia tale votum presumitur susceptum ad macerandum quidem corpus, & ad exercitium virtutis, non autem in damnum sanitatis, atque adeo exercendum, quando potest exerceri sine notabili detrimento corporis, stante autem infirmitate non potest exerceri sine notabili detrimento corporis.

3 Accedit etiam, quod votum strictè interpretandum est, vt diximus Decis. *praced. num. 4.* vnde debet huiusmodi votum ita accipi, vt solum obliget, quando vouens est in statu, vt possit corpus macerare, ita vt possit corpus sustinere commode

macerationem, quod non contingit, quando ægrotat, quia tunc indiget subleuamento.

4 Addit etiam Sanchez *citat.* quod votum obligat, sicuti obligat præceptum Ecclesiæ, quia, qui obligat se voto, intendit assumere illam obligationem, quam imponit Ecclesia, pro tempore, pro quo non imponit; præceptum autem non obligat tempore infirmitatis.

5 Hinc, quia in tali casu cessat obligatio voti, poterit edere quodcumque genus carnium etiam nociuarum, nec faciet contra votum, vt notat etiam Faustus *citatus*; sed solum contra præceptum naturale temperantiæ. Nec obstat, quod causa motiua, ob quam cessat votum, non se extendat ad has carnes; nam sufficit, quod cesset obligatio voti, quia non præsupponitur pro tali statu factum.

7 Est tamen aduertendum, quod si votum obligaret speciali modo ad abstinentiam ab aliquo genere carnium, quia nimirum adfuit speciale motiuum vouendi talem abstinentiam, tunc nisi tales carnes sint necessariæ, non cessat obligatio. Nam tunc votum est virtualiter multiplex, nempe de abstinentia à carnibus in generali, & de abstinentia à talibus carnibus, & ideo potest obligatio cessare in ordine ad vnum, & non in ordine ad alium.

An discendens ex loco, vbi illa die carnes non prohibentur, peruenturus vespere ad locum, vbi prohibentur, possit illas comedere antequam discedat. Decis. 59.

SVMMARIVM.

1 *Discedens è loco, vbi comeduntur carnes, potest eas comedere, etiam si eadem die peruenturus sit ad locum, in quo non comeduntur.*

2 *Leges locales non obligant extra locum, pro quo sunt latæ.*

1 RESP. posse comedere, antequam inde discedat, vt docet Filliucius *trac.* 27. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 109. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *nu.* 22. *ver. Verū probabilius* Molfes. *p.* 1. *sum. tract.* 10. *c.* 4. *num* .2. Portel *in Dub. Reg. verbo* Ieiunium *in Addit. num.* 3. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 57. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de Ieiunio Resol.* 3. Sanctius *in Select. de Sacram. Disput.* 54. *num.* 30. Baldel. *tom.* 1. *Theol. moral. lib.* 5. *disp.* 31. *num.* 13. Amicus *tom.* 5. *curs. theol. disp.* 5. *sect.* 16. *num.* 360. Leander *par.* 3. *in precep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 23. Remigius *trac.* 3. *sum. cap.* 4. §. 3. *num.* 12. *ver.* De aqui, Rouaful. in Praxi *tract.* 6. *de precep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 11. *nu.* 207.

2 Ratio est, quia potest sequi leges, & consuetudines loci, quamdiu in ipso est, nec tenetur ibi leges alterius loci proprias, etiam proprij domicilij, obseruare: quia cum hæ leges non sint vniuersales, non habent vim obligandi extra locum, pro quo sunt latæ; vnde cum ibi concedantur carnes, potest eas comedere, etiam si eadem die peruenturus sit ad locum, in quo prohibentur, & talis locus proprium domicilium sit.

An, quando quis mane licitè comedit carnes, & vespere peruenit ad locum, in quo prohibentur, possit adhuc comedere. Decis. 60.

SVMMARIVM.

1 RESP. negatiuè cū Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 22. Filliucio *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 6. *num.* 109. Sanctio *in Select. de Sacrā. disp.* 54. *num.* 30. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *De ieiunio Resolut.* 3. *ver. Ad argumentum vero.* Amicus *tom.* 5. *theol. disp.* 5. *sect.* 18. *num.* 360. Leander *par.* 3. *in precep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 24. Remigius *tract.* 3. *sum. cap.* 4. §. 3. *num.* 12. *vers. De aqui*. Hoc tamen intelligendum est, si locus, ad quem peruenit, sit proprium domicilium, quia quilibet tenetur legibus proprij domicilij, quandiu in ipso est. Nec obstat, quod mane comederit carnes, quia præceptum non comedendi carnes est negatiuum obligans pro quocumque momento temporis, pro quo prohibentur, atque adeo diuisibiliter: vnde semper viget obligatio, nec extinguitur per id, quod quis semel in illa die carnes comederit.

2 Si tamen locus ad quem vespere peruenit, non sit proprium domicilium, potest ibi carnes comedere, etiam si ibi prohibeantur, secluso tamen scandalo, vt notant Sanchez *citato lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *nu.* 22. ver. *Verum probabilius.* Filliucius citato *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *dub.* 8. *num* 109. Sanctius *in Select. de Sacram, disp.* 54. *num.* 31. Facundez *lib.* 1. *de* 4. *precep. Eccles. cap.* 7. *num.* 11. Qui alios citat. & est conformis hæc opinio doctrinæ illorum, qui tenent, peregrinos non obligari legibus loci. Et ratio est, quia cum non sit proprium domicilium, non est membrum, seu pars illius communitatis, & ideo nec communicat in obligationibus eiusdem, nec subditur legibus, quibus illa communitas dirigitur. Oppositum sentit Leander *par.* 3. *in precep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 2. *quæst.* 25. sed ex alio principio, quod Peregrini teneantur legibus loci, quod non admittitur.

3 Atque hoc locum habet, etiam si lex illa prohibens carnes in illo loco, vigeret etiam in proprio domicilio, vt notat Sanctius *in Select. de Sacram. disp.* 54. *num* 31. *circa finem* contra Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *num.* 3. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 14. Facundez *lib.* 1. *de* 4. *precep. Eccles. cap.* 7. *num.* 7. Bossium *sect.* 4. *de Iubileo Casu* 18. *num.* 44. Quia tam lex domicilij, quam loci, in quo est, sunt leges particulares, & sic vterque locus non coalescit in vnam communitatem, ita neque leges particulares ipsorum in vnam legem: & ideo non obligatur, quia lex domicilij non extenditur ad ipsum, cum non extendatur extra proprium locum, nec lex loci, cum non sit subditus ipsi, eo quod non est pars illius communitatis.

An

An qui discedit à loco, vbi carnes prohibentur, possit ibi eas comedere, si perventurus sit vespere ad locum vbi licitè comeduntur. Decis. 61.

SVMMARIVM.

1 *Discedens à proprio domicilio, vbi carnes prohibentur, non potest eas comedere, etiam si vespere sit perventurus ad locum, in quo comeduntur.*
2 *Potest comedere, si locus, à quo discedit, non sit proprium domicilium.*
3 *Quando advenæ teneantur legibus loci.*
4 *An, qui feria quarta Cinerum discedit Bergomo perrecturus Mediolanum, possit, antequam discedat, comedere carnes.*

1 Si locus, à quo discedit, sit proprium ipsius domicilium, certum est, non posse comedere carnes, quandiu ibi permanet, etiam si postea perventurus sit ad locum, in quo carnes non prohibentur, quia obligatur lege proprij domicilij, quandiu ibi moratur. Et ita docent Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 18. num. 22.* Filliucius *tract. 27. par. 2. cap. 6. num. 109.* Lessius *lib. 4. De iust. & iure cap. 2. dub. 8. num. 58.* Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio. Resol. 3.* Caspens. *par. 1. curs. theol. disp. 4. de legibus sect. 5. num. 41.* Baldell. *tom. 1. theol. mor. lib. 5. disp. 31. nu. 12.* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 26.*

2 At, si locus, à quo discedit, non sit proprium domicilium, quamuis ibi carnes prohibeantur, poterit adhuc illas comedere, quia non tenetur legibus illius loci, dummodo tamen non sequatur scandalum. Et hæc doctrina corollariè deducitur ex eo, quod 3 quàmplures tradunt, q peregrini, non tenentur legibus loci, per quem transeunt, quod saltem verum est, nisi tales leges ordinentur ad publicam politiam communitatis, quia advena eo ipso, quod ingreditur locum, censetur ingredi vt amicus, atque adeo, vt non illaturus aliquod damnum communitati, & proinde tacitè se obligat ad illas leges seruandas, quæ seruandæ sunt, ne communitas aliquod damnũ patiatur.

4 Non hinc tamen inferri potest, quod qui feria quarta Cinerum è Bergomo v. g. discedit perecturus Mediolanum, possit Bergomi carnibus vesci, antequam discedat, quia licet vespere sit perventurus ad locum, vbi poterit carnes comedere, quia tamen illa die carnes non prohibentur Bergomi lege speciali loci, sed lege vniuersali totius Ecclesiæ, ideo tenetur ibi talem legem seruare.

An, qui secundum consuetudinem proprij domicilij potest comedere carnes, aut intestina, & extremitates, possit adhuc comedere, si reperiatur in locis, vbi prohibentur.. Decis. 62.

SVMMARIVM.

Potens comedere carnes secundum leges proprij domicilij, non potest secundum aliquos, si alibi reperiatur, vbi nõ licet.
2 *Potest comedere etiam, vbi alias non licet.*
3 *Peregrinus habet ius viuendi secundum leges, & consuetudines proprij domicilij.*
4 *An comedere carnes, seu intestina in die, in quo alibi prohibentur, sit priuilegium.*
5 *Si est priuilegium, an sit personale, an vero locale.*

1 NEGATIVÈ est respondendum iuxta eorum sententiam, qui tenent, Peregrinos obligari legibus loci, in quo degunt vt advenæ. Quia, cum in tali loco vigeat prohibitio carnis, & intestinorum tenebitur legem seruare. Et ita in speciali docent Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 1. num. 8.* Nauar. *in Manual. cap. 23. num. 120.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 14. num. 28.* Clauis Regia *lib. 3 cap 4 num 25.* Bornacina *disp. 5. de legib. qu. 1. punc. 6. num. 56.* Henriquez *lib. 7. cap. 25. num. 2. & in com. littera S. in fine* Vega *tom. 1. sum. cap. 14. casu 18.* Sanchez *lib. 1. in Decal cap. 12. num. 39.* Laiman *lib. 1. theol moral. tract. 4. cap. 12. num 3* & in hanc opinionem magis propendet Bossius *sect. 4. de Iubil. Casu 18. num. 64.* Petrus à S. Ioseph *in Idea theol. moral. lib 1. cap 8 resol. 3.* Mazicchal. *De casibus reseruatis disp. 2. cap. 14. q. 2. difficul 4. dub. 2. num. 64.* Caspen. *par. 1. curs. theol. disp. 4 de legibus sect. 4. num 34.*

2 Probabilis tamen est etiam aliorum sententia, qui volunt, peregrinos, posse comedere carnes iuxta legem domicilij secluso tamen scandalo. Vnde Castellani, quibus in sabbato conceduntur intestina, poterunt ea comedere, etiam si reperiantur in alijs locis, in quibus non conceduntur, dummodo tamen ibi versentur vt advenæ, & ita docent Palat. *in 4. dist. 15. disp 8. post. 6. concl.* Ledesma *q. 45. de Matrim. ar. 5. punc. 3. Dub. vlt. §. 2.* Idem Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 18. num. 7. ver Verum quamuis* Facundez *lib. 1. de 4. præcep. Eccles. cap. 7. num. 11. qui alios quoque citat.*

3 Et optima ratione nititur hæc sententia, quia nimirum peregrinus sicut non fit pars communitatis illius loci, per quem transit, cum ibi se habeat tanquam exterus, & advena, ita non desinit esse pars communitatis sui domicilij: & proinde habet ius, vt viuat secundum leges, & consuetudines eiusdem communitatis. Sicut Græcus apud Latinos potest celebrare in fermẽtato, quamuis id apud Latinos prohibeatur.

4 Neque obstat quod comedere carnes, seu intestina in tali die non sit priuilegium personale, sed locale, & ideo non sequatur personas extra locum; imo cum sit contra ius commune, tanquam odiosum restringendum sit ad locum. Quia hoc non est priuilegium, sed consuetudo, quamuis postea priuilegio confirmata: & ideo sequitur naturam legis; & se extendit ad omnes illius communitatis, quamdiu in tali communitate communicant.

5 Addo etiam, quod licet priuilegium purum esset, non tamen esset locale, sed personale; quia licet esset concessum intuitu loci, non tamen esset concessum loco, sed personis, seu communitati & omnibus; & singulis de communitate; quia concernit ea, quæ immediatè afficiunt personas, nempe cibum, non autem, quæ immediatè afficiunt locum. Neque est restringendum ad personas in loco tali existentes, vt odiosum, nam si esset odiosum, quia est contra ius commune, omne priuilegium esset odiosum, cum sit con-

contra ius commune, sed est fauorabile certis personis, & nulli odiosum, & ideo vt fauorabile ampliandum. Hæc probabilia sunt, priorem tamen sententiam probabiliorem censeo. Ex cap. *Quoniam, De priuilegijs*, vbi Abbas *n. 2. notat*, quod priuilegium concessum respectu certi loci non sequitur personam extra illum locum.

An qui è proprio domicilio pergit ad locum, in quo carnes comeduntur, possit ibi eas comedere, etiam si eadem die sit reuersurus ad proprium domicilium. Decis. 63.

SVMMARIVM.

1 *Pergens è proprio domicilio, eodem die reuersurus ad locũ, in quo carnes comeduntur, potest ibi eas comedere.*
2 *Lex loci non obligat extra locum.*
3 *Potest ibi comedere carnes, etiamsi iure communi in proprio domicilio prohibeantur.*
4 *Qui in vigilia S. Bartholomei è Roma it ad locum, vbi pridie fuit celebrata, potest ibi comedere carnes.*
5 *Potest quis secum ferre carnes, vt comedat in loco, in quo non prohibentur, etiam si postea redeat ad domicilium, vbi prohibentur.*

1 RESP. affirmatiuè cum Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 18. num. 22. ver. Verum probabilius* 10. Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 54. num. 28.* Salas *disp. 14. de legib. sect. 5. num. 63.* Diana *par. 1. tract. 9. De ieiunio. Resol. 3.* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 25. num. 2.* Nauar. *cap. 23. Manual nu. 120.* Lessio *lib. 4. de iust. & iur. cap. 2. num. 55.* Baldell. *tom. 1. Theol. moral. lib. 5. disp. 31. num. 8.* & alijs. Quia quandiu est extra proprium domicilium, non tenetur legibus ipsius, sed potest se conformare legibus loci, in quo est, vt tradunt communiter tam
2 Theologi, quam Canonistæ: & desumitur ex Cap. *Vt animarum periculis. De Constit. in 6.* Vbi decernitur, furantem extra territorium Episcopi, non ligari excommunicatione eiusdem Episcopi contra furantes, etiam si fuerit subditus ipsius. *Quia impune non paretur extra territorium ius dicenti.* Hoc est, non obedienti legi non imponitur pena, vt explicat Glossa *ibid.*
3 Quod etiam verum est, licet carnes prohibeantur in proprio domicilio à iure communi, vt notant Sanchez *num. 18. in fine citatę disputationis*, & etiam Io. Sanchez *num. 27. citata item 54. disp. select.* Nauar. *in Manuali Hisp. c. 23. n. 128. & n. 120. in Latino* Henriquez *lib. 9. sum. cap. 25. num. 2.* Coruarru. *lib. 4. variar. cap. 20. num. 8. §. 14.* Rouaful. *in Praxi tract. 6. de praecep. Eccl. lib. 3. cap. 10. num. 202.* Ratio est, quia reperitur in loco, vbi ius commune non obligat; & ideo potest gaudere beneficio loci, quia quamdiu ibi est, non subijcitur in hoc iuri communi.
4 Ex hoc autem deducitur. Quod, si quis Romæ existens in vigilia Sancti Bartholomei, eat ad locum, in quo pridie iuxta ius commune fit celebrata vigilia, poterit ibi carnes comedere, etiam si vespere sit Romam reuersurus, quia iam constituitur in loco, in quo non adest obligatio abstinendi à carnibus. Nec obstat, quod hoc pacto non seruaret ieiunium pro illo anno, quia non tenetur seruare, cum nunquã reperiatur in loco, in quo præceptum talis ieiunij obliget. Et è contra qui habet domicilium extra Romam, potest die 24. Augusti accedens Romam, ibi carnes comedere ob eamdem rationem.
5 Deducitur etiam; Quod si quis discedens è loco, in quo carnes prohibentur, eas secum deferat, vt contingere potest in Venatoribus, & comedat in loco, vbi non prohibentur, nullo pacto facit contra pręceptum, quia quando exercetur talis comestio, præceptum non ligat, cum non liget in illo loco.

An toties peccet, quoties quis comedit carnes, quando prohibentur: Decis. 64.

SVMMARIVM.

1 *Comedens carnes, quando prohibentur, toties peccat, quoties comedit.*
2 *Præceptum non comedendi carnes violatum adhuc obligat pro tempore sequenti.*
3 *Comestio carnis debet esse multiplex moraliter, vt multiplicet peccatum.*

1 DE hoc nulla difficultas est, ideo cum communi omnium sententia resp. toties mortaliter peccari, quoties carnes comeduntur. Et ita tradunt inter alios Durand. *in 4. dist. 15. q. 11.* Palud. *q. 4. ar. 5.* Gabr. *dist. 16. q. 3. ar. 3. dub. 5* Medina C. *de Ieiunio q. 5.* Molanus *in Theol. pract. tr. 3. cap. 11. q. 5.* Couaruu. *lib. 4. Variar. Resol. cap. 20. num. 13.* Caiet. *2. 2. q. 146. ar. 8.* Syluius *qu. 147. ar. 3. quæsito 3.* Angelus *verbo* Ieiunium *q. 22.* Syluester *q. 8. ver. Quartum* Rosella *num. 4* Tabiena *q. 9.* Armilla *num. 14.* Sà *num. 13.* Tolet. *lib. 6. cap. 4. num. 5.* D. Antonin. *2. par. tit. 6. cap. 2. §. 9.* Nauar. *c. 21. Manual num. 16. & 25.* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 5. ver. Ad quintum concessa, &c.* Facundez *lib. 1. de 4. Præcep. Eccl. c. 4. n. 6.* Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 2. punc. 3.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib 4. cap. 7. num. 2.* Salas *disp. 14. de legib. sect. 5. num. 67.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 23. difficul. 6. num. 5.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. litera* S. Vega *tom. 1. sum. cap. 14. Casu 9.* Fernandez *par. 2. Exam. theol. mor. cap. 8. §. 2. num. 10.* Io. à Cruce *par. 1. direct. consciem. Præcep. 3. ar. 4. dub. 8. conclus. 1.* Tanner *2. 2. disp. 4. q. 3. dub. 5. num. 93.* Filliucius *tract. 27. p. 2. cap. 1. num. 13.* Lessius *lib. 4. de Iust. & iure cap. 2. dub. 3. num. 15.* Laiman *lib. 4. theol. mor. tra. 8. c. 1. n. 13.* Reginal. *tom. 1. Praxis Fori pœnit. lib. 4. c. 14. n. 179.* Med. *lib 1. sum. c. 14. §. 10.* Angles *in Florib. q. 9. de ieiunio ar. 2. difficul. 4.* Rodriquez *1. p. sum. c. 23. n. 1.* Diana *par. 1. tract. 9. de Ieiunio Resol. 45.* Basseus *in Florib. theol. mor. verbo* Ieiunium *1. num. 10* Azor *tom. 1. lib. 7. c. 5. q. 2.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q. 1. punc. 3. nu. 7.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 3. num. 4. & 5.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 222.*
2 Ratio desumitur ex natura præcepti, quia cum negatiuum sit, non obligat ad aliquem specialem actũ abstinentiæ, sed ad totalem, & continuam abstinentiam; vnde quando quis mel comedit carnes, vrget adhuc præceptum non comedendi pro tempore sequen-

quenti, & ideo comestio est contra ipsum: & tot sunt actus transgressionis præcepti, quot sunt comestiones inter se moraliter distinctæ.

3 Pro quo notandũ est, quod vt in hac transgressione multiplicentur peccata, debet vna comestio esse moraliter distincta ab alia, ita vt censeatur diuersa comestio. Vnde si quis pluries vesceretur carne in eodem prandio, ita vt prius comederet ferculum carnis, deinde interposito prius alio ferculo nõ prohibito, rursus ederet aliud ferculum carnis, non committeret nisi vn peccatum, quia illæ comestiones non sunt moraliter plures, sed vna tantum, quia continuantur, & vniuntur in vnitate prandij.

An, qui ex voto tenetur ieiunare, toties peccet, quoties carnes comedit. Decis. 65.

SVMMARIVM.

1 *Qui ex voto ieiunat, toties peccat, quoties comedit carnes, secundum aliquos.*
2 *Non toties peccat, quoties comedit carnes, sed tantum vna vice.*
3 *Obligatio abstinendi à carnibus cessat, quando cessat obligatio ieiunandi, si talis obligatio sit ex voto.*
4 *Vouens ieiunare non per se vult abstinere a carnibus, sed in quantum vult ieiunare.*
5 *Abstinentia a carnibus in die ieiunij est ex speciali præcepto, quod obligat cessante præcepto ieiunij.*
6 *Vouens ieiunare, si secunda vice comedat, potest postea sine peccato carnes edere.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam absolutè tradunt Azor. *tom.1.lib.* 11.*cap.* 20.*q* 6. Suarez *tom.2.de Relig lib.* 4. *de Voto cap.* 7.*n.*12. qui oppositum, sed immerito, absurdissimum vocat. Mouentur, quia etiam si teneatur abstinere ratione ieiunij, quod vouit, adhuc abstinentia à carnibus inclusa est in voto ieiunij per modum absolutæ negationis, vnde obligat ad semper pro toto illo tempore, pro quo durat votum ad modum præcepti negatiui. Et eodem pacto res se habet, ac obligatio abstinendi à carnibus in die ieiunij.

2 At solũ peccare prima vice, quando carnes comedit, tradunt Sanchez *tom.* 1. *sum. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 42. *Faustus lib.* 1. *thesauri Relig.* 140. *num.* 2. Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium.*num.* 37. La man *lib.*4. *theol moral. tract.* 4. *cap* 3.*num.* 3. *ver. Qui vouit.* Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de Ieiunio Resol.* 37. *ver Hæc sententia. & Resol.* 45. *ver. Notandum est.* Et sequutus est postea Leander *par* 1.*de Sacram.tract* 5 *disp.*8 *q.*8.*quæst* 13.*&* 3.*par. in præcep Eccles tract* 5.*disp* 2 *quæst.*40 Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract* 2 *de ieiunio num.* 6.

3 Atq; hæc sententia probabilior est, quia non tenetur, qui vouit ieiunare, abstinere à carnibus per se primo, sed tantum ratione ieiunij, quod secum trahit vt necessariam abstinentiam à carnibus; vnde ieiunium se habet, vt principale, abstinentia autem à carnibus, vt quid secundarium, & inclusum in ieiunio vt pars illius. Hinc cessante obligatione ieiunij, cessat etiam obligatio abstinentiæ à carnibus cum se habeat tantum consequutiuè ad ieiunium; vnde sicut ieiunium trahit secum obligationem abstinendi à carnibus, vt partem sui ipsius, ita etiam quando cessat obligatio ieiunij, facit etiam cessare obligationem abstinendi à carnibus.

4 Nec obstat ꝙ abstinentia à carnibus sit inclusa in voto per modum absolutæ negationis, quia non est inclusa in voto ratione sui, vt per se primo intenta, sed ratione alterius, nempe ratione ieiunij; atque adeo in tantum volita, in quantum est volitum ieiunium, & ideo cessante obligatione ieiunij, cessat etiam obligatio talis abstinentiæ.

5 Neque est eadẽ ratio de obligatione abstinendi à carnibus in die ieiunij, quia in die ieiunij habetur duplex præceptum, alterum de abstinendo à carnibus, & alterum de ieiunando. Et ideo qui semel violauit ieiunium, adhuc tenetur abstinere à carnibus in virtute specialis præcepti id prohibentis, quod semper obligat pro toto tempore, vt diximus, non autem in virtute præcepti de ieiunando. Et proinde talis abstinentia est per se primo intenta, & non ratione ieiunij.

6 Ex quibus deducitur, ꝙ si, qui vouit ieiunare, frangat ieiunium comedendo secunda vice, etiam si carnes non comederit, si comedat postea carnes, non peccabit, etiam si prima vice illas comedat, quia cum iam fregerit ieiunium, non vrget amplius obligatio ieiunandi, atque adeo nec etiam abstinendi à carnibus, quia cessat obligatio voti de ieiunio, & consequenter de abstinentia à carnibus, quæ vigebat ratione ieiunij.

An, qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, toties peccet, quoties comedit. Decis. 66.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit certa die non comedere carnes, toties peccat, quoties edit.*
2 *In tali voto abstinentia à carnibus est per se primo intenta, vt quid negatiuum.*
3 *Qui doceant, nisi prima vice peccare.*
4 *Quæ nam sit materia voti abstinendi à carnibus.*
5 *Quando vouens non comedere carnes per totam vitam absoluatur à voto, si semel frangat.*
6 *Quomodo interpretandum votum de abstinentia à carnibus.*
7 *An vouens non bibere vinum per aliquem diem, aut per totam vitam peccet, quoties bibit.*
8 *Votum strictè interpretandum.*
9 *Quæ paruitas materiæ in carne, & vino.*

1 COMMVNITER affirmatiuè respondent Maior *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 6 Supplem. Gabr. *q.* 1. *ar.* 3 Palat. *disp.* 1. *conclus.* 5. Syluester *verbo* Votum 2. *q* 20. Angelus *verbo* Votum 3. *num.* 27. Armilla *num.* 27. Nauar. *cap.* 12. *Manual. num.* 53. Sanchez *tom.* 1 *in Decal. lib.*4.*cap.* 11. *num.* 41. Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 4 *cap* 3.*num.*3. *ver. Longe alia ratio.* Suarez *tom.* 2 *de Relig. lib.* 4. *de Voto cap.* 7. *num.*12. Azor. *par.* 1. *lib.* 11. *cap.*20.*q.* 8. Bartolom. à S. Fausto *lib.*1. *Thesauri Relig. q.* 130. *vlt. edit. Neapol.*

2 Ratio huius sentẽtiæ est, quia abstinẽtia à carnibus est per se primo intenta à vouente, atque adeo aliquid negatiuum, quod diuisibiliter se habet, sicut se habet præceptum negatiuum, vnde semper obligat pro toto tempore, pro quo durat votum, præsertim quia obligat sicut præceptum negatiuum: & ideo

ideo tot sunt peccata, quot sunt comestiones.

3 His tamẽ nõ obstantibus Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. num. 39.* D. Antonin. *2. par. 2. tit. 11. cap. 2. §. 2.* Tabiena *verbo* Votum *3. num. 8.* docent. Votum non comedendi carnes pro aliqua die semel fractum, non amplius obligare, quia est de illa priuatione pro illo die, quæ si semel destruatur per vnicum actum, non amplius potest obseruari. Quod si dicas. Qui per totam vitam voueret abstinere à carnibus, si semel comederet nõ amplius obligaretur. Resp. esse diuersam rationem, quia votum simpliciter obligat pro quocumque tempore, & hora: votum autem pro vnico die, non obligat simpliciter, sed solum ex suppositione, quod in præcedenti hora non fuerit violatum. Sic etiam indulgentia perpetua toties obtinetur, quoties opus iniunctum efficitur; concessa autem pro certa die, semel tantum obtineri potest.

4 Hæc posterior opinio habet aliquã probabilitatem: & probabilior esset, si diceretur quod materia huius voti non est illa priuatio carnis, quasi vouens intendat se ipsã priuare, sed positiuus actus virtutis abstinentiæ exercendus pro tota aliqua determinata die: tunc enim, quod primo, & per se intenditur est actus positiuus virtutis cum tanta duratione; & negatiuum, quod consistit in subtractione carnis ratione tantum positiui intenditur; vnde cessante positiuo, consequenter cessat etiam negatiuum, vt potè intentum ratione positiui: cessat autem per primam comestionem carnis, quia eo ipso quod comeditur, non habet amplius locum abstinentia illa, quæ fuit materia voti, nempe abstinentia ad tantum tempus determinata. Hoc autem debet intelligi, si caro sit notabilis quantitatis, nam in paruitate materiæ non violaret ieiunium, quia non computaretur, vt contraria ipsi. Et ita docent etiam Diana *par. 3. tract. 5. Miscellan. Resol. 61.* Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 13. in fine* Quatenus doceat paruitatem materiæ non violare votum, cui contrariatur. Et deceptus est Leander *par. 3. in præcep. Eccl. tract. 5. disp. 2. quæst. 39.* dum putauit me adduxisse hos Doctores pro sententia, de qua num. 3.

5 Vnde similiter, si quis voueret abstinere perpetuo à carnibus constituendo materiam talis voti inuiolabilem abstinentiam pro toto tempore vitæ, seu abstinentiam cum tanta duratione, quanta est duratio vitæ, procul dubio, si semel violaret votum, solutus remaneret, quia non amplius locum haberet inuiolabilis, seu perpetua abstinentia.

6 Atq; regulariter interpretari potest votum, quod habeat pro materia actum virtutis determinatum cum tanta duratione; non autem negatiuum, seu subtractionem carnis, quia voluntas cum sit determinata ad eligendum bonum, eligit per se primo, quod per se primo bonum est, cuiusmodi est positiuum exercitium virtutis; non autem, quod est bonum tantum ratione alterius, vt est omne negatiuũ, quod cum sit bonum tantum ratione positiui annexi, non eligitur per se primo, sed ratione positiui, & ideo sequitur conditionem positiui, ita vt ab ipso trahatur & quando cessat positiuum cesset etiam negatiuum.

7 Et idem dicendũ est de eo, qui vouit abstinere à vino per aliquem diem. Et ita tenet etiam Diana *par. 3. tract. 5. Miscellan. Resol. 61.* Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 13. in fine*, aut etiam toto tẽpore vitæ, quia eodem modo debet explicari votum, & militat eadem ratio. Oppositum tenent Palud. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 4.* Syluester *verbo* Votum *2. q. 20. dicto. 5.* Angelus *verbo* Votum *3. q. 27.* Azor. *par. 1. lib. 11. cap. 20. qu. 4.* Io. Sanchez. *in Select. De Sacram. disp. 15. num. 3* Nauar. *cap. 12. Manual. num. 33.* Sanchez *lib. 4. sum. cap. 11 num 41.* Laiman. *lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 3.* Palaus *par. 3. tract. 15. disp. 1. punct 12. num. 11*

8 Contra prædicta sentit Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. quæst. 39* Et obijcit. Votum abstinendi à carnibus est negatiuum. Ergo obligat pro semper, nec finitur per vnum actum. Resp. Nego anteced. Quia vt constat ex dictis obligat ad actum virtutis positiuum respicientẽ indiuisibiliter totum diem. Atque hoc pacto debet explicari hoc votum nam votum strictè interpretari debet iuxta communem regulam, quam cum Abbate *in Cap. Ex parte num. 4. De censib.* Azor. *lib. 11. cap. 20. quæst. 3.* tradit Sanchez *lib 4. sum. cap. 11. nu. 3.* Quia cum obliget instar præcepti, strictè sicut etiam præceptum debet interpretari.

9 Quæ autem sit notabilis quantitas, quæ mortaliter violet ieiunium. Resp. Sanchez *lib. 4. sum. cap. 11. num. 4.* Diana *par. 3. tract. 5 resol. 37.* Loquentes de eo, qui vouit abstinere à vino in perpetuum esse illam quantitatem, quæ posset sufficere in vno prandio pro vtentibus vino temperatè. At respectu voti ieiunandi in pane, & aqua esset materia grauis semel bibere; quia violaretur ieiunium. Et idem proportionaliter dicendum esset de voto abstinendi à carnibus. Hæc tamen non omninò placent; tum quia tota illa quantitas, quæ solet sufficere pro vno prandio pro temperatè bibentibus est diuersa, cum ex temperatè bibentibus vnus plus altero bibat; tum quia etiam semel bibere habet diuersam latitudinẽ. Quarè cum votum abstinendi à vino toto tempore vitæ respiciat vsum vini consuetum in prandio, & cęna, habet materiam diuiduam, ita vt votum subtrahat tanquam materiam grauem consuetum potum vini in quolibet prandio, & in quolibet cęna. & sic virtualitèr multiplex respiciens singulas comestiones tanquam totam materiã, & idcò vtens solo vino pro potu in vno prandio, aut cęna peccaret mortaliter sicut qui omitteret partem notabilẽ officij vnius diei. Et ideo quantitas debet esse parua respectu vini consueti adhiberi in quolibet prandio, aut cœna. Similiter respectu ieiunij sine vino paruitas materiæ mensuranda est iuxta paruitatem materiæ, quę solet assignari in cibo. Et eodem modo dicendum est de paruitate materiæ carnis, vt illa sit paruitas materiæ pro ieiunio vnius diei, quæ est respectu diei, in quo carnes prohibentur: & respectu abstinentiæ pro tota vita sit illa quantitas, quæ est parua respectu consuetæ quantitatis pro quolibet prandio, aut cœna.

Quid nomine carnis, quæ in diebus ieiunij prohibetur, intelligatur. Decis. 67.

SVMMARIVM.

1 *Regula, quæ solet tradi ad dignoscendas carnes à piscibus.*
2 *Quæ viuunt extra aquam, non semper sunt caro prohibita.*
3 *Caro secernitur à piscibus iuxta communem æstimationem.*
4 *Quid faciendum, quando dubitatur, an aliquid sit caro.*

5 Lac

5 Lac, & oua non veniunt nomine carnis.
6 Aues Aquatiles veniunt nomine carnis.
7 Camaleo, est caro.
8 Ius carnis prohibetur sicut caro.
9 Cocta cum carne prohibentur prohibita carne.

1 LOQVIMVR de carne, quæ in ieiunis prohibetur, quia vniuersaliter sumpta comprehendit etiam pisces, cum ipsi quoque habeant suam carnem, vnde videndum est, vnde dignoscatur, quod aliquid sit caro prohibita in die ieiunij. Maior *in 4. dist. dist. 15. qu. 3.* Dominicus *in Cap. Denique Dist. 4.* Addit. *ad Abbat. in Rubr. De obseruat: Ieiuniorum. Littera F.* Azor *tom. 1. lib. 7. cap. 10. q. 6. in fine* Facundez *lib. 1. de 4. Præcepto Eccl. cap. 2. num. 9.* Reginal. *lib. 4. Prax. Fori Pœnit. num. 143.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap. 1. num. 9.* volũt; Nomine Piscium intelligi ea, quę nõ diu viuũt extra aquã; nomine autẽ carnis intelligi, quę diu viuũt.

2 Sed hæc regula non valet, quia plura, quæ diu viũnt extra aquam non sunt caro prohibita in die ieiunij, vt sunt testudines, quæ licet in aqua viuant, nascuntur tamen etiam extra aquam, & in terra per plures annos viuunt, præsertim in hortis, vbi seruari solent. Limaces etiam viuunt extra aquam, & tamen non sunt caro prohibita in die ieiunij.

3 Itaque cum Bonacina *disp. vlt. De præcep. Eccles. q. 1. punc. 2. num. 1.* Trullench *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 2.* Tamburin *in tom. 2. de Iure Abbat. disp. 12. q. 9. num. 9 in vlt. edit.* Rouaful. *in Praxi tract. 6. de præcep. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 22.* dicendum est; Discernendum esse piscem à carne, seu carnes prohibitas à non prohibitis ex communi hominum existimatione, secundum quam iam est determinatum, quænam sit caro prohibita, & quæ non est: & ex hac determinatione introducta est consuetudo declarans, quænam prohibeantur, & quæ non prohibeantur, quæ tenenda est.

4 Si autem occurrat aliquod animal, de quo dubitetur, an sit caro prohibita, tunc videndum est, quibus nam magis assimiletur, an ijs, quorum carnes prohibitæ sunt, an vero ijs, quæ in ieiunijs conceduntur, quia si sit ex horum genere, poterit sine scrupulo in ieiunijs adhiberi.

5 Ex dictis colligitur, quãuis oppositũ sentire videatur Narbona *in Annal. vir. anno 7. quæst. 6. num. 5.* Nomine carnis nõ venire oua, & lac, vt sentiũt communiter præsertim Leander *par. 3. in præcep. Eccl. tra. 5. disp. 2. q. 4.* Et cõstat ex pręcepto Ecclesię, quæ feria sexta, & sabbato prohibet carnes, nõ autẽ lac, & oua. Et proindè prohibitis carnibus, nõ prohiberi oua, & lacticinia, vt cõtra Couaruu. *lib. 4. variar. c. 20. nu. 14.* notãt cõmuniter præsertim Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 2. qu. 4.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 202.*

6 Colligitur 2. Aues Aquatiles, quãuis in aquas pascãtur ex piscib⁹ venire nomine carnis, vt notant Facundez *præc. 4 Eccl. lib. 1. c. 2. n. 9.* Leander *p. 3 in præc. Eccl. tr. 5. disp. 2. q. 5.* Dominicus in cap. *Denique Dist. 4. & alij.* Quia pro carnib⁹ in cõmuni æstimatione habẽtur, & sunt eiusdem generis, quamuis non speciei cum cæteris auibus constantibus ex carne.

7 Colligitur 3. cõtra Additionatorem ad Abbatẽ *in Rub. de obseruat. ieiun.* Camaleontem venire nomine carnis, vt notant Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 2. num. 9* Leandro *p. 3. in præc. Eccl. tr. 5. disp. 2. q. 6.* quia est de genere lacertorum terrestrium, qui carnei sunt, & pro carne in communi æstimatione habentur.

8 Colligitur 4. nomine carnis compræhẽdi etiam ius carniũ, nõ quia ius sit caro, neq; etiã in morali ęstimatione; sed quia continet minutissimas particulas carnis resolutas, vndè substantia carnis trãsfunditur in ipsum. Et ita est sensus cõmunis, & supponunt cõmuniter Doctores præsertim Sanchez *lib. 4 sum. c. 11. n. 48.* Bonac. *disp. 4. in 2. præc. Decal. q. 2. punc. 6. num. 2.* Trullench *in Decal. lib. 2. c. 2. dub. 16. n. 17.* Leander *par. 3. in præc. Eccl. tract. 5. disp. 2. quæst. 8.*

9 Colligitur 5. Nomine carnis, quoad ieiunium venire quæcumque coquuntur cũ carnibus, vt notãt Dominicus in cap. *Denique not. 7. dist. 4.* Leander *par. 3 in præc. Eccl. tr. 5. disp. 2. q. 7.* Quia nimirũ imbibuntur particulis minutissimis carnis; & proinde tamquam commista cum substantia carnis sunt cõtra ieiuniũ.

An oua, & lacticinia prohibita sint à iure in ieiunijs extra quadragesimam. Decis. 68.

SVMMARIVM.

1 *Oua, & lacticinia prohibentur à iure in ieiunijs extra quadragesimam secundum aliquos.*
2 *Non prohibentur.*
3 *Cur lex, prohibens oua, & lacticinia in quadragesima, non sit extendenda ad cætera ieiunia.*
4 *Quando prohibito maiori cẽsẽatur prohibitum etiã minus.*
5 *Lex ad quam rationem extendatur.*

1 COVARRVVIAS *lib. 4. Variar. c. 20. n. 15.* Alexander *in Cap. Denique dist. 4. n. 6.* Præposit. *ibid.* Dominicus *in Cap. Rogationes de Consecr. dist. 3.* Graf. *lib. 2. decis. aurear. c. 36. n. 10* Astens *2. par. tit. 28. ar. 3. q. 5.* Tabiena *verbo* Ieiunium *n. 7.* Ricar. *in 4. dist. 15. ar. 3. q. 5.* contendũt esse prohibita à iure etiam in ieiunijs extra quadragesimam, quia licet ex Cap. *Denique dist. 4.* & ex Can. 56. *Synodi Constantinop.* prohibeantur in sola Quadragesima, ratio tamen prohibitionis, quę ibi ponitur, militat in omnibus ieiunijs, vnde censeri debet idem dispositum in omnibus. Ratio autem, quæ ibi ponitur est, quia oua, & lacticinia trahunt originem à carnibus, à quibus ob abstinentiam ieiunij est abstinendum. Sequitur etiam Gomez *in Bullam Cruciatæ Clausula 7. num. 3.*

2 At communis omnium sententia est in oppositum, asserentium nullo pacto prohiberi lacticinia in his ieiunijs. Ita D. Th. *2. 2. q. 147. ar. 8. ad 3.* Durand. *in 4. dist. 15. q. 9. n. 1.* vbi etiam Paludanus *q. 4. n. 33.* Palat. *disp. 8.* Gabr. *dist. 16. q. 3. ar. 3.* Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium *init.* Syluester. *q. 5. dicto 1.* Armilla *n. 1.* Angelus *n. 5.* Rosella *n. 11.* Tabiena *q. 6.* Corduba *q. 168* Hostiens. *in Rubr. De obseruat. ieiun. n. 5.* Nider *præcep. 6. n. 8.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 8.* Viual. *c. 15. de Ieiunio n. 17. & 22.* Llamas *2. par. Methodi c. 5. §. 26.* Pedrazza *præcep. 3. §. 4.* Vasquez *1. 2. disp. 177. c. 6. n. 54.* Ludouicus à Cruce *in Bul. cruciatæ disp. 1. c. 5. dub. 12. num. 7.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 2. n. 3.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *n. 3.* Medina C. *de ieiunio q. 1.* Turrecrem. *c. Non oportet. De consecrat. dist. 1.* Nauar. *c. 21. Manual. n. 15.* Abulens. *q. 171. in c. 6. Matth.* Viguer. *c. 7. Instit. §. 3. ver. primo* Henriquez *lib. 7. sum. c. 3. n. 9.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 23. in fine* Io: à Cruce *par. 1. Direct. conf. præc. 3. ar. 4. dub. 8. concl. 4.* Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 11. 52. & lib. 5. con-*

sil.

fil. Moral cap. 1. *dub.* 20. *num.* 2. Ledesma *tom.* 2. *sum. tra.* 27. *cap.* 2. *conclus.* 3. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 23. *diffic.* 8. *n.* 1. Reginal. *lib.* 4. *Prax Fori panit. c.* 13. *n.* 2. Ortiz. *c.* 19 *sum. pracepto* 2. *n.* 9. Fernandez *p.* 2. *Exam. Theol. moral. c.* 8. §. 3. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio Resol.* 41. Bonacina *disp. vlt. de pracep. Eccles. quast.* 1. *punc.* 2. *nu.* 2. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *c.* 3. *n.* 45. Facundez *lib.* 1. *pracep.* 4. *Eccl. c.* 2. *n.* 10. & *n.* 42. vltimæ edit Lugdunensis, Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 10. *qu.* 2. Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *n.* 20. Didacus de Narbona *in Annal. iur. anno* 60. *q.* 3. *nu.* 4. *in fine* Benedictus Remigius Noydens *tract.* 3. *sum. c.* 4. §. 1. *n.* 4. Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract.* 4. *de ieiun. num.* 1. Rouaful. in Praxi *tract.* 6. *de pracep. Eccles. lib.* 3. *c.* 3. *num.* 30. Leander à Murcia *in cap.* 3. *Regul. S. Francis. qu.* 10. *num.* 7.

3 Ratio est, quia in Iure nullus textus reperitur, qui prohibeat oua, & lacticinia in ieiunijs extra Quadragesimam, nam Cap. *Denique Dist.* 4. manifeste loquitur de solo ieiunio quadragesimali. Nec lex est extendenda ad ea ieiunia, de quibus non loquitur, tum quia falsum est, quod militet eadem ratio, nam ieiunium quadragesimæ est principalius ieiunium, vnde rigorosius seruandum est, & est institutum, vt in Ecclesia reperiatur ieiunium, quod Christus exercuit, cętera autem ieiunia sunt accessoria. Tum quia sumus in odiosis, quæ iuxta regulam iuris debent restringi, non ampliari.

4 Neque obstat quod prohibito maiori censeatur prohibitum etiam minus, quia si hoc valeret, deberet dici quod etiam pisces essent prohibiti, quia sunt quid minus; vnde nec sexta feria prohibentur oua, & lacticinia, cum tamen prohibeantur carnes. Valet ergo solum hæc regula, quando minus continetur in maiori, quia tunc ratio prohibendi se extendit ad vtrumque, secus autem, quando non continetur, & ratio prohibendi fundatur in ipsa maioritate; sic sclopis prohibitis, non prohibentur enses, cum tamen illud sit genus armorum maius. In casu autem nostro oua, & lacticinia non continentur in carne; & ratio prohibendi carnes est specialis ipsarum, quia prohibentur ratione illius specialis nutritionis, quam conferunt.

5 Ex his colligitur quid dicendum de opinione Leandri *par.* 3. *in Eccl. pracep. tract.* 5. *disp.* 3. *quast.* 4. *vers. Respondeo.* dum vult, oua, & lacticinia prohiberi in ieiunijs extra Quadragesimam ex vi rationis à iure allatæ in Cap. *Denique, Dist.* 4. Quia militat etiam in cæteris ieiunijs. Qui tamen subdit non prohiberi sub vi præceptiua, sed ex congruentia. Neq; enim rectè procedit, tum quia seclusa vi præceptiua, & posita sola congruentia, non habetur prohibitio. Tum quia licet lex extendatur ad extensionem rationis, debet tamen ratio esse finalis, qualis non est ratio *c. Denique* cum sit sola congruentia, vt agnoscit idem Leander.

An ratione consuetudinis teneamur in ieiunijs extra Quadragesimam abstinere ab ouis, & lacticinijs. Decis. 69.

SVMMARIVM.

1 *In ieiunijs extra quadragesimam oua, & lacticinia prohibentur secundum aliquos ratione consuetudinis.*
2 *Non prohibentur.*
3 *Quid requiratur, vt consuetudo obliget.*
4 *Consuetudo adprobata a superiori, & inducta cum animo se obligandi, si non sit talis, non obligat.*
5 *Consuetudo non edendi oua, & lacticinia in ieiunijs extra quadragesimam, non est inducta cum animo se obligandi.*
6 *Quando dubitatur, an consuetudo sit inducta cum animo se obligandi, non obligat.*
7 *Consuetudo fundata in ignorantia, & errore non obligat.*
8 *Si prælati puniant non seruantes consuetudinem, quia putent obligare, nō per hoc cōsuetudo acquirit vim obligādi.*
9 *Sensus præsentium an signum sensus, qui introduxerunt consuetudinem.*
10 *Intentio de forma noua ieiunij sufficit ad inducendam obligationem.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam, atque adeo peccare mortaliter si quis ea comedat tradunt Angles *in Floribus q.* 9. *de ieiunio ar.* 1 *difficul.* 2. *ver. Diebus quadragesima* Nauar. *in sum. Hispana cap.* 21. *n.* 13. & in Latina *eodem cap. nu.* 15. loquens de Hispaniæ consuetudine Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14. §. 10. Alcozer *cap.* 24. *sum.* Candelabrum aureum *in Appendice cap.* 15. *num.* 16. Lessius *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. *n.* 8. Bonacina *Disp. vlt. de pracep. Eccl. q.* 1. *punc.* 2. *num.* 2. Quod etiam videtur sentire Laiman *l.* 4. *theol. mor. tract.* 8. *c.* 1. *num.* 3. & Sanchez *citandus* refert Synodum Granatensem. *anni* 1572. *lib.* 3. *tit.* 32. *De obser. ieiunij num.* 6. ita decreuisse, & Bonacina *citat.* ait ita censuisse quamdam congregationem Romæ circa hanc rem habitam. Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disp.* 12. *q.* 9. *nu.* 7. ver. *In illis* qui tamen vult talem consuetudinem non esse vniuersalem. Fundamentum autem huius sententiæ est, quia consuetudo legitimè introducta, & præscripta habet vim obligandi.

2 Quod autem nulla adsit obligatio ratione cōsuetudinis abstinendi ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra Quadragesimam docent Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 13. *nu.* 9. Vazquez 1. *tom.* 2. *disp.* 177. *c.* 6. *n.* 15. Sanchez *lib.* 4. *in Decal. c.* 11. *num.* 25. & *lib.* 5. *Consil. Moral. c.* 1. *dub.* 21. *num.* 2. vbi refert Concilium prouinciale Toletanum *anno* 1583. & Synodum Granatensem *anni* 1568. hoc declarasse Rodriquez *tom.* 1. *sum. c.* 23. *concl.* 3. *n.* 11. Villalobos *p.* 1. *sum. tract.* 23. *Difficul.* 2. *n.* 7. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 49. Portel. *in dub. Regul. verbo* Ieiunium *in Addit. n.* 9. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 41. Sanctius *in Select. de Sacram. disp.* 52. *n.* 19. ver. *Cum igitur* Bossius *sect.* 4. *de Iubileo Casu* 18. *n.* 23. Vega *p.* 1. *sum. c.* 14 *in Hisp.* & *c.* 74. *in Itala casu* 17. Murcia *in Regul. S. Francisci q.* 9. *in c.* 3. *n.* 3. Narbona *in Annalib. iur. anno* 60. *q.* 3. *n.* 5. Martin à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract.* 4. *de ieiunio num.* 1. quando non est clarum, quod consuetudo non sit inducta cum animo se obligandi. Trullench. *l.* 3. *in Decal c.* 2. *dub.* 3. *num.* 4.

3 Et pro hac sententia facit, quia vt consuetudo obliget ad mortale non sufficit, quod etiam ab immemorabili tempore introducta sit, vt communiter docent, & notant, præallegati Doctores: vnde plures immemorabiles consuetudines non obligant, vt recitandi salutationem Angelicam, sumendi cinerem in feria quarta Cinerum, & alię huiusmodi, sed debet esse introducta cum animo se obligandi ad mortale, & quatenus introducta cum tali animo adprobata à Superioribus.

4 Imo

4 Imo si adprobetur à superioribus tanquā inducta ex animo se obligandi, & re vera non sit inducta cum tali animo, neque adhuc obligat, quia adprobatio procedit ex falsa suppositione, & ideo nec ipsa potest subsistere, cum non subsistat fundamentum, ex quo procedit.

5 In casu autem nostro non constat, an consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in ieiunijs extra quadragesimam, sit introducta cum animo se obligandi. Imo adest præsumptio in contrarium, tum quia est introducta solum in ijs regionibus, in quibus abundant pisces, & proinde potius censenda est introducta ob commoditatem piscium, quibus plures libentius vescuntur, quam ouis, & lacticinijs, & etiam in pluribus locis minus pecuniæ impenditur: tum quia cum non sit necessaria pro seruando ieiunio, debet censeri introducta ob maiorem deuotionem, tum quia non habet conditiones legis, quæ requiruntur, vt consuetudo obtineat vim legis, cum sit lex non scripta, vnde debet participare substantialia legis: vna autem ex conditionibus est, quod sit necessaria ad bonum communitatis Capit. *Erit autem Dist.* 4. vbi Glossa *verbo Necessaria*, & Cap. *Regulæ Dist.* 29. Hæc autem consuetudo non est necessaria pro bono communitatis, quia ieiunia optimè seruantur sine tali abstinentia, & ex eo constat, quia, si esset necessaria, Ecclesia ipsam præscripsisset sicut præscripsit ieiunia, tum quia tunc consuetudo habet locum, vbi lex deficit Cap. *Consuetudo, Dist.* 1. In casu autem nostro, cum adsit lex præscribens ieiunia, & modum ieiunandi vniuersalem, qui habetur ex traditione vniuersalis Ecclesiæ, omnis specialis consuetudo locorum superueniens, & faciens ieiunium magis rigidum, non poterit habere rationem legis, sed censenda erit introducta ob deuotionem. Vnde cum non constet, quod fuerit introducta cum animo se obligandi, nec etiam constat de obligatione; & ideo nemo tenetur talem obligationem acceptare, quia non tenetur se subijcere alicui oneri, de quo non constat, an sibi sit impositum. Imo sicut lex non obligat, nisi sit sufficiēter promulgata, & notificata, cur obligabit consuetudo, de qua non constat, an habeat vim obligandi? Atq; cum simus in odiosis, restrigēda est cōsuetudo, vt nō obliget, & nō ampliãda, vt habeat vim obligandi, cum de ipsa nō cōstet.

6 Præterea adminus dubium erit, quod talis cōsuetudo sit introducta cum animo se obligandi, quia ijs sublatis, ex quibus colligitur præsumptiuè non esse introductam cum animo se obligandi, non restat aliquid, quod faciat assentiri, quod cum tali animo introducta fuerit, nam quod aliqui modo existiment fuisse introductum cum tali animo, atque ita procedant, ac si verè tali pacto fuisset introducta, est specialis opinio ipsorum, quæ non notificat aliquid de eorum animo, qui eam introduxerūt: vnde relinquit ipsum ignotum, & proinde relinquit nos quoque dubios. In dubijs autem melior est condicio possidentis, vt notant etiā Doctores *n.* 2. allati præsertim Sāchez, Villalobos, Diana, & Bossius: vnde cum vnusquisque possideat suam libertatem potest eam retinere, & vti iure suo, nec tenetur eam subdere obligationi incertæ.

7 Neque obstat, quod plures, imo etiam communiter putent, se obligari ad abstinentiam ab ouis, & lacticinijs, quia hoc prouenit ex ignorantia, ex eo, quod putēt, adesse præceptum, vel saltē consuetudinem obtinuisse ab initio vim legis; consuetudo autē, quæ fundatur in ignorantia, & errore, non potest acquirere vim legis, vt tradunt communiter Glos. *in Cap. fin. verbo legitimè vers. Item quod ex certa. De consuet. vbi Abbas num.* 12. Syluester *vero Consuetudo. qu.*4. Tabiena *not.* 7. *num.* 8. Medius *par.* 2. *De leg. q.* 14. *num.* 5. Henriquez *lib.* 4. *sum. cap.* 13. *littera N.* Salas *disp.* 19. *de leg. sect.* 6 Io: Sanctius *in Select. de Sacram. disp.* 54. *num* 33. *vbi alios* citat. Rota *in Treuirensi Abbatiæ S. Maximini* 24. *Ianuar.* 1625. *coram Couino*, & desumitur ex Cap. *Consuetudo dist.* 8. & ex *l. Quod non ratione ff. De legib.* & *l. Si per errorem ff. de iurisd. omnium iud.* Ratio est, quia error facit quod tali pacto operans non habeat intentionem se obligandi, sed potius ita operetur, quia putat se esse obligatum: vnde cum consuetudo non acquirat vim legis, nisi interueniat animus se obligandi, neque hic interueniat, non potest consuetudo acquirere vim legis.

8 Atque ob eandem rationem, quamuis Prælati repræhenderent, & etiam punirēt comedentes oua, & lacticinia in his ieiunijs, non per hoc censendum esset, cōsuetudinem habere vim legis, quia nimirum Prælati id facerent ex eo, quod putarent consuetudinem obligare sequentes oppositam sententiam, secundum quam possint iudicare; per hoc autem, quod putent consuetudinem obligare, non dant vim obligandi consuetudini, sed relinquunt in suo statu.

9 Ex quibus Leander reijcitur *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 6. *q.* 5. *ver. Respondeo secundo.* cum suo fundamēto, scilicet, quod ex eo, quod præsētes faciūt & intēdunt facere, colligitur, quid intenderint præteriti, qui inchoauerūt consuetudinem; præsentes autem intēdunt abstinere à laticinis ex obligatione. Nā falsa est maior argumenti, cum sensus præsentium potuerit oriri ex errore, vt dictum est *num.* 7. falsa etiam minor, quia præsentes abstinent eo modo, quo est abstinendum; maior autem pars Doctorum, cui vulgus suum sensum accommodat *sentit*, quod non sit abstinendum ex obligatione.

10 Votum non ita facile asserendum est, quod nō obliget, quia cū vigeat in ijs regionibus in quibus pisces abundāt, potuit introduci, vt in animo se obligādi, ita vt introducentes voluerint à cibis ieiunij excludere oua, sicut excluduntur in quadragesima, & dare eādē formam ieiunio, tāq; futuro satis cōmodo ex abundantia pisciū. Si autem adfuit talis intentio, est sufficiens pro obligatione, quia cū sit intentio, de forma ieiunij, facit quod obligatio ieiunij præexistens, se extēdat ad formā. Et tunc seruiunt allata pro secunda sentētia, quia nō esset necessarius animus se obligandi, sed sufficeret animus de tali forma ieiunandi, quia tanq; necessaria ieiunio sequeretur naturā ipsius rei principalis. Quod autē interuenerit animus introducēdi talem formā, videtur declarari ex ipso facto, quod est potentius, quam verba *l. Certum. ff. si certum petat. Et cap. dilecti, De appellat.*

An Regulares teneantur abstinere ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra quadragesimam ratione consuetudinis. Decis. 70.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non tenentur ratione consuetudinis abstinere ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra Quadragesimam.*

3 *Consuetudines sæcularium, etiam clericorum, non obligant Regulares.*

3 *Consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra quadragesimam, non est vniuersalis.*
4 *Regulares tenentur seruare festa, & interdicta indicta ab Episcopis.*

1 QVÆRITVR; an ratione consuetudinis præcisè adsit hæc obligatio apud Regulares; fieri enim potest, quod aliunde adsit nempe ratione propriarum Constitutionum. Resp. ergo, Consuetudinem, etiam si obligaret sæculares ad abstinentiam ab ouis, & lacticinijs in ieiunijs extra quadragesimam, non obligare tamen Regulares. Ita docet specialiter Sanchez *lib. 5. Consil. Moral. cap. 1. dub. 21. num. 2.* qui ait, hoc esse magis certum de Regularibus, quam de sæcularibus, & addit P. Generalem *suæ Societatis* Euerardum *anno* 1579. id declarasse quo ad ipsam societatem habita consultatione diuersorum Patrum. Sequitur etiam Bossius *sect. 4. de Iubileo Casu 18. num. 32.* Bordonus *in Consil. Regul. Resolut. 18. num. 11.* vbi ait, apud suos Tertij ordinis Sancti Francisci inualuisse, vt in regionibus, vbi lacticinia sunt in vsu, ab ipsis quoque in ieiunijs adhibeantur. Leander *par. 3. in Eccles. precep. tract. 5. disp. 3. quæst. 7.* Martin à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 4. de ieiun. num. 3.*

2 Ratio decisionis est, quia Religiosi non obligantur consuetudinibus sæcularium, etiam Clericorum, vt tradunt Syluester *verbo* Ieiunium *quæstion. 2.* Angles *in Florib. quæst. 4. de præcepto ieiunij difficul. 2. ver. Hinc consuetudo* Medina C. *De ieiunio q. quando est necess. ieiun.* Azor. *1. par. lib. 7. cap. 19. quæst. 2.* Ledesma *3. par. 4. quæst 7. art. 3. ver. Tertio dico, quod aduena.* Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 20. num. 8. in fine.* Bonacina *disp. vlt. de præceptis Eccles. quæst. 1. punc. 6. num. 5.* & notant Sãchez, & Bossius *supracit.* Ratio autem est, quia Regulares, & sæculares etiam Clerici sunt diuersi ordinis, atque status; nec communicant in legibus specialibus, & proinde nec etiam in consuetudinibus, præsertim cum Regulares habeant propria onera, vnde si subijcerentur etiam oneribus sæcularium, nimis grauarentur. Accedit etiam quod sunt exempti, & immediatè subiecti Summo Pontifici: consuetudo autem, quæ habet vim legis, non obligat nisi subiectos.

3 Cum igitur consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticinijs non sit vniuersalis totius Ecclesiæ, cum in pluribus locis non adsit, reducitur ad consuetudinem particularem regionis, & ideo, etiam si haberet vim legis, non obligaret Regulares.

4 Nec obstat Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regular.* præcipiens, Interdicta, & Festa indicta ab Episcopis seruanda esse, etiam à Regularibus, quia cum loquatur tantum de Festis, & Interdictis, non est extendendum ad alia, præsertim cum simus in odiosis, & onerosis, quæ restringenda sunt, non amplianda. Imo cum loquatur specialiter de Festis, & Interdictis, determinatio se habet taxatiuè, & ideo coarctatur solum ad ea, quæ sunt expressa.

An, & quomodo prohibeantur oua, & lacticinia in ieiunijs quadragesimæ.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua Facundez.*
2 *Responsio Pontificis circa esum lacticiniorum in quadragesima.*
3 *Lex non inducit obligationem sub mortali, nisi contineat verba præceptiua, & clara.*
4 *Quomodo in triduo Rogationum erat ieiunandum.*
5 *Obligatio sub mortali non est inducenda, nisi de ipsa clare constet.*
6 *Oua, & lacticinia prohibentur sub mortali in Quadragesima.*
7 *Quomodo præceptum desumatur ex* Cap. Denique dist. 4. *& in sequenti.*
9 *Communis sensus interpretatur legem.*
10 *Praxis Ecclesiæ declarat obligationem præcepti.*
11 *Materia censetur prohibita secundum suam exigentiam.*
12 *Canones Trullani quales:*
Quomodo ex ipsis colligatur præceptum abstinendi ab ouis &c. in Quadragesima.
13 *Verbum* Par est *declarat præceptum.*
14 *Abstinentia à sementinis in quadragesima introducenda apud Angles ex respons. Gregorij Papæ.*
15 *Quando præceptum non ponitur de nouo, non sunt necessaria verba præceptiua.*
16 *Sensus* Cap. Rogationes. De consecrat. Dist. 3.

1 NON prohiberi saltem sub mortali tenet Facundez *Præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 15. & sequentibus* editionis Lugdunensis 1632. asserens ita respondisse Doctores Academiæ Conimbricensis, & Eboracensis, & alios Doctores Cathedraticos ab ipso consultos, quia, inquit, non colligitur hoc præceptum ex iure Canonico, nam in cap. *Denique Dist. 4.* vnde solet desumi hoc præceptum non habentur verba præceptiua; nam Pontifex ait. *Par autem est*: in hoc autem verbo non continetur præceptum, sed tantum ostensio quædam congruentiæ, quę non inducit obligationem, vt not. Glos. *ibid.* verbo. *Par*, Gratian. *ad finem textus.* Dominicus *ad finem cap. nu. 5.* Nec dici potest, quod particula *Par est* significet similitudinem, ita vt sicut ex præcepto abstinemus à carnibus, ita etiam abstineamus ab ouis, & lacticinijs, quia particula *Par* nõ potest habere hunc sẽsũ, & sicut in illis verbis *Deniq; qui a carne abstinet, nequaquam sumptuosiora marinarum beluarum conuiuia præparet* nullũ agnoscitur pręceptum, cum tamen maiorem speciem præcepti præseferant, neq; erit agnoscendum in illa particula *Par est*, cũ planũ habeat sensũ solius inconuenientiæ.

2 Quod prætereà confirmatur. Quia Pontifex in illo cap. *Denique* respondet pluribus quæstionibus sibi propositis ab Augustino Anglorum Episcopo, & omnes resoluit per verba clara, & absolute, aut affirmatiua, aut negatiua. Quando autem respondet quæstioni, an in quadragesima abstinendum sit à sementinis, mutat modum respondendi, & non dicit absolute esse abstinendum, sed *Par est* vt abstineamus vt indicaret, se hoc non præcipere, sed tantum proponere, vt quid conueniens.

3 Rur-

3 Rursus vt lex inducat obligationem sub mortali, debet continere verba clara præceptiua, vt habetur ex Cap. *Erit autem* Dist. 4. ibi. *Manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem contineat*; & tradit Glos. *ibid.* inquiens *Ne alicui laqueus paretur per ipsam*. Panorm. *in cap. Ex parte num. 12. De obseruat. ieiunior.* Præposit. *in cap. Denique dist. 4.* Medina C. *de ieiunio cap. de necessit. ieiunij vers. vt igitur*, in casu autem nostro lex non continet verba clare significantia preceptum, sed potius contraria præcepto, si quidem abstinentia à sementinis reducitur ad quandam conuenientiam.

4 Similiter ex Cap. *Rogationes De Consecrat. Dist. 5.* vbi in fine dicitur, quod in triduo rogationum ieiunandum est, & cibis quadragesimalibus vtendum; ex quo infertur, quod ij sint cibi quadragesimales, quibus vti licebat in illis ieiunijs, quando seruabantur, & ideò etiam licitè tempore quadragesime. Tunc autem in illis ieiunijs licitè adhibebantur oua, & lacticinia, quæ secundum communissimam opinionem non sunt de iure prohibita extra quadragesimam.

6 Denique non sunt multiplicandæ obligationes sub mortali ex sacris Canonib. nisi de ipsis clarè cōstet, nec sunt extendendæ, quando lex non extendit, quia obstant communes regulæ Iuris, Odia sunt restringenda, & pœnæ coercendæ, ex c. Benignior in pœnis est interpretatio facienda. De *Regul. iuris in 6.* & ideò non debet ex sacris Canonibus induci sub mortali abstinentia à sementinis in quadragesima, cum tale præceptum clarè non habeatur, nec possit deduci, nisi vis inferatur textui. Nec preceptum abstinendi à carnibus debet extendi ad sementina, cū hæc sint diuersæ substantiæ, nec ex prohibitione carnium sequatur prohibitio ipsorum, vt constat in ieiunijs extra quadragesimam, & in feria sexta atque sabbato.

6 At hæc opinio omnino reijcienda est, vt fuit etiā reiecta à S. Congregatione S. Officij, & proinde oua, & lacticinia prohiberi sub mortali est omnium sententia, quam tradunt Innocentius *in Rubrica De obseruat. Ieiunior. num. 5.* Hostiens. *ibid.* Paludanus *in 4. dist. 15. quæst. 4. ar 4.* Durand. *q. 9. num. 7.* Abulens. *in Confession. §. Regula* Medina. C. *de Ieiunio q. 1.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8* Gabr. *dist. 16. q. 3. ar. 3. dub. 1. §. de secundo* Azor. *parte 1. lib. 7. cap. 10. q. 1.* Henriq. *lib. 7 cap. 13. num. 8* Lopez. *2. parte Instruct. cap. 212.* Pedrazza *precep. 2. § 14.* Alcozer. *cap. 24.* Corduba *q. 60. & 368.* Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 10.* Sà *verbo* Ieiunium *num. 8.* Nider. *precep. 6. cap. 6. num. 8.* Tolet. *lib. 6. cap. 3. n. 2. & 4.* Rodriq. *tom. 1. sum. cap. 23.* & *in Bullam Cruciata §. 6. n. 2.* Beia *par. 1. casu 45.* Nauar. *c. 21. Manual. n. 22.* Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 2. nu. 8.* Viuald. *cap. 15. de ieiunio n. 17. & 22.* Llamas *2. par. Meth. cap. 5. §. 26.* Sanch. *lib. 4. in Decal. cap. 11. num. 53* & *lib. 5. consil. moral. cap. 1. dub. 19.* Villalob. *parte 1. sum. tract. 23. difficul. 8. num. 2.* Ludouicus à Cruce *in Bul. Cruciata disp. 1. cap. 5. dub. 13. n. 4.* Diana *parte 3. tract. 6. Resol. 8.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. n. 3. & 5.* Tambur. *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 9 n. 5. in vlt. edit.* Ghetius *in Thesauro verbo* Ieiunium *cap. 1. n. 15.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *n. 3.* Ioannes à Cruce *parte 1. Direct. conscient. precep. 3. ar. 4 conclus. 4.* Ioan. Sanch. *in Select. de Sacram. disp. 51. num. 18.* Bonacina *disp. vlt. de preceptis Eccles. q. 1. punct. 2. n. 2.* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. n. 33. & seq.* Caiet. *secunda secundæ. q. 147. ar. 3. & in sum. verbo* Ieiunium *init.* Siluester *ibid. num. 15.* Reccaful. *in Praxi tract. 6. de precep. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 29.* & alij præsertim ex antiquioribus cum D. Th. *secunda secundæ q. 147. ar. 8. in corpore, & ad tertium.*

7 Atque quod oua, & lacticinia prohibeantur in Ecclesia sub mortali, est communis sensus tam Doctorum, quam fidelium omnium, præcipuè Pastorū, & omnes tale præceptum cognoscunt in dicto Cap. *Denique dist. 4.* quia licet ibi de nouo non imponatur præceptū, declaratur tamen adesse: quæsierat enim Augustinus Anglorum Episcopus à Gregorio Papa, an sicut ex præcepto abstinendum est à carnibus in diebus quadragesimæ, ita etiam abstinendum sit ab ouis, & lacticinijs; & Pontifex respondet *Par esse abstinere*, hoc est æquum, & conueniens esse, quod etiā ex præcepto abstineamus ab ouis, & lacticinijs; Vnde Pontifex ex motiuo equitatis, & conuenientiæ declarat, quod præceptum nō comedendi carnes extendatur etiam ad prohibenda sementina, & ideò non opus fuit, quod vteretur verbis præceptiuis, quia non constituit nouum præceptum, sed declarauit præceptum iam existens. Et hoc præceptum renouatum fuit in Concil. *generali Quintilburgensi anno 1085* sub Gregorio VII vt habetur *tom. 3. Concil. par. 2.*

8 Quod etiam ex eo confirmatur, quia dictus Augustinus Anglorum Episcopus non inquirebat à Pontifice, quidnam Populi facere deberent ex deuotione, sed ad quid ipse tenebatur eos cogere; & proinde ad quid obligabantur ipsi; & Pontifex respondet distinctè ad ipsius interrogationes dicens, quid posset permittere, & quid non posset, vnde cum respondeat, conueniens esse abstinere à sementinis in diebus quadragesimæ, idem est, ac si responderet, quod abstinendum sit ab ipsis, & proinde ipsum Augustinum Episcopum debere cogere populos ad hoc seruandum.

9 Insuper negari non potest, quod non adsit lex circa talem abstinentiam, siquidem tota communitas fidelium, secluso speciali priuilegio, aut consuetudine legitime præscripta se regulat secundum hanc normam Ecclesiæ præscribentem abstinentiam ab ouis, & lacticinijs, & solum videtur posse reuocari in dubium, an hæc communis norma, secundum quā regulantur fideles, habeat vim obligandi sub mortali; in tali autem casu attendendus est communis sensus, quomodo legem interpretetur vt docet Caiet. *secunda secundæ q. 186. dub. penult.* D. Antonin. *2. par. tit. 4. cap. 2 §. 3.* Salas *disp. 19. de legibus sect. 9. n. 4. vers. Quarta regula*; Malder. *1. 2. q. 96. ar. 4. dub. 3. ver. prima regula.* & alij communiter, & desumitur ex Cap. *Dilectus*. De *Consuetud.* & Clement. *Exiui. §. Item quia.* De verbor. significat. & l. *Minime*, & l. *Interpretatione. ff.* De legib. Cum enim consuetudo optime interpretetur legem interpretatur etiā qualitatem obligationis ipsius, & proinde est accipienda obligatio secundum mensuram, quam illi tribuit consuetudo, & communis sensus. In casu autem nostro communis sensus, & consuetudo declarat, nedum adesse præceptum, sed etiam obligare sub mortali.

10 Quod etiam colligitur ex praxi Ecclesię. nam Prelati puniunt, qui sine legitima causa comedunt in quadragesima oua, & lacticinia tanquam trasgressores præcepti, quod etiam præstat Sancta Romana Inquisitio. Hæc autem praxis declarat obligationem præcepti. Nec dici potest cum Leandro, quod id fiat, quia sequuntur opinionem oppositam, quia cum, antequam ipse scriberet, non adesset opinio, quod essent licita lacticinia, non potest dici, quod sequatur opinio-

opinionem oppositam, sed quod sequantur communem sensum, & interpretationem consuetudinis. Imo cum Romanæ Inquisitioni præsideat Sum. Pontif. habet talis praxis vim cuiusdam authenticæ declarationis, quod adsit præceptum obligans sub mortali.

11 Et hoc ipsum conuincitur ex parte materiæ, nã edere oua, & lacticinia in quadragesima est materia grauis, & proinde, quantum est de se, capax prohibitionis sub mortali, ergo censenda est prohibita sub mortali, quia cum præsumendum sit, legem prudenter procedere, præsumi etiam debet, quod grauiter prohibeat sub mortali, quando materia, quę prohibetur est grauis. Nec dici potest cum Facundez, quod nullum adsit præceptum prohibitiuum, nam adest, vt ex dictis constat. Tum quia abstinentia ab ouis, & lacticinijs est pars abstinentię quadragesimalis respiciens eundem finem, quem habet abstinétia à carnibus; & ideo vt pertinens ad integritatem talis abstinentiæ sequitur tanquam accessoria, abstinentiam à carnibus, tanquam suum principale, & proinde continetur sub eodem præcepto.

12 Et quamuis Canones *Trullani* fuerint semper reiecti ab vniuersali Ecclesia, tum quia non fuerunt Canones illius synodi, quæ nullos Canones sanciuit, sed aliquorum Episcoporum Orientalium, qui post dissolutam synodum Constatinopoli conuenerunt sine auctoritate Pontificis in palatio Imperatoris Iustiniani II. quod *Trullanum* dicebatur, à quo & Canones *Trullani* dicti sunt, & illos euulgauerunt sub nomine *sextæ Synodi*. Tum quia continent aliquos errores cum præsertim in ipsis decisum fuerit, Ecclesiã Constantinopolitanam esse supra Romanam. Tum quia nunquam recepti fuerunt à tribus Patriarchis Ecclesiæ Orientalis; quæ omnia videri possunt apud Baron *tom. 8. Annal. anno* 692. Bellarm. *lib. 2. de Romano Pontifice cap. 18. § argumentum secundum* & *lib. 1. de Concil. cap. 7.* Turrianum *integro lib. de his Canonicus.* Syman. *de Catholicis Instit. tit. 40. n.* 38. Azor. *par. 2. lib. 1. cap. 16.* Adhuc tamen ex *Canone* 56. ipsorum desumi potest efficax argumentum, quod tunc temporis in vniuersali Ecclesia prohibita fuerint in quadragesima oua, & lacticinia sub mortali. Nam illi Episcopi in dicto *Canone* 56. præcipiunt Armenis vt in ieiunijs quadragesimæ seruent ordinem Ecclesiæ, quæ est in vniuerso terrarum Orbe, & proinde abstineant ab ouis, & caseo; & Clericis trangressoribus imponunt pœnam depositionis, laicis vero pœnam excommunicationis; hoc autem non præcepissent sub tam graui pœna, nisi apud cœteras nationes fuissent prohibita, oua & lacticinia sub mortali; cum excommunicatio non imponatur, nisi ob peccatum mortale cap. 1. & cap *Romana* & cap *Dilecto* De *sententia excommunicationis in 6.* cum pœna debeat esse proportionata culpæ, vt ait D. August. *de Correp. & grat. cap.* 11.

13 Ex his autem corruunt argumenta, quæ pro se affert Facundez, nam cum in primo ait, quod ex iure Canonico non colligitur huiusmodi præceptum, satis constat ex dictis, quomodo colligatur ex Cap. *Denique Dist.* 4. Sumendo verba illa *par est* etiam in illo sensu, in quo ab ipso sumuntur, quatenus ex conuenientia abstinendi ab ouis, & lacticinijs mouetur Pontifex ad declarandum, quod præceptum abstinentiæ quadragesimalis etiam ad ipsa extendatur. Vel etiam dici potest, quod si particula *par est* importet æquitatem, & honestatem, sensus sit, quod æquũ, & honestum sit, eos, qui seruant præceptum abstinẽdi à carnibus in quadragesima, seruare etiam præceptũ abstinendi ab ouis, & lacticinijs, sicuti seruabant cœteri fideles, & proinde debere ipsum Augustinũ Episcopum suos subditos ad hoc compellere, quare quocunque modo sumatur textus, declarat adesse præceptum, & proinde non debuit Pontifex adhibere verba præceptiua, quia tunc solum sunt necessaria, quando de nouo præceptum imponitur, non autem quando aut iam existens declaratur, aut quando executio ipsius procuranda ostenditur.

14 Ad secundum, Pontificem loquentem de abstinentia à sementinis sufficienti claritate explicare intentionem suam; & clare satisfacere interrogationi sibi factæ. Nam interrogationi, an esset introducenda abstinentia à sementinis in diebus quadragesimæ apud Anglos. Respondet. affirmatiuè, dicens, æquum esse, quod illi populi talem abstinentiam amplectantur, & quod à suo Pastore introducatur non secus, ac erat apud cœteras nationes, quia par est, vt qui præceptum quadragesimalis abstinentiæ seruat, integrè seruet, atque adeo abstineat etiam ab ouis, & lacticinijs.

15 Ad tertium respondetur, quod lex, vt inducat obligationem sub mortali, debet continere verba clarè præceptiua, quando de nouo ponitur, quia tunc debet constare sufficienter; in quo sensu procedunt *citati* Doctores ab ipso Facundez; at quando non inducitur præceptum de nouo, sed significatur adesse, aut executioni esse mandandum, non sunt necessaria verba præceptiua, sed sufficiunt verba, quæ declarent præceptum, aut eius executionem; In illo autem cap. *Denique Dist.* 4. non imponitur de nouo præceptum, quia iam aderat ab antiquo, vt desumitur ex c. 56. Trullano, sed solum declaratur executioni mandandum etiam ab Anglis.

16 Ad quartum ex citato cap. *Rogationes* De *Consecrat. Dist.* 3. nihil colligi quod iuuet opinionem Facundez, nam ibi sermo est de ieiunio in diebus Rogationum, quod non præcipitur, sed suadetur, vt ibi not. Glos. *verbo Ieiunium*; Vnde etiam suadetur, quod fiat cum cibis quadragesimalibus, atque adeo cum abstinentia ab ouis, & lacticinijs, nam si suaderetur ieiunium simpliciter, sicuti seruabatur extra quadragesimam, non opus fuisset addere, *Et quadragesimalibus cibis vtantur*; sed satis fuisset dicere, quod ieiuniũ seruarent; imo cum addatur, quod vtantur cibis quadragesimalibus, colligitur, quod suadebatur strictius ieiunium, quam soleret seruari extra quadragesimã, & proinde cibos quadragesimales non solum excludere carnes, sed etiam oua, & lacticinia.

17 Ad vltimum respondetur non induci obligationem sub mortali quò ad abstinentiam ab ouis, & lacticinijs absque eo, quod de ipsa constet. Nam satis constat ex dicto Cap. *Denique Dist.* 4. quod adsit tale præceptum, licet ibi de nouo non imponatur, & etiã ex consuetudine, & praxi Ecclesię interpretantibus legem, vt iam declaratum est. Hic autem est aduertendum, quosdam Doctores me pro opposita opinione citare, quia statim hoc opere edito prima vice effluxerunt è manibus quædam parua exemplaria, in quibus, quia videbar aliquid deferre opinionis contrariæ, putarunt me in illã inclinare; vnde ad tollendã hanc suspicionem apertius meã opinionẽ declaraui, & hanc Decisionem reccidere feci pro cęteris exemplaribus.

An

An in diebus Dominicis Quadragesimæ prohibeantur oua, & lacticinia.
Decis. 72.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua.*
2 *Dominicæ intra quadragesimã nõ sunt dies quadragesimæ.*
3 *Præceptum abstinendi ab ouis &c. in Cap.* Denique Dist.4. *an coarctetur ad solos dies ieiunij, & n. 9.*
4 *Consuetudo in dubio, an introducta cum animo se obligandi, non obligat.*
5 *In Dominicis quadragesimæ abstinendum ab ouis.*
6 *Præceptũ quomodo habeatur ex Cap.* Denique Dist. 4.
7 *Anglis olim permissa lacticinia, & carnes in Dominicis quadragesimæ.*
8 Dominicæ *quadragesimæ quomodo non sint dies abstinentiæ.*
9 *An in consuetudine fundari possit obligatio abstinendi à lacticinijs in* Dominicis *quadragesimæ.*
10 *Consuetudo edendi oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ.*
11 *Ratificatio ex falsa opinione non sortitur effectum.*
12 *Consuetudo localis edendi oua &c. in Dominicis Quadragesimæ.*
13 *Consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticinijs in Quadragesima, est obligatoria.*
14 *Etiam quoad Regulares.*
15 *Regulares an possint edere oua, & lacticinia ex priuilegio, quando prohibentur.*

1 NON prohiberi docet Gomez *in Bullam Cruciatæ clausula 7. n. 7.* Llamas *3. par. methodi cap 5. §. 26. in fine* Machadus *de perfecto confessar. lib. 2. par. 7. tract. 3. docum. 4. n. 4.* qui ait esse opinionem magis communem, in quo tamen fallitur. Facundez *Præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 2.* vbi hoc ipsum tenet etiam de omnibus alijs diebus quadragesimæ *in vltima editione Lugdunensi anni 1632.* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 3. quæst. 8.* Escobar. *tract. 1. theol. moral. Exami 17. cap. 3.* Ita Henriquez in *quæst. practicis sect. 16. quæst. 8.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 4. de ieiun. n. 4.* Benedictus Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 1. n. 4* Andreas Mendus *in tres Bullas. in append. disp. 2. cap. 12. num. 57.* Quorum tamen plures id tenent ratione consuetudinis: & proinde oppositum docerent seclusa consuedine. Et Corduba in summa *quæst. 168. ait*, hanc esse opinionem Recentiorum, & non esse omnino improbabilem docet Trullench *lib. 1. in Bullam Cruciatæ § 4. dub. 7. n. 1.* Et *in Decalog. lib. 2. c. 2. dub. 2. n. 4.* sicut etiam Narbona *in Annal. iur anno 6. quæst. 3. num. 3.*

2 Et probari potest, quia ex Cap. *Quadragesima*. *De consecr. Dist. 5.* Dies Dominici intra Quadragesimam non sunt dies abstinentiæ, nam de ipsis dicitur. *Qui de abstinentia subtracti sunt.* Et in fine tex. *Nisi enim istos dies quatuor* (nempè quatuor dies ante primam Dominicam quadragesimæ) *superioribus triginta sex adiunxerimus* (nempè qui includuntur in sex subsequentibus hebdomadibus exceptis diebus Dominicis) *quadraginta dies in abstinentia non haberemus*. Cum ergo dies Dominici intra quadragesimã nõ sint dies abstinentię, nec etiam ad ipsos extendetur præceptum quadragesimalis abstinentiæ, atque adeo non erit abstinendum ab ouis, & lacticinijs.

3 Secundo Præceptum abstinendi ab ouis, & lacticinijs in quadragesima solum desumitur ex Cap. *Denique Dist. 4.* ex hoc autem capite solum desumitur præceptum quò ad dies ieiunij, non autem quò ad dies Dominicos, cum eos totaliter relinquat exclusos ab abstinentia quadragesimali, cum ibi indulgeat etiam carnes populis Angliæ.

4 Tertio neque potest allegari, quod ex consuetudine adsit obligatio abstinendi ab ouis, & lacticinijs, quia non constat, an talis consuetudo sit introducta cum animo se obligandi, an vero ex deuotione. In dubio autem censendum est, non obligare, & quilibet relinquendus est in possessione propriæ libertatis, vt docet Suar. *lib. 7 de leg. c. 15. num. 13.* Bonacina *disp. 1 de legib. quæ 1. punc. vlt. §. 3 num. 21.* Vuigers *1 2. quæst. 97. art 3. n. 29.* Palaus *par. 1 oper. moral. disp. 3. punc. 2. §. 3. n. 13.* Villalob. *par 1. sum. tract. 2. difficul. 39. n. 3.* Basseus *in Florib. Theol. Practic. verbo* Consuetudo *num. 7.* Diana *par. 1. tract. 10. Resol. 30.* & *part. 6 tract. 5. resol 2* Mærat. *tom. 1. sum. tract. de legib. disp. 15. sect 2. ver. Plenius & meo.* Merol. *tom. 3. Theol moral c. 3. dub 2. n. 31.* & communiter.

5 His tamen non obstantibus opposita sententia tanquam certa tenenda est, nimirum prohiberi sub mortali oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ, quam tradunt Caiet. *2 2. q. 147. art. 6. §. Et primi.* Medina C. *de Ieiunio quæst. 1* Angles *in Floribus quæst. 9. de Ieiunio art. 1. difficul. 7.* Corduba *in sum. quæst. 168.* Hẽriquez *lib. 7. sum. cap. 13. num. 10.* Vega *1. par. sum. c. 14. Casu 26* Villalob. *par. 1. sum. tract. 23. difficul. 8. num. 1.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8. ver. His exploratis.* Lopez *par. 2. Instruct. cap. 212.* Sanch. *lib. 4. in Decal. cap. 11. n. 53.* & *lib. 5 consil. moral. cap. 1. dub. 9. n 3.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 6. n. 8.* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 1. ver. Dico quod* Candelabrum *in Appendice cap. 15. num. 16.* Conarruu. *lib. 4. variar cap. 20. num. 11.* Diana *par 3. tract 6. Resol. 80. ver. Notandum tertio* Trullench. *lib 3. in Decal. cap. 2. dub. 2. num. 3.* & *in Bullam Cruciatæ lib 1. § 4. dub 7. num. 1.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 3.* Io. Sanch. *in select. de sacrament. disp. 51. num. 25.* Leander à Murcia *in cap. 3. Reg. S Francisc. quæst 10 num. 3.*

6 Ratio autem pro hac sententia desumitur ex Cap. *Denique Dist. 4* ibi enim habetur, quod pręceptum abstinẽdi ab ouis & lacticinijs in quadradesima sit coniunctum cum pręcepto abstinendi à carnibus; imo sit vnum, & idem præceptum prohibens carnes tanquam principale, oua vero, & lacticinia tanquam minus principale, vt desumitur ex D. Th. *2. 2. quæst. 147. ar. 8. in corpore*, & *ad 3.* Et ex dicto Cap. *Denique*, nam ibi Pontifex habet. *Par est, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus*, ergo cum pręceptum abstinendi à carnibus se extendat ad dies dominicos quadradesimæ, se extendet etiam præceptum abstinendi ab ouis, & lacticinijs. Confirmatur, quãdo sumus in dubijs circa obligationem legis, vel extensionem ipsius, tunc recurrendum est ad interpretationem, quam facit consuetudo, vt dictum est Decis. *præced. n. 9.* & tunc talis interpretatio reddit certum, quod aliàs erat dubium. In casu autem nostro consuetudo, & praxis Ecclesiæ interpretatur, quod præceptum abstinendi ab ouis, & lacticinijs extendatur

datur etiam ad dies dominicos quadragesimę, & proinde talis extensio pro certa habenda est. Vnde in *Concilio Quintiliburgensi* de quo sect. præced. n. 7. absolute prohibentur oua, & lacticinia pro quadragesima.

6 Prę terea ex dicto Cap. *Denique* Dist 4. habetur, quòd Augustinus Anglorum Episcopus interrogauit Pontificem Gregorium an deberet permittere, quod Angliæ populi in diebus dominicis quadragesimæ vescerentur carnibus, ouis, & lacticinijs; De hoc autem non interrogasset, nisi cognouisset præceptum abstinendi ab Ecclesia impositum. Rursus Pontifex respondens dictæ interrogationi, atque considerans difficultatem auertendi illos populos à tali consuetudine, ad euitandum maius malum indulget, quòd in tali consuetudine relinquantur, & ait. *Vnde nec à tali consuetudine auerti possunt, & ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte priores existant, si in tali consuetudine prohibeantur*. Quare cum in hoc Pontifex indulgeat, colligitur præceptum abstinentię quadragesimalis quò ad qualitatem ciborum complecti etiam dies dominicos, nam si non complecteretur, respondisset Pontifex, dies illos non includi sub hoc præcepto, non autem indulgendum esse, & cum venia relinquēdos esse in tali consuetudine, neque enim opus est venia, vbi non est obligatio.

8 Neque obstant, quæ pro opposita sententia adducta sunt Ad 1. enim resp. Quod dies Dominici Quadragesimæ non sunt dies abstinentiæ quò ad ieiunium, sunt autem quò ad delectum ciborum, alioquin neque carnes essent prohibitæ in illis diebus. Abstinentia enim apud sacros Canones sumitur pro ieiunio, vt in Cap. *Rogationes*, ibi *Quo triduo omnes abstineant*, hoc est ieiunent & Cap. *Non liceat*, ibi *sed sincere abstinentes totam quadragesimam peragere*; hoc est ieiunantes. De *Consecrat* Dist. 3. & ideo in dicto Cap. *Quadragesima* De *Consecrat*. Dist 5. dicitur, quòd non haberemus quadraginta dies in abstinentia, hoc est in ieiunio, nisi quatuor dies ante primam Dominicā Quadragesimæ essent suppradditi; ibi enim Gregorius Papa reddit rationem, cur quadraginta diebus ieiunandum sit, & proinde loquitur solum de diebus, in quibus exercetur abstinentia ieiunij.

9 Ad 2. Quo modo ex dicto Cap. *Denique* sumatur præceptum de abstinentia ab ouis & lacticinijs, etiam pro diebus Dominicis, constat ex supradictis; Cum autem subditur, quod Pontifex coarctat tale præceptū ad cœteros dies exclusis Dominicis, resp. quòd non coarctat præceptum, sed relinquit in sua generalitate, & solum ex indulgentia permittit, quod apud Anglos toleretur consuetudo iam introducta contra præceptum, sicut modo toleratur apud aliquas nationes, quæ in tota quadragesima vtuntur ouis, & lacticinijs, proinde non potest dici, quod Pontifex relinquat exclusos dies Dominicos Quadragesimæ, ne sub tali præcepto comprehendantur, quia permittere aliquam cōsuetudinem contra pręceptum pro aliquo speciali loco, non est excludere cœteros ab obligatione talis præcepti.

10 Ad 3. non allegari pro tali obligatione Consuetudinem, sed præceptum, vt ex modo dictis constat. Quod si allegaretur consuetudo; non esset dubia, an obligaret ex introductione sua, an verò non obligaret; & proinde non haberet locum doctrina ibi allegata. Sed esset certum, quod haberet vim obligandi; cum enim consuetudo, & communis sensus interprætetur legem, vt dictum est Decis. *præcenum* 9. interprætatur etiam consuetudines communes, an habeant, an verò non habeant vim obligandi, & cuius qualitatis sint. Vnde cum communis sensus, & praxis Ecclesię interprætetur, quòd adsit obligatio sub mortali abstinendi ab ouis, & lacticinijs in Dominicis Quadragesimæ, si hęc obligatio proueniret ex consuetudine, & non ex præcepto, tenendum esset, quòd fuerit introducta cum animo se obligandi, quia communis interprætatio tribueret ipsi talem vim obligandi.

11 Neque obstat, quod ratificatio, quæ fūdatur in falsa existimatione, non sortiatur effectum iuxta doctrinam Caiet. 2. 2. *q*. 189. *ar*. 5. Nauar. *in Manuali* c. 12. *n*. 71. Rodriquez *tom*. 3. *q*. *Regul q*. 11. *ar*. 2. ver. *Nec prædictis*. Mirandæ *tom*. 1. *Manual*. *q*. 30. *ar*. 4. *in fine* 2. *conclus*. Lessij *lib*. 2. *de Iust. & iure cap*. 41. *dub*. 7. *n*. 63. Graf *par*. 1. *Decis*. *lib*. 3. *c*. 5. *n*. 2. Sorbi *in Compend. priuileg*. Tit. *Nouitius* De *nouit. profes*. ver. *Quarto tenendum*. Bartholomei *de Vecchijs in Praxi Nouitiorum disp*. 14. *dub*. 3. *n*. 2. *in fine*. Sanchez *lib*. 7. *De matrim*. *disp*. 37. *n*. 59. Laiman *lib*. 4. *Theol. moral*. *tract*. 5. *c*. 5. *n*. 9. & proinde seruans consuetudinem tanquam obligatoriam, non tribuat ipsi vim obligandi eam facto ipso ratificando. Nam hoc procederet, si obseruantia nō haberet pro fundamento interprætationem obligationis, cum autem habeat, non est per modum ratificationis, sed executionis obligationis, quam cōmunis sensus interprætatur adesse. Quod pręsertim verum est, quia Ecclesia exigens iurisdictionali modo hanc executionem, declarat authentice, adesse obligationem; & talis executio, & declaratio de se sufficiens esset, vt daret consuetudini vim obligandi, si illam non haberet, quia facto ipso obligaret; nam plus est aliquid facto præstare, quam verbis Cap. *Legebatur* De *maior. & obedient*. & Cap. *Dilecti filij*. 2. De *appellat*.

12 Circa presentem autem quæstionem tradit Leander *par*. 3. *in præcep. Eccles. tract*. 5. *disp* 3. *quæst*. 9. *vers. Sed consequenter* quod modò in aliquibus locis abrogata est consuetudo, aut ius, si adest, abstinendi ab ouis, & lacticinijs in Dominicis Quadragesimæ proindè in illis Prouincijs licitè adhiberi posse. Quę an sit legitima cōsuetudo, iudicare debēt Doctores regionū.

13 Ex supradictis autē omninò reijciendus Pellizzarius *tom. 1. Manual. tract*. 5. *c*. 5. *nu* 9 *& sequen* asserens, quod consuetudo abstinendi ab ouis, & lacticinijs in Quadragesima, nō est censenda obligatoria, nisi cōstet quod sit introducta cū animo se obligandi. Et dato, quod esset obligatoria, nō obligare Regulares, etiam si apud ipsos sit, quia eam acceptauerunt solū ex deuotione. Nam ex supradictis patet, quod non sit abstinendum ex consuetudine, sed ex præcepto. Deinde dato, quod non adesset speciale præceptum, sed sola cōsuetudo, quia tamèn consuetudo interprętatur pręceptū, quod se extendat etiā ad oua, & lacticinia, ita vt præceptū de abstinentia à certis cibis, extēdatur etiā ad oua, & lacticinia, ideò declarat sufficienter animum se obligandi, quia non est inductiua de nouo, sed extensiua præcepti.

14 Quod autē de Regularibus subdit est omninò absurdū, & aures sæcularium offendens. Et cū agatur de consuetudine interprætatiua præcepti iuris communis, obligat omnes, apud quos viget, sicuti etiam obligat ius commune interprætatū; & malè audirent Religiosi, si se subtraherent consuetudini obligādi seculares, cū ipsi pręcęteris colere debeant abstinentiam,

15 An

15 An autem adsit aliquod priuilegium per quod Regulares vti possint ouis,& lacticinijs quando prohibentur. Affirmat Io. à Cruce *lib. 1. De statu Relig. cap. 6. dub. 22. conclus. 2.* nempè Leonis X. *in Bulla incipiente* Religionis Zelus *edita VI Kal Iunij anno* 1514. in qua concedit Religiosis S. Iacobi de Spata de Valles.& S. Marci Legionensis comedere in Quadragesima, & alijs diebus, in quibus prohibentur oua,& lacticinia. Vnde habentes communicationem,participabunt idem priuilegium. Verùm puto, hoc priuilegium non esse concessum absolutè; sed vel quia in ijs locis sæculares ijs diebus comederent oua, & lacticinia, vel ex aliqua speciali; ideò cum sit priuilegium originatum ex speciali causa finali, & ipsi affectum,non est absolutè communicabile,nisi communis quoq; sit causa, ob quam est concessum.

An in Dominicis Quadragesimæ, possint Regulares, & præsbiteri sæculares habentes Bullam Cruciatæ vesci ouis, & lacticinijs. Decis. 73.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo Bulla Cruciatæ concedat oua, & lacticinia Præsbiteris sæcularibus, & Regularibus.*
2 *Nec Regulares, nec Sacerdotes sæculares in virtute Bullæ Cruciatæ possunt edere oua, & lacticinia in Dominicis Quadragesimæ secundum aliquos.*
3 *Vnde moueantur ad ita sentiendum.*
4 *Possunt comedere.*
5 *Bulla Cruciatæ excipit tantum ieiunia quadragesimæ pro Regularibus, & Sacerdotibus sæcularibus, ne comedant oua, & lacticinia.*
Dominicæ non sunt dies quadragesimæ.
6 *Lex concedens plus, non prohibet minus in eodem genere.*

1 IN dicta Bulla conceditur, vt illam habentes possint in diebus ieiunij, etiam in quadragesima, vesci ouis,& lacticinijs. Excipiuntur tamen Regulares cuiuscunque generis, & sacerdotes sæculares, quibus hoc indultum non conceditur pro tempore quadragesimali; sed relinquuntur dispositioni iuris communis, aut consuetudinibus. Et quia Bullę prædictæ recentiores diuerso modo loquuntur, ac veteres; nam hæ excipiebant solum ieiunia quadragesimæ pro dictis Regularibus, & Sacerdotibus sęcularibus; Recentiores vero excipiunt tempus quadragesimale: ideo in præsenti adest maior difficultas.

2 Negatiuam sententiam tradunt Henriquez *lib. 7. sum. cap. 13. num. 10.* Angles *in Florib. q. 9 de ieiunio ar. 1. difficul. 7. ver. Hinc neque,* Ouād. *in. 4. dist. 14. propos. 52.* Ortiz. *cap. 19. sum. n. 4.* Murcia *in Reg. S. Francis. quæst. 10. in cap. 3.* Vega *tom. 1. sum. cap. 14. casu 29.* Qui citat etiam Lopez Et Rodriquez citandus ait, Summum Pontificem interrogatum à Commissario Bullæ Cruciatę, respondisse iuxta hanc sententiam.

3 Ratio autem est, quia his generibus personarum prohibetur, ne possint vti priuilegio comedendi oua, & lacticinia in diebus quadragesimalibus, Dominicæ autem quadragesimæ sunt dies quadragesimales.

4 Oppositum tamen tenendum est cum Palat. *in. 4. Dist. 15 Disp* 8 Corduba *in sum. q* 168. Nugno 3. *par. 12 tract. de Bulla cruciata* §. 8. *dub.* 5. Llamas 3. *par. Meth. c. 5. §. 26.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 27 Clausula 6. n. 11.* Fernandez *par. 3. Exam. theol. mor. cap. 9. §. 5. n* 5. Diana *par. 1 tract 11. De Bulla Cruciata Resol. 5. ver. Hæc opinio,* Ludouico à Cruce *in Bul. Cruciatæ disp. 1. c. 5. dub 18. n 5.* Didacus de Narbona *in Annalib. iur. anno. 60. q. 3. n 4* Gomez in *Bull. Cruc. clauf. 7. n. 7* Trullench *in eamdem Bullam lib. 3. § 4. dub. 7. n. 2.* Leāder *par. 3. in praecep. Eccles. tract. 5. disp. 3. quæst. 10.* Andreas Mendus *in Bull. Cruc. disp. 18. cap. 4. n. 25. & in Appendice disp. 2. cap. 13. num. 71.* & eamdem sentent. videtur tenere Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* §. 8. *dub.* 1.

5 Ratio firma pro hac sententia est, quia in Bulla latina excipiuntur tantum pro præsbiteris, & Regularibus ieiunia quadragesimæ, Dominicæ autem non sunt dies ieiunij. Et licet Commissarius eiusdem Bullæ in vertenda bulla ad vulgare idioma iuxta facultatem, quam habet, posuerit dies quadragesimales, loco ieiuniorum quadragesimalium, non tamen ex hoc fit, quod exceptio se extendat ad dies Dominicos, quia cum non habeat facultatem mutandi substantiam verborum, oportet,quod per dies quadragesimales intelligat dies ieiunij, quia seruatur completa quadragesima seclusis Dominicis iuxta Cap. *Quadragesima,* De *consecrat. Dist. 5.* vnde etiam in Cap. *Denique Dist. 4.* excluduntur dies Dominici à Quadragesima Et notat Specul. *lib 6. Ration. diuinor: officior: Cap: Dominica Quuadrag.*

6 Quod etiam confir quia prædicta Bulla concedit Regularibus, & Præsbiteris sæcularib comedere lacticinia, & oua in ieiunijs extra quadrag simam, ergo non debemus dicere, quod excludat dies Dominicos quadragesimæ, cum minus sit comedere in ipsis lacticinia; neque enim lex concedens, quod manus est,negat, quod minus est in eodem genere, alioquin non proecederet rationabiliter. Ex his autem soluta manet ratio pro opposita sententia. Neque obstat declaratio Pontificis, quia non est authentica, nec de ipsa constat:

An, quando licitè adhibentur oua, & lacticinia, liceat etiam vti sagimine siue porcino, siue aliorum animalium. Decis. 74.

SVMMARIVM.

1 *Sagimen non est licitum, quando sunt licita lacticinia secundum aliquos.*
2 *Ratio horum auctorum.*
3 *Sagimen non magis accedit ad carnem, quam oua.*
3 *An negādū sit, esse licitū saginē, ne fiat extēsio ad nō licita.*
4 *Sagimen est licitum, quando licita sunt lacticinia.*
5 *Lardum non est licitum, quando licita sunt lacticinia.*
6 *Sagimē nō est caro, ideo est licitū, quādo licita sūt lacticinia.*
7 *Sagimen est in eodem genere cum ouis &c. & conceditur ad concessionem illorum.*
8 *An consuetudo abstinendi à sagimine obliget.*
9 *Quid agere debeat confessarius cum ancillis, quæ iussu dominarum adhibent sagimen, si putet esse prohibitum.*

H 10 *Quid*

10 *Quid cum diuitibus, & pauperibus adhibentibus sagimen.*
11 Consuetudo facit licitum sagimen, si esset prohibitum.
12 *Sagimen est excrementum concoctum.*
13 *Sagimen in communi extimatione non est caro.*
14 *A lardo ad sagimen non valet argumentum.*
15 *Sagimen an licitum, vbi penuria olei, aut butyri.*

1 NEGATIVE resp. Henriquez *lib.7. sum. cap.* 13. *num.* 11. Viual. *in Candelabro in Append. cap.*15.*de ieiun.quadrag. num.*37. Filliucius *tom.*2. *tract.* 27. *par.*2.*num* 61. Medina *par.*1.*sum. cap.*14. §.10. Villalob. *par. item.* 1. *sum. tract.* 23. *difficult.* 8. *num.*16. Rodriquez *in Bullam Cruciata §.* 6. *num.*1. Ludouicus *à Cruce in Bullam item Cruciata disp.* 1. *cap.*5. *dub.*16. *num.*4. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.*2. *dub.*2.*num.*8. Gomez *in Bul.Cruc.Claus.* 7.*n.*4. *Basseus* verbo Ieiunium,2.*num.*3. *vers.sed petes* Villalob *par.*1.*tract.*23. *difficul.*8. *n.*16. Sanchez *lib.*5. *consil. cap.*1. *dub.*19.*n* 7.Leäder *par.*3.*in præcep. Eccles.tract.* 5.*disp.*2.*q.*35.Bossius *tom* 3.*moral.tit.*21.§.2.*n.*61.qui tamen oppositum putat probabile. Martin. à S.Ioseph. *tom.*1. *moral.lib.*2.*tract.*4.*de ieiun.n.*2. Andr. Mend. in *Tres Bull. in Appendice disp.* 2. *c.*14. *n.* 77. Roccaful. in Praxi *tract.*6.*de præcep. Eccles.lib.*3. *c.*3.*n.* 40. Laiman. *lib.*4.*tract.*8.*cap.*1.*nu.*15. ver. *Verum aduerto*, qui tamen *ver. Nihilominus* addit, quod propter similitudinem ad butyrum esus sagiminis non videtur ita grauis, vt sufficiat ad peccatum mortale. Conueniunt autẽ, quod licitum sit, vbi adest consuetudo.

2 Mouentur quia sagmen magis accedit ad carnem, quam oua, & lacticinia;& si cõcederetur licitũ sagimen,homines nunc temporis hoc extenderẽt ad similia, vt ad ius, ad farcimina, & alia huiusmodi.

3 Sed hæc non sunt alicuius ponderis, nam si attendamus similitudinem, præsertim quò ad substantiam, oua sunt similiora carni, quàm sagimen, cum sint ipsa substantia viuentis, quam generans communicat genito, & ex qua genitum ipsum producitur: Deinde vt lex extendatur, requiritur identitas rationis, cum autem sagimen sit diuersæ substantiæ, & diuersi nutrimenti à carne, non militat eadem ratio, & proinde non debet censeri prohibitum ex maiori similitudine ad carnem. Neque ratio extensionis vrget, quia sine fundamento, & irrationabiliter extenderetur ad iusculum, & farcimina, & alia huiusmodi, nam in his reperitur caro in propria substantia; iusculum enim est plenum minutissimis partibus carnis. Et si dicamus, sagimen prohiberi, oporteret dicere, etiam oua, & lacticinia esse prohibita, quia fieri posset ab hominibus nostri temporis extensio ad sagimen, quod tamen non asserunt Auctores huius sententię.

Opposita igitur sententia asserens, esse licitum vti etiã sagimine,est cõmunior. Eã tradunt Glos. *in Cap. Admonere,verbo* Carnem 33.*q.*2.& *in c.Presbiter Dist.*82 Hostiens. *in sum.in Rubr.* De *obseruat. ieiun.* Abbas *in cap. Consuluit. n.*2.De *iudeis* vbi etiã Ananias,& Felin. Syluester *verbo* Ieiuniũ *q.*5.*n.*16.Ang. §.5. *in fine* Tabiena § 7. Graf.*par* 1.*Decis.lib.*2.*c.*37.*n.*12.Azor.*par.*1.*lib.*7.*c.* 10.*q.*18.Bertachinus tract. *de Episcop. par.*1.*mẽb* 4.*n.*79. Corsettus *in singularib. verbo* Caro *litera* C. Facundez. *lib.*1.*præcep.*4. *Eccl.c.*2.*n.*20. licet postea eodẽ *c. nu.*49. posterioris editionis Lugdunẽsis *anni* 1632.vocet hãc opinionẽ aliquando laxiorem Benedictus Remigius *tract.*3.*sum.cap.*4. §. 1. *num.*4. Eam etiam probabilem putant Onãd *in* 4. *dist.* 16.*propos.* 52. Diana *par.*1.*tract.* 9.*de ieiu.Res.*21.ver. *Quod verò*,& pro hac opinione alios citat Hẽriquez *citato lib.*7 *cap.*13.*n.*11. *in Gl.litera H.*

5 Quia autem isti auctores confundunt lardum cum sagimine, quod tamen longe diuersum est, ideò puto, lardum nullo modo esse licitum, quia non est pura pinguedo,sed caro mista cum pinguedine valde concocta; quod satis ex eo colligitur, quia licet caro ex valida concoctione facta sit alba, adhuc tamẽ apparent in lardo quædam venulę carneæ etiam quo ad colorem, rursus etiam quędam pelliculæ, seu membranulæ, quæ deriuant à neruis, in quibus residet sensus tactus, quæ non effunduntur, nisi per partes carneas, non autem in puram pinguedinem: vnde licet lardum non sit pura caro, sed caro admixta pinguedine pro carne habendum est, sicut etiam habetur secundum communem existimationem. Quod si pura pinguedo separetur à partibus carneis, tunc est eadem ratio, ac de sagimine.

6 Loquendo autẽ de sagimine,non est à iure prohibitum in ijs diebus,in quibus cõceduntur lacticinia, vt tenent etiã nõnulli ex Doctoribus pro prima sent. relatis. Ratio est,quia in dictis diebus non prohibetur aliud, quam caro, sagimen autem, cum sit sola pinguedo,non est caro, nam, vt ait Aris.1. *de Generat. animal. cap.* 18. *circa finem.* Pinguedo est quoddam excrementum bonitate substantiæ salubre; quod etiã repetit *cap. subsequenti.* Quod etiam experientia constat,quia pinguedo calore liquescit,non autem caro, vt notat idem Aris. *sect.* 5. *Problem q.*4. Vnde potius se habet in genere ouorum, & lactis, cum conueniat cum ipsis in eo, quod originem ducat à carne.

7 Et desumitur etiam argumentum ex Cap. *Presbiter Dist.* 8. vbi sagimen ponitur simul cum ouis, & caseo, nam agenti pœnitentiam ob fornicationem, quando in Dominicis, & præcipuis festis comedũtur oua,& caseus, conceditur etiam sagimen, quod satis indicat,non prohiberi ex eo,quod prohibeantur carnes,sed cõcedi in concessione ouorũ,& lacticiniorũ.

8 Quod autẽ spectat ad consuetudinẽ, hæc nõ est vniuersalis, quia in pluribus prouincijs solet sagimẽ adhiberi, quando conceduntur lacticinia: vnde solũ potest esse particularis. Nec videtur, vbi adest,habere vim obligandi sub mortali, tum quia non constat, an introducta sit cum animo se obligandi, vnde in dubio non est præsumendum obligare; tum quia cum sagimen sit in eodem genere cum lacticinijs, & ouis, non est censenda introducta consuetudo abstinendi ad ipso cum animo se obligandi, cum talis abstinentia non habeat finem sufficientem, vt moueat vniuersaliter populos, vt velint se obligare: præsertim cum non reddat ieiunium rigorosius; imo vsus ipsius sit minus gratus, & minus salubris, quam vsus butyri.

9 Est autem hic notandum secundum Laiman loco *citat.* quod stante etiam opinione opposita, confessarij possint permittere ancillis, quod in diebus ieiuniorum adhibeant sagimen loco butyri, quando ita heræ præcipiunt, si imperium facile detrectare non possunt.

10 Notat etiam Laiman quod non debet confessarius facilè damnare peccati mortalis ditiores propter vsum sagiminis, ne si nihilominus postea vescantur, grauius peccent. Pauperibus autem potest facilius concedere licentiam illud adhibendi ob causam paupertatis. Et sequutus est etiam Bossius *citat.*

11 Ex

11 Ex his autem à fortiori colligitur, quod, vbi adest consuetudo, sine vllo scrupulo adhiberi possit sagimen, quando carnes prohibentur, vt contingit in Regno Siciliæ, & tradit Diana *par.1.tract.9. de Ieiunio Resolut.21.* Neque obstare potest, quod consuetudo fuerit forte introducta per actus illicitos, quia sufficit, quod sit iam confirmata ad hoc, vt possit abrogare legem, si adesset. Neque censenda est irrationabilis consuetudo, quæ in cap. *fin. De consuetudine* reprobatur, quia illa sola censetur talis, quæ est contra ius diuinum, & naturale; quæ semper est abusus non consuetudo. Siue sit immediatè contra ipsum, siue vt assistens iuri humano.

12 Contra prædicta obijcit Leander. Sagimen est pars constitutiua animalis, vt sunt cæteræ, quæ non sunt propriè caro, nempè nerui, cartilagines, medulla &c. Ergo prohibita carne est etiam prohibitum sagimen. Resp. neg. esse partem animalis, cum sit excrementum, vt docet Arist. citat. supra *num. 6.*

13 Secundo obijcit. Ex cõmuni extimatione cognoscitur quid veniat nomine carnis. Secundum autẽ communẽ existimationẽ sagimẽ habetur pro carne. Resp. neg. min. Nam in primis Doctores illi, qui dicunt, esse licitum, quando prohibentur carnes, non habent pro carne. Secundò; quia vbi ex consuetudine adhibetur, non habetur pro carne, & ex hac opinione fuit introductum. Tertio; quia vbi etiam non est in vsu, quando prohibentur carnes, non habetur pro carne, nam ex ijs, qui certis diebus solent voluntariè abstinere à carnibus, non pauci vtuntur sagimine. Quarto; Quia medici cum Arist. supracitato habẽt pro excremento. Vi ergo est communis æstimatio, quod sit caro?

14 Tertiò obijcit. Non est licitum lardum, ergò nèc sagimen. Neg. consequent. Quia lardum non est pura pinguedo, sicut sagimen, sed est mixta carne, vt iam dictum est.

15 Ex his colligitur cum Graf. *par.1. Decis.lib.2.c.35.n.11.* Laiman *lib.4.theol.moral.tract.8.c.1.n.5.* Leandro *par.3.in præcep. Eccles. tract.5. disp.3. quæst.37.* Sagimen esse licitum, vbi est penuria olei, quia hæc est necessitas sufficiens ad excusandam prohibitionem, si alias adesset. Imò videtur probabile quod sufficiat, vbi est penuria butyri, vt quando aliàs butyrum conceditur, sit etiàm concessum Sagimen.

An, quando conceduntur lacticinia, liceat vesci sanguine animalium. Decis. 75.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmans.*
2 *Non licet vesci sanguine animalium, quando conceduntur lacticinia.*
2 *Sanguis est in eodem genere cum carne.*
3 *Nomine carnis veniunt omnes partes animalis.*
4 Explicatio Cap. *Præsbiter. Dist.82.*

1 VIDETVR affirmatiue respondendũ, quia tunc prohibentur solum carnes, vnde cum prohibitiones non sint tãquam odiosæ extendendæ, sed potius restringendæ iuxta regulam, *Odia, De regulis iuris in 6.* non videtur extendenda prohibitio ad sanguinem; cum sanguis non sit caro, sed proximum alimentum viuentis. Et possent citari pro hac opinione nonnulli canonistæ *in c. Consuluit. De iudeis* vt Abbas, Ananias, & Felinus. Verum textus mendosus est, & loquuntur de sagimine, loco cuius suppositum est nomen sanguinis. Ludouicus autem à cruce *disp.1. in Bullam cruciata cap.5. dub.16. num.4.* ponit etiam sanguinem cum sagimine concludẽs, quod solum consuetudine, non iure prohibeantur. Idem etiam docet Isnardus *post Codicem Minimor. consil.10.* Idem etiam desumitur ex Hostiensi *in sum. tit. de obseruat. ieiun. §. Quando nu. 8.*

2 Tenendum tamen est, quod vsus sanguinis non sit licitus, quando carnes prohibentur, nisi forte liceat aut ex aliquo speciali priuilegio, aut ex consuetudine. Ratio est, quia licet sanguis non sit propriè caro, est tamen proximè caro, quia est in proximo statu, vt conuertatur in carnem, & proinde censetur esse in eodem genere cum carne, & prohibitus in prohibitione carnis tanquam quid ipsis annexum in eodem genere, & tanquam id, quod moraliter censetur caro. Et ita in specie docent Leander *in præcep. Eccles. tract.5. disp.2. quæst.34.* Bardus *in Bull. Cruc. par.2. tract.3. cap.3. sect.3. num.31.*

3 Accedit etiam, quod nomine carnis veniunt omnes partes constitutiuæ animalis, & quando prohibetur caro censetur prohiberi omnes dictę partes: alioquin dicendum esset, quod prohibita carne non prohiberentur nerui, medulla, cartilagines &c. quia hæc non sunt propriè caro. Non sic autem de pinguedine, seu sagimine, quia hoc non est pars viuentis, sed excrementum.

4 Nèc obstat tex. Cap. *Præsbiter. Dist.82.* Nàm ibi non statuitur, quod concessis ouis, & lacticinijs, sit etiam concessus sanguis, sed illi Presbitero, qui erat in pęnitẽtia, relaxatur pars pœnitentiæ, & quoad cibos conceduntur oua, lacticinia, & etiàm sanguis, quę antea denegabantur.

An, concessis ouis, censeantur concessa etiam lacticinia, & è contra an concessis lacticinijs, censeantur oua quoque concessa. Decis. 76.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium derogans iuri cõmuni strictè est interpretãdũ.*
2 *Concessis ouis conceduntur etiam lacticinia, & è contra.*
3 *Oua, & lacticinia sunt in eodem genere.*
4 *Quomodo priuilegium derogans iuri communi non sit extendendum.*
5 *An dispensatus ad oua ob infirmitatem, possit edere lacticinia. Et quid, si noceant:*

1 NEGATIVA sententia suadetur ex eo, quod talis cõcessio sit priuilegiũ, quod iuri cõmuni derogat, vnde debet strictè interpretari, ita vt solũ saluentur verba priuilegij, nec vlla fiat extẽsio: vnde concessis ouis, non debet concessio extendi ad lacticinia aut è contra.

2 Sed tenẽdũ est, quod statim ac cõcedũtur oua, sint etiã cõcessa lacticinia, & è cõtra concessis lacticinijs

cinijs sint oua quoq; cōcessa. Ita Azor. *tom.1.lib.7. c.11. q.4.* Medina *lib.1.sum.c.14.§.10.* Facūdez *lib.1.de 4 pracep. Eccl.c.2.n.38. editionis vltima Lugdunensis anni 1632.* Barthol. à S. Fausto *lib.1.Thesauri* Relig.*q.142. vlt. editionis Neap.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2. dub. 2.n.8.* Lezana *in sum. verbo* Ieiuniū *n. 11.* Henriquez *lib.1. de indulgen.c.13.n.11.* Sanchez *lib.8 de matrim.disp.1.n.39. & lib.3.sum.c.2.dub.2.n.8.* Villalob.*par.2.sum.tract.23. difficul.8.n.16.* Leāder *par 3.in pracep. Eccl.tract.5.disp.2.q.32.* Bossius *tom.3.moral.tit.21.nu.200.* Martin. à S. Ioseph.*tom.1.moral.lib.2.tract.3. de ieiun.nu.3.* Reginal. *lib.4. Praxis fori Pœnit.nu.170.* Io.Sanchez *in select. de sacram.disp.51.num.17.*

3 Ratio est, quia oua, & lacticinia sunt in eodem genere, & pro vno, & eodem sumuntur, nempe pro sementinis Cap. *Denique Dist.4.* ideo concesso vno, conceduntur etiam alia, quia concessio intelligitur facta ex rationabili mente concedentis pro ouis, aut lacticinijs, prout sunt quid sementinum.

4 Vnde non fit aliqua extensio priuilegij, quæ quiden non est facienda, quando derogat iuri communi, sed solum sumitur totum id, quod continetur sub re concessa, quatenus consideratur secundum illam rationem, quæ in concessionem venit; hæc autem veniunt in concessionem, vt quid sementinum. Vnde non est priuilegium extendendum vltra rationem, quæ per se in concessione consideratur; seu non est extendendum extra formale obiectum concessionis, bene tamen potest extendi intra rationem, quę per se venit in concessionem, seu intra obiectum formale ad alia obiecta materialia contenta sub ipso.

6 Ex his colligitur cum Fausto *citato*, infirmum, cui concessa sunt oua, posse comedere etiam caseum, &, si illi noceat, peccare solum contra præceptum naturale temperantiæ, quia cum sint in eodem genere, vno concesso censetur concessum & aliud. Oppositum tenet Rodriquez *par.1 sum. cap. 24. num. 3.* Nec obstat, quod lacticinia non sint necessaria, nam sufficit, quod sit necessaria dispensatio ouorum, quia tunc est necessaria ablatio obligationis abstinendi à tali genere ciborum, nam obligatio respicit genus, non speciem cibi, & ideo si aufertur, tollitur respectu generis. Ita Henriquez *lib. 7. sum. cap. 30. nu. 3.* Villalob.*par.2.sum.tract.23.difficul.8.n.3.* Sanchez *lib. 9. de matr.disp.35. n.4.* Medina *lib.1.sum.cap.14. §.10.* Azor.*par.1.lib.7.cap.10. quæst.4.*

An ieiunia votiua, pro iubileo, & pro pœnitentia iniuncta violentur, si comedantur oua, & lacticinia.

Decis. 77.

SVMMARIVM.

1 *In ieiunijs pro iubileo, pœnitentia iniuncta, & votiuis non possunt adhiberi oua, & lacticinia secundum aliquos.*
2 *Facultas edendi lacticinia in ieiunijs ecclesiasticis non est extendenda ad alia ieiunia.*
3 *Ieiunia pro iubileo, &c. possunt celebrari cum lacticinijs, si alias sint licita.*
4 *Hac ieiunia debent celebrari secundū consuetam formam.*
5 *Obligatio de aliqua re, intelligitur de ipsa, prout est in vsu.*
6 *Bulla Cruciatæ cōcedit oua, & lacticinia pro omnib⁹ ieiunijs.*
7 *Priuilegiatus in ordine ad ieiunia, subijcitur omnibus ieiunijs cum eodem priuilegio.*

1 EADEM est ratio de omnibus his ieiunijs, & difficultas est, an talia ieiunia admittant oua, lacticinia, quando alias pro illo tempore, aut de iure communi, aut de consuetudine, aut in virtute Bullæ Cruciatę adhiberi possunt. Et negatiue resp. Nauar. *lib. 3. consil. Tit. de obseruat. ieiun. consil. 4. per totum*, & Consil 5. *in 2. edit.* Graf. *par. 1.* Decis. *lib. 2. cap. 37. num. 60.* Lublinus *par.1. sum. verbo* Ieiunium *num. 24.*

2 Mouentur, quia Bulla Cruciatæ concedit oua, & lacticinia solum in ieiunijs ecclesiasticis, & cum hoc sit priuilegium à iure exorbitans, non est extendendum ad alia ieiunia. Deinde hæc ieiunia sunt specialia, vnde derogant priuilegio generali satisfaciendi ieiunio cum ouis, & lacticinijs, quia generi per speciem derogatur Cap. *Generi* De *regulis iuris in 6.*

3 Oppositā tamen sententiā tradunt cōmuniter Lopez *in Florib.q.9. de ieiunio ar.1. dub.5.post.9.difficult.* Medina *lib.1.sum.c.14.§.10.* Corduba *in sum.q.168.* qui tamē excipit ieiunium votiuū pro tempore quadragesimæ, Rodriquez *tom.1.sum.c.184.n.10.in 2.edit. & in Bullam Cruciata §.6.n.8.* Ledesma *tom.2. sum.tract.27. c.2.diffic.3.post 3.conclus.* Sanchez *lib.4. in Decal. cap.11. n.49.* Henriquez *lib.7.c.10. n.4. & cap 13. nu.13.* Ouād. *in 4.dist.16.corol.1.post.proposit.52.* Nugnus *3.par.tom.2. tract. de Bulla Cruciata § 8. dub.3.* Villalob. *tom. 1. sum. tract.27.claus.6.n.5.* Vega *tom.1.sum.c.14 Casu 31.* Portel. *in dub. Regul.verbo* Ieiunium *in Addit.n.7.* Filliucius *tom.2.tract.27.par.2.c.3.n.59.* Fernandez *par.3 Exam. theol.mor.c.9.§.5.nu.2.* Molfes. *tom.1 sum.tract. 10. c.4. n.28.* Alphonsus de Leone De *Iubileo q.14. sect. 1.n.14.* Diana *par 1. tr.9. de ieiun. Resol.6. & 17. & tract.11 De Bulla Cruciata Resol.3.* Ortiz. *in sum.c.19. q.9.* Facundez *lib.1.de 4.pracep.Eccl.c.2 n.10 in 1. edit.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.38.* Bartholom. à S. Fausto *lib 1. Thesauri Religiosor.vlt.edit.Neapol. q.133. & 144.* Trullenh *in Bullam Cruciata lib.1. §.4.dub.8. & lib.3.in Decal.c.2.dub 2.n.13.* Bonacina *disp.vlt.de pracep Eccl.q.1.punc.2.nu 6.* Tamburin *tom.2 de iure Abbat.disp.12 q. 10.n.7. in vlt. edit.* Bossius *sect.4 de Iubileo Casu 18. n 69* Lauor.*par.1. de iubileo cap.20.n 21.* Ludouicus à Cruce *in Bul. Cruciata disp 1.cap.5.dub.14. num.4.* Didacus de Narbona *in Annalib.iur.anno 60.q 3.n.5.* Martin. à S.Ioseph *tom. 1. moral.lib.2.tract.3.de ieiun.n.6* Io.Sanchez *in select. de sacram.disp.51.n.19.* Rouasul. *in Praxi tract.6.de pracep. Eccles. lib.3. cap.3.n.32.*

4 Hæc sententia mihi certa videtur, quia quando indicuntur ieiunia, aut à Pontifice pro iubileo, aut à confessario pro pœnitentia; aut cum quis ad ipsa se obligat per votum, nisi exprimatur aliquis speciali modus ieiunandi, intelliguntur ieiunia secundum cōsuetudinem, & præscriptionem ecclesiasticam, seu ieiunia secundum substantiam, & modum, quo solent apud fideles seruari: vnde si solent seruari cum ouis, & lacticinijs, talia ieiunia erunt sufficientia pro implenda obligatione imposita à Pontifice, aut ex quocunque alio capite prouenientę.

5 Quod etiam ex eo confir. quia, quando imponitur obligatio de re aliqua, intelligitur de ipsa, prout est in vsu, nisi aliud exprimatur: vnde qui se obligaret ad soluendum centum aureos, deberet soluere habita ratione valoris currentis tempore solutionis; qui se obligat vendere, tenetur vendere iuxta pretium, quod currit. Et proinde obligatio quoque

me ieiunandi, nisi aliud exprimatur, debet intelligi de ieiunio, quod est in vsu.

6 Et tota difficultas euacuatur apud eos, qui habent Bullam Cruciatæ, quia in ipsa conceduntur oua, & lacticinia pro quibuscumque ieiunijs; ibi enim habetur. *Præterea carnibus de consilio vtriusque medici temporibus ieiuniorum tam quadragesimalium, quam quorumlibet aliorum totius anni vesci, ac pro eorum libitu ouis & lacticinijs, ita quod qui carnes non comedunt, seruata in cæteris ieiunij forma dicto ieiunio satisfecisse censeantur, apostolica auctoritate concedimus.*

7 Neque obstat, quod in oppositum *num.* 2. allatum est, quia Bulla concedit vniuersaliter lacticinia pro omnibus ieiunijs. Et si comederet solum pro ijs, quæ indicta sunt ab Ecclesia, adhuc in alijs essent licita, quia non sunt de obligatione, nisi prout consueuerunt celebrari siue de iure, siue de consuetudine, siue ex priuilegio, quod cum sit personale, sequitur semper personam, atque adeo non subijcitur ieiunandi obligationi, nisi vt priuilegiata. Vnde species in hoc non derogat generi, quia ista ieiunia non imponuntur vt diuersa à consuetis, sed vt eiusdem generis, & rationis.

An, quando ieiunia votiua, pro lucrando iubileo, & pro pœnitentia iniuncta coincidunt cum diebus, in quibus lacticinia, & oua illicita sunt, impleri possint adhibendo oua, & lacticinia Decis. 78.

SVMMARIVM.

1 *Comedens lacticinia, quando non sunt licita, etiam si satisfaceret ieiunio votiuo, & pro iubileo, seu pœnitentia iniuncta peccat.*
2 *Sed neque satisfacit tali ieiunio secundum aliquos.*
3 *Probabilius est, quod satisfaciat.*
4 *Ieiunium ex voto, aut ex iniunctione pro iubileo, aut pœnitentia quale sit.*
5 *Præceptum abstinendi à lacticinijs est distinctum à præcepto de ieiunio.*
6 *Votum, & iniunctio ieiunij pro iubileo, aut pœnitentia respiciunt ieiunium secundum propria.*

1 CERTVM est, tunc interuenturũ esse peccatum contra præceptum abstinendi à lacticinijs, quia cum alias prohibeantur, vt supponimus, violatur huiusmodi præceptum. Quia tamen potest stare ieiunium cum vsu ouorum, & lacticiniorum, ideo quæritur, an tale ieiunium tunc sufficiat pro implendo voto, pœnitentia iniuncta, & lucrando iubileo.

2 Negatiuam sententiã tradunt Azor. *tom.1.lib 7. c.10.q.2. in fine, & lib.* 11.*c.*20 *q* 6. Angelus *verbo* Ieiunium.*num.*5. Syluester *q.*5.*dicto* 1. Tabiena *q.*7.*num.*8 Henriquez *lib.*7.*c.*13 *num.*13.*& in Glos. littera* D. Corduba *in sum.q.* 168.*punc.* 2. Lopez 2. *p. Instruct. c.* 1121 Medina *lib.*1.*sum.cap.*14.§.10. Ouand. *in* 4 *dist.*16.*post proposit.*52 *corol.*1. Rodriquez *in sum.tom.*1.*c.*184 *n.*10. Filliucius *tom.*2.*tract.* 27.*p.*2.*c.*3 *n.* 59. *in fine.* Palaus *par.*3.*oper.moral.disp.*1.*pun.*12.*n.*18 Suarez *tom.*2.*de Relig.lib.*4.*de voto c.*7.*n.*9.*in fine.* Rouaful.*tract.*6.*de precep. Eccl.lib.*3.*c.*3.*n.* 34. Ratio horum Auctorum est, quia talia ieiunia ex vi voti, vel iniunctionis celebranda sunt eo modo, quo celebrari consueuerunt in ijs diebus vnde cum in ijs dieb⁹ sint alias interdicta oua, & lacticinia, debent celebrari sine ipsis, prætertim, quia pro ijs diebus abstinentia ab ouis; & lacticinijs est pars integralis ieiunij.

3 At oppositum tenendum est, nimirum non facere contra obligationem ieiunandi, sed solum contra præceptum abstinendi ab ouis, & lacticinijs; atque adeo satisfacere voto, & implere sufficienter ieiunium iniunctum in ordine ad iubileum, & pœnitentiam. cum Angles *in Florib.q.*9.*de ieiunio ar.*1. *post* 7.*difficult. dub.*2.*proposit.*3. Sanchez *lib.*4.*in Decal. c.*11. *n.*52.*&* 53. Ludouico à Cruce *disp.*1. *in Bul. Cruciatæ c.* 5 *dub.*14. *num.* 12. Portel. *in dub. Reg. verbo* Ieiunium *in Addit. num.* 8. & colligitur etiam ex doctrina Palud. *in* 4. *dist* 15.*q.*4.*ar.*4.*num.*33 D. Antonin. 1.*par. tit.*6 *c.* 2. §.3. quatenus docent, ieiunium iniunctum non obligare ad abstinentiam à lacticinijs.

4 Ratio huius decisionis est, quia votum de ieiunando, sicut etiam obligatio, vel ratione iubilei, vel pœnitentiæ iniunctæ non obligat nisi ad ieiunium secundum suam substantiam, & secundum illam mensuram, quam habet ex institutione Ecclesiæ, quia nisi aliquis specialis modus ieiunandi determinetur, intelligitur de ieiunio, quod est in communi vsu. Ieiunium autem secundum substantiam, & mensuram, quam habet ex institutione Ecclesiæ, non requirit abstinentiam à lacticinijs etiã pro illis diebus, in quibus alias lacticinia, & oua sunt prohibita, quod satis ex eo constat, quia in quadragesima, pro quo non solum vetita sunt lacticinia de iure non prohibentur per præceptum ieiunandi, sed per aliud præceptum distinctum; vnde qui non tenentur præcepto ieiunij, tenentur præcepto abstinendi ab ouis, & lacticinijs, vt contingit in adolescentibus vsque ad annum vigesimum primum.

5 Dices. Præceptum ieiunandi in quadragesima esse etiam de abstinentia à lacticinijs, sicut est etiã de abstinentia à carnibus. Et præceptum abstinendi à lacticinijs pro adolescentibus esse speciale pro ipsis, quod ijs imponitur loco præcepti de ieiunando, quia hoc esset pro illa ætate nimis onerosum. Sed hoc non rectè dicitur, quia cum effectus præcepti communis sit omnibus tam adolescentibus, quam cæteris, præceptum quoque debet esse commune, atque adeo distinctum à præcepto de ieiunio: tum quia in aliquibus locis viget præceptũ de ieiunio, & non de abstinentia à lacticinijs, quod fieri non posset, si esset vnum, atque idem præceptum: tum quia Pontifex in Bulla Cruciatæ dispensat in abstinentia à lacticinijs, atque adeo in præcepto, non autem in præcepto de ieiunio, nisi necessaria sit dispensatio de consilio vtriusque medici ad carnes comedendas. Tum denique quia præceptum de abstinentia à lacticinijs siue vt de nouo impositum, siue per extensionem præcepti de abstinentia à carnibus habetur ex Cap. *Denique Dist.* 4. & præceptum de ieiunio alibi in iure traditur.

6 Atque ex dictis soluta manet ratio in oppositum, quia quando votum, pœnitentia iniuncta, & impositio Pontificis habent pro materia ieiunium, illud intendunt quò ad ea, quæ sunt propria illius, atque

atque adeo quò ad ea, quæ habet ex institutione Ecclesiæ, non autem quo ad adiuncta ratione alterius præcepti.

An in Ferijs sextis, Sabbato, & Ferijs Rogationum prohibeantur à iure, aut ratione consuetudinis oua, & lacticinia.

Decis. 79.

SVMMARIVM.

1 *Oua, & lacticinia prohibentur secundum aliquos in ferijs sextis, Sabbato, & Rogationibus.*
2 *Non prohibentur.*
3 *Antiquitus aderat præceptum ieiunandi Feria sexta, & Sabbato.*
4 *In iure non adest obligatio abstinendi à lacticinijs ferijs sextis, & Sabbato.*
5 *Nec ratione consuetudinis.*
6 *Nec in Ferijs Rogationum.*
7 *An vbi viget consuetudo abstinendi à carnibus in Rogationibus, obliget ad mortale.*
8 *Non semper quando prohibentur carnes prohibentur etiam oua, & lacticinia.*

1 AFFIRMATIVE respondent Couarruuias *lib. 4. Variar. c. 20. n. 15.* Ricc. *in 4. dist 5. ar. 3. q. 5.* Tabiena *verbo* Ieiunium §. 7. Additio *ad Angel. verbo* Ieiunum Io: Firmianus *lib 4. de Episcopo p. 2. Casu 107. n. 131.* Mandos. *in Praxi Signat. Tit. licentia.* Quia ex c. *Denique dist 4.* quando prohibentur carnes, prohibentur etiam ea, quæ ducunt originem ex carnibus, nempe oua, & lacticinia.

2 Sed oppositum tradunt D. Th. *in 4. dist. 15. qu. 3. ar. 2. ad 4.* Palat. *disp. 8.* Palud. *q. 4 ar. 3.* Hostiens. *in Rubr. de obseruat. ieiun. num. 5.* Tanorm *ibid.* Armilla *verbo* Ieiunium *init. & n. 13.* Abulensis *in Confess. C. De Gula* Alcozer *in sum c. 24.* Corduba *q. 168. sum. punc. 2. in fine* Pedrazza *præcep. 3. §. 14.* Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* Henriquez *lib. 7. sum. c. 13. n. 9. & in Glos. littera T.* vbi alios citat, Ludouicus à Cruce *Disp. 1. in Bullam Cruciatæ c. 5. dub. 15. n. 2. & communiter.*

3 Pro quo notandum est. Quod antiquitus aderat præceptum de ieiunio in ferijs sextis, & apud Ecclesiam Romanam etiam in sabbato, vt habetur ex c. *Sabbato De Consecrat. Dist. 3.* Et similiter etiam idem præceptum aderat pro Ferijs Rogationum ex cap. *Rogationes eodem tit. & dist.* Hæc tamen præcepta abrogata sunt, nec amplius obligant; sed solum remansit præceptum de abstinendo à carnibus feria sexta, & sabbato.

4 Non sunt igitur prohibita à iure oua, & lacticinia in ferijs sextis, & sabbato. Nullum enim in toto iure adest præceptum abstinendi ab huiusmodi, quia cap. *Denique dist. 4.* loquitur tantum de ieiunijs quadragesimalibus, vt diximus etiam in superioribus. Vnde nec dici potest, quod talis obligatio remanserit ex præcepto de ieiunio abrogato, tum quia præceptum de ieiunando extra quadragesimam, non obligat ad abstinentiam à lacticinijs, ouis, vt ostendimus in superioribus: tum quia illud præceptum totaliter abrogatum est, & abstinentia à carnibus prouenit ex alio speciali præcepto vt ex cap. *De esu carnium De consecrat. dist. 3.* & cap. *Quia dies. De consecrat. Dist. 5.*

5 Nec etiam ratione talis consuetudinis adest obligatio, quia non adest consuetudo vniuersalis: & vbi adest, vt in quibusdam prouincijs Hispaniæ, non est consuetudo, quæ obliget, tum quia non constat, an fuerit inducta cum animo se obligandi: tum quia non apparet motiuum, quod potuerit in omnibus vniuersaliter causare hunc animum; & ideo cum non adsit fundamentum iudicandi, hanc consuetudinem esse obligatoriam, censenda est inducta ex deuotione.

6 Similiter nec in ferijs Rogationum prohibentur oua, & lacticinia, quia præceptum de ieiunio non solum est abrogatum, vt diximus, sed etiam, si adesset, non introduceret hanc obligationem, cum ieiunium non trahat secum abstinentia ab ouis, & lacticinijs. Vnde consuetudo quoque declarat, nullam talem adesse obligationem, cum in dictis diebus etiam carnes licitæ sint, seclusis quibusdam locis, in quibus solent abstinere solum à carnibus, absque ieiunio.

7 Sed dubium est, an consuetudo abstinendi à carnibus in ferijs Rogationum, vbi viget, obliget ad mortale. Resp. contra Leandrum *par. 3. in præcep. Eccl. tract. 5. disp. 3. q. 13.* Non obligare, quia cum non constet post abrogatum præceptum de ieiunando, quod sit inducta cum animo se obligandi, nec etiam constat de vi obligatiua ipsius: & ideo accipienda est tamquam non obligans, sed vt quid, quod remanserit post præceptum abrogatum de eo, quod præcipiebatur. Quia tamen abstinentia à carnibus in ieiunijs præcipitur vt quid connexum cum ieiunio seu inclusum in ipso; ideo abrogato præcepto de ieiunio, cessat etiam obligatio abstinendi à carnibus, & ideo non remansit talis obligatio apud eos, apud quos remansit in dictis diebus abstinentia à carnibus, quæ tantum ex deuotione censenda est remansisse. Quod autem objicit Leander, quod sit inducta ex animo se obligandi ex communi æstimatione, non subsistit, quia nec constat de tali communi æstimatione, & si constaret, non constaret de animo se obligandi, quia recepta est consuetudo, vt fuit introducta: nec dicenda est introducta vt obligans, nisi de hoc constet.

8 Quod autem allatum est pro opposita sententia *num. 1.* nullam habet difficultatem, quia in illo cap. *Denique dist 4.* est tantum sermo de ieiunijs quadragesimalibus, in quibus dicitur, quod sicut prohibentur carnes, prohibentur etiam, quæ originem trahunt ab ipsis. Non tamen valet, quod, quotiescumque prohibentur carnes, prohibeantur etiam quæ originem trahunt ab ipsis, quia hoc non est in iure expressum, & communis sensus Ecclesiæ, & consuetudo est in oppositum. Nec valet ratio Leandri *p. 3. in præcep. Eccl. tr. 5. disp. 3. q. 11.* quod sint prohibita ex congruo, quia ratio cur prohibeantur oua, &c. in Cap. *Denique dist. 4.* prohibitis carnibus militat etiam in his diebus; nam vt dictum est in superioribus, congruitas nullam inducit prohibitionem.

An

An, qui ex priuilegio, vel dispensatione comedit oua, & lacticinia, possit simul etiam comedere pisces. Decis. 80.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus ad oua non potest simul comedere pisces secundum aliquos.*
2 *Si comedat pisces, non abutitur dispensatione.*
3 *Potest simul comedere.*
4 *Dispensatio ad lacticinia non reddit illicitos pisces.*
5 *Si pisces commutentur in oua, & lacticinia, tunc pisces fiunt illiciti simul cum lacticinijs.*

1 HANC quæstionem supra tractauimus, quò ad illum, qui est dispensatus ad carnes. Ideo nunc quo ad eum, qui est dispensatus ad oua, & lacticinia. Negatiuè respondet similiter Nauar. *tom.* 1. *Consil.* 5. *de obseruat. ieiunior.* Graf. *par.* 1. *lib.* 2. *c.* 37. *num.* 59 loquendo in eodem prandio. Quia talis dispensatio supponitur facta, quia pisces ei nocent, vnde si simul comedat oua, & pisces, peccat, vel quia non adest causa dispensationis, siquidem pisces non nocent, vel si adest, quia re vera nocent, abutitur dispensatione, quia non vtitur in ordine ad finem, pro quo est concessa.

3 Sed hoc, vt diximus etiam supra, non est alicuius ponderis, quia pisces nocerent, si soli adhiberentur, ita vt totum nutrimentum ab ipsis sumeretur: non nocent autem, si temperentur cum ouis & lacticinijs. Vnde adest causa dispensationis sine aliquo abusu, quia re vera adhibetur in ordine ad finem, pro quo est concessa.

3 Quare tenendum est cum Reginal *lib.* 4. *Praxis Fori Pœnit. c.* 14. *n.* 168. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 10. *q.* 1. Acosta *in Bullam Cruciatæ, q.* 80. Nugno *tom.* 2. *in* 3. *par. tr. de Bulla Cruciatæ* §. 8. *dub.* 4. Villalob. *tom.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 8. *nu.* 10. Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Ortiz. *c.* 19. *sum. num.* 18 *&* 19. Fernandez *p.* 3. *Exam. theol. mor. c.* 9. §. 5. *num.* 3. Facundez *lib.* 1. *præcep.* 4. *Eccles. c.* 2. *n.* 39 *ver. Alij affirmant, edit, secunda Lugdunens. anni* 1632. Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. c.* 1. *dub.* 14. *n.* 6. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 2. *nu.* 12 *& in Bul Cruciata lib.* 1. §. 4. *dub.* 14. *n.* 11. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 27. Ludouico à Cruce *in Bullam Cruciatæ dis.* 1. *c.* 5. *dub.* 17. *n.* 6. Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 1. *n.* 19. Io: Henriquez *in sum. sect.* 16 *q.* 10. *n.* 27. Leandro à Murcia *in c.* 3. *Reg. S. Francis. q.* 12. *n.* 7. licitè dispensatum ad oua, & lacticinia posse comedere etiam pisces in eodem prandio.

4 Ratio est, quia priuilegium, aut dispensatio non tollit, quæ alias licita sunt, sed aliquid amplius concedit; vndè cum pisces omnibus concedantur, adueniente alicui priuilegio de comedendo oua, & lacticinia, non tollitur ipsi facultas comedendi pisces, alioquin priuilegium tolleret, quod alias est licitum.

5 Notanda tamen semper sunt verba priuilegij, aut dispensationis; fieri enim potest, quod non contineant verum priuilegium, aut dispensationem, sed solam commutationem, vt si loco piscium concedantur oua, & lacticinia: tunc enim non licet simul cum ouis, & lacticinijs comedere pisces, quia fit commutatio vnius abstinentiæ in aliam abstinentiam, nempe abstinentia ab ouis, & lacticinijs in abstinentiam à piscibus.

An comedens lacticinia, & oua in ieiunijs Quadragesimæ absque priuilegio, aut dispensatione satisfaciat præcepto ieiunandi. Decis. 81.

SVMMARIVM.

1 *Edens oua, & lacticinia in ieiunijs quadragesimæ satisfacit præcepto ieiunij.*
2 *Peccat tamen contra præceptum prohibens oua, & lacticinia.*
3 *An toties peccet, quoties comedit oua, & lacticinia.*

1 RESP. affirmatiuè cum Sanchez *lib.* 4. *in Decal. c.* 11. *n.* 53. Portel. *in Dubijs Regularib. verbo* Ieiunium *in Addit. num.* 7. Leandro *p.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 3 *q.* 14. Quia præceptum ieiunandi, etiam in quadragesima, non requirit abstinentiam à lacticinijs, nam non est diuersum, seu non exigit ieiunium diuersum ab eo, quod exigit extra quadragesimam: extra autem quadragesimam non exigit abstinentiam à lacticinijs, & ouis, vt vidimus in superioribus. Neque talis abstinentia præscribitur in ieiunio vllo Ecclesiastico; vnde bene, impletur præceptum ieiunij quadragesimalis ab habentibus Bullam cruciatæ cum ouis, & lactinijs, quia Bulla nihil innouat circa tale præceptum: & vbi etiam adest consuetudo ijs vescendi in dicto tempore quadragesimæ.

2 Quia tamen oua, & lacticinia aliunde prohibentur, ideo ijs vesci absque priuilegio, aut dispensatione, & vbi non adest consuetudo peccabit contra tale præceptum, quamuis satisfaciat ieiunio.

3 An autem toties peccet, quoties comedit, eadem est fere ratio, ac de eo, qui pluries in eodem die comedit carnes, de quo diximus in superioribus. Et ideò toties peccare tradunt Sanchez *lib.* 4. *summ. c.* 11. *n.* 42. *Tolet. lib.* 6. *c.* 2. *n.* 5. Io: Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 51. *n.* 26. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *resol.* 45 Boss. *tom.* 3 *moral. tit.* 21 *n.* 224. Quia tamen in Cap. *Denique Dist.* 4. vbi præcipitur talis abstinentia, non datur præceptum negatiuum, sed positiuum de exercitio positiuo virtutis talis abstinentiæ, nam vtitur verbo *Ieiunandi*, quod importat positiuum exercitium virtutis abstinentiæ, ideo probabile est quod solum peccet quando prima vice comedit, non autem altera vice, quia iam non amplius, vrget præceptum cum non possit impleri, nam non potest amplius exerceri pro illa die actus ille abstinentiæ; vt contingit etiam in ieiunio. Illa namque abstinentia est in consequentiam ad ieiunium, & pertinet ad formam talis ieiunij, nempe Quadragesimalis & ideò cum non possit amplius seruari, cessat obligatio præcepti.

An

An mendicantes ostiatim possint comedere oua, & lacticinia, quæ illis dantur, quando alias sunt prohibita. Decis. 82.

SVMMARIVM.

1 *Ostiatim mendicantes possunt edere oua, & lacticinia, quæ supersunt ijs, qui dant elemosinam, vbi adest Bulla cruciata.*

2 *Quæ ostiatim acquirunt, sunt necessaria alimenta mendicantium.*

1 DIFFICVLTAS procedit, vbi adest Bulla Cruciatæ, ibi enim communiter per priuilegium Bullæ, quo carent pauperes mēdicantes, comedunt in ieiunijs quadragesimæ oua, & lacticinia. Et resp. affirmatiuè cum Henriquez *lib. 7. sum. ca. 13. nu. 9.* Rodriquez *tom. 1. sum. ca. 23. in fine* Sanchez *lib. 5. Consil. moral. c. 1. dub. 19. n. 5.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 2. n. 6.* Leandro *p. 3. in precep. Eccl. tr. 5. disp. 3. q. 15.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 58.* Remigio *tr. 3. sum. c. 4. §. 1. n. 9.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de precep. Eccl. lib. 3. c. 3. num. 41.* Qui reducūt hoc ad priuilegium paupertatis, vel ad paruitatem materiæ.

2 Sed vera ratio est, quia cum mendicantes ostiatim non habeant, vnde substententur, nisi ex ijs, quæ ipsis dantur pro eleemosina quæ non præsumuntur excedere debitam ipsorum substentationem possunt, quæcumque sint, ea comedere ratione necessitatis, quæ ipsos soluit ab obligatione legis, quia si cogerentur ab ijs abstinere, subtraheretur ipsis debita substentatio. Et hoc desumitur ex cap. *Licet tam veteris de pœnit. & remission.* vbi obligatus ieiunare in pane, & aqua, si non habeat panem, potest vesci alijs cibis, etiam piscibus.

An Agricolæ, & pauperes existentes in locis, vbi non sunt pisces, siue recentes, siue sale conditi, aut assi, possint comedere lacticinia, & oua, si facile possint ea habere, quando prohibentur. Decis. 83.

SVMMARIVM.

1 *Agricolæ, & pauperes, vbi non sunt pisces, possunt edere lacticinia in ieiunijs, quando prohibentur.*

2 *Cur in tali casu lacticinia non censeantur prohibita ab Ecclesia.*

3 *Possunt etiam ministrari domesticis, & operarijs colentibus agros.*

4 *An sit petenda dispensatio.*

5 *Quid dicendum quando pisces haberi possunt, sed difficile, & cum graui expensa.*

6 *Cur non sufficiant herbæ, & legumina.*

1 AFFIRMATIVE respondent Sanchez *lib. 5 Consil. moral. c. 1. dub. 19. n. 4.* citans Henriquez *lib. 7. sum. c. 13. n. 9. in fine*, & asserens sic sentire doctos Recentiores. Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 6.* Sequūtur etiam ex parte Mach. *tom. 2. sum. l. 6. p. 8. tr. 9. docum. 2. n. 3.* Leand *p. 3. in precep. Eccl. tr. 5. disp. 3. q. 16.* quando non adest conueniens prandium, & absolutè Bossius *tom. 3. moral. tit 21. n. 59.* Quæ opinio mihi probabilis videtur.

2 Et ratio desumi potest ex intentione Ecclesiæ, quæ non intendit ieiunium adeo rigorosum, quale esset cum abstinentia à piscibus, sed cum prohibeat carnes, oua, & lacticinia, relinquit pisces in subleuamentnm naturæ: vnde cum ipsi desunt, adest sufficiens motiuum interpretandi eius voluntatem, quod concedat oua, & lacticinia. Quod etiam ex eo colligitur, quia approbat consuetudines illorum locorum, in quibus, ob penuriam piscium, in qundragesima adhibentur oua, & lacticinia.

3 Vnde sequitur, quod in tali casu ministrari possint oua, & lacticinia domesticis, atque operarijs, qui agros colunt, vt docet Sanchez *citatus*, asserens re agitata, ita fuisse resolutum à multis viris doctis suæ societatis; militat enim eadem ratio, quia nimirum ieiunium euaderet nimis rigorosum, excedens mensuram illius abstinentiæ, quam præscribit Ecclesia, & sequutus est etiam Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num 59.*

4 An autem in tali casu petenda sit dispensatio? Resp. Sanchez cum Henriquez, & prædictis Recentioribus, securius esse eam petere; at vbi res est clara, non opus esse dispensatione, quod notare debent rurales Parochi.

5 Et hoc etiam extendendum est, quando pisces difficile haberi possunt, aut non nisi cum magno pretio, quia tunc moraliter idem est, ac si haberi non possent, quia nimis incommodum esset eos procurare.

6 Objicit Leander. Possunt Agricolæ habere sufficientem substentationem absque piscibus etiam sale conditis, nempè herbis, leguminibus, &c. Ergò non poteruut vti ouis, & lacticinijs. Resp. eamdem substentationem posse haberi, vbi non sunt pisces, & tamen Ecclesia admittit consuetudinem edendi oua, & lacticinia. Deinde herbæ, & legumina requirunt longam curam vt præparentur, & coquantur, & tempus; quod sine graui incommodo ab ipsis insumi non potest, cum debeant laborare in suis operis pro victu sibi quærendo.

An iter agentes possint in ieiunijs, quando prohibentur, edere oua, & lacticinia, si non inueniant pisces. Decis. 84.

SVMMARIVM.

1 *Iter agentes possunt in omnibus ieiunijs comedere lacticinia, si non habent pisces.*

2 *Tunc non censentur lacticinia ab Ecclesia prohiberi.*

3 *Debet tunc tolli scandalum, & quomodo tollendum.*

4 *limitatio Leandri, an superflua.*
5 *Minores, & alij Religiosi itinerantes possunt edere oua, & lacticinia, si in alijs cibis non habeant congruam sustentationem.*

1 AFFIRMATIVE respondet Sanchez *lib.* 5. *Consil. Moral. c.* 1. *dub.* 19. *n.* 7. addens; hos esse admonendos à confessarijs, ne peccent ex conscientia erronea. Sed insuper etiam est aduertendum, ne adsit scandalum, quia tunc deberent abstinere, aut curare, ne scandalum oriatur.

2 Militat enim in hoc eadẽ ratio, quod censeatur Ecclesia eatenus prohibere lacticinia, quatenus adsunt pisces in subleuamentum, nam non censetur velle ieiunium adeo rigidum, vt iam diximus, quod specialiter habet locum respectu iter agentium, qui ob labores itineris indigent maiori subleuatione: vnde quando non adsunt pisces, censetur relinquere oua, & lacticinia.

3 Sed quæres an ad tollendum scandalum sufficiat dicere, quod Confessarius, aut viri docti ita docuerunt. Resp. sufficere, si tamen constet, quod id serio dicatur, & non ad velandam gulam, & id dicens sit persona, quæ in exteriori videatur mereri, vt ei fides adhibeatur. Per hoc enim adhibetur id, quod sufficit ad scandalum tollendum; vnde si non tollatur, fiet scandalum passiuum imputandum ei, qui scandalizatur.

4 Limitat Leander *par.* 3. *in prec. Eccl. tr.* 5. *dis.* 3. *qu.* 17. quando iter agens non excusatur à ieiunio, & non inuenit alios cibos pro sufficienti sustentatione aut alias est persona assueta delicatis cibis: Et priorem partem huius limitationis tenet etiam Murcia *in Regul. S. Francisc. c.* 3. *quæst.* 11. *n.* 4. Hæc tamen limitatio non videtur necessaria, quia certum est, quod si non adsint cibi pro congruenti prandio, cessaret etiam præceptum ieiunij, quod tamen præualere debet respectu obligationis abstinendi ab ouis, quippe ieiunium stare potest cum ouis, & proinde prius obligat, quam abstinentia ab ouis, Si verò sit assuetus delicatis cibis, cum pisces sint delicatior cibus in ieiunio, sufficiet, si sit assuetus piscibus: Quod si non sit assuetus: non habet locum difficultas, quia qui non solet edere pisces, non debet loco ipsorum concedi quod est prohibitum, nec vertitur in dubium, an debeat concedi, quia non deest consueta refectio. Et ideo Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *num.* 60. *absolutè* sequutus est hanc opinionem.

5 Ex dictis colligitur cum Leandro à Murcia *in c.* 3. *Reg. S. Franc. quæst.* 11. *num.* 4. fratres minores, & est eadem ratio de cœteris Religiosis, posse edere oua, & lacticinia, quando itinerantes non inueniunt congruam refectionem in alijs cibis. Quia si tunc absoluuntur a ieiunio, à fortiori poterunt ieiunare cum ouis, & lacticinijs. Et ita etiam tenere debent citati Decis. præced. num. 1. nam adhuc se habent tanquam pauperes, quibus tunc non suppetit in cibis concessis congrua refectio. Debent tamen considerare, quod cum Religiosi debeant esse perfectioris vitæ, facile scandalum causare poterunt, præsertim vbi non est consuetudo edendi oua in ieiunijs.

An quando in ieiunijs prohibentur oua, liceat comedere panem biscotum, vulgò cantuccio *Decis.* 85.

SVMMARIVM.

1 *Qui negent, licitum esse panem biscotum in ieiunijs, quando oua prohibentur.*
2 *Est licitus.*
3 *Oua absorbentur in pane biscotto, & non æstimantur.*
4 *Panis biscottus est licitus in ieiunijs in quacumque quantitate.*
5 *An pueris post septennium possint ministrari lacticinia.*
6 *Oua in biscotto effugiunt sensum.*

1 NEGATIVE respondent Io: à Cruce *p.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 3. *ar.* 4. *dub.* 8. *concl.* 4. *in fine* Vega *tom.* 1. *sum.* c. 14. *Casu* 9. Rodriquez *p.* 1. *sum.* c. 23. *ante* 1. *concl.* qui tamen ratione paruitatis materiæ prohibitæ, quæ ingreditur panem biscottum, excusat à mortali. Horum fundamentum est, quia huiusmodi panis fit cum admixtione ouorum, vnde, cum sint prohibita oua, erit etiam prohibitus huiusmodi panis biscottus.

2 Hoc tamen non obstante posse licitè adhiberi in his ieiunijs huiusmodi panem biscottum, etiam si alias sint oua prohibita, docent Ledesma *tom.* 2. *sum. tr.* 27. *c.* 2. *diff.* 5. *post* 3. *conclus.* ver. *A esta difficultad.* Villalob. *tom.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 7. *num.* 3. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 31. ver. *Igitur & propter* Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *num.* 138. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. Io: Henriquez *in quæst. pract. sect.* 16. Martin à S. Ioseph *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 6. *de ieiun. num.* 4. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de precep. Eccles. lib.* 3. *c.* 3. *num.* 39, Leander à Murcia *in Cap.* 3. *Reg. S. Francisc. c.* 2. *§.* 2. *num.* 35. nempè ratione consuetudinis, quæ sufficit, vt id censeatur licitum: & ratione paruitatis materiæ, quia vnum ouum sufficit pro decem biscottis.

3 Existimo igitur, siue adsit consuetudo, siue non, licitum esse, vti in his ieiunijs huiusmodi pane biscotto, quia enim quantitas oui, quæ admiscetur est valde parua, ita absorbetur à quantitate panis, vt nullum vestigium ipsius appareat, sicut apparet in iure substantia carnis, & in alijs pulmentis, & edulijs substantia carnis, aut ouorum admixta; vnde huiusmodi panis se habet, ac si non esset admixta substantia oui, quia moraliter nec censetur ex ipsa constare, cum non ingrediatur vt pars constitutiua ipsius, sicut ingreditur in panem, vulgò *Pasta reale*, sed ad aliqualiter attemperandam materiam, ex qua fit.

4 Ex quo sequitur, quod liceat ijs vti in quacumque quantitate, quantumuis magna, quia licet tunc quantitas ouorum notabilis esset seorsim sumpta, immixta tamen huiusmodi pani semper est exigua; & ita absorpta in substantia panis, vt nunquam censeatur, quis vesci ouis, quia nunquam adhibetur cibus prohibitus, prohibentur enim oua, prout sunt moraliter oua, & cibi, qui constant ex

I ipsis

ipsis, vt ex parte componente, non autem id, quod non est moraliter ouum, nec constat ex ouo, vt ex parte constitutiua. Et valet quod id, quod non est prohibitum in parua quantitate, nec etiam est prohibitum in magna quantitate, quia non prohibetur ratione quantitatis, sed ratione qualitatis, quæ est eadem tam in magna, quam in parua quantitate.

5 An autèm quando prohibentur oua, & lacticinia possint per aliquod tempus pueris post septennium ministrari, negat Baldel *tom. 1. theol. moral. l. 5. disp. 30. n. 12.* quia obligantur legibus Ecclesiasticis. At affirmant Henriquez *lib. 14. sum. cap. 49. nu. 2.* Ledesma *2. p. 4. quæst. 17. ar. 6. dub. 2. in fine* Bonacina *disp. 1. de legib. q. 1. punc. 6. num. 8.* Quia ita consuetudo interpretatur legem. Quod probabilissimum est, quia ætas, illa adhuc tenera nimium pateretur, si statim etiam lacticinijs interdiceretur: Vnde lex esset ipsis nimis onerosa.

6 Contra supradicta insurgit Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 3. quæst. 18.* & plura obijcit. Quia putat, quod panis biscotorum, vulgò *Cantuccio* sit eiusdem rationis cum illo, quem vulgò dicimus, Pane di Spagna, qui cum notabili quantitate ouorum conficitur. At panis biscottus, de quo agimus, est talis conditionis, vt in ipso nullum vestigium ouorũ appareat etiã quoad eos qui habent perfectissimum gustum. Nec quisquam aliquid oui suspicaretur mixtum, nisi sciret, cum in communi æstimatione sit quod sit panis licitus in Quadragesima quocumque deferatur. Vnde corruunt, quæ obijcit, quia licet sint prohibita oua, in biscotto tamèn ratione modicitatis, & quia nullum adest vestigium non sunt in consideratione, nec habentur pro parte componente. Non potest autèm consecrari, quia ratione aliorum ingredientium non est panis vsualis. Nec sequitur quod sint licitæ placentæ ex lacte, & ouis, quia hæ constant ex notabili quantitate lactis, & ouorum. Similitèr non accepit in vero sensu quando supra dixi, quod prohibentur oua, vt sunt moralitèr oua, supra *num. 4.* quasi dixerim non mixta ita vt inbibita in alia substantia non sint prohibita: quia statim subdo, quod prohibentur cibi, qui constant ex ipsis, vt parte componente. Sed oua tunc sunt moraliter oua, quando in cibo agnoscitur substantia ouorum, saltèm mediante gustu, quod non contingit in pane biscotto, vt dictum est.

DE

DE REFECTIVNCVLA VESPERTINA.

An, & quomodo in die ieiunij licita sit serotina collatio simul cum vnica comestione. Decis. 86.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium ecclesiasticum requirit ad sui essentiam vnicam tantum comestionem.*
2 *Hae vnica comestio non est præscripta à iure, sed a consuetudine.*
3 *Supra vnicam comestionem est licita vespertina refectiuncula.*
4 *Consuetudo eam facit licitam.*

1 PRæter abstinentiam à quibusdam cibis vetitis ab Ecclesia in die ieiunij, necessaria est pro saluando ieiunio ecclesiastico vnica tantum comestio, alioquin si esset multiplex solueretur ieiunium ab Ecclesia præceptum. Et ita docent communiter omnes Doctores Abbas *in Rubr.* De obser. ieiun. num. 3. Præposit. *in Cap. Denique num.* 2 1. Dist. 2. Couaruui. *lib.* 4. *variar. cap.* 20. nu. 11. Cenedo *in quæst. Canon. q.* 41 *init* Abulens. *q* 165. *in cap.* 6. *Matth.* Medina *de ieiunio q.* 3. Tabiena *ibid. num.* 3. Angelus *num. item* 3. Caiet. *vers. Vnica demum comestio* Gabriel *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 3 *art.* 5. Lopez *par.* 2. *Instruct. c.* 112. *ver. Quæritur sexto*, Angles *in Floribus de ieiunio qu.* 9. *ar.* 2. Rodriquez *tom.* 1 *sum. cap* 23. *init.* Azor. *tom.* 1 *lib.* 7 *cap.* 9. *q.* 1. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 1. *n.* 3. Reginal. *lib.* 4. Praxis *n.* 154 Sà *verbo.* Ieiunium *n* 8. Laiman. *lib* 4. *theol. mor. tract.* 8. *cap.* 1. *n.* 5. Molfes. *par.* 1 *sum. tract.* 10. *cap.* 3. *n.* 25. Llamas 3. *p. Meth. c.* 5. §. 22. Ledesma *p.* 2. *sum. tract.* 27. *c.* 2. Fernandez *p.* 2. *Exam. theol. mor. c* 8. *n.* 2. Facundez *l.* 1. *de* 4. *præc. Eccl. c.* 4. *n.* 1. Io: à Cruce *p.* 1. *Direct. consc. præc.* 3. *ar.* 4. *dub.* 8. *n.* 1. & alij plures cum D. Th. 2. 2. *q* 147. *ar.* 3.

2 Hæc autem præscriptio vnius comestionis tantum in iure canonico non habetur, vt contra Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 6. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 3. *n.* 37. notant plures ex citatis Doctoribus, sed tantum ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, quæ, quia præscribit modum comedendi in die ieiunij ab Ecclesia præcepti, & interpræratur mentem legislatoris, habet vim obligandi tanquam ea, quæ est de aliquo necessario pro obseruatione ieiunij, quod obseruari non potest, nisi circa modum comestionis habeatur aliqua præscriptio.

3 Cum hac tamen vnica comestione est licita serotina refectiuncula, seu collatio, vt omnes item communiter docent, præsertim Abbas *citato n.* 3. *in Rubr. De obseruat. ieiun.* Couaruuias *lib.* 4. *variar. c.* 20. *nu.* 11. *ver. De illo vero*, Cenedus *par.* 1. *Collect. tit.* 23. *Glos.* 3. *num.* 1. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 6. D. Antonin 2. *par. tit.* 6 *c.* 2. §. 9. *ver. Vnde nota* Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 12. & 14. Medina *Cod. de ieiunio tit. de horis refect. ver. His non obstantibus.* Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 2. *difficul.* 4. Medina *par.* 1. *instruct. cap.* 14. §. 10. *ver. Sigue se mas* Alcozer *in sum. cap.* 24. *ver. Porhazer.* Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 5. *concl.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 4. Sylu ester *verbo* Ieiunium *num.* 10. *ver. Tertium de collatione.* Beia *par.* 1. *Respon. casuum conscient. casu* 3. *init.* Lopez *par.* 2. *Instruct. cap.* 112. *ver. De collat.* Llamas 3. *par. Methodi cap.* 5. §. 24. Facundez *lib.* 1. *de quarto prac. Eccl. cap.* 4. *num.* 12. Rosel. *verbo* Ieiunium *n.* 13. Armilla *num.* 1. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 11. Villalobos *par.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 7. *num.* 1. Trullench *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 6. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 1. *n.* 4. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 4.

4 Cum enim consuetudo, vt diximus *n.* 2. præscripserit modum comedendi in die ieiunij, potuit etiam introducere huiusmodi serotinam refectiunculam tanquam aliquid accessorium vnius comestionis quia pertinet ipsa quoque ad præscriptionem modi comedendi in die ieiunij. Et ideo, cum consuetudo sit ipsa lex pro taxatione, & præscriptione cibi in die ieiunij, licite eam sequimur, non sequimur non secus, ac sequamur legem.

Ex quo fine adhibeatur in die ieiunij serotina refectiuncula. Decis. 87.

SVMMARIVM.

1 *Finis serotinæ refectiunculæ est mensura, qua ipsa mensurari debet.*
2 *Qui doceant vespertinam refectiunculam esse introductam ratione medicinæ.*
3 *Qui velint introductam ob substentationem naturæ.*
4 *Modo adhibetur ad substentationem naturæ.*
5 *Ieiunium non debet impedire functiones naturæ, atque adeo debet moderatè macerare.*
6 *Vespertina refectiuncula est necessaria ob congruam substentationem naturæ.*

1 NON potest commode explicari quid liceat, vel non liceat circa serotinam refectiunculam, nisi statuamus, ex quonam fine adhibeatur. Cum enim finis sit mensura legis *cap. fin. De prabendis*, & *l. in aqua ff. De acquirend. rer. dom.* atque adeo etiam consuetudinis, quæ iam transijt in legem, ita vt laxari, & restringi debeat, imo etiam tolli iuxta exigentiam finis, sequitur, quod in serotina refectiuncula ea permitti, vel negari debeãt, quæ exigit finis pmitti, vel negari.

2 Quidam putant, introductam fuisse ratione medicinæ, ne potus noceret, aut ad conciliandum somnum. Ita Caiet. 2.2.q.147. ar. 6. in solut. 2. & 3. dubij, vbi etiam vult, quod nec de facto liceat vti vespertina refectiuncula ad substentationem, sed tantum per modum medicinæ. Ledesma 2. p. 4. q. 17. ar. 5. concl. 7. D. Antonin. 2. p. tit. 6. c. 2. §. 9. Angelus verbo Ieiunium num. 3. Ledesma 2. p. 4. quæst. 17. ar. 5. concl. 7. Molfes. p. 1. sum. tr. 10. c. 3. n. 43. Bossius sect. 4. de iubil. casu 18. n. 124. Leander p. 3. in præcep. Eccles. tr. 5. disp. 4. q. 4. Villalobos 1 p. sum. tr. 23. difficul. 7. qui tamen vult, quod ex consuetudine modo licita sit etiã in ordine ad substentationem.

3 Alij verò putant, introductam fuisse ob substentationem naturæ, & proinde in hunc finem posse adhiberi. Ita Abulens. q. 170. in c. 6. Matth. Nauar. c. 21. Manual. num. 13. ver. Dixi etiam Syluester verbo Ieiunium n. 10. ver. Tertium. Armilla num. 1. Rosella num. 13. Medina Cod. De ieiunio q. 8. Lessius lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 2. num. 11. Tolet. lib. 6. sum. c. 2. num. 5. Filliucius p. 2. tr. 27. c. 2. num. 25. Medina c. 14 sum §. 10. Azor. tom. 1. lib. 7. c. 8. q. 1. Hieronymus Perez p. 1. sum. theol. prac. 3. §. de ieiunio Basseus in Florib. th. pract. verbo Ieiunium 1. num. 9. Facundez lib. 1. pracep. 4. Eccl. c. 4. num. 12. Fernandez p. 2. Exam. theol. mor. c. 7. §. 2. nu. 9. Ghetius in Thes. animæ verbo Ieiunium c. 1. num. 4. Bizozer. in sum. p. 4. de 3. præcep c. vlt. memb. 2. num. 3 ver. Sed Caiet. Lublinus p. 1. sum. verbo Ieiunium n. 3 Roccaful. in Praxi tr. 6. de præcep. Eccl. lib. 3. c. 4. n. 63 & sequent.

4 Quicquid tamen sit de prima introductione vespertinę refectiunculæ, existimo, modo certum esse, quod adhibeatur ad aliqualem substentationẽ naturę, & in subsidium vnicæ refectionis pręscriptæ in die ieiunij, vt pote quia non sufficiat pro commoda substentatione naturæ eo, quod sine tali refectiuncula non possit commode implere suas functiones. Et in hunc finem adhibetur communiter ab omnibus, etiam à viris timoratæ conscientiæ. Quamuis nonnulli Doctores videantur oppositum sentire, vt Caiet. D. Antonin Ledesma num. 2. citati.

5 Et quod consuetudo respiciat hunc finem, non solum constat ex praxi, vt modo dicebamus, sed etiam ex ratione, quæ facit rationabilem ipsam consuetudinem, & necessariam ipsam refectiunculam atque adeo quod consuetudo ipsam permittens sit necessaria. Ieiunium namque ita temperari debet, vt sit quidem maceratiuum corporis, exhibeat tamen congruam substentationem naturæ; & vt substentatio congrua sit, debet esse talis. vt tantum nutriat naturam, vt possit functiones suas facere. Quod si ita debilitaretur, vt impediretur in suis functionibus, ieiunium excederet intentionem Ecclesiæ in macerando corpore.

6 Quia autem, vt plurimum vniuscuiusque complexio, aut est ex robustis, aut ex debilioribus, ideo vnica tantum comestio non potest opportune naturam alere in ordine ad proprias functiones; nam si robusta est complexio, statim cibus vnius comestionis concoquitur, & remanet natura debilis in ordine ad suas functiones. Si vero complexio sit debilis, non potest in illa vnica comestione nimio cibo onerari, & si oneretur, difficile concoquitur: vnde debilitatur, nec potest satis commodè fugi proprijs operationibus. Hinc necessarium est, supra illam vnicam comestionem, aliquod subsidium ad sustentandam naturam, quod consistit in vespertina refectiuncula. Et ita tenent Azor. par. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 4. Villalob. 1. par. tract. 23. diff. 7. num. 4. Lessius lib. 4 de iust. & iure cap. 2. dub. 2. num. 11 Fernandez lib. 1. prac. 4. cap. 7. §. 2. num 9. Facundez præcep. 4. Eccl. lib. 1. cap. 4. num 12. Medina C. de ieiun. quæst. 8. Llamas 3. p. Meth. cap. 5. §. 22. Reginal. lib. 4. num. 184. Molfes. par. 1. sum. tract. 10. cap. 3. num. 43. Diana p. 1. tract. 9. resol. 1.

An quantitas vespertinæ refectiunculæ in die ieiunij sit mensuranda iuxta regionis, & personarum diuersitatem.

Decis. 88.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas vespertinæ refectiunculæ mensuranda iuxta diuersitatem locorum, & personarum.*

2 *An talis doctrina inseruiat pro praxi.*

3 *An in frigidioribus regionibus plus cibi concedi possit in serotina refectiuncula.*

4 *Non benè quantitas vespertinæ refectiunculæ relinquitur determinanda iuxta personarum, & locorum diuersitatem.*

5 *Absurdum si quantitas collationis relinqueretur vniuscuiusque conscientiæ.*

1 AFFIRMATIVE respondent Azor. 1. par. lib. 7. c. 8. quæst. 8 Filliucius tract. 27. par. 2. nu. 31. Reginal. tom. 2. Praxis Fori pœnit lib 4. n. 185. Laiman lib. 4. theol. moral. tract. 8. c. 1. num. 9. ver. Quod attinet ad quantitatem Ghetius in thesauro animæ verbo Ieiunium cap. 1. num. 4. Addit autẽ non esse determinandam quantitatem, sed relinquendam conscientiæ vniuscuiusque. Quod mihi non placet, quia hoc esset, inuoluere conscientiam scrupulis infinitis. Et sequutus est Leander in prac. Eccl. tract. 5. disp. 4. q. 10. Ratio huius sententiæ est, quia cum aliæ sint regiones frigidiores, aliæ calidiores, potest in frigidioribus sumi maior quantitas. Similiter etiam aliquæ personæ indigent maiori cibo propter corporis constitutionem, vt qui sunt prouectiores ætate, &c.

2 Hæc opinio non inseruit pro praxi, nam adhuc opus esset secundum ipsius doctrinam formare diuersas regulas pro diuersis regionibus, & personis, quibus regularetur vespertina refectiuncula, imo singulas pro singulis: vnde dat locum scrupulis, quia semper posset dubitari, an regula formata esset recta, & iuxta veram exigentiam loci, vel personæ.

3 Neque probatur, quod in frigidioribus regionibus plus cibi concedi possit, alioquin in singulis regionibus plus cibi concedi posset in hyeme, quam in æstate, & tamen experientia docet, quod in æstate complexio magis debilis est, quia facilius spiritus calore resoluuntur, vnde etiam indiget maiori cibo, & per ieiunia magis maceratur. Nec rectè obijcit Leander p. 3. in præcep. Eccl. tract. 5. disp. 4. q. 7. quid cibi possit sumi, vt ieiunans noctu calefiat, quia hoc nõ est sumere ratione regionis frigidioris, sed ratione particularis causę in eo, qui alias nõ calefieret. Quod autem

autē frigore vires deperdātur est cōtra experientiā, & rationem, quia frigus stringit, & spiritus concludit intra corpus, calor verò relaxat: Vnde quisq; in ieiunijs experitur maiorem difficultatem in ętate.

4 Deinde relinquere quantitatem vespertinæ refectiunculæ indeterminatam, & iuxta regionis, vel personæ diuersitatem determinandam, dat occasionem, vt plures nimium sibi indulgeant, sibi facile persuadentes, quod maiori, & maiori quantitate indigeant.

Et ex hoc corruit fundamentum Leandri *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 6.* asserentis, non esse præfigendam regulam, sed id esse relinquendum cōscientiæ timoratæ particularium. Et non videt hoc continere maximam laxationem, quia non omnes habent conscientiam adeò timoratam: & qui habent, plurimum mouentur intrinseco appetitu cibi, vt sibi persuadeant, necessarium esse, quod non est, quia vrget semper cōcupiscentia in bonum sensibile.

An quantitas cibi in vespertina refectiuncula sit mensuranda iuxta regionis consuetudinem. Decis. 89.

SVMMARIVM.

1 *In quantitate vespertina refectiuncula in die ieiunij attendenda est consuetudo.*
2 *Consuetudo sicut introduxit vespertinam refectiunculam, ita etiam præscribit debitam quantitatem illius.*
3 *Difficile attēdi potest consuetudo in vespertina refectiūcula.*

1 AFFIRMATIVE respondent Caiet. *in summa* verbo Ieiunium §. 1. Nauar. *in Manuali c. 21. nu. 13.* Tolet. *lib. 6. c. 2. num. 6.* Syluester *verbo* Ieiunium *num. 10.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure cap. 2. dub. 2. num. 11.* Molfesius *in sum. tract. 10. cap. 3. num. 44.* Trullēch. *lib. 3. in* Decal. *cap. 2. dub. 3. n. 9.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap. 1. num 4.* Bizozer *in sum. par. 4. de 3. praecep. Decal. cap. vlt. memb. vlt. num. 3. ver. Sed Caiet.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 4.* Bonacina *disp. vlt.* De *legib. q. 1. punc. 3. nu. 2.* Cenedo *in quæst. canon q. 1. num. 4.* Facundez *par. 2. Exam. theol. c. 8. §. 2. num. 9.* Diana *par. 1. Resol. moral. tract. 9. de ieiunio Resol. 1. ver. Secundo respondetur* Bossius *sect. 4. de Iubileo Casu 18. num. 149.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 6. de ieiun. num. 2.* Roccaful. *in Praxi tract. 6. de præcep. Eccl. lib. 3. cap. 4. num. 74.*

2 Et hæc opinio habet sufficiens fundamentum, quia sicuti consuetudo introduxit, & facit licitam huiusmodi vespertinam refectiūnculam, ita etiam potest quantitatem ipsius præscribere tamquam licitam; quia cum vnica comestio in die ieiunij sit de iure positiuo ex consuetudine, potest etiam consuetudo contra huiusmodi ius præualere non solum quò ad vespertinam refectiunculam, sed etiam quò ad quantitatem.

3 Atque speculatiuè loquendo vera est hæc sententia, sed ad praxim deseruire non potest, quia non constat de quantitate determinata per consuetudinem; nam si loquamur de viris timoratę conscientię, neque etiam in eodem loco conueniunt, nam alij plus, alij minus sumunt, vel quia sunt diuersæ complexionis, vel quia magis, vel minus rigorosè ieiunia seruant, vel ex aliqua alia causa. Vnde si attendenda esset consuetudo, quilibet incertus esset, in quanam quantitate deberet sumere vespertinam refectiunculam, nam non esset maior ratio, cur hos potius, quam illos sequeretur. Nèc rectè obycit Leander *par. 3. in Eccles. pracep. tract. 5. disp. 4. quæst. 6.* Quod sicuti ex consuetudine introducta est, ita etiā ab eodem potest determinari. Quod certè non vertitur in dubium. Quod autèm sit determinata, certe in his nostris regionibus est falsum, nàm quidam sumunt tantum parum aliquid, vt bibant, alij tres, alij quattuor, alij sex, alij etiam octo vncias.

An in vespertina refectiuncula in die ieiunij liceat sumere quartam partem cœnæ. Decis. 90.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant, quartam partem cœnæ posse sumi in vespertina refectiuncula.*
2 *Quarta pars habetur pro modico.*
3 *Concedentes octo vncias, concedunt vt plurimum quartam partem cœnæ in serotina refectiuncula.*
3 *Qui parce cœnant, non debent adstringi ad quartam partem in refectiuncula serotina.*
4 *Parcitas cœnæ non præiudicat ieiunantibus, quin possint sumere totam cœnam, si non excedat.*
5 *Qui plurimum comedunt in cœna, non possunt sumere quartam partem in refectiuncula.*
6 *Quinam possint illam sumere.*

1 QVOD possit sumi pro vespertina refectiuncula in die ieiunij quarta pars cœnæ, ita vt, nisi notabiliter excedatur dicta quarta pars, non violetur ieiunium, docent Reginal. *tom. 1. Praxis Fori Pœnit lib. 4 c. 14 dub. 10. num. 185.* Laiman. *lib. 4. theol moral. tract. 8. c. 1. n. 9. ver. Quod attinet ad quantitatem* Filliucius *tom. 2 tract. 26. par. 2 c. 3. q. 7. n. 33.* asserens, ita determinatū fuisse in celeberi Academia theologorum. Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib 2. tract. 6. de ieiun. n. 2.* Leander à Murcia in *c. 3. Regul. S. Francis. c. 2 §. 2. n. 41.*

2 Probat autem Filliucius, quia in cœteris rebus quarta pars censetur modica, vt in ommissione missæ, in ommissione horæ canonicæ. Vnde etiam in huiusmodi refectiuncula solet apponi quarta pars panis, quæ in cōsueta cœna sumi solet, & etiam quarta pars eduliorum, vt tres vnciæ ex duodecim, quæ sumerentur; tum quia etiam in iure modicum sumitur pro quarta parte.

3 Sed licet quarta pars possit haberi pro modico in comparatione ad totum, hæc tamen sententia non placet pluribus Doctoribus præsertim Turriano *in disp. select. centur. 2. dub. 94.* Dianæ *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 2. ver. Quid ego sentiam*, qui eam nimis laxam vocat, quod non video, quomodo secundum ipsum possit dici vniuersaliter. Cum enim concedat octo vncias pro refectiuncula vespertina, concedit vt plurimum quartam partem; quia cœnæ consuetæ non

non excedunt vt plurimum triginta duas vncias. Nec etiam placet Bossio *sect. 4. de iubileo casu 18. nu. 147.*

4 Mihi autem probabilis esset, si posset vniuersaliter ad praxim deduci. Sed quibusdam nimium cibũ concedit, alijs minimum. Sunt enim aliqui, qui in consuetis cœnis vix septem, aut octo vncias cibi sumunt: vnde determinare pro ipsis quartam partem cœnæ pro refectiuncula, esset nimis rigorosum, & ieiunium ipsis redderetur nimis maceratiuum. Et quamuis in ieiunio debeat subtrahi cibus, ita vt refectiuncula non sit cœna, hoc tamen locum non habet, quando quis consueuit pro cœna illam tantum quãtitatem cibi sumere, quæ non excedat consuetam refectiunculã ieiunij, quia quod quis parcus sit in cœna, non debet ipsi præiudicare in ieiunio, quasi teneatur vti minore quantitate, siquidem regulariter se gerit in quantitate cibi, ac si ieiunaret.

5 Deinde alij, qui plures libras cibi sumunt in qualibet cœna, possent in vespertina refectiuncula sumere quartam partem, quæ de se esset satis competens cœna pro quocunque alio. Et quamuis illis, qui solent multum comedere, possit concedi amplior refectiuncula vespertina, debet tamen esse intra terminos refectiunculæ, ita vt non possit moraliter cẽseri communis, & regularis cœna.

6 Itaque prædicta opinio potest tantum habere locum respectu eorum, qui consueuerunt, sumere cœnam moderatam, quia tunc quarta pars illius potest moraliter censeri refectiuncula, quatenus est quid modicum non solum respectiuè ad totam cœnam, sed etiam in se, & accedit ad illam quantitatẽ, quæ probabiliter solet assignari vt licita pro tali refectiuncula. Et hanc opinionem sequutus est Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 9.* Ex quibus constat, Turrianum *supra cit.* irrationabiliter more suo vocare supradictam sententiam scandalosam, temerariam, & contrariam bonis moribus.

Quænam quantitas determinata cibi possit licitè sumi in refectiuncula vespertina in die ieiunij. Decis. 91.

SVMMARIVM.

1 *Quantitas trium vnciarum pro refectiuncula vespertina in die ieiunij censetur exigua.*
2 *Quantitas quoque quattuor vnciarum:*
3 *Qui concedant pro refectiuncula vespertina sex vncias; qui septem, & quinam octo.*
4 *Iuxta qualitatem complexionis possunt sumi aut sex vnciæ, aut etiam octo.*
5 *Absoluiè octo vnciæ sunt licitæ.*
6 *Tota vespertina refectiuncula an possit sumi in solo pane.*
7 *Cum quantitate concessa in refectiuncula an possit coniungi paruitas materiæ.*
8 *Quantitas octo vnciarum non intelligitur quoad fructus humidos, de quibus sumi potest quid amplius.*

1 EX ijs, qui determinant præcisam quantitatem cibi, quæ licitè sumi potest in vespertina refectiuncula in die ieiunij, aliqui assignant quantitatem duarum, aut trium vnciarum, vt Graff. *par. 1. Decis. lib. 2. c. 37. n. 29.* quę tamen opinio communiter ab omnibus nimis rigorosa censetur: & etiam consuetudo est in contrarium, & fundatur in ratione, quia refectiuncula vespertina introducta est ad mitigandam macerationem ieiunij, & ad tribuendum naturæ aliquod robur, vt possimus consuetis functionibus vacare, duæ autem, aut tres vnciæ vt plurimum non sufficiunt pro hoc fine: quia sunt aliquod minimum & minimum robur naturæ conferre possunt.

2 Alij vero ampliant quantitatem refectiunculæ vsque ad quattuor vncias, vt Azor. *par. 1. lib. 7. c. 8. q. 9.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 8. in fine.* Homobonus *par. 1. Exam. eccles. tr. 6. c. 20. q. 90.* Victorel. *in notis ad Manuale Nauar. num. 13.* Naldus *verbo* Quantitas *nu. 9. ver. Quo ad ieiunium,* Sà *verbo* Ieiunium *n. 8.* Anton. de Leone *q. de Cacholate par. 3. n. 20.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *nu. 4.* Sed horum quoque opinio rigorosa censetur, quia quattuor quoque vnciæ ita aliquid modicũ sunt, vt non possint commodè pręstare illud beneficium, quod per consuetudinem intenditur, qua huiusmodi refectiuncula introducta est; nec sufficiunt, vt plurimum, vt faciant tolerabilem macerationem ieiunij, & ita eam mitigent, ne impediat consuetas functiones.

3 Itaque alij eam adhuc ampliant: asserunt enim, posse pertingere vsque ad sex vncias, vt Filliucius *tom. 2. tract. 27. par. 2. cap. 3. q. 7. num. 32.* Villalobos *tom. 1. sum. tract. 23. dub. 7. nu. 4.* Molfes *par. 1. sum. tract. 10. c. 3. n. 7.* & alij satis communiter. Alij etiam ampliant vsque ad septem vncias, vt Hieronimus Perez *in sum. par. 1. præcepto 3. §. De ieiunio.* Insuper octo vncias concedunt Facundez *lib. 1. de quarto præcepto Eccl. c. 4. nu. 13. & 19.* asserens, Suarez quoque fuisse huius opinionis, Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 1. ver. Quid ego sentiam,* qui addit ver. *Sed cum quantitatem* huiusmodi opinionem bra chijs expansis esse substinẽdam. Sancius *in select. de Sacram. disp. 52. n. 7.* Io. Henriquez *in Compendio Casuum moral. cap. 18. num. 2. & 3.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 3. nu. 9.* Turrian. *par. 1. summ. cap. 250. dub. 38. conclus. 1.* Sanchez *lib. 5. consil. cap. 1. dub. 25. n. 3.* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. q. 13.* Ioseph. August. *in Breui notit. &c. præcep. 2. num. 1.* Escobar *tract. 1. theol. moral. Exam. 13. c. 1. n. 102.* Pelizzar. *tom. 1. manual tract. 5. cap. 5. n. 10.* Gesual. *tom. 3. Theol. moral. tract. 22. cap. 2. n. 27.* Bauius *in Miscellan. tract. 1. q. 75.* Machad. *tom. 1. lib. 2. par. 4. tract. 3. docum. 7. n. 2.* Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. num. 1.* Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 4.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 6. de ieiun. num. 2.*

4 Has tres posteriores opiniones probabiles puto, ita vt quęlibet ipsarum ad praxim tuta conscientia reduci possit, & possit quilibet sex, aut septem, aut etiam octo vncias sumere, prout suæ complexioni necessarium putauerit. Tota enim ista quantitas non extendit terminos refectiunculæ, & haberi potest pro aliquo modico in comparatione ad regularẽ cœnam; & alioquin necessaria est, ita vt minor regulariter non sufficeret pro subministrandis aliquibus viribus naturæ, vt possit quilibet functionibus suis vacare.

5 Absolutè autem, qui nulla habita ratione cõplexionis sumeret octo vncias, non damnarem peccati saltem mortalis, quia ad summum parum excederet debitam mensuram, si illa esset sex tantum vnciarum: qui tamen excessus secundum supradictos Doctores etiam licitus est; atque in rebus moralibus moraliter procedendum est, & omnia pensanda secun-

cundum quamdam prudentem æstimationem. Vnde etiã si alicui sufficerent duæ vnciæ, posset octo sumere, quia hoc est per accidens. ut notat Martin. à S. Ioseph. *num. 3. citat.*

6 An autem tota quantitas vespertini ientaculi in ieiunio sumi possit in solo pane, negat Pelizzar. *tom. 1. Manual. tract. 5. cap. 5. nu. 15.* Quia Doctores concedentes certam quantitatem loquuntur de pane iunctis herbis, aut fructibus, & quia panis valdè confert ad nutritionem. Contrarium tamen tenent Iacob Marchant. *in quæst. pastoralib. par. 2. cap. 5.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub 3. num. 8.* Quod mihi probabilius videtur, quia in ientaculo non est attendenda qualitas ex cibis concessis in ieiunio, sed quãtitas. Imò panis solus habet annexam quãdam specialem mortificationem quò ad gustum, nam quando adhibentur fructus, herbæ &c. comestio est suauior, & magis gustui indulgetur.

7 Similiter an cum quantitate concessa liceat coniungere paruitatem materiæ, quæ solet poni duarum vnciarum. Affirmant Murcia *cap. 2. in Cap. 3. Regul. D. Francis.* Pellizzar. *tom 1 manual. tract. 5. cap. 5. num. 11.* Diana *par. 9. tract. 6. resol. 15. vers. sed hic.* Verũ non possum huic opinioni acquiescere, quia aperit viam ad introducendam binam comestionem; nàm modò assignantur octo vnciæ pro ientaculo, quibus si duæ addantur ratione paruitatis materiæ, facile introducetur consuetudo sumendi decem, quæ proinde fient de consuetudine, & insuper aliæ duæ poterunt sumi ratione paruitatis materiæ, quæ similitèr communitèr introducentur supra decem, & fient duodecim de consuetudine; & rursus duæ ratione paruitatis materiæ introducta iam cõsuetudine, quoad duodecim, & sic paulatim introducetur completa refectio, & extinguetur ieiunium.

8 Aduertit etiam Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 4. num. 16.* Quod quantitas octo vnciarum non debet intelligi quoad fructus valdè humidos vt est vua &c. quia duodecim vnciæ horũ fructuum sunt octo fructuum siccorum, & illis æquiualent. Vnde quoad hos fructus videtur concedere duodecim vncias.

An in vigilia Natiuitatis Domini vespertina refectiuncula possit esse maior consueta. Decis. 92.

SVMMARIVM.

1 *In vigilia Natiuitatis Domini non potest sumi amplior refectiuncula secundum aliquos.*
2 *Potest sumi secundum alios, vbi adest consuetudo.*
3 *Absolute secundum alios potest sumi.*
4 *Ieiunij vigiliæ Natiuitatis Domini est ieiunium letitiæ, ideo amplior refectiuncula conceditur.*
5 *Vnde colligitur, quod sit ieiunium letitiæ.*
6 *Refectiuncula vespertina in vigilia Natiuitatis Domini potest esse duplo maior solito.*
7 *Quid dicendum, si Natiuitas celebretur Feria secunda, & ieiunetur sabbato præcedenti.*
8 *Refectiuncula an possit esse sine mensura.*

1 NEGATIVE respondet Nauar. *c. 21. Manual. num. 15.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 23. num. 10.* Angles *in Florib. tract. de ieiunio q. 9. ar. 2. difficul 4. dub 1.* Anton Berrar. *c. 22. sum nu. 23.* Pedraza *præcep. 3. Decal. ver. Notando bien*, Bossius *sect. 4. de iubileo Casu 18. num. 160.* quia nimirum cum adhuc vigeat præceptum ieiunij, seruanda est debita mensura refectiunculæ, alioquin transiret in cœnam.

2 Cenedus autem *in quæst. Canon. q. 41. n. 5.* Medina *par. 1. sum. cap. 14. §. 10.* Io. Sanchez *in select. de sacram. disp. 52. n. 10.* qui plures alios citant, qui tamen solum docent posse sumi refectiunculam largiorem. Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 2 tract. 6. de ieiun. nu 3.* Et hos videtur sequi Facundez *præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 3.* dicunt, in locis, vbi adest consuetudo, neque Prælati reclamant, sed potius Prædicatores, & Confessores sequuntur consuetudinem, posse in refectiuncula sumi ex fructibus, quantum libuerit; secus autem vbi non adest consuetudo. Sed non placet, quod ex fructibus possit sumi, quantum libuerit, alioquin posset refectiuncula transire in amplam cœnã, & solui omnino ieiunium. Quod autem fiat absque peccato ratione consuetudinis, dici non potest, quia omnes sentiunt esse ieiunandum, & hoc intendunt, dum volunt seruare præceptum Ecclesiæ, & tamen faciunt contra formam ieiunij præscriptam ab Ecclesia.

3 Absolute ergo alij docent, posse sumi refectiunculam in maiori quantitate consueta, vt Azor *par. 1. lib. 7. cap. 8. q. 8.* qui vult posse sumi duplo maiorem. Medina *par. 1. Instruct. cap. 14. §. 10.* Beia *par. 1. Casu 3. ver. Adde ecclesiam* Villalobos *to. 1. sum. tract. 23. difficul. 7. num. 5.* Llamas *par. 3. sum. cap. 5. §. 25.* Ledesma *par. 2. sum. tract. 27. c. 2 difficul. 5 ver. Digo lo secundo. immediate ante 5. conclus* Facundez *præcep. 4 Eccl. lib. 1, cap 4 num. 19* qui vult, posse esse duplo maiorem Filliucius *tom. 2 tract 27. par. 2 cap. 2 num 34* Bonacina *Disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst. 1. punc. 3. num. 2. ver. Sed mihi* Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 35. ver. Quod ego & par. 5. tract. 15. Miscel. Resol. 12* Lublinus *par. 1. sum. verbo* Ieiunium *num. 4.* Sanchez *lib. 5. Consil. Moral. cap. 1. dub. 26. num. 1.* qui ait. posse esse triplo maiorẽ Lopez *2. par. Instruct. cap. 112.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. tract. de ieiunio ar. 12.* Pontius *lib. 5. de Matrimonio cap. 8. num. 2.* Sancius *in select. de sacram. disp. 52. num. 10.* vbi etiam alios citat. & vult cum alijs etiam ex præcitatis Doctoribus, vt dictum est, quod possit vsque ad saturitatem sumi de rebus consuetis, Turrian. *in sum. par. 1. cap. 256. dubio 38. conclus. 3.* Trullench *lib. 3. in Decal cap. 2. dub. 3. num. 9.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 4.* Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 15.* Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 5. num. 1.*

4 Hæc tertia sententia absolutè probabilior est. Quia sicuti Ecclesia in die Natiuitatis, si sit dies Veneris, aut Sabbati, concedit ob lætitiam festi, vt possimus comedere carnes: ita etiam ieiunium vigiliæ erit ieiunium letitiæ, quia vigilia vt quid accessorium sequitur conditionem festi, & participat in prærogatiuis ipsius, salua tamen substantia vigiliæ. Vnde tanquã in ieiunio lætitiæ concedenda est latior refectiuncula, vt in hoc participet conditionem festi.

5 Quod etiam ex praxi constat, nam regulariter solent omnes in refectione diei lautioribus cibis celebrare ieiunium, ad ostendendum, quod sit quoddam ieiunium hilare ratione festi. Similiter etiam, ad hoc ipsum ostendendum, Ecclesia speciali modo celebrat officium illius Vigiliæ, nam à laudibus incipit celebrare sub ritu duplici, qui est modus solemnis & lætitiæ accommodatus. Martyrologium solemniter annunciatur, & omia lætitia sunt plena: vnde etiam ieiunio conuenit propria lætitia.

6 Sed

6 Sed quæres, quam amplior possit esse vespertina refectiuncula. Resp. mihi propabile videri, quod possit esse duplo maior consueta. Si quis tamen excederet, dummodo excessus non esset valde notabilis, non damnarem peccati, quia sicut lætitia facit, vt possit refectiuncula esse maior, ita etiam facit, vt non habeatur ratio aliqualis excessus.

7 An autem, quando vigilia Natiuitatis, incidit in sabbatum, & festum in Feria secūda, liceat sumere ampliorem Refectiunculam: Negat Bossius *sect*. 4. *de Iubil. Casu* 18. *n*. 156. quia non adest consuetudo; Sed affirmant Sanchez *lib*. 5. *Consil: Moral. Cap*. 1. *dub*. 26. *n*. 3. Sancius *in select. de sacram. disp*. 52. *num*. 10. Turrian. *par*. 1. *sum. cap*. 256. *dub*. 38. *conclus*. 4. Machad. *tom*. 1. *lib*. 2. *par*. 4. *tract*. 3. *docum* 7. *n*. 4. Diana *par*. 5. *tract*. 14. *resol*. 12. Leander *par*. 3. *in præcep. Eccles. tract*. 5. *disp*. 4. *quæst* 17. *asserens* sic sentire omnes Theologos Salmaticēses, & Complutenses, Caramuel in *Reg*. D: *Benedict. disp*. 128. *num*. 1613. quia hoc est ptiuilegium talis ieiunij pro tali festo, vnde sequitur ipsum ieiunium in quocunque die fiat. Imo trahit vt magis dignum ad se alia ieiunia: & ideo hoc esset licitum etiam si in dicta die esset ieiunium quattuor temporum. Et hoc mihi probabilius videtur.

8 An autem in Vigilia Natiuitatis refectiuncula possit esse sine mensura ex consuetis cibis affirmant Medina *par*. 1. *sum. cap*. 14. §. 10. Llamas 3. *par. Meth. cap*. 5. §. 25. Io. Sanchez. in *select. de sacram. disp*. 52. *nu*. 10. qui alios citat. Barbosa in *Cap: ex parte num*. 3. *De obseru. ieiun*. Anton. de Leone *quæst. de Cocholate par*. 2. *fundam*. 5. §. 1. *num*. 9. quos nouissimè sequitur Leander *par*. 3. *in præcep Eccles. tract*. 5. *disp*. 4. *quæst*. 16 Negāt verò Azor. Lublin, Sanchez, Filliuc. Turrian. Ludouic. à S. Io. Pontius, Lezara num. 13. citati, & alij communitèr. Et rectè, quia non saluatur ieiunium cum duplici comestione. Quod si alicubi adest consuetudo legitimè præscripta, erit abrogatiua ieiunij, vt etiam notant Io. Sanchez, & Anton. de Leone citati:

An autem sumens manè refectiunculam, possit sumere in eadem quantitate, Negant Sanchez *lib*. 5. *consil. cap*. 1. *dub*. 26. *num*. 6. Trullench. *lib*. 3 *in Decal. cap*. 3. *dub*. 6. *num*. 11. Diana *par* 9. *tract*. 6. *resol*. 17. Affirmant autèm Pellizzar. *tom*. 1. *Manual. tract*. 5. *cap*. 5. *num*. 13. Quod mihi probabilius videtur, quia cum sit priuilegium illius ieiunij, habet locum quocumq; modo celebretur.

Quid dicendum de ieiunio Paschatis, Pentecostes. Decis. 93.

SVMMARIVM.

1 *Quando secundum Filliucium liceat in vigilia Paschatis sumere vespertinam refectiunculam ampliorem.*
2 *Absolutè licet.*
3 *Consuetudo iuris extenditur ad extensionem rationis & absolutè à casu simili ad similem.*
4 *Consuetudo fauorabilis extenditur.*
4 *Etiam in vigilia Pentecostes.*
5 *An in Vigilia S. Io. Baptistæ.*

1 QVO ad vigiliam Paschatis admittit ampliorem refectiunculam vespertinam Filliucius *tom*. 2. *tract*. 27. *par*. 2. *cap*. 2. *num*. 34. vbi adest consuetudo assistendi officio nocturno tēpore, quia nimirum putat, quod in vigilia Natiuitatis Domini sit licita amplior refectiuncula, quia adsit consuetudo assistendi officio noctis. Et vbi adest consuetudo docet Facundaz *lib*. 1. *de* 4. *præcep. cap*. 4. *num*. 19.

2 Sed absolutè tenendum est cum Lublino *in summa, verbo* Ieiunium *nu*. 4. Quod etiam docet Azorius *par*. 1. *lib*. 7. *cap*. 8. *q*. 8. Leander *par*. 3. *in præcep. Eccles. tract*. 5. *disp*. 4. *quæst*. 18. Remigius *tract*. 3. *sum. c*. 4. §. 5. *n*. 1. quod licita sit, quia nimirum tale ieiunium sit ieiunium lætitiæ. Letitia enim Paschatis incipit in ipsa vigilia, in qua, non præparatio ad festum resurrectionis, sed ipsa resurrectio celebratur, cantatur missa solemnis in paramentis albis, cantatur Alleluia, cantatur Himnus Exultet, & omnia plena sunt lætitia: vnde etiam ieiunium debet esse mixtum lætitia, atque adeo cum ampliori refectiuncula vespertina.

3 Prædicta non placent Gobāt. *de iubileo cap*. 28, *nu*. 208. Dianæ. *par*. 10. *tract*. 12. *res*. 41. *ver. At vt verum*. Quia consuetudo non extenditur de casu ad casum, aut de loco ad locum. Verum resp. quod valet de consuetudine facti, non autem de consuetudine iuris. Nām cum hęc sit lex non scripta, sequitur conditiones legis, & proinde extenditur ad extensionē rationis. L. *De quibus ff. De legib*. Imo quod consuetudo èxtendatur de casu simili ad similem tradunt Glos. *in dist. leg*. Bald. *ibidem*. Dec. *in l*. 2. *ff. iurisd. om. iud*. Innocent *in Cap. Dilecto. De offic. Archidia in fine* Butr. *ibid*. Hostiens. *in Cap. Ea noscitur. De his quæ fiunt à Prælat*. Abbas *in Cap. Translato in fine. De constit*. Ripa *in Cap. Ecclesia Sutrina. nu*. 125. *De causa pos*.

4 Et magis communitèr docent quod consuetudo exorbitans, & onerosa non extendatur: secùs autèm sisit fauorabilis, & non onerosa, qualis est de qua agimus. Ita Anchanna *in Cap. fine possessione. De reg. iur. in* 6. Aretin. *consil*. 44. *nu*. 7. Roman. *consil*. 368. *circa fin*. Alexan. *consil*. 106. *n*. 8. *vol*. 2. Craueta *Concil*. 30. *n*. 5. Abbas *in Cap. Traslationem not. vlt. De offic. leg*. & Alij, quos citat Anton Gabr. *in com. conclus. lib*. 5. *conclus*. 2. *num*. 16.

4 Idem quoque ob eamdem rationem dicendum puto de vigilia Pentecostes, nam ieiunium quoque ipsius est ieiunium lætitiæ, sicut dies ipse vigiliæ. Vnde est vigilia priuilegiata non secus ac qualibet alia, & quodam modo incipit in ipsa solemnitas festi subsequuturi, & proinde celebratur officium cum paramentis rubeis, quę omnia indicant solemnitatem specialem coniunctam cum quadam speciali lætitia. Et hanc sententiam sequutus est etiam Leander *par*. 3. *in præcep. Eccles. tract*. 5. *disp*. 4. *quæst*. 19.

5 Ex his colligitur, hanc ampliorem refectiunculam posse concedi in Vigilia S. Ioaanis Baptistæ, aut etiàm alterius festi, vbi adest consuetudo, vt adesse apud Granatenses testatur Pontius *lib*. 5. *de matrim. cap*. 8. *num*. 2. Secus verò, vbi non adest, vt tradunt Io. Sanchez *in select. de sacram. disp*. 52. *nu*. 10. Facundez *præcep. Eccles. tract*. 5. *disp*. 4. *quæst*. 20.

An etiam Religiosis liceat in prædictis diebus sumere ampliorem refectiunculam vespertinam. Decis. 94.

SVMMARIVM.

1 *Non licet religiosis in ieiunijs lætitiæ secundum aliquos sumere ampliorem refectiunculam serotinam.*
2 *Secundum alios licet, quorum sententia est probabilior.*

3 Quid

3 *Quid requiratur, vt possit quis gaudere beneficio consuetudinis.*

4 *Etiam seclusa consuetudine possunt religiosi in his ieiunijs sumere ampliorem refectiunculam.*

NEGATIVE respondent Villalobos *tom. 1. sum. tract. 23. difficul. 7. num. 5.* Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 35. ver. Sed an talis.* Bossius *sect. 4. de Iubileo Casu 18. nu. 160.* Ledesma autem *tom. 2. sum. tract. 27 c. 2. conclus. 4.* ver. *Digo lo segundo*, *in fine* dubitat, an hoc religiosis liceat.

2 At licere, tenet, Llamas *par. 3. sum. cap. 5. §. 25.* Sancius *in Select. de Sacramentis disp. 2. nu. 10.* Turrian. *par. 1. summ. cap. 256. dub. 38. conclus. 7.* Et sequitur Leander *par. 3. in Eccles. precep. tract. 5. disp. 4. quæst. 21:* Io. Henriquez *in summ. sect. 16. quæst. 5. nu. 18.* quam sententiam probabiliorem puto, etiam si hoc non sit firmatum consuetudine.

3 Vt enim possint gaudere beneficio consuetudinis, non est necesse, quod apud ipsos inualuerit, sed sufficit, quod inualuerit apud illam communitatem, cuius ipsi sunt pars, præsertim si sit consuetudo concernẽs corpus communitatis. Consuetudo autem huiusmodi cõcernit ecclesiæ corpus, cuius ipsi sunt mẽbra, cum sit circa commune ieiuniũ indictum ab ipsa ecclesia; vnde & ipsi possunt frui beneficio ipsius.

4 Addo etiam, quod seclusa quacunque consuetudine est etiam licitum ex natura rei cuicunque generi personarum, quia fit licitum ratione diei, in quo incidit ieiunium, quia enim coniungitur cum vigilia talis festi, quæ est vigilia solemnis, & cum lætitia, ideo ieiunium quoque ab vno quoque cum letitia celebrari potest. Et hanc doctrinam sequutus est Leander *par. 3. in precep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 22.* licèt *quæst. 23.* non extendat ad quantitatem duplo maiorem, Verum si gaudent beneficio consuetudinis, debet apud ipsos habere locũ, sicut habet apud alios.

An, qui vouit ieiunare in vigilia Natiuitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, possit sumere ampliorem refectiunculam. Decis. 95.

SVMMARIVM.

1 *Quando, qui vouit ieiunare in vigilia Natalis, possit sumere ampliorem refectiunculam vespertinam, & quando non secundum Ledesmam.*

2 *Potest sumere, quando simpliciter vouit ieiunium.*

3 *Non potest sumere, si habuit intentionem in voto non sumendi.*

4 *Si vouit ieiunare sicut in cæteris diebus, potest adhuc sumere.*

1 RESP. Ledesma *par. 2. sum. tract. 27. cap. 2. conclus. 4. ver. A esta difficultad*, quod, si vouit ieiunare, sicuti cœteris diebus, non potest sumere ampliorem refectiunculam vespertinam; quia obligatio voti est de iure diuino, vnde tenetur, non obstante consuetudine, ieiunare, sicuti cœteris diebus. Si autem tantum vouit ieiunare, quia intelligitur de ieiunio illo die consueto, potest sumere.

2 Hæc posterior pars non habet aliquam difficultatem, nam certum est, quod vouens ieiunium, vouit sicut consuetum est fieri, & ideo cum in vigilia Natiuitatis Domini possit sumi amplior refectiuncula, censetur cadere sub voto ieiunium cum ampliori refectiuncula; quia cadit eo modo, quo illa die potest fieri.

3 Si tamen vouit, se ieiunaturum, sicut cœteris diebus, nisi habuerit intentionem abstinendi ab ampliori refectiuncula, quia si habuit, non potest eam sumere, non censerem teneri abstinere ab ipsa.

4 In tali enim casu recurrendum est ad interpretatiuam voluntatem, & intentionem; & iuxta ipsam mensuranda obligatio. Si autem respiciatur ad interprotatiuam intentionem, solum per id, quod velit ieiunare, sicuti in cœteris diebus, videtur intendere, quod velit exercere ieiunium secundum præscriptionem, & consuetudinem ecclesiæ: vnde cum in tali die ieiunium possit stare cum ampliori refectiuncula, non obstante, quod sit præscriptum ab ecclesia, poterit vouens sumere ampliorem refectiunculam. Et ita tenendum censeo cum Sanchez *lib. 4. in Decal: cap. 11. num. 65.* Bartol. à S. Fausto *lib. 1. Thesauri Relig. q. 151. edit. vlt. Neapol.* Et sequuti sunt etiam Leander. *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4 quæst. 24.* Bardus *de Conscient. disp. 6. cap. 1. §. 14. num. 2.* Pellizzar: *tom. 1. Manual. tract 5. cap. 5 num. 12.* Diana *par. 10. tract. 12. resol. 44.* contra Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 23. nu. 10.* absolutè negantem.

An in curia Romana possit sumi refectiuncula vespertina in die ieiunij magis ampla consueta. Decis. 96.

SVMMARIVM.

1 *Vespertina refectiuncula ieiunij in curia Romana potest esse amplior.*

2 *Non tamen potest, pertingere ad quantitatem cœnæ, licet plurima apponantur.*

3 *Non potest saluo ieiunio induci consuetudo, quod sumatur illa quantitas, quæ sufficeret pro cœna.*

4 *An talis consuetudo Romanæ curiæ possit extendi ad alia loca.*

5 *An, qui est de Romana curia possit extra ipsam vti beneficio talis consuetudinis.*

6 *Loca circumadiacentia Romanæ curiæ an gaudeant beneficio talis consuetudinis.*

1 RESP. affirmatiuè Cum Caietano *in sum. verbo* Ieiunium *§. 1.* Armil. *nu. 12.* Vega *par. 2. sum. cap. 84. casu 5.* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 8. quæst. 8* Filliucio *tom. 2. tract. 27. par. 2. cap. 2. numero 34.* Facundez *lib. 1. de 4. præcep: Eccles. cap. 4. num. 21.* Tolet. *lib. 6. sum. cap. 2. numero 7.* Bossio *sect. 4. de Iubileo casu 18. num. 151.* Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 35. ver. Notandum est.* Molfesio *tract. 10. sum. c. 3. nu. 44.*

Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 25. Quia iam consuetudo id licitum fecit. Cum enim consuetudo præscripserit vnicam comestionem, & consequẽter pertineat ad ipsam præscribere modum comedendi, vt diximus in superioribus, & proinde potuerit etiam introducere vespertinam refectiunculam, potuit etiam hanc refectiunculam magis, & minus amplam introducere.

2 Est autem adnotandum cum supracitatis Doctoribus, quod licet in huiusmodi refectiunculis plura apponantur ad splendorem, non tamen licet ex omnibus sumere, ita vt deueniatur ad quantitatem cœnæ; sed semper sistendum est in illa quantitate, in qua seruetur mensura refectiunculæ cum illa amplitudine, quę introducta est in curia Romana. Nõ enim quò ad hoc fauet consuetudo, quia aliud est, quod fit ob splendorem, & aliud, quod fit in ordine ad refectiunculam: illa enim varietas, & multitudo eduliorum non ordinatur ex consuetudine, vt omnia inseruiant refectiunculę, sed ad splendorem, & vt quilibet possit in debita quantitate sumere potius ex his, vel illis, prout libuerit.

3 Nec placet, quod docet Bossius *citata sect.* 4. *de Iubileo eodẽ Casu* 18. *n.* 154 quod si refectiuncula in curia Romana pertingeret ad tantam quantitatem, vt fieret cœna, excusarentur ratione consuetudinis, & tolerantiæ Pontificis. Quia de facto talis consuetudo non adest; nec potest rationabiliter introduci saluo ieiunio; quia, vt consuetudo absque abusu introduci possit, debet esse rationabilis, & non potest esse rationabilis, nisi sit conformis prudenti hominum æstimationi. Nemo autẽ prudẽs existimabit, quod cũ ea quantitate, quę sufficit ad cœnã, saluari possit ieiuniũ, Vt postea notauit Leander *cit. disp.* 4. *quæst.* 26.

4 Notat autem Diana cum Cenedo *in quæst. Canonicis q.* 41. *n.* 4. Hanc consuetudinem Curiæ Romanæ de sumenda ampliori refectiuncula in die ieiunij, non esse extendendam ad alia loca, quia cum sit specialis Romanæ curiæ, non habet vim in cœteris locis. Quod intelligi debet, nisi in alijs locis introducta sit, aut nisi adsit rationabilis causa introducendi. Et ita etiàm tenuit postea Leander *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 25. Contra Viguer *cap.* 7. *Instit. Theol.* §. 3 ver. 1. Vegam *par.* 1. *sum. cap.* 14. *casu* 5.

5 Dubium superest. An, si quis de Romana curia in die ieiunij absit ab ipsa, possit adhuc sumere vespertinam refectiunculam iuxta consuetudinem curiæ. Resp. affirmatiuę, quia adhuc est aliquis de curia, & manet membrum illius: & proinde potest sequi consuetudinem illius. Et sequitur ex illa doctrina communi, quod leges loci non obligent peregrinos ibi existentes, quam tradit Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 6 & *tom.* 1. *in Decal. lib* 1. *cap.* 12. *nu.* 38. citans vtrobique plures alios, & nos inferius citabimus. Vnde si quis lege propria municipali, aut consuetudine soluitur aliqua lege, non tenetur eam seruare; atque adeo, cum is, qui de curia Romana soluatur per consuetudinem obligatione sumendi vespertinã refectiunculam iuxta consuetudinem aliorum locorum, sed possit eam sumere secundũ consuetudinem proprij loci, non tenetur, cum existit in alijs locis, tali obligationi se subijcere.

6 Et hoc etiam extendendum est ad loca circũadiacentia Romanæ curiæ, quando quis recreationis gratia se ad illa confert, quia licet constituant propriam Diocesim qualis est Tusculana ciuitas, habẽtur tamen pro suburbijs: vnde in ordine ad eos, qui sunt de Romana curia, non censentur loca distincta. Verum oppositum tenent Leander *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 27. ex alio opposito principio, quod Peregrini teneantur legibus loci, quod tamen probari non potest, vt infra, & in materia de legibus.

An exempti, dum sunt extra Romanam curiam permanenter, possint sequi consuetudinem eiusdem curiæ quò ad refectiunculam vespertinam. Decis. 97.

SVMMARIVM.

1 *Probabile est, exemptos non posse sequi consuetudinem Romanæ curiæ in refectiuncula ieiunij, dum sunt permanenter extra curiam.*
2 *Non minus probabile est, posse sequi.*
2 *Exempti sunt membra Romanæ curiæ.*
3 *Exempti nullibi acquirunt diocesim, & quam retineant.*
4 *Solutus à consuetudine proprij loci ab aliqua obligatione, non subijcitur eidem in alieno loco, nisi ibi acquirat superiorem.*

1 VIDETVR negatiuè respondendum, quia dum sunt extra Romanam curiam permanenter, tenentur se conformare cõsuetudini loci, in quo sunt, præsertim cum sit præscriptio consuetudinis vniuersalis totius Ecclesiæ, & consuetudo Romanæ curiæ sit consuetudo loci particularis.

2 Non minus tamen probabile est, quod possunt adhuc sequi consuetudinem Romanæ curiæ, quia cũ sint exempti, & immediate subiecti Romano Pontifici, retinent quandam vnionem cum ipso tamquam membri cum capite, non solum in ordine ad corpus ecclesiæ vniuersalis, sed etiam in ordine ad Romanã curiam, quia cum exemptio fundetur in aliqua dignitate, ratione dignitatis fiunt membrum Romanę curiæ, & ratione exemptionis communicant in regimine, quo Romana curia regitur; vnde frui possunt beneficijs talis regiminis; atque adeo etiam consuetudinum, quæ vigent in ipsa præsertim quando obtineri possunt absq; strepitu iudiciali, & priuato modo.

3 Præterea cum sint exempti, semper ibi manẽt, vbi degunt tanquam in aliena diocesi, quam nunquã faciunt sibi propriam: & proinde retinent propriam diocesim apud curiam Romanam, quia retinent solum Pontificem pro proprio pastore, & ideo possunt adhuc sequi consuetudines propriæ diocesis, sicut potest sequi quilibet alius qui tanquam peregrinus est in aliena diocesi. Quia sicuti non subijciuntur vnquam ordinario loci, ita nec etiam legibus, & consuetudinibus ipsius.

4 Nec obstat, quod in oppositum adducitur; quia ratione exemptionis non subijciuntur consuetudinibus, aut legibus loci, etiam si vniuersales sint, quando alioquin manent soluti consuetudine proprij loci; quia vt subijciantur, deberet superuenire noua obligatio: non est autem, à quo ibi superũeniat, cum ibi non habeant superiorem.

An

An nobilioribus liceat ſumere in ieiunio ampliorem refectiunculam veſpertinam.

Deciſ. 98.

SVMMARIVM.

1 *Nobiliores poſſunt ſumere ampliorem refectiunculam veſpertinam in ieiunio.*

2 *Plus macerantur nobiles per ieiunium, quam cæteri.*

3 *Qui ſunt delicatioris complexionis poſſunt ſumere ampliorem refectiunculam veſpertinam in ieiunio.*

1 RESP. affirmatiuè cum Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 8. *circa finem* Laimā *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. ver. *Quod attinet.* Sancio *in ſelect. de Sacram. diſp.* 59. *n.* 9. Facundez *lib.* 1. *de* 4. *præcep. Eccleſ. cap.* 4. *num.* 21. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio Reſol.* 1. ver. *Nota tamen.* Boſſio *ſect.* 4. *de Iubileo Caſu* 18. *num.* 151. Molfeſio *tract.* 10. *ſum. cap.* 3. *num.* 44. Tanner. *tom.* 3. *ſum. diſp.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *num.* 91. Villalob. *par* 1. *ſum. tract.* 23. *difficul.* 7. *n.* 4. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *nu.* 9. *in fine* Machad. *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 4. *tract.* 3. *docum.* 7. *num.* 2. *in fine.* Leandro *par.* 3. *in præcep Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 4. *quæſt.* 28.

2 Ratio eſt, non ſolum quia iam conſuetudo id obtinuit, vt notant citati Auctores; ſed etiam, quia ieiunium debet eſſe vnicuique proportionatum: vnde quando eſt tam maceratiuum vnius, quam alterius, etiam ſi interueniat aliqua differentia in modo ieiunandi, quę tamen non ſit magnæ conſiderationis, adhuc ſaluatur ratio ieiunij; cum autem nobiliores ſint aſſueti delicatioribus cibis, & pluribus ferculis, plus maceratur per ieiunium, quam cœteri, etiam ſi ſumant ampliorem refectiunculam veſpertinam, quia adhuc eſt maior ipſorum abſtinentia: & ideo, vt ipſis ieiunium tolerabile fiat, concedi poteſt amplior refectiuncula veſpertina, ita tamen vt non perueniat ad talem exceſſum, vt fiat cœna.

3 Quod etiam cum ijſdem Doctoribus extendendum eſt ad eos, qui ſunt delicatioris complexionis, quia cum facilè debilitentur, poſſunt adhibere ampliorem refectiunculam ad vitandā nimiam macerationem ieiunij: quia ieiunium ita debet eſſe medicina animæ per caſtigationem corporis, vt tamen non afferat nocumentum complexioni. Quod præcipuè attendunt ij, qui docent in deſignanda quantitate refectiunculæ veſpertinæ, habendam eſſe rationem perſonarum. Non tamen hinc fit quod refectiuncula relinquenda ſit vniuſcuiuſq; arbitrio, ſed quod poſſint ſtatui diuerſę regulæ pro diuerſis generibus perſonarum.

An, qui ſtudijs vacant, poſſint vti in ieiunio ampliori refectiuncula veſpertina.

Deciſ. 99.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſtudijs vacant, poſſunt adhibere in ieiunio ampliorem refectiunculam veſpertinam.*

2 *Studium valde debilitat.*

3 *Qui tota die ingenio laborant, poſſunt paulò amplius ſe reficere in veſpere.*

1 AFFIRMATIVE reſpondēdū eſt cum Laimā *lib.* 4. *Theol. mor. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. *ver. Quod attinet. in fine* Llamas *par.* 4. *Methodi cap.* 5. §. 24. Debet autem intelligi de illis, qui continuò ſtudijs vacāt, ita vt inſumant in ſtudio totum illum tempus diei, quod ſolet impendi in operando: non autem de ijs, qui certis horis ſtudent recreationis cauſa.

2 Cum enim ſtudia conſumant ſpiritus, & valde debilitent, poteſt debilitas, quæ oritur ex ieiunio mitigari cum ampliori refectiuncula, ne nimis rigidum ſit, & impediat pro ſequenti die conſuetas functiones. Nèc rectè Leander *par.* 3. *in Eccleſ. præcep. tract.* 5. *diſp.* 4. *quæſt.* 30. extendit ad eos, qui certis horis ſtudijs vacant ob recreationem, eo quod dixerim Deciſ. 333. qui continuò ſtudent, etiā ob recreationē, eximi à ieiunio; nam eſt diſpar ratio cum exiguum tempus ſtudij non debilitet ſicunt continuum. Vndè hic Doctor notās quod ipſe nimis laxè ſcripſerim, ipſe nihilominus adhùc laxiùs ſcribit.

3 Quod etiam extendendum eſt ad illos omnes, qui tota die vacant operibus, in quibus ingenium laborat, vt ſunt aduocati, qui conſulunt, informant, atque aliæ huiuſmodi perſonæ, quorum exercitium ob nimiam attentionem eſt debilitatiuum; tunc enim habenda eſt ratio talis debilitationis, & paulo amplius corpus eſt reficiendum in refectiuncula, vt poſſit animo laboranti vires ſubminiſtrarė.

Neq; hoc habet locū per aliquot horas laborentes, quamuis Leander citat. velit habere locum.

An, qui difficilè capiunt ſomnum, quando cœnant, poſſint vti in ieiunio ampliori refectiuncula veſpertina.

Deciſ. 100.

SVMMARIVM.

1 *Malè dormientes, quando non cœnant, poſſunt ieiunio ſumere ampliorem refectiunculam veſpertinam.*

2 *Quomodo ieiunium debeat macerare.*

3 *Quantum debeat impediri ſomnus, vt licita ſit amplior refectiuncula.*

4 *Quando conſueta exercitia valdè fatigant aut animum, aut corpus, eſt licita amplior refectiuncula.*

1 RESP. eos, qui malè dormiunt, quādo non cœnant, poſſe in ieiunio ſumere refectiunculam veſpertinam paulò ampliorem, quod inter alios notat Llamas *par.* 3. *Methodi cap.* 5. § 24. Et cenſerem, quod poſſent excedere in tota illa quantitate, quæ cenſetur neceſſaria, vt poſſint congruè dormire. Quod poſteà ſequutus eſt Leander *in præcep. Eccleſ. tract.* 5. *diſp.* 4. *quæſt.* 32.

2 Ratio eſt; quia ieiunium debet quidem macerare corpus, non tamen ita debilitare, vt non poſſit vacare conſuetis functionibus: Si autem ieiuniū impedit ſomnum, impedit etiam conſuetas functiones, quia corpus debilitatū vigilia noctis non poteſt ipſis vacare. Vnde quando ita impeditur, vt natura notabile detrimentū patiatur, ceſſat ipſum pręceptū ieiunandi, vt docent communiter Doctores: vnde à fortiori erit licita amplior refectiuncula ſaluo ieiunio, etiam ſi non ſit detrimentum adeo notabile.

3 Quæret quispiam. Quantum debeat impediri sonus, vt refectiuncula vespertina possit esse laxior: Resp debere minus impediri, quam impediatur, quando censetur solui obligatio ieiunij: vnde sufficit quodcunque impedimentum, quod sit alicuius considerationis, quia cum saluetur essentia ieiunij, & solum crescat aliquantulum indulgentia in refectiuncula, non requiritur aliquod extraordinarium incommodum, sed sufficit quodcumque, quod sit considerabile.

4 Ex quibus concludendum est, quod, quotiescunque consueta exercitia sunt talia, vt notabiliter fatigent, animum, aut corpus, licita est in ieiunio vespertina refectiuncula paulo laxior consueta, quia si huiusmodi exercitia soluunt obligationem ieiunij, quando sine incommodo notabili non possunt ieiunando exerceri, multo magis reddent licitam refectiunculam vespertinam paulo laxiorem, quando censetur necessaria ad vitandam nimiam debilitatem. Quod posteà tenuit etiàm Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4 *quæst.* 33.

An ieiunium cum supradicta ampliori refectiuncula sufficiat pro satisfactione voti, pœnitentiæ iniunctæ, & pro lucrando Iubileo. Decis. 101.

SVMMARIVM.

1 *Amplior refectiuncula, si tamen non sit cœna, non tollit, quin ieiunium sufficiat pro voto, pœnitentia iniuncta, & pro lucrando iubileo.*
2 *Secus si accedat ad cœnam secundum aliquos.*
3 *Secundum alios autem adhuc tale ieiunium sufficit:*
4 *Si ieiunium non sit addictum tali diei, in quo est licita talis refectiuncula, non sufficiet,*
5 *Sufficit autem, si sit addictum diei.*
6 *Votum de ieiunio in tali die obligat solum ad ieiunium consuetum tali die.*
7 *Si refectiuncula ex consuetudine accedat ad cœnam in certa die, adhuc adest ieiunium.*
8 *Obligatus ieiunare certa die, si in ipsa incidat vigilia, in qua est licita refectiuncula accedens ad cœnam potest ieiunare secundum consuetudinem vigiliæ.*

1 Eadem est ratio, siue ieiunium sit pro satisfactione voti, & pœnitentiæ iniunctæ, siue pro lucrando iubileo. Vndè semper sufficiet in quocumque casu etiam si refectiuncula sit paulo maior cõsueta, vt etiam notat Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 162 *in fine.* Quia hoc non obstante saluatur forma veri ieiunij ecclesiastici secundum quod regulatur à consuetudine, cum ille excessus in refectiuncula non trahat ipsam ad mensuram cœnæ: nec vouens in voto, aut ecclesia in iniungendo ieiunio aliud intendat, quam ieiunium, secundum quod consueuit fieri.

2 Si autem refectiuncula accedat ad quantitatem cænæ, vt quidam censent, esse licitum in vigilia Natiuitatis Domini, quos supra suo loco retulimus. Bossius *citatus num. præced.* sequens Rodriquez *in sum. p.* 1. *c.* 23. *n.* 10. asserit; non sufficere, quia licet consuetudo possit excusare à peccato, non tamen facere, quod sit verum ieiunium ecclesiasticum. Vnde cum non possit præualere contra ius diuinum, atque adeo nec contra obligationem voti, quæ est de iure diuino, nec etiam potest facere, quod sufficiat pro voto adimplendo, aut pro pœnitentia iniuncta, aut pro lucrando iubileo.

3 E contra Sanchez *lib.* 4. *in Decal. cap.* 11. *num.* 65: absolutè docet, tale ieiunium sufficere pro voto implendo, atque adeo pro pœnitentia iniuncta, & lucrando iubileo, quia votii de aliqua materia obligat, sicut obligat lex ecclesiastica de eadem materia; per tale autem ieiunium satisfit legi ecclesiasticæ.

4 In hac difficultate debet considerari, an ieiunium voti, vel pœnitentiæ iniunctæ, vel iubilei sit addictum diei, in qua talis refectiuncula est introducta de consuetudine, quia nimirum coincidant ieiunium præscriptum per votum, seu per confessarium, vel per Pontificem cum ieiunio talis diei: vel non sit addictum. Si enim non est addictum, non potest quis per illud ieiunium cum tali refectiuncula satisfacere voto, aut pro pœnitentia, aut pro iubileo, quia est necessarium ieiunium consuetum in Ecclesia quale non est, quando adhibetur talis refectiuncula: neque adest aliquid, vnde colligatur, quod præscribatur ieiunium, cum tali refectiuncula, imo censetur præscribi secundum formam consuetam.

5 Si verò sit addictum diei, per ieiunium, iuxta consuetudinem diei satisfiet voto pœnitentiæ iniunctæ, & obligationi pro lucrando iubileo, nisi aliter exigatur iuxta causam obligantem. Nam eo ipso, quod præscribitur ieiunium in tali die, censetur præscribi iuxta consuetudinem diei, & non cum maiori obligatione, nisi de ipsa fiat specialis mentio, aut aliter vouens intendat se obligare. Et ita tenuit postea Leander *p.* 3. *in Eccl. prac. tract.* 5 *disp* 4 *q* 34.

6 Neq; obstat, quod consuetudo non possit præualere contra obligationem orientem ex iure diuino, vt dicebatur *n* 2 quia in casu nostro non præualet, quia soluitur illud ieiunium, quod cadit sub obligatione ex vi voti quoque, cum vouens non aliud intendat, quam ieiunare secundum consuetudinẽ diei, quando vouet, se ieiunaturum in tali die, vel explicitè, vel implicitè.

7 Nec item obstat, quod non sit verum ieiuniũ, quia forma ieiunij ecclesiastici est determinata per consuetudinem: vndè licet non sit ieiunium secundum ordinariam formam; est tamen ieiunium secundum formam illius diei, quæ similiter pro illa die est determinata per consuetudinem: vndè communiter haberi solet pro ieiunio.

8 Hinc si quis ex voto, aut pœnitentia iniuncta teneatur ieiunare certa die, in qua incidat vigilia Natiuitatis, aut sit tempus iubilei, poterit satisfaciendo vtrique obligationi sumere refectiunculam vespertinam iuxta consuetudinem diei, quia dum obligatio est ad ieiunium pro illa die, est implicitè ad ieiunium iuxta consuetudinem diei.

An in die ieiunij liceat sumere hora prandij refectiunculam, & differre prandium ad vesperam. Decis. 102.

SVMMARIVM.

1 *Ex graui causa licet in die ieiunij hora prandij sumere refectiunculam, & vespere prandere.*

2 *Absque causa, aut ex leui causa est peccatum mortale secundum aliquos.*
3 *Secundum alios est tantum veniale.*
4 *Hac transpositio prandij, & refectiuncula non est contra substantiam ieiunij.*
5 *Secundum alios nullum interuenit peccatum, quorum opinio est probabilior.*
6 *In tali transpositione saluatur ieiunium, & finis ipsius.*
7 *Cur talis transpositio non contineat peccatum veniale.*
8 *Quomodo ex consuetudine introducta refectiuncula.*
9 *An in vigilijs, in quibus est licita amplior refectiuncula, possit talis sumi si mane sumatur.*

1 EX graui causa id esse licitum, nulli est dubium, quia si grauis causa potest soluere obligationem ieiunij, multo magis reddet licitam transpositionem prandij in vesperam, & refectiunculæ ad horam prandij, quia nimirum grauis causa præualet contra cõsuetudinem, quæ ita ordinauit, vt comestio principalis fiat circa meridiem, & refectiuncula tempore vespertino. Neque enim consuetudo, sicuti neque lex obligat cum graui incommodo, præsertim quando non obseruantia nullum affert secum detrimentum communitatis, aut alicuius personæ. Vndè solum difficultas est, an liceat absque causa, aut solum ex leui causa.

2 Quod autem non liceat, sed sit peccatum mortale tenent Azor. *tom* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 6. *in fine* Facundez *lib.* 1. *De* 4. *præcep. Eccl. cap.* 4. *num.* 16. Llamas *par.* 3. *sum. cap.* 5. §. 26. malè citans Caiet. & Nauar. qui, vt notat Azor *citat.* non loquuntur de collatione, quæ fit hora prandij, sed quæ fit mane ante horam prandij. Præterea idem tenet Philiarcus *lib.* 3. *de offic. Sacer. cap.* 25. Nicena *in sum. tit.* 17. Beia *par.* 1. *casu* 3. *ver. Ad id autem, in fine.* Quod videtur sentire etiam Molfesius *par.* 1. *sum. tract.* 10. *cap.* 5. *num.* 37. Item Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 3. *ar.* 4. *dub.* 8. *num.* 2. Sanchez *lib* 5. *consil. moral. cap.* 1. *dub* 27. *num.* 2. Bizozer. *in sum. par.* 4. *de* 3. *præcep. Decal. cap. vlt. memb.* 4. *num.* 3. *ver. sed dicas* Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *De præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 4 *num* 75. Fundantur hi auctores in eo, quod refectiuncula vespertina sit introducta per consuetudinem; vnde est tantum licita secundum quod introducta est: non est autem introducta, vt fiat hora prandij, & prandium transferatur in vesperam.

3 Alij autem censent, esse tantum peccatum veniale sine causa transferre prandium ad vesperam & hora prandij sumere refectiunculam. Ita Tolet. *lib.* 6. *sum. c.* 2. *num.* 8. Victorel. *ver. Et prandium differunt* Laiman *lib.* 4. *Theol. moral. tr.* 8. *c.* 1. *nu.* 10. Fernandez *p.* 2. *Exam. theol. moral. c.* 8. §. 3. *num.* 7. Lessius *lib.* 4 *de iust. & iur. c.* 3. *dub.* 2. *nu.* 11. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 2. *nu* 28. Villalob. *tom.* 1. *sum. tr.* 23. *Difficul.* 7 *n.* 2 Vega 1. *par. sum. c.* 14. *casu* 5. Cenedus *in quæst. Canon. q.* 45. *n.* 6. *in fine*, Bonacina *disp. vlt, de præcep. Eccl. q.* 1 *punc.* 3. *n.* 6. Naldus *verbo* Ieiunium. *n.* 8. Bossius *sect.* 4. *de iubil. casu* 18. *n.* 105. Basseus *in Florib. Theol. mor. verbo* Ieiunium 1. *n.* 9. Diana *p.* 1. *tr.* 9 *de ieiunio* Resol. 33. *ver. Hæc sent.* qui tamen putat oppositam quoque probabilem. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori Pœnit. n.* 186. Hieronymus Perez *p.* 1. *sum. tr. de præcep.* 3. §. *De ieiunio.* Sà *verbo* Ieiunium *n.* 8. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 7. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *c.* 1. *n.* 4. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *n.* 5. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 6. *quæstio* 2. Quintanaduen. *de subd. c.* 8. *n.* 16. Leander *in præcep. Eccl. tr.* 5. *disp.* 5. *q.* 41. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tr.* 6. *de ieiun. num.* 5. Leander à Murcia *in Cap.* 3. Reg. S. *Francis. c.* 2. §. 2. *nu.* 43.

4 Hæc enim transpositio non est contra substãtiam ieiunij, quod saluatur cum vnica comestione, & vnica refectiuncula, sed solum contra aliquam circumstantiam, & ideo cum causa erit licita, sine autem causa erit tantum peccatum veniale.

5 At absolutè esse licitum, siue adsit causa, siue non, imo ieiunium esse magis maceratiuum, atque adeo esse magis secundum mentem legislatoris docent Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 2. *difficul.* 5 Sanchez *in Select. de Sacram. disp.* 53. *n.* 10. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 5. *concl.* 6. qui licet addat, quod id, quod magis sumitur, debet sumi per modum medicinæ, ne stomachus debilitetur, hoc ideo facit, quia idem sentit etiam de refectiuncula vespertina. Machad. *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 4. *tr.* 3. *docum.* 7. *num.* 8.

6 Atque hæc tertia sententia mihi probabilior videtur. Et quidem quod satisfiat præcepto ieiunij, mihi certum videtur, quia tale præceptum solum exigit vnicam comestionem, & admittit refectiunculam in subleuamentum naturæ: & finis præcepti est maceratio corporis mediante abstinentia. Hoc autem totum saluatur, etiam si in vesperam differatur prandium, & hora prandij sumatur refectiuncula; quia habetur finis præcepti, nempè maceratio corporis: imò, vt notant Angles, & Sancius *citati*, est maior maceratio. Saluatur etiam præscriptio comestionis, quod sit vnica cum consueta refectiuncula: vndè quò ad hoc non defraudatur in aliquo lex ieiunij. Solum mutatur ordo, qui cum sit quid accidentale, non tollit, quin satisfiat præcepto; sic etiam satisfacit præcepto recitandi diuinum officium, qui recitaret horas ante matutinas preces, aut vesperas ante horas.

7 Sed neque interuenit peccatum veniale, quia semper adest ratio sufficiens ad ipsum excludendum licet nulla videatur interuenire causa talis transpositionis. Semper enim adest aliquod motiuum, saltem quia huiusmodi transpositio est magis commoda ieiunanti: vndè semper ordinatur in commodum ipsius, vt in finem, atque adeo cum commodum ieiunantis sit finis licitus, & subordinatus vltimo fini, retinet ipsa quoque ordinem debitum ad vltimum finem, qui sufficit, vt non sit peccaminosa, sed bona. Quare solum ex aliquo extrinseco fine malo vitiari posset.

8 Ad id, quod affertur in oppositum *n.* 2. Resp. hanc refectiunculam esse introductam à consuetudine in subleuamentum naturæ, vt nimirum tolerabilior esset maceratio per ieiunium. Et quia vespere non cœnatur, ideo introducta est loco cœnæ. Eadem autem est ratio, si prandium transferatur in vesperam; tunc enim debet succedere hora prandij in locum ipsius, quia militat eadem ratio, & idem finis; imò tunc est magis necessarium huiusmodi subleuamentum. Neque consuetudo ita introduxit refectiunculam, vt eam addixerit tempori vespertino, sed solum ex suppositione, quod circa meridiem fiat comestio: vndè si comestio ad vesperam transferatur, censenda est introducta pro hora meridiana quia consuetudo, sicut etiam lex, ex fine est interpretanda.

9 An

9 An autem si in ijs vigilijs, in quibus licet sumere refectiunculam vespertinam ampliorem solito, sumatur hora prandij, possit sumi in eadem quantitate, in qua sumeretur vespere: negant Sanchez *lib. 5 Consil. moral. c. 1. dub. 26 num. 6.* quia inquit, id non habet consuetudo: nec iam incepit festum. Sed oppositum tenendum est, quia hoc est priuilegium illius ieiunij, cui hoc conuenit, non quia festum incœperit, sed quia est accessorium festi: & proinde sapit lætitiam festi, etiam si festum non incœperit, quod patet etiam ex modo celebrandi officium vigiliæ.

An in die ieiunij liceat primo mane sumere refectiunculam, & differre prandium ad noctem. Decis. 103.

SVMMARIVM.

1 *Non licet secundum aliquos primo mane sumere refectiunculam, & vespere prandere.*
2 *In ieiunio non licet preuenire secundum ipsos tempus debitum comedendi.*
3 *Ex causa licet primo mane sumere refectiunculam, &c.*
4 *Saluatur ieiunium secundum substantiam, si primo mane sumatur refectiuncula, & vespere principalis refectio.*
5 *An tali pacto ieiunium sit magis, vel minus maceratiuũ.*
6 *An in ieiunio expectari debeat meridies ad comedendam & an intelligatur de refectiuncula, quando ad vesperã differtur prandium.*
7 *An absque causa liceat primo mane sumere refectiunculam prandendo vespere.*
8 *Cur manducans primo mane non præsumatur ieiunium.*

1 NEGATIVE respondet esse contra rationem ieiunij mane sumere refectiunculam Caiet. *verbo* Ieiunium *cap.* 1. Azor. *tom.* 1 *lib.* 7. *c.* 8. *q.* 6 Nauar. *c.* 21. *Manual. nu.* 14. Graff. *p.* 1. *Decis. lib.* 2. *c.* 37 *num.* 30. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 3. *dub.* 2. *n.* 11. Lopez 2. *p. Instruct. c.* 112. Filliucius *tom.* 2 *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 2 *nu.* 27 Facundez *lib.* 1. *de* 4. *precep. Eccl. c.* 4. *nu.* 16. Reginal. *tom.* 1. *Praxis Fori Pœnit. lib* 4. *n.* 187 Villalobos *p.* 1 *sum. tr.* 23 *difficul.* 7. *n.* 2 Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 53. *nu* 8. Llamas 3. *p. Methodi* c. 5 §. 26. Io. Cruce *p.* 1. *Direct. conscient. præcep.* 3. *ar.* 4. *dub.* 8. *nu* 2 Beia *p.* 1 *casu* 3. *ver Ad id autem in fine,* Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. c.* 1. *dub.* 27. *nu.* 2.

2 Quod probant, quia præueniretur debitum tempus necessarium ad ieiunium, nempe meridies, vnde non saluaretur ieiunium, cum sit ex consuetudine determinatum, vt non comedatur ante meridiem. Vndè si quis videret aliquem primo mane comedentem, censeret, ipsum non ieiunare, quod est signum, non saluari ieiunium cum collatione ante meridiem, cum res correspondeant conceptibus.

3 Alij tamen docent, licitum esse ex causa, primo mane sumere refectiunculam, & transferre prandium ad noctem, neque per hoc violari ieiunium Ita Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio, ar.* 2. *diff.* 5: *ver. Nota in fine.* Fernandez *p.* 2. *Exam. theol moral, c.* 7. § 2. *n.* 7. qui addit. Id facere sine causa esse peccatum veniale. Basseus *in Florib. theol. moral. verbo* Ieiunium 1. *num.* 9.

4 In hac difficultate mihi certum videtur, quod semper siue ex causa, siue absque causa mane sumatur refectiuncula, & prandium ad vesperam differatur, saluetur substantia ieiunij, atque adeo adimpleatur præceptum. Tunc enim præceptum quodlibet adimpletur, quando soluitur totum id, quod ab ipso exigitur. Præceptum autem ieiunij nihil aliud exigit, nisi macerationem corporis mediante abstinentia à cibo; quæ ex præcepto est, quod sit à carnibus, & cœteris cibis vetitis, & ex consuetudine, quod comestio sit vnica cum refectiuncula; in nostro autem casu interuenit tota hæc abstinentia, atque adeo etiam effectus ipsius, nempè maceratio corporis, & solum mutatur ordo temporis, qui est quid accidentale.

5 Nec sequitur; quod corpus minus patiatur, dum non expectatur meridies, quia cum cœteris diebus, vt plurimum prandere soleat circa meridiẽ, non est magna maceratio ipsum expectare, quia ab assuetis non fit passio, & proinde tollitur exigua maceratio, & succedit alia maior, quia corpus plus patitur differendo refectionem vsque ad noctem cũ refectiuncula facta primo mane, quam expectando meridiem, quia hoc est magis contrarium modo consueto reficiendi corpus. Et ego quando iter habens in die ieiunij hora prandij sumpsi refectiunculam differendo prandium ad noctem, plus sentij macerationem inediæ, quam sentii cœteris diebus quibus consueto modo ieiunaui, & magis sentijssem, si primo mane sumpsissem refectiunculam. Vndè non solum violatur præceptum ieiunij, sed fit ieiunium modo magis maceratiuo.

6 Neque obstat, quod in contrarium *n.* 2. affertur, quia quam plures, & graues Doctores tenent, quod ieiunium non requirat certam horam comedendi, adeo quod possit prandium anticipari, quantum libuerit, quos refert, & sequitur Diana *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 27. vnde eadem erit ratio, & de refectiuncula, quando prandium transfertur ad noctem. Sed si oppositum teneatur: intelligi debet, quod hora circa meridiem sit determinata, quando est sumenda perfecta refectio; ita vt ante ipsam nõ possit sumi. Cum autem licitum sit, refectionem transferre vsque ad noctem, sicuti est licita refectiuncula vespertina in subleuamentum naturæ, ne nimis affligatur, expectando refectionem subsequentis diei, dum subtrahitur cœna; ita quando prãdium transfertur in noctem erit licita mane refectiuncula, ne tanta dilatione corpus nimis affligatur, & poterit sumi mane, vt commodius vacetur negocijs diei.

7 Vndè censerem, quod etiam absque peccato veniali posset sumi mane refectiuncula, quia id fieret saltem in commodum ieiunantis, quod licitè intendi potest. Neque obstat consuetudo, quod pro vespere introducta sit refectiuncula; quia non est consuetudo taxatiua, quę videlicet taxet, quod non alio tempore fieri possit, neque alio ordine ex rationabili causa. Quod ex eo patet, quia est consuetudo fauorabilis, laxans aliquid circa abstinentiam ieiunij; non autem præscribens aliquid seruandum in ieiunio; vndè facit licitam refectiunculam pro tali tempore, ita tamen vt relinquat determina-

nationi ieiunantis, quod possit illam adhibere alio tempore, quando est necessaria in subleuamentum naturæ.

8 Quod autem is, qui primo mane sumit refectiunculam, censeatur non ieiunare, non prouenit, quia hoc non possit stare cum ieiunio, sed quia præsumitur, quod hora prandij sit sumpturus consuetam refectionem principalem; cessante autem hac præsumptione, non formatur conceptus contra obseruantiam ieiunij.

An si prandium nondum sit digestum, possit sumi vespertina refectiuncula. *Decis.* 104.

SVMMARIVM.

1 *Non licet indigesto prandio sumere vespertinam refectiunculam in die ieiunij secundum aliquos.*
2 *Licet sumere.*
3 *Refectiuncula vespertina ex consuetudine simpliciter non est contra ieiunium.*

1 NEGATIVE aliqui respondet quod etiam videtur sentire Caiet. 2. 2. q. 147. ar. 6. §. *Ad hoc dicitur*, quatenus docet, esse magnum abusum ieiunantium, qui vespere adhuc indigesto cibo bibunt, & peius esse, quando sumunt aliquid comestibile, ne potus noceat. Et addit, quod consuetudo Ecclesiæ solum introduxit, quod cibo digesto potest aliquid sumi, ne potus noceat.

2 Tenendum tamen est; quod semper licita sit vespertina refectiuncula, siue cibus sit digestus, siue non: quod tradunt communiter Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 3. *num.* 10. Armilla *num.* 12. Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 14. Couaruu. *lib.* 4. *variar. quæst. cap.* 20. *n.* 11. Viual. *par.* 3. *Candelabri cap.* 15. *de ieiunio num.* 40. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 4. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 11. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 25. Beia *par.* 1. *casu* 3. ver. *Secundum ostendo* Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio* Difficul. 4. ver. *Vespertina collatio* Fernandez. *par.* 2. *Exam. theol. mor. cap.* 7. §. 2. *num.* 9. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q.* 1. *punc.* 9. *num.* 2. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori Pœnit. num.* 154. Sanchez *in select. de sacram. disp.* 52. *num.* 6 Alter Sanchez *lib.* 5. *consilior. moral. cap.* 1. *dub.* 25. *num.* 2. Llamas *par.* 3. *Methodi cap.* 5. §. 24.

3 Ratio autem est, quia consuetudo introduxit huiusmodi refectiunculam simpliciter, atque adeo fecit simpliciter licitam, ita vt sit quid veluti accessorium comestionis principalis; & proinde non violat ieiunium. Vndè etiam si prandium non sit digestum, non violabit ieiunium, quia quod semel admittitur à ieiunio, ipsum non violat: sic prandium non violat ieiunium, etiam si cœna præcedentis diei non esset digesta. Vndè, si fortè interueniet peccatum, erit contra temperantiam, non contra ieiunium.

An omnis excessus in refectiuncula vespertina supra designatam quantitatem sit peccatum mortale. *Decis.* 105.

SVMMARIVM.

1 *Excessus, qui refectiunculam vespertinam conuertit in cœnam, est peccatum mortale.*
2 *Secus autem excessus non multum notabilis.*
3 *Quantitas refectiunculæ vespertinæ moraliter mensuratur.*
4 *Quamdiu refectiuncula non euadit cœna, non peccatur mortaliter.*

1 DVPLEX potest esse excessus supra designatam quantitatem refectiunculæ vespertinæ: potest enim ita esse magnus, vt refectiunculam conuertat in cœnam: & de hoc non est dubium; quin sit peccatum mortale, quia destruit ieiunium, siquidem facit, vt duplex refectio sumatur, quod est contra ieiunium ecclesiasticum, quod requirit vnicam tantum refectionem. Alter verò excessus potest esse minor, atque adeo quod relinquat refectiunculam infrà mensuram cœnæ: in quo tamen excessu reperitur latitudo, nam potest esse maior, & minor.

2 Respondendũ est cum Ledesma *p.* 2. *sum. tr.* 27. *De abstinentia c.* 2. *dub.* 1. *post concl.* 4. ver. *A esta duda*, Sanchez *lib.* 5. *Consil. Moral c.* 1. *dub.* 25. *num.* 5. Sancio *in Select. de Sacram. disp.* 52. *num.* 7. ver. *Poteritque* Leander *par.* 3. *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 14. Non esse peccatum mortale excedere præfixam quantitatem, dummodo excessus non sit valde notabilis. Vnde excedere per vnam, aut duas vncias præfixam quantitatem, non erit mortale.

3 Ratio autem est, quia, vt ait Ledesma, quantitas refectiunculæ moraliter mensuratur: vndè quod sit paulo amplior, quia adhuc manet sub ratione refectiunculæ, non dicit notabilem deformitatem ad rectam rationem, atque adeo nec etiam fundat grauem malitiam, quæ sufficiat ad mortale. Quod diligenter debent aduertere confessarij, cum frequenter hoc accidat, ne damnent pœnitentes peccati mortalis, quando re vera mortaliter non peccarunt.

4 Ex his colligitur, quod nullus excessus supra præfixam quantitatem constituit peccatum mortale, quando refectiuncula manet intra terminos refectiunculæ; nec accedit ad cœnam, saluatur enim adhuc ieiunium secundum substantiam, quod admittit vnicam refectionem simul cum refectiuncula. Quando autem refectiuncula excedat terminos refectiunculæ, & euadat cœna, iudicio prudentis viri remittendum est, cum non possit tradi certa aliqua regula, & in iudicando habenda est ratio personæ, complexionis, atque aliarum circumstantiarum.

An

An in refectiuncula vespertina liceat sumere totam illam quantitatem cibi, si coctus cum iusculo sumatur, quæ sumi posset, si crudus sumeretur. Decis. 106.

SVMMARIVM.

1 *In refectiuncula vespertina non potest sumi tota illa quātitas cibi, quæ sumeretur, si crudus esset, si sumatur coctus cum iusculo secundum aliquos.*
2 *Licet sumere.*
3 *Aqua mixta cibo cocto non auget substantiam cibatiuam.*
4 *Aqua mixta in coctione cibi ordinatur ad medicinam, non ad cibandum.*
5 *Augmentum ponderis in cibo cocto non est augmentum substantiæ cibatiuæ.*

1 NEGATIVAM sententiam tenet Filliucius *tom.2.tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 31. quia ex aqua, seu quocumque alio liquore, & materia solida fit vnicus cibus, ita vt materia liquida nō retineat amplius rationem potus, sed et aqua [illegible] cibus simul cum materia solida: & proinde quantitas excederet mensuram licitam in vespertina refectiuncula.

2 Oppositum tamen probabilius puto, quod etiam sentiunt doctissimi Recentiores super hoc cōsulti, & scio in praxi seruari à viris prudentibus, & conscientiæ valdè timoratæ, qui illam quantitatem panis, quam sumere sibi licere putant, sumāt aqua, & igne maceratam, & aliquo condimento conditam, neque de hoc sibi scrupulum faciunt, & ita docet Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 128. Et postea Leander *par.9. in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 35.

3 Ratio autem est, quia aqua, quæ miscetur, vel cum pane, vel cum aliquo alio cibo solido, non auget substantiam cibi in ordine ad nutritionem, quia non affert secum aliquid nutritiuum, sed tantum temperat qualitatem ipsius in ordine ad faciliorem concoctionem in stomacho, & proinde eadem quantitas cibi nutritiui sumitur, ac si sumeretur crudus. Et sicut licet sumere panem in ea quantitate, quæ est licita, & ipsum vino imbuere, quamuis ex hoc crescat in pondere, quia non admiscetur aliqua substantia ordinata ad cibandum, ita etiam in casu nostro, quia supra quantitatem debitam non admiscetur aliquid ordinatum ad cibandum.

4 Quòd etiam ex eo declaratur, quia quod sumitur per modum medicinæ, non est contra ieiuniū, quando autem sumitur ea quantitas cibi, quę permittitur in refectiuncula vespertina, & postea coquitur admiscendo debitam aquam, hæc concoctio simul cum aqua admixta ordinatur ad medicinam, non autem ad nutritionem, quia fit in eum finem, vt illa quantitas cibi magis stomaco conueniat.

5 Nec obstat, quod cibus in pondere crescat, quia hoc augmentum ponderis per accidens est, nec est secundum rationem substantiæ nutritiuæ, sed secundum rationem temperamenti ordinati per modum medicinæ ad commodum stomachi.

An in refectione vespertina ieiunij liceat vti pane. Decis. 107.

SVMMARIVM.

1 *In refectiuncula ieiunij sumi possunt herbæ, fructus, & alij cibi leuiores.*
2 *Qui negent, posse adhiberi panem.*
3 *Qui ipsum concedant per modum medicinæ.*
4 *Est licitus etiam per modum cibi.*
5 *Consuetudo declarat, esse licitum comedere panem in refectiuncula ieiunij.*

1 CONSTAT tanquam certū apud omnes, posse sumi in refectiuncula vespertina ieiunij herbas, vel fructus, siue virides, siue siccos, & alios huiusmodi leuiores cibos, qui non sunt principaliter ordinati ad nutriendum, sed potius vel sitim extinguunt, vel famem mitigant; cum enim aliquid [illegible] fit, ad minus erit licitum, sumere huiusmodi leuiores cibos & in hoc conueniunt auctores Decis. *sequentibus citandi*. De pane nonnulla difficultas est.

2 Quidam, vt refert Azor. *citandus* negauerūt licitum esse panem sumere, & tenet D. Anton: 1. *p. tit.6.cap.2. §. 9.* quia id, quod sumitur in huiusmodi refectiuncula, debet esse per modum electuarij, aut medicinæ, non autem debet ordinari principaliter ad nutritionem; panis autem ordinatur principaliter ad nutriendum, & famem sedandam: vndè est cibus principalis, & magis communis.

3 Alij vero docent, posse in refectiuncula adhiberi modicum panis per modum medicinæ, ne stomachus potu lædatur; non autem per modum cibi. Ita Abulens. *quæst.* 170. *in cap.* 6. *Matth.* Sylvester *verbo* Ieiunium, *num:* 10. *in fine* Ledesma 2. *p.* 4. *quæst.* 17. *ar.* 5. *concl.* 4. Innocent. *in Rubrica de obseruat. ieiunior.*

4 Communiter tamen docent, esse licitum adhibere etiam panem, non solum per modum medicinæ, sed etiam per modum cibi; Ita Nauar. *cap.* 21. *Manual.* Azor. *to.1.lib.7.c.* 8. *q.*7. Sa *verbo* Ieiunium *n.* 8. *ver. tres aut quattuor* Facundez *lib* 1. *de quarto præcep. Eccl. c.* 4. *num.* 13. Armilla *verbo* Ieiunium *num:* 12 Caiet. *c.* 1. Filliucius *tract.* 27. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 29. Llamas *par.* 3. *Methodi cap.* 5. *§.* 24. Angles *in Florib. q.9. de Ieiunio ar.2. difficul.4. ver. Animaduerte in fine.* Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.*9. Villalob. *par.* 1 *sum. tr.* 23. *difficul.* 7. *num.* 3. Vinal. *in Candelabro aureo par. vlt. cap.* 11. *num.* 25. Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 27. *cap.*2. *post concl.* 4. ver. *A esta duda* Graf. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 29. Vega *par.* 1. *sum. cap.* 14. *casu* 5. Molfes. *tom.* 1. *sum. tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 24. Syluius 2.2. *q.*147. *ar.* 6. *q.* 2. Beia *par.* 1. *Casu* 3. Rodriquez *tom.* 1. *sum. cap.* 23. *num.* 8. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 4 Trullench *lib* 3. *in Decal. cap.*2. *dub.* 3. *num.*8. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 4. Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *num* 123 *&* 124. Roccaful. *in Praxi tract.6. de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.*4. *nu.*67.

Imo

Imò communiter censetur vespertinam refectiunculam rigorosiorem esse, si fiat cum solo pane: & ita est in vsu apud plures religiosos, & præcipuè apud nos tanq; aliquid reddens ieiunium magis rigorosum.

5 Ratio autem est, quia consuetudo iam præscripsit vsum panis, vt legitimam in vespertina refectiuncula: vndè cum in ieiunio tota regulatio comedendi sit ex consuetudine, vt ostendimus in superioribus merito debet haberi pro legitimo quicquid per ipsam introducitur.

An liceat in refectiuncula ieiunij sumere herbas elixatas aqua, & oleo, atque aceto temperatas, vulgo Insalata cotta.

Decis. 108.

SVMMARIVM.

1 *In refectiuncula ieiunij adhiberi possunt herbæ aqua elixatæ, oleo, & aceto temperatæ.*
2 *Herbæ sic elixatæ non differunt secundum substantiam à crudis.*

1 AFFIRMATIVE respondendum est cum Laiman *lib. 4. theol. mor. tr.* 8. c. 1. *nu.* 9. *in fine* Bossio *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18 *n.* 118. Leander *par.* 3. *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp* 4. *q.* 37. & cæteris, qui aliquid amplius concedunt, quos Decis. *sequentib.* referemus: nec cæteri contradicent *ijs exceptis*, qui concedunt sola electuaria, & negant quicquid est coctum.

2 Atque hoc nedum fit licitum ob consuetudinem, sed quia non differunt secundum substantiam herbæ coctæ, & crudæ, & sunt in eodem genere cibi leuissimi: vndè si possunt sumi crudæ cum eodem condimento, poterunt etiam sumi coctæ; cum talis coctio solum mitiget cruditatem ipsarum.

An iuscula ex herbis pane, & alijs huiusmodi rebus leuioribus, vulgo Minestre, *sale, & oleo condita, aut etiam saccaro, aut melle possint adhiberi in refectiuncula ieiunij. Decis.* 109.

SVMMARIVM.

1 *Non licet adhibere iuscula ex herbis, &c. in refectiuncula ieiunij.*
2 *Licet adhibere.*
3 *Iuscula accidentaliter tantum immutant substantiã cibi.*
4 *Cur iuscula non sint passim introducta pro refectiuncula ieiunij.*
5 *An, quod ponitur inter fercula, prohibeatur in refectiuncula ieiunij.*

1 NEGATIVE respondent ij omnes, qui putant licere concedere tantum ea, quæ apponi solent antè, vel post prandium, seu cœnam, vulgo *Antipasti è postpasti*, qualia non sunt iuscula; & qui solum fructus, & electuaria concedunt, vt Abulens. *quæst.* 170. *in cap.* 6. *Matth.* Nauar. *cap.* 21. *Manual. num.* 13. Vega 1. *par. sum. cap.* 14. *casu* 5. & alij. Et in speciali id negant Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. Laiman. *lib.* 4. *theol. mor. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. licet oppositum non damnet peccati mortalis. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 4. Horum fundamentum est, quia iuscula non sunt secundum consuetudinem; & communiter inter fercula enumerantur.

2 At posse in refectiuncula adhiberi huiusmodi iuscula, etiam seclusa necessitate, tenendum est cum Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 8. *in fine.* Facundez *lib.* 1. *de* 4. *præcep. Eccles. cap.* 4. *num.* 20. Bossio *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 128. Ghetio *in Thesauro animæ verbo.* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 4. Bizozer. *in sum. par.* 4. *de* 3. *præcep. Decal. cap. vlt. memb.* 2. *num.* 3. *ver. Sed* Caiet. Reginald. *lib.* 4. *Praxis cap.* 14. *n.* 185. Bonac. *disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst.* 1. *punc.* 3: *n.* 3. Murcia *in Regul. S. Francis. cap.* 2. *n.* 42. *super* 3. *cap.* Sanchez *lib.* 5. *consil. cap.* 1. *dub.* 25. *n.* 1. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 7. *n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decal.* c. 2 *dub.* 3. *n.* 8. Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 38 Nicol. Moscifcen. *in Tyrocin. ar. Pœnit. par.* 2. §. *De secundo præcepto n* 22. Roccaful. *in Praxi tract.* 6 *de præcep. Eccles. lib* 3 *cap* 4 *num.* 69.

3 Ratio autem est, quia huiusmodi iuscula dicunt solam accidentalem mixtionem eorum, quæ alias cruda, & seorsim possent adhiberi in refectiuncula: hæc autem mistio, cum relinquat omnia in sua substantia, adhuc licita relinquit, sicut erant antea. Accedit etiam quod huiusmodi mistio non est contra finem ieiunij, quia non præstat aliquem effectum contra macerationem, quem non præstarent reliqui cibi.

4 Nec obstat, quod hæc iuscula non sint introducta consuetudine, quia hoc non prouenit, quasi censeatur contra ieiunium, sed quia commodius est & gustui suauius alia comedere, quæ cum potu melius congruunt.

5 Nec item, quod inter fercula enumerentur quia non ponuntur inter ipsa ratione substantiæ cibatiuæ, sed potius ratione modi, quo temperantur. Deinde non statim ac aliquid inter fercula numeratur, debet censeri prohibitum pro refectiuncula: quia pro refectiuncula non sunt attendendæ denominationes, sed substantia cibi.

An in refectiuncula vespertina adhiberi possint legumina, etiam cum iusculo.

Decis. 110.

SVMMARIVM.

1 *Legumina præsertim cum iusculo non possunt secundum aliquos adhiberi in refectiuncula vespertina.*
2 *Possunt adhiberi.*
3 *Cur legumina adhibita in refectiuncula non sint contra ieiunium.*
4 *An obstet consuetudo, quo minus possint adhiberi.*
5 *An quid inter fercula adhibentur.*

1 NEGATIVAM sententiam tradunt Azor. 1. *par. lib.* 7. *c.* 8. *q.* 8 Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 9. qui tamen oppositum probabile quoque putat. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 30. Villalob. *tom.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 7. *num.* 7. Reginal. *tom.* 1. *praxi Fori pœnit. lib.* 4. *c.* 14. *dub* 10 *num.* 185. Diana *par.* 5. *tract.* 14. *Resol.* 14. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 8. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 4. Murcia *in* Reg. S. *Francis. cap.* 2. *n.* 42. *super cap.* 3. Anton. de Leone *de Cocholate par.* 3. *n.* 4. Leander *par.* 3. *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 4. *q.* 39. & ij omnes, qui putant, licere sumi, quæ solum ante, vel post prandium adhibeantur. Excipiunt tamen aliqui legumina viridia, vtpotè quia habēt rationē fructuū.

2 Sed si viridia legumina assumi possunt pro refectiuncula ieiunij, non video, cur non etiam sicca, & cum iusculo condita, cum retineant eamdem substantiam in ordine ad alimentum, & iusculum tanquam quid accessorium sequatur naturam principalis; Ideo merito affirmatiuam sententiam tenent Facundez *lib.* 1. *de* 4. *præcep Eccl. cap.* 4. *n.* 20. dum concedit iusculum cum quouis cibo alias non vetito. Et in specie cum fructibus, vndè non rectè Leander dicit me illum malè citare; an non legumina sunt fructus? Bonacina *disp. vltima de præceptis Eccles. q.* 1. *punc.* 3. *n.* 3. Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *n.* 128. Ghetius *in Thesauro animæ, verbo* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 4. Bizozer. *par.* 4. *de* 3. *precep. Decal. cap. vlt. memb.* 3. *ver. Sed Caiet.*

3 Atque hanc sententiam existimo probabiliorem; quia legumina non sunt contra finem refectiunculæ ieiunij, cum enim adhibeatur ad præstandam aliqualem refectionem, ne corpus nimis debilitetur potest hic effectus obtineri, mediantibus leguminibus, etiam cum iusculo in debita quantitate sumptis, præsertim quia sunt cibus satis crassus, & parum nutriens in comparatione cœterorum; imo minus nutriens, & conualidans corpus, quam nutriat panis, aut alius cibus ex ijs, qui censentur liciti pro refectiuncula, quod præsertim contingit in quibusdam generibus leguminum. Sunt etiam difficilis digestionis, vt experientia patet, vndè ex hoc capite macerant.

4 Neque obstat, quod non sint introducta à cōsuetudine, quia non omnia, quæ sumi possunt, introducta sunt, vt constat, etiam in ijs, quæ habent rationem Bellariorum, quia sufficit, quod non sint contra finem, & intentionem consuetudinis concedentis refectiunculam; alioquin dicendum esset, quod pauperibus ieiunantibus non liceret in prandio vesci illis cibis, quibus vtuntur soli viri nobiles eo, quod apud pauperes non sint consuetudine introducti. Sed sufficit, quod non sint introducta, quia vt plurimum tale genus ciborum non est commodum pro refectiuncula, non autem quia censeantur contra ieiunium.

5 Nec item obstat, quod inter fercula enumerentur, quia hoc non tollit, quin possint adhiberi in refectiuncula. Neque enim in hoc obstare potest, quod habeant hanc denominationem, quia hoc non potest esse contra substantiam ieiunij, quod consistit in abstinentia, vndè solum materia cibatiua est contra ipsā: Nec quia sint valdè substentatiua corporis, aut recreatiua gustus, si quidem plura, quæ communiter conceduntur pro refectiuncula, validius cibant, & sunt gratiora gustui, vt bellaria panis dulciarius, & alia huiusmodi.

An cremor amygdalinus, aut triticeus, vulgo Amendolada, *e* Amido *adhiberi possint in refectiuncula ieiunij.*

Decis. 111.

SVMMARIVM.

1 *Cremor amygdalinus, aut triticeus non potest secundum aliquos adhiberi in refectiuncula ieiunij.*

2 *Potest secundum alios adhiberi.*

3 *Mutatio accidentalis non facit, vt non sit licitum, quod alias, est licitum pro refectiuncula ieiunij.*

4 *An omne genus iusculorum adhiberi possit in refectiuncula ieiunij.*

1 NEGATIVAM sententiam tenent ij omnes, qui volunt, solum adhiberi posse electuaria, fructus, & parum panis, & qui solum ea concedunt, quæ ante, vel post prandium adhiberi solent: in speciali autem Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 25. *num.* 4. qui tamen subdit, non esse damnandos, qui id faciunt, vel quia nihil aliud habent, vel ad dormiendum, quibus videtur significare, quod non frangat ieiunium. Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 129. excipit tamen, quando adest aliqua iusta causa. Trullench. *lib.* 3. *in Decal c.* 2. *dub.* 3. *num.* 8. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 4. Filliu. *tract.* 27. *par.* 2. *num.* 3. Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 40. Leander à Murcia *in cap.* 3. *Regul. S. Francisc. cap.* 2. §. 2. *num.* 36.

2 Qui tamen putant, posse sumi in refectiuncula ieiunij quicquid non est vetitum in diebus ieiunij, dummodo sit in debita quantitate, vt Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium §. 1. *in fine* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q.* 1 *punc.* 3. *n.* 3. Bizoz. *p.* 4. *sum. de* 3. *præc. Dec. c. vlt. memb.* 3. *n.* 3. *ver. Sed Caiet.* & alij citati *Decis.* 113. *n.* 2. censebunt, posse sumi cremorem amygdalinum, aut triticeum.

3 Quam sententiam probabiliorem existimo, quia non debet pro refectiuncula negari id, quod alias conceditur ex eo, quod subeat aliquam mutationem accidentalem, quia talis mutatio, dum inuariata manet substantia, non est contra ieiunium, cum sit contra ipsum sola substantia nutritiua: & sicut, si semel est contraria, semper est talis, facta quacumque mutatione accidentali: ita è contra, si semel non est contraria, nunquam erit contraria per quamcumque mutationem accidentalem, quia semper retinebit eamdem virtutem nutritiuam. Amygdalæ autem, & substantia triticea non sunt contraria ieiunio, vndè nemo dubitat, quin amygdalæ adhiberi possint in refectiuncula ieiunij; & substantia triticea communiter adhibetur in pane; & per id, quod ex amygdalis, & tritico fiat cremor, vulgo *Amendolada, & Amido*, non inducitur, nisi accidentalis mutatio, vt constat ex eo, quod retinet eumdem saporem colorem, &c. Nec condimentum, quod adhibetur est contrarium ieiunio, aut quod adhiberi

non

non possit in refectiuncula vespertina, nam consistit in saccaro, sale, & alijs huiusmodi. vnde hi cremores licet sint gratiores gustui, non tamen plus nutriunt, quam nutriant ipsæ amygdalæ, aut ipsa substantia triticea, vt multi periti medici affirmarunt: & proinde viri docti, & timoratæ conscientiæ putant, nullum adesse scrupulum, si hæc huiusmodi adhibeantur in refectiuncula.

4 Ex quibus colligitur, quod omne genus iusculorum, quod in vigilijs adhiberi potest, sit etiā licitum in refectiuncula ieiunij, quia constat ex ijs, quæ sine iusculo adhiberi possent, nec per iusculum mutant substantiam. Nec obijci potest, quod sint maius alimentum, quia hoc non est verum, quia plura alia, quæ licitè adhibentur magis nutriunt, vt etiam ipse panis, qui est principalis cibus.

An pisces siccati, & sale conditi, & quæ constant ex ouis piscium, vulgò Caueiale, & Botarge, *adhiberi possint in refectiuncula ieiunij. Decis. 112.*

SVMMARIVM.

1 *In refectiuncula ieiunij adhiberi possunt pisces siccati, & sale conditi, & ea, quæ constant ex ouis piscium.*
2 *Consuetudo adhibendi huiusmodi cibos in refectiuncula ieiunij.*
3 *Hi cibi numerantur inter ea, quæ ante, vel post prandium apponuntur.*
4 *Expenditur* Caiet.

1 RESP. Affirmatiuè cum Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. c. 1. n. 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 7. Bossio *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *n.* 126. & alijs, qui docent, non esse attendendam qualitatem, sed quantitatem cibi, qui sumitur, citandi Decis. *sequent. num.* 2.

2 Hoc autem certum fit ex consuetudine, apud quam stat præscribere modum comestionis in ieiunio, nam vt plurimū viri timoratæ conscientiæ absq; scrupulo huiusmodi cibos solent in refectiuncula ieiunij adhibere. Imo etiam reponi solent inter leuiores cibos, vt desumitur ex cap. *Presbiter Dist.* 82. & ex cap. 2. *De homicidio*, vbi agentibus pœnitentiam in ieiunio cum solo pane, & aqua conceduntur parui pisciculi, qui tamen si recentes sint, magis nutriunt, quam piscis siccatus, aut aceto maceratus, quia sunt in sua viridiori substantia.

3 Adde etiam, quod enumerari solent inter ea, quæ ante, vel post prandium apponuntur, vnde qui concedunt, posse hæc adhiberi, debent etiam concedere de his piscibus, aut confectis ex ouis piscium.

4 Leander in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. qu. 42. ait me male citare Caiet. tam pro hac, quam pro similibus quæstionibus *in sum. verbo* Ieiunium §. 1. *in fine*. vbi hæc habet. Nec sumere in ientaculo serotino parum panis frangit ieiunium, quia ad hoc videtur serotinum ientaculum reductum, vt non referat, quid quisque sumat, si modum non excedit & rectè sibi quisque consulere videtur, qui illud sumit, quod suæ complexioni plus prodest. Ecce ergò quomodo in debita quātitate potest sumi quicquid libuerit. At instat; debebam explicare Caiet. iuxta ea, quæ tradit 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 6. Sed subijcio ipse; Debuit Leander explicare è contra, & putare correcta, quæ in commentarijs tradiderat; tum quia summulam post commentaria scripsit, nam illā Gregorio X. hanc Clementi VII. aliquot annis post, tum quia in summa testatur de vsu, & consuetudine, quæ tunc inualuerat, tum quia scripsit vulgaribus personis, vt breui methodo teneant veritatem.

An in refectiuncula ieiunij liceat vti piscibus recentibus in debita quantitate. Decis. 113.

SVMMARIVM.

1 *Qui negent, posse adhiberi pisces in refectiuncula ieiunij.*
2 *Qui teneant posse adhiberi in debita quantitate.*
3 *An comedere pisces sit contra intentionem consuetudinis concedentis refectiunculam.*
4 *Si refectiuncula sit per modum medicinæ potius est adhibendus piscis, quam plura quæ solent adhiberi.*
5 *Pisces sunt cibus maceratiuus.*
6 *Ratio consuetudinis concedentis refectiunculam, an habeat locum in piscibus.*
7 *Pisces minus nutriunt, quam plures cibi concessi pro refectiuncula.*
8 *Quid sentiant viri docti de hac opinione, & an probabilis sit.*
9 *Placenta, & pulmenta, in quibus aliquid piscis ingreditur, possunt adhiberi pro refectiuncula ieiunij.*

1 NEGATIVE respondent Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tr.* 8. *c.* 1. *num.* 9. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 24. *num.* 4. Villalobos *tom.* 1. *sum. tr.* 23. *dub.* 7. *num.* 3. Reginal. *tom.* 1. *Praxis fori Pœnit. lib.* 4. *c.* 14. *dub.* 10. *num.* 18 Filliucius *tom.* 2. *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 2. *dub.* 6. *num.* 30. Angles *in Florib. qu.* 9. *de ieiunio ar.* 2. *diff.* 4. Ledesma *tom* 2. *sum. tract.* 27. *c.* 2. *post concl.* 4., ver. *A esta duda.* & mordicus Diana *p.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio Resol.* 1. & *par.* 4. *tract.* 4. *Miscellan. Resol.* 117. ver. Nota Turrian. *in sum. par.* 1. *c.* 256. *dub.* 37 *conclus.* 3. & 5. Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 130. qui tamen cum dicat hoc probabilius esse, supponit, oppositum quoque esse probabile. Trullench. *lib* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 3 *num.* 8. Qui tamen oppositum putat probabile Zipeus *in iure nouo pontificio edit.* 1641. *lib.* 3. *tit. De obseruat. ieiun num.* 1. Sanctarius *in Consil. Minor. Cap.* 3. *Statuto* 15. Caramuel *in Reg. S. Benedict. disp.* 128 *num.* 1613. Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 4. *quæst.* 41. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *nu.* 4. Atque ij omnes, qui concedunt solos fructus, & ea quæ ante, vel post prandium solent adhiberi. Huius sententiæ fundamentum est, quia non debent adhiberi in refectiuncula, quæ simpliciter ordinantur ad reficiendum, & quia non est introductum per consuetudinem, quod pisces etiam in parua quantitate adhibeantur.

2 At pisciculos paruos concedunt Azor. 1. *par. lib.* 7. *cap.* 8. *q.* 7. Quem me malè citare, asserit Leā-

der citat. *num. praeced.* propter verba ab ipso relata, & *q.* 8. At in *q.* 7. habet Azor. *communi iam vsu receptum est, vt parum panis etiam edatur, &c. vel cum alijs cibis leniotibus cuiusmodi sunt ficus, &c. vel pisciculis parvulis.* Consideret ergò lector, an male citatus sit. Lauorius *par.* 1. *de iubileo cap.* 20. *de ieiunio num.* 10. asserens id esse secundum consuetudinem. Et absolutè posse sumi, etiam partem piscis magni docent Caiet. *in sum verbo* Ieiunium §. 1. *in fine*, dum docet. Non referre, quid quisque sumat in refectiuncula, dummodo modum non excedat. Bonacina *disp. vlt. de praeceptis Eccl. q.* 1. *punc.* 3. *num.* 3. dum docet. In refectiuncula debere attendi, non qualitatem, sed quantitatem, ita vt possit in debita quantitate sumi quicquid in diebus ieiuniorum non est prohibitum. Nicolaus Moscifcen. Ordin. Prędic. *in Tyrozin. pœnitent. p.* 2. *praecep.* 2. §. *De ieiunio n.* 22. Vuigers. *De iust. & iur. tr. De ieiun.* Marchan. *in Resolut. pastor. p.* 2. *c.* 5. *q.* 1. Perez *in sum. theol. moral. par.* 3. *praecep.* 3. §. *De ieiunio* Petrus Marchant. *tom.* 2. *Tribun. tract.* 12. *tit.* 3. *quaest.* 3. *dub.* 1. Zambel. *in Repertor. mor. verbo* Ieiunium *n.* 9. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de praecep. Eccl. lib.* 3. *c.* 4. *num* 68. Ghetius *in thesauro animae verbo* Ieiunium *c.* 1. *num.* 4. Iacobus Marcant. *in Resol. pastoralib. par.* 2. *c.* 5. Vuigers. *de virtutib. siue de temperan. c.* 1. *dub.* 4. Ludouicus Bertorand. Lorh. *in resol. theol. tr.* 19. *q.* 1. *ar.* 6. *ver. Maior difficultas est.* Bizozerus *p.* 4. *sum. de* 3. *praecep. Decal. c. vlt. mëb.* 2. *num.* 3. *ver. Sed Caiet.* asserens, non esse attendendam qualitatem dummodo non sit ex cibis prohibitis, Sed quantitatem. Quam sententiam, vt probabilem refert Basseus *in Florib. theol. mor. verbo* Ieiunium 2. *n.* 9. Machad. *de perfect. confess. tom.* 1. *lib* 2. *p.* 4. *docum.* 7. *num.* 5.

3 Et quidem hæc sententia tam quò ad pisciculos paruos, quam quo ad partem piscis magni habet suas rationes satis efficaces. Quia refectiuncula non solum adhibetur propter medicinam, sed etiam propter aliqualem refectionem, & ad confortandam naturam, ne nimis languescat ratione ieiunij; & in hunc finem aut est introducta per consuetudinem, aut saltem confirmata, ergo non est contra formam consuetudinis, seu contra intentionem, & finem ipsius adhibere piscem quemcunque in debita quantitate: nam in tantum esset contra consuetudinem, in quantum piscis ex sua primaria institutione ordinatur ad reficiendum, & nutriendum: at per hoc nedum contrariatur consuetudini, & fini ipsius, sed potius conformatur. Neque dici potest, quod excedat, quia consuetudo non intendit per refectiunculam perfectè nutrire, sed aliqualiter: quia piscis in debita quantitate sumptus non perfectè reficit, & nutrit, sed tantum aliqualiter.

4 Imo si dicatur, refectiunculam vespertinam adhiberi per modum medicinæ, adhuc sequitur potius, ex hoc capite adhibendum esse piscem, quam plura eorum, quæ tanquam fructus, & bellaria conceduntur. Non enim adhibetur per modum medicinæ, quasi ordinetur ad medendum alicui morbo; sed quia ordinatur ad dandam virtutem stomacho, ne illi potus noceat, & ad aliqualiter confortãdam naturam. Hunc autem finem melius assequitur piscis, quam plures fructus, vt ficus sicci præsertim, & plura Bellaria, quia loco corroborandi stomacum, ipsum debilitant, aut relaxant, generant cruditates, quia habent partes crassas, quæ difficilè concoquuntur, præsertim si stomacus non sit valde robustus: vndè si ieiunia sint continua, vt in quadragesima, multoties inhabilitant ad ferendum ieiunium; vt ipse in pluribus experientia didici. Nec valet responsio Leandri, quod iuxta scholam Salernitanam de tuenda valetudine *c.* 30. & 38. quod pisces flegma generant, difficilius cõcoquuntur, &c. quia hoc est verum in comparatione ciborum meliorum, non respectu deteriorum, qui tamen per Leandrum conceduntur in ientaculo ieiunij.

5 Accedit etiam, quod piscis est cibus exigui nutrimenti: vndè tanquam cibus maceratiuus conceditur ab Ecclesia in ieiunio: & ideo dum in refectiuncula adhibetur, adhuc in ipsa seruatur maceratio proportionata ieiunio, nedum quò ad quantitatem, sed etiam quò ad qualitatem cibi.

6 Deinde cum consuetudo sit lex non scripta, sicuti lex extenditur iuxta rationem legis, ita etiam debet extendi consuetudo, quia ratio est anima, quæ secum trahit vigorem legis, & consuetudinis. Ratio autem consuetudinis, quæ facit licitam vespertinam refectiunculam in ieiunio, est modica restauratio corporis, vt possit ieiunium tolerare; vndè vbicumque in cibis permissis in ieiunio reperitur hæc modica restauratio, habet locum ratio consuetudinis, atque adeo est secundum consuetudinem non materialiter acceptam, sed formaliter, prout dicit rationem, quæ dat ipsi honestatem, & rationabilitatem. Nec dici potest, quod ratio huius consuetudinis sit modica refectio, etiam quo ad qualitatem cibi, quia inter cibos permissos in ieiunio, quò ad qualitatem non attenditur maioritas, aut minoritas refectionis, cum omnes sint ordinati ad abstinentiam: vndè neque etiam attenditur in ijs, quæ communiter cẽsẽtur permissa pro refectiũcula, in quib' est notabilis diuersitas, quò ad virtutẽ refectiuam.

7 Quod etiam ex eo constat; nam pisces minus nutriunt, quam nutriant plures cibi, qui conceduntur pro refectiuncula. Et quo ad panem id constat, nam possunt homines cum solo pane diu viuere; si quis autem solos pisces comederet, non diu viueret, vt testantur Medici, quod satis indicat, non adeò benè nutrire, sicut nutrit panis. Rursus quædam genera nucum, vt pinei, pistacia plus nutriunt, quam nutriat piscis, cum sint solidioris substantiæ. Item caseus quoque, qui tamen quando in die ieiunij non est prohibitus, potest secundum plures adhiberi etiam in refectiuncula; sicuti etiam butirum. Vndè si conceduntur cibi, qui plus nutriunt, non videtur negandus piscis, qui minus nutrit ex eo, quod simpliciter adhibetur ad reficiendum. Neque obstat, quod piscis habeat rationem ferculi principalis in perfecta refectione; nam hoc impertinens est; sed debet attendi nutritio indè proueniens, parũ enim refert, quod aliquid sit principale ferculum, & minus nutriat. Piscis autem minus nutrit, vt dictum est, quam panis: vndè esse principale ferculum valde accidentale est in nostro casu. Imò quæ communiter conceduntur pro refectiuncula, vt olera, legumina sunt fercula principalia apud pauperes. Et è contra plura carne confecta, vt farcimina, non sunt fercula principalia apud diuites, cũ tamẽ sint eiusdẽ substãtię cũ carne.

8 Vndè pluries in diuersis congressibus audiui viros doctos, & probos stare pro hac sententia cõtra alios, qui oppositum asserebant, contendentes, non esse contra rationem ieiunij vti piscibus, in debita quantitate pro refectiuncula. Nec video cur

hæc

hæc sententia censeatur improbabilis à nonnullis, cùm habeat pro se meliores rationes, quam opposita, licet pauciores doctores; & ideo saluo meliori iudicio eam valde probabilem puto.

9 Ex quibus colligitur, quod illud genus ferculi, quod vulgò dicitur *Biancomangiare*, si vice carnis conficiatur ex pisce, possit adhiberi in refectiuncula, quod etiam ex eo capite est verum, quia est ex ijs, quæ post prandium apponi solent, & enumerari solet inter placentas. Vnde etiam cætera pulmenta, quæ fiunt ex piscibus, poterunt similiter adhiberi; nam, quæ ipsa ingrediuntur, non sunt alias prohibita in refectiuncula.

An, quando in die ieiunij licet comedere lacticinia, possit adhiberi caseus, aut aliquid ex lacte pro refectiuncula. Et quid dicendum de Butyro.

Decis. 114.

SVMMARIVM.

1 *Caseus, & confecta ex lacte non possunt adhiberi in refectiuncula ieiunij, etiã si possint manducari in die ieiunij.*
2 *Secundum alios possunt adhiberi.*
3 *Caseus, & confecta ex lacte non sunt contra ieiunium, si adhibeantur in refectiuncula.*
4 *An butyrum possit adhiberi in refectiuncula ieiunij.*
5 *Quid dicendum de placentis, quæ constant ex lacte, caseo, & butyro.*
6 *Caseus iam in vsu pro refectiuncula.*
7 *Placentæ ex lacte licitæ, licet sint fercula.*

1 NEGATIVE respond. Sanchez *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 24. num 4.* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 44.* quia non debet in refectiuncula iuuni, quæ ordinantur ad perfectam substentationem.

2 At affirmatiuam sententiam docent Laiman *lib. 4. theol. moral. tract. 8. cap. 1. num. 9. ver. Id porrò in fine.* Turrian. *in sum par. 1. cap. 256. dub. 37. conclus. 2.* Syluius 2.2. q. 147. *ar. 6. Quæsito 2.* Gherius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap. 1. num. 4.* Bossius *sect. 4. de Iubileo Casu 18. num. 132.* quamuis addat, tutius esse abstinere. Et in hanc etiam sententiam videtur inclinare Diana, quamuis apertè non se explicet. *par. 5. tract. 14. Resol. 12. ver. Sed negatiuam.* Et à fortiori id tenebunt Caiet. Bonacina, Bizozer. *nu. 2. Decis. præcep.* relati.

3 Atque hanc sententiam posteriorem puto probabilissimam, imo etiam certam ex ijs, quæ in superioribus dicta sunt, quia cum caseus, & lacticinia non sint vetita in die ieiunij, & habeat caseus illas conditiones, quas requirunt, qui rigide in assignandis cibis pro refectiuncula, procedunt, nam non enumeratur inter fercula, apponitur post prandium inter bellaria; adhiberi solet extra ieiunium in ientaculis communiter, non video rationem aliquam, ob quam non sit licitus pro refectiuncula ieiunij, sicut & cætera, quæ ex lacte constant, cum sint eiusdem substantiæ, & nutrimenti.

4 Quod autem spectat ad butyrum, negat Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. num. 131.* quia non adest consuetudo, neque enumeratur inter leuiores cibos. At mihi oppositum videtur cum Syluio *sup. cit.* non solum, quia est cibus non prohibitus in ieiunio, nec contra finem, & rationem consuetudinis concedentis refectiunculam; sed etiam, quia non est ex principalioribus ferculis, sed inter bellaria enumeratur; vnde si requireretur ista conditio, adhuc esset aptus pro refectiuncula. Deinde est eiusdem substantiæ cũ caseo, & lacte, & solum differt, quod conficitur ex partibus lactis subtilioribus.

5 Ex his colligitur, posse in refectiuncula adhiberi placentas, quæ constant ex lacte, & butiro, quod etiam concedit Bossius *Casu citato num. 133.* quia cætera, quæ ingrediuntur placentas huiusmodi, non sunt ex ijs, quæ non sint permissa in refectiuncula; nec fit tertia substantia illicita, quia quodlibet ingredientium manet in propria substantia.

6 Obycit Leander: Consuetudo nondum introduxit: Ergò non possunt adhiberi. Et licèt Caseus non numeretur inter fercula; numeratur tamen inter cibos prohibitos pro refectiuncula. Rursus caseus pectori, & capiti nocet. Resp. Imò fuisse introductum, vbi in ieiunijs comeditur. Nec constat, vndè prohibeatur adhiberi. Quod si aliqui Doctores id dicunt, alij etiam oppositum tradunt. Quod noceat capiti, & stomacho non officit, quia plus nocent cepæ, allia, castaneę, & tamen possunt adhiberi. Verum aliquibus corroborare stomachum, experientia testatur.

7 Obycit 2. multa quæ ex lacte conficiuntur numerantur inter fercula; Præsertim vulgò *Bianco mangiare.* Resp. Etiam iussula numerari inter fercula, & tamen per ipsum conceduntur. Ferculum autem vulgò *Bianco mangiare*, & placentæ inter Bellaria enumerantur, vnde vulgo dicuntur, *Postpasti.*

An, quando in die ieiunij oua non sunt prohibita, possint adhiberi, etiam in refectiuncula vespertina in debita quantitate.

Decis. 115.

SVMMARIVM.

1 *Oua, alias non prohibita in ieiunio, non possunt adhiberi in refectiuncula.*
2 *Quando consuetudo facit licitum aliquid in genere, facit virtualiter licitum in omni specie.*
3 *Quomodo vespertina refectiuncula sit introducta per consuetudinem.*
4 *Oua solent apponi in ientaculis.*
5 *Vnde prouenire possit, quod quis censeat, frangi ieiunium adhibitis ouis in refectiũcula, alias in ieiunio nõ prohibitis.*
6 *Oua, alias non prohibita in ieiunio, possunt secundum alios adhiberi in refectiuncula.*
7 *Oua cur apta pro refectiuncula ieiunij.*
8 *Oua quomodo valde nutriant.*
9 *Bellaria cum ouis, & sacharo, & panis, vulgò* di Spagna *an concedantur pro refectiuncula.*

2 NEGATIVA sententia nedum est eorum omnium, qui concedunt pro refectiuncula solum electuaria, aut fructus, sed in speciali traditur à Sanchez *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 24. nu. 4.* Angles *in Florib. q. 9. de Ieiunio ar. 2. difficult. 4. vers. Nota* Villalobos *par. 1. sum. tract. 23. dub. 7.*

dub. 7. n. 3. Fillliucio *tom. 2. tract. 27. par. 2 cap. 2. dub. 6. num. 30.* Ledesma *par. 1. sum. tract. 27. cap. 2. post conclus. 4. ver. A esta duda.* Diana *par. 1. tract 9. Resol. 1. & par. 4. tract. 4. Resol. 1 7.* Turrian. *Centuria 2. Censur. theolog. dub. 94.* qui sua consueta facilitate in censurandis opinionibus, etiam quæ nullam censuram merentur, vocat oppositam sententiam scandalosam, temerariam, & contra bonos mores. Bossius *sect. 4. de iubileo. Casu 18. num. 134.* Et nouissimè Leander *par. 3 in precep. Eccles. tract. 5. disp. 4. quæst. 46.* quia nec consuetudo esum ouorum introduxit in refectiuncula vespertina, nec solent oua in ientaculis apponi, & sunt ordinata ad principaliter reficiendum: vnde fideles cēsent frangere ieiuniū, si adhibeātur in refectiuncula.

2 Hæc opinio, licet habeat pro se plures Doctores, si tamen spectemus rationes, in quibus fundatur, non habet satis firmum fundamentum; quia non sufficit, quod consuetudo non introduxerit esum ouorum, ad hoc vt non sint licita. Nam quando aliquid fit licitum per consuetudinem, vt est refectiuncula, non est necesse, quod introducatur in singulis speciebus, vt in singulis sit licitum, sed sufficit, si introducatur ad praxim in aliquibus speciebus; quia tunc censetur virtualiter introductum in omnibus ratione generis. Vnde ob hanc rationem, consuetudo Vniuersitatis afficit etiam singulares personas; vt tradit Innocent. *in Cap. Ex parte De consuetudine.* Consuetudo ciuitatis afficit etiam forenses, vt tradit Bal. *in L. Ex ex post init. ff. De postulat.* Et consuetudo in vna specie iurisdictionis extenditur ad aliam; vt benè tradit Alex. *Consil. 68. par. 2.* quia nimirum censetur introducta pro iurisdictione in genere.

3 In casu autem nostro consuetudo introduxit refectiunculam vespertinam in genere; vt constat ex fine, qui est reficere corpus aliquantulum modica quantitate cibi, qui quidem finis non exigit nisi refectiunculam in genere; non autem quod fiat in hac, vel illa specie cibi: finis autem cum sit mensura legis, & consuetudinis, exigit, quod consuetudo habeat eādem amplitudinem, quam habet ipse; vnde si ipse est in genere, & non in determinata specie, consuetudo quoque eodem modo se debet habere. Et ideo ratione consuetudinis est saltem virtualiter introducta, vt fieri possit in quocunque cibo concesso in die ieiunij.

4 Quod autem dicitur, quod oua non solent apponi in ientaculis, hoc omnino falsum est, saltem hic in Italia, nam passim assumuntur sorbilia in ientaculo matutino, & oua aqua lixata, & obdurata in ientaculo vespertino præsertim tempore Pasquali, & simul cum herbis aceto, & oleo perfusis vulgo *insalata* comeduntur: & sorbilia ante prandium apponuntur, & dura post prandium: Et similiter placentę de ouis passim in ientaculis adhibētur. Vnde malè negat Leander quod non inseruiāt pro ientaculo; licet etiā inseruiant pro ferculis.

5 Cum autem dicitur, quod fideles censerent, frangere ieiunium, si oua adhiberent in refectiuncula; facilè respondetur. Prouenire ex erronea conscientia, quod aliqui ita sentiant, sicut vt plurimum sentiunt, esse peccatum non recitare salutationem angelicam, & alia huiusmodi omittere, in quibus nullum est peccatum.

6 Itaque contrariam sententiam tenent Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium *§. 1. in fine.* Bonacina *disp. vlt. de precep. Eccles. q. 1. punc. 3. num. 3.* Bizozer *par. 4. sum. de 3. precep Decal. c. vlt. nub. 2. n. 3. ver. Sed Caiet.* qui docet, non referre, quid sumatur in vespertina refectiuncula, dummodo non excedatur debita quantitas, & magis attendendam quantitatem, quam qualitatem: Et hanc sententiam refert vt probabilem Basseus *in Floribus theol. moral verbo* Ieiunium *1. nu. 9.* Et quidem valde probabilis fit ex dictis supra *num. 2. 3. & 4.* Et ità etiam tenere debent qui concedunt pisces siquidē etiam pisces sunt principalis cibus in ieiunijs.

7 Accedit etiam, quod licet oua satis nutriant, minus tamen nutriunt, quam nutriat carnis, vnde cōceduntur in ieiunijs extra quadragesimā à iure cōmuni tanquam cibus proportionatus pro abstinentia: & tanquam cibus lenis parum famen sedans; vnde ex hoc capite quoque proportionata sunt, vt magis sentiatur afflictio ieiunij: plus enim fames sedaretur in refectiuncula vespertina sumendo nuces, panem, ficus, & alios huiusmodi cibos, quam sumendo eamdem quantitatem ex ouis. Rursus cum refectiuncula, vt omnes concedunt, sit propter confortationem stomachi, & subleuationem naturæ, huic fini magis proportionata sunt oua, quam alij cibi. Accedit etiam, quod conceditur panis confectus cum ouis, vulgo *pasta reale*, seu *Pane di Spagna*, pro refectiuncula vespertina in his diebus, tanquam ille, qui connumeratur inter bellaria, qui tamen magis, & solidius nutrit, quam nutriant oua. Iraque non possum non censere hanc sententiam valde probabilem, & saltem vt docet Llamas *par. 3. Meth. cap. 5. §. 24. cum Soto.* stante aliqua debilitate stomachi, posse tutò in praxim deduci. Quando oua in ieiunijs conceduntur.

8 Nec obstat, quod plurimū nutritiua sint, quia id habent in ordine ad bonitatem nutrimenti, non autem in ordine ad sedandam famem, quę est illa, quæ in ieiunio affligit, & ideò ad hunc in refectiuncula magis relinquunt afflictionem ex ieiunio, quam fructus &c.

9 Ex dictis colligitur quod concessis ouis in ieiunijs adhiberi possunt pro refectiuncula bellaria, quæ conficiuntur cum ouis, & sacharo, nam non solum sunt cibi adhiberi soliti in ientaculis, sed etiam quia nihil continent de cibis prohibitis, nec veniunt nomine ferculorum, & oua quamuis aliàs non concedantur pro refectiuncula, dum tamèn ingrediuntur substantiam Bellariorum, non habent amplius denominationem ouorum, quia transmutantur in aliam speciem cibi; quæ ex genere suo est apta pro refectiuncula. Quod etiam dicendum est ob eandem rationem de pane vulgò, *di Spagna*, quia oua non sunt ampliùs in propria specie sed commixta cum alia substantia, & transmutantur in aliam speciem cibi. Et ita docent Io. Sanchez *in select. De sacram. disp. 52. num. 7.* Quamuis oppositum sentiat Leander *par. 3. in Eccles. precep. tract. 5 disp. 4. quæst. 48.*

DE

DE IIS, QVAE CONTRARIANTVR VEL NON CONTRARIANTVR VNICAE COMESTIONI IEIVNII.

An potus vsualis extra prandium, vel collationem vespertinam soluat ieiunium ecclesiasticum. Decis. 116.

SVMMARIVM.

1 *Potus liquidorum, quæ habent rationem cibi, soluit ieiunium.*
2 *Potus vsualis soluit ieiunium secundum Alens.*
3 *Non soluit.*
3 *In ieiunio non prohibetur, nisi cibus per se ordinatus ad nutriendum.*

1 EX Dictis in superioribus constat ad ecclesiasticum ieiunium requiri vnicam tantum comestionem, & licitam esse vespertinam refectiunculam ratione consuetudinis. vnde modo restat videre de ijs, quæ sumi possunt extra vtramque comestionem. Conueniunt autem omnes, potum liquidorum, quæ tamen habeat rationem cibi, vt ius, lac, & alia huiusmodi soluere ieiunium, si in notabili quantitate sumatur extra prandium, & refectiunculam, quia per se primo huiusmodi liquida ordinantur ad nutriendum. Ita inter alios notant Palud. *in 4. dist. 15 q. 4. nu. 34.* Palat. *disp.* 8. Angles *in Florib. q. 9 de Ieiunio ar. 2. difficult. 2.* ver. *Notanter.* Abulens. *q. 173. in c. 6. Matth.* Sanchez *lib. 5 Consil. Moral. cap. 1. dub. 23. nu. 1.* Bossius *sect. 4. de Iubileo casu 18. nu. 11.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 1. nu. 3.* & *dub. 2. num. 15.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium. *num. 2.* & alij infracitandi. Vnde difficultas procedit de potu vsuali, vt est potus aquæ, Ceruisię, Birrhæ, & aliorum, quæ communiter ordinantur ad extinguendam sitim.

2 Alensis *par. 4. q. 104. memb. 1. ar. 3.* vult, potum vini soluere ieiunium, præsertim si mane adhibeatur, quia nimirum nutrit; vnde est contra abstinentiam, quæ præcipitur in ieiunio, per quod præscribitur nutritio taxatiuè consistens in prandio, & refectiuncula. Et Caiet. *2. 2. q. 147. ar. 6. ad 2.* Ghetius *in summa verbo* Ieiunium *cap. 1 num. 6.* dicunt, quod sumere potum non liceat, quando cibus est indigestus, quia tunc potus non adiuuat, sed impedit digestionem.

3 Sed non sunt audiendi, nam communis omnium sententia simul cum consuetudine est in oppositum. Ita specialiter tradunt D. Th. *2. 2. q. 147. ar. 6.* vbi Caiet. Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 4. circa finem.* Angles *in Florib. q. 9. de ieiunio ar. 2. difficult. 2.* Durand. *in 4. dist. 15. q. 9.* Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 10.* Turrecrem. *Cap. Non oportet. n. 2. De consecr. Dist. 3.* Basseus *in Florib. theol. moral. verbo* Ieiunium *1. nu. 8.* Filliucius *tract. 27. par. 2. cap. 3. q. 10. nu. 63.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2 dub 1. nu. 3.* Bizozer. *in sum. par. 4. de 3. præcep. Decal. cap. vlt. memb. 2. n. 4.* Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 10. quæst. 7.* Rosel. *verbo* Ieiunium. *nu. 3.* Tabiena *nu. 24.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure cap 2. dub. 2. nu. 10.* Laiman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 7.* Nauar. *cap 21. nu. 11.* Medina *C. de ieiunio. q. De ijs, per quæ Eccles. Ieiunium soluitur, littera G.* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 3.* Facundez *lib. 1. de 4. præcep. Eccles. cap. 4. nu. 14. vltima edit. Lugdunens. anni 1632.* Graff. *lib. 2. Decis. cap. 37. n. 24.* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. nu. 10.* Sanchez *lib. 5. consil. moral. cap. 1. dub. 23. nu. 2.* Molfes *par. 1. sum. tract. 10. cap. 3. nu. 45.* Reginal. *lib. 4. praxis cap. 13. nu. 151.* Bonacin. *disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst. 1. punc. 1. n. 6.* Valent. *tom. 3. summ. disp. 9. q. 2. punc. 3.* Rodriquez. *par. 1. sum. cap. 23. nu. 1.* Vega *par. 1. sum. cap. 14. casu 32.* Fernandez *par. 2. sum. cap. 8. §. 2. n. 1.* Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. quæst. 1.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 206.* & alij *Decis. sequenti* pro vtraque sententia citandi. Quod est verum, etiam si vinum, aut quicunque alius potus in magna quantitate, & vltra necessitatem sumatur, quia potest quidem in hoc peccari contra temperantiam: non autem contra ieiunium.

4 Ratio est; quia tota præscriptio, & prohibitio in ordine ad ieiunium versatur circa cibum determinando qualitatem ciborum, & numerum comestionum: de potu autem nihil præscribit, nec prohibet, quod extra prandium, & refectiunculam non adhibeatur. Vnde cum odiosa restringenda sint *Cap. Odia. De regulis iuris in 6.* non est prohibitio cibi extra prandium, & refectiunculam extendenda etiam ad potum, cum potus non sit cibus, nec per se ordinetur ad nutriendum.

An violetur ieiunium, si vinum sumatur in fraudem ad sedandam inediam, & famem. Decis. 117.

SVMMARIVM.

1 *Potus ob sedandam inediam, & famem secundum aliquos violat ieiunium.*
2 *Non violat.*

3 *Eccle-*

3 *Ecclesia non prohibens potum, nec etiam prohibet nutritionem ex ipso.*
4 *Lex positiua non attendit intentionē obseruantis, sed actū.*
5 *Potus nunquam acquirit rationem cibi.*
6 *Quid requiratur, vt fiat fraus legi.*

1 AFFIRMATIVE respondent D.Th. *in* 4. *dist*. 15.*q*. 3. *ar*.4. *quæstiun*.1 *ad*.1.Ricar.*ar*.3. *q*.7.*ad* 2. Palat.*disp*.8 Gabr. *Dist* 16 *q*.3. *ar*. 3. Abulēs. *q*. 164. *in cap*.6.*Matth*. Medina C. *De ieiunio quæst*. *Per quæ ieiunium soluitur*. D.Anton. 2. *par*.*tit* 6 c 2. §.9.Rosella *verbo* Ieiunium *nu*.5. Tabiena *q*.2 Syluester *q*.3.*dicto* 1.Angelus *nu*.4 Ledesma 2.*par*. 4.*q* 17. *ar*.6. *post corolar. dubij* 5. ver. *In his omnibus fol*. 216.*pag*.1.*col*.1.Reginal.*lib*.4.*Praxis Fori Pœnit*. *c*.13. *nu*.153.Syluius 2 2.*q*.147.*ar*.6.qui tamen videtur hoc coarctare ad potum,qui sit valde nutritiuus. Ghetius *in Thesauro animæ*, *verbo* Ieiunium *cap*.1.*nu*.6. Azor. *par*. 1. *lib*.7 cap.10. *quæst*. 7. Thomas Hurtadus *disp. de Cocholate num*. 21. Ratio ipsorum est, quia tunc potus sumitur per modum cibi, cum sumatur in eum finem, in quem sumitur cibus.

2 Alij tamen, quos sequor, probabilius docent, nullo modo soluere ieiunium, etiam si sumatur in magna quantitate. Ita Nauar. *cap* 1. *Manual*.*num*.13. Angles *in Florib*.*q*. 9. *de Ieiunio*, *ar*.2. *difficul*. 2. Palatius *in sum*. verbo *Ieiunium*. Pedrazza *præcep*.3. Vega *tom*. 1. *sum*. cap.14. *Casu* 32. Homobonus *par*. 2. *Exam. Eccles*. *tract*.8.*cap*.7. *q*.20. Filliucius *tom*.2 *tract*.27.*par*. 2.*cap*. 2 *nu*. 42. Laiman *lib*.4. *theol moral*.*tract*.8.*cap*.1. *num* 7. ver. *Sed cōtrarium*. Molfesius *tom*.1. *sum*.*tract*.10.*cap*. 3. *num*. 25. Viuald. *Append. ad Candelabrum Aureum cap*. 15. *de Ieiunio*. *nu*. 45. vbi alios citat. Bonacina *disp*. *vlt*. *de præcep*. *Eccles*.*q*.1. *puncto* 1. *num*.8. Llamas *par*.3. *Meth*. *cap*.5. §.24. Lublinus *par*.1. *sum*. *verbo* Ieiunium *num*.3.Trullench.*lib*.3.*in Decal*.*cap*.2. *dub*.1. *num*.3. Lezana *in summa verbo* Ieiunium *num*.2.Facundez *lib*.1.*de* 4.*præcep*.*Eccles*.*cap* 4.*num*.14.*vltima edit Lugdunensis anni* 1632. Diana *par*.1 *tract*.9 *de ieiunio Resol*.23.ver. *Sed contrariam*.Sanchez *lib*.5 *consil*.*moral*.*cap*. .*dub*.23.*nu*. 4. Bossius *sect*.4.*de iubileo Casu* 18.*n* 12. Lessius *lib*.4.*de iust*. & *iur*.*cap*.2 *dub*.2.*nu*.10.Sancius *in select*.*disp*.51. *num*.2. Leander *in præcep*.*Eccles*. *tract* 5. *disp*.5.*quæst*. 3. Bossius *tom*.3.*moral tit*.21.*num*.206.

3 Ratio potissima est, quia Ecclesia non interdicit potum, atque adeo nec etiam effectum ipsius: vnde nutritio illa, quæ prouenit ex potu, non est prohibita, sicuti est prohibita, quando prouenit ex cibo, quia cibus est prohibitus. Atque adeo intendens talem nutritionem non facit contra præceptum ieiunij, quia non intendit ipsam, nisi vt prouenientem ex actu licito.

4 Vnde habet locum doctrina D.Th. quam tradit *in* 4. *dist*.15.*q*.3 *ar* 4.*quæst* 1. *ad* 3. Quod statutum positiuæ legis non attendit intentionem obseruantis, sed ipsum actum, quia modus virtutis non cadit sub præcepto sed est præcepti finis; & ideo cum bibere non sit actus cōtra præceptum ieiunij ex natura sua, nec etiam erit ratione intentionis bibentis, præsertim quia nec talis intentio est contra præceptum: imo nec contra finem præcepti, quia finis est maceratio corporis vt proueniens ex subtractione cibi, non autem vt proueniens ex subtractione potus.

5 Vnde cessat ratio in contrarium, quia licet potus sumatur in eum finem, in quem sumitur cibus, nō tamen sumitur per modum cibi, quia cibus primario per se ordinatur ad nutriendum; tunc autem potus non ordinatur primario ad nutritionem, quia intentio sumentis non mutat naturam ipsius, sed solum effectus secundarius potus facit, vt intendatur primarius, atque adeo etiam ipse potus. Vnde remanet, quod nihil fiat contra præceptum, quia talis intentio, vt diximus, non variat actum, nec facit, quod sit prohibitus.

6 Neque obijci potest, quod lex violetur, quando fit aliquid in fraudem ipsius. Quia in casu nostro nihil fit in fraudem legis; tunc enim solum censetur fieri aliquid in fraudem legis, quando ex ipso consurgit effectus prohibitus à lege: atque adeo etiam ipsum censetur prohibitum, quia causat effectum prohibitum à lege, vt si quis pluries in die ieiunij sumeret cibum in parua materia, quæ de se non frangat ieiunium, tunc enim fieret fraus legi de ieiunando, quia licet qualibet ex illis comestionibus seorsim nō tolleret effectum intentum à lege ratione paruitatis materiæ, omnes tamen simul tollerent, & ideo eo ipso, quod ecclesia intendit macerationem corporis per subtractionem cibi, censetur prohibire concursum illarum plurium paruarum comestionum in eodem die, tanquam causam obstantem effectui intento. Non sic autem in casu nostro, quia cum non prohibeat potum in quauis quantitate ad sedandam sitim, nec etiam prohibet effectum, qui ex ipso causatur nempe nutritio, & sedatio inediæ. Vnde etiam si adhibeatur in hunc finem, non fit fraus legi, quia nō adhibetur vt impeditiuus effectus intenti per legem, nam si impediret, esset prohibitus etiam in ordine ad sedandam sitim, sicuti prohibetur potus lactis, etiam si ordinetur ad refrigerandum, & extinguendam sitim, quia impedit effectum intentum a lege ieiunij. Solum ergo lex ieiunij intendit prohibere nutritionē inediæ per cibum, quia tantum cibum prohibet.

An potus aquæ saccaro mixtæ soluat ieiunium
Decis. 118.

SVMMARIVM.

1 *Aqua mixta saccaro soluit ieiunium sumpta extra prandium, & refectiunculam.*
2 *Non soluit.*
3 *Nec etiam aliæ aquæ cedro, aut alio modo conditæ.*
4 *Etiam si principalius sumantur propter gustum.*

1 AFFIRMATIVE respondet Sanchez *lib*.5. *Consil*. *moral*. *cap*.1. *dub*. 23. *num*.1. *in fine*, asserens, ita sentire doctos Recentiores, quorum fundamentum esse potest, quia saccarum est cibus, & licet in aqua liquefiat, quia non variatur in substantia; adhuc retinet rationem cibi: sic etiam lac est cibus, licet sit liquidum.

2 Sed oppositum absque vllo scrupulo tenendū est, quia licet saccarum habeat rationem cibi, ibi tamen non adhibetur per modum cibi, sed per modum electuarij ad temperandam cruditatem aquæ, ne noceat

ceat stomaco. Omnes autem concedunt, quod electuaria, & quicquid per modum electuarij sumitur, non violet ieiunium.

3 Et idem dicedum est etiam de alijs aquis saccaro, cedro, & gelsominis, aut aromatibus conditis, quia militat eadem ratio, nam totum illud condimentum adhibetur ad temperandam aquam, ne stomaco noceat, imo potius ipsum corroboret. Et ita iam consuetudo obtinuit, vt passim huiusmodi aquæ adhibeantur ad sedandam sitim, etiam in diebus ieiuniorum. Et ita tenent etiam Turrian. *par. 1 summ. cap. 56. dub. 24. conclus. 1. & sequen.* Leander *par. 3. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. quæst. 4.* vbi citat. Murciam. & Hurtadum. Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 206.*

4 Sed quid, si quis illas adhibeat, quia gustui placent, & non propter stomachum. Resp. adhuc licite adhibere, tum quia iam vsus illas licitas facit, vnde adhibere possunt ex quocunque fine: tum quia gustus, propter quem adhibentur, non excludit alium finem, quod aqua temperata sit, sed solum magis mouet, quam vtilitas pro stomaco. hoc autem non facit, quin tale condimentum habeat rationem electuari.

An quando in die ieiunij bibitur extra prandium, & refectiunculam, liceat aliquid cibi sumere, ne potus noceat. Decis. 119.

SVMMARIVM.

1 *Quando bibitur per diem in ieiunio, licet aliquid cibi sumere, ne potus noceat.*
2 *Concesso potu, censetur concessum quicquid requiritur, ne noceat.*
3 *Potest sumi aliquid cuiuscunque generis cibi.*
4 *Nedum semel in die, sed pluries, quoties bibitur.*
5 *Modo ne subsit fraus.*
6 *Quænam quatitas cibi singulis vicibus sumi possit.*
7 *An semper, quoties per diē bibitur, aliquid cibi sumi possit.*
8 *Cibus cū potu extra consuetas comestiones plus aggrauat.*

1 RESP. affirmatiuè cum Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 10. q. 7. § Certe negari.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 4. Conclus. 3* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 5. conclus. 8* Sà *verbo* Ieiunium *num. 8.* Syluester *num. 9. circa finem* Armilla *num. 1* Caiet. *2 2 q. 147 ar. 6. in fine*, qui tamen addit, hoc non esse licitum, nisi post completam digestionem. Abulens. *155. in cap. 6 Matth.* Reginal. *tom. 1. Praxis Fori Pœnit. lib. 4. cap. 14 dub. 4. nu. 17.* Facundez *lib. 1. de 4. præcep. eccles. cap. 4. nu. 14.* Homobonus *par 2 Exam. eccles. tract. 8. cap. 7. q. 20.* Laiman *lib. 4. Theol. moral. tract. 8 cap. 1. n. 7.* Molfesius *in sum. tom. 1. tract 10. cap. 5. nu. 23.* Philiar. *tom. 1. de offic. sacer. par. 2. lib. 3. cap. 25.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 23. difficul. 8. nu. 14.* Diana *par. 1. tract 9. de ieiunio Resolut. 24.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q 1. punc 3. n. 4.* Petrus Ledesma *2. par. sum. tract. 27. cap. 2. dub 3. post. 4. conclus. ver. A esta difficultad.* Lauor. *par. 1. De iubil. cap. 20. nu. 8.* Perez *par. 1. sum. Theol. præcep. 3. §. de ieiunio* Viguer *cap. 7. Instit. Theolog. §. 3. vers. 1.* Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. quæst. 10.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1 moral. lib. 2. tract. 5 de ieiun. num. 8.* Medina *par. 1. sum. cap. 14. §. 10.* Sanchez *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 22. num. 3.* Bossius *sect. 4. de iubileo. Casu 18. nu. 16.* & desumitur etiam ex D. Th. *in 4. dist. 15. q. 3. ar. 4.*

2 Ratio autem est, quia concedens aliquid, censetur etiam concedere omnia, sine quibus ipsum cōmodè obtineri non potest; vnde cum Ecclesia in ieiunijs concedat potum per diem, censetur etiam cōcedere ea, quæ necessaria sunt, ne potus noceat, atque adeo aliquid cibi. Atque huc reducitur id, quod dicunt communiter, quod talis cibus non est prohibitus, quia sumitur per modum medicinæ.

3 Azor autem *citat.* hoc limitat, dummodo, quod sumitur, non sit panis, herba, arboris fructus, sed exigua portio medicamenti. Sed non est audiendus, quia quodcunque illud sit, semper adhibetur per modum medicamenti, ne potus noceat, atque adeo censetur concessum ad concessionem potus, imo forte panis est magis aptus ad impediendum nocumentum potus. Et ita notant auctores citati, præsertim Laiman, Facundez, Bonacina, Diana. Sanchez *nu. 5. citati dub.* Bossius *num. sequenti 17.* & tenet etiam Palud. *in 4. dist. 15. disp. 8.* Viguer. Leander. *quæst. 11. cit. disp.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 209.*

4 Et hoc nedum semel in die, sed pluries, quoties contingit bibere, licitum est, vt inter alios notant Martinus Ledesma, Facundez, Diana *citati*: Ratio est, quia semper ordinatur ad eundem finem, ne potus noceat, vnde semper censetur concessum vt accessorium ad concessionis principalis, nempe potus.

5 Est tamen aduertendum cum ijsdem Doctoribus præsertim vtroque Ledesma, Facundez, Diana *citatis* Sanchez *num. 6. sequenti*, & Bossio *num. 18. sequenti*, quod non fiat in fraudem ieiunij, vt si quis biberet, non ob sitim sedendam, sed vt posset sumere illud parum cibi; si enim cibus in ordine ad potum sumptus pluries, perueniat ad notabilem quantitatem, frangitur ieiunium cum peccato mortali, secus autem, si sistat intra paruitatem materiæ. Tunc autem fraus abesse censeri potest, quando reuera quis ex siti mouetur ad bibendum: si autem non moueatur ex siti, censendum est, adesse fraudem.

6 Sed quæres, quæ nam quantitas cibi singulis vicibus sumi possit. Remigius *tract. 3. sum. cap. 4. § 2. nu. 1. vers. Para beuer.* concedit quantitatem infra dimidiam vnciam. Resp. citati Doctores, posse sumi frustulum panis, aut decem amygdalas, aut duodecim confectos; aut quid simile in proportionata quantitate. Hic Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. qest. 12.* ait, se mirari, quod concedam quantitatem cibi infra vnciam vnicam in ordine ad bibendum, cum concedam vix sextam partem vnciæ de Cacholate. At potius mirandum est, quod ipse concedat duas vncias de Cocholate ad bibendum tamquam materiam paruam, & scrupolosus sit infra vnicam vnciam alterius cibi; cum enim ij, qui intra terminos temperantiæ sistunt, semel, aut ad summum iterum bibant extra comestionem, non pertinget ad duas vncias, quæ censetur materia parua non violans ieiunium. Regulariter dici potest, quod licite sumatur quantitas cibi infra vnicam vnciam, talis enim quantitas est valde exigua, sed sufficiens, vt potui in stomaco commixta impediat ipsius nocumentum.

7 Rursus quæres, an semper, quando per diem bibitur, liceat sumere hoc parum cibi, etiam

M si alias

si alias sine ipso potus non noceret. Resp. Manè semper posse sumi, quia cum stomacus vacuus sit, potus semper afferret aliquid nocumenti. Post prandium autem, debet quisque considerare suam complexionem, & stomachi dispositionem; si enim certus sit, quod potus sine aliquo cibo non noceret, non potest ipsum sumere: secus autem, si probabiliter timeat nocumentum, aut dubius sit, quia tunc stat in possessione sui iuris ad sumendum. Quia tamen materia parua est, & potus solus stomaco non confert ideo nemini inijcerem scrupulum, grauis saltem peccati, si sumeret hunc exiguum cibum.

8 Verum re melius considerata puto, quod post prandium potus solus stomacho nocere non possit, imo quod plus noceat simul cum aliquo cibo; quia dum ingeritur stomacho nedum potus, sed etiam cibus, plus aggrauatur, & plus retenditur calor ventriculi occupatus in concoquendo cibo, & conuertendo in chilum. Si tamen in pluribus vicibus tota quantitas sisteret intra paruitatem materiæ, non peccaretur mortaliter, vt dixi *num. praced.* Quod si certus esset, quod potus non noceret absq; cibo nō peccaret mortaliter sumendo intra paruitatem materiæ. Quæ si attendisset Leander *in pracep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 13. non me citasset tanquam oppositum sentientem.

An, qui in vnica comestione ieiunij tantum comedit, vt illa comestio æquiualeat pluribus, satisfaciat præcepto ieiunandi.
Decis. 120.

SVMMARIVM.

1 *Immoderata quantitas vnica comestionis est secundum aliquos contra praceptum ieiunij.*
2 *Non est, sed sic comedens satisfacit pracepto.*
3 *In ieiunio pracipitur abstinentia tantum sub tali forma, & mensura.*
4 *Ecclesia non decernit de quantitate vnica comestionis; sed relinquit iuri naturali.*
5 *Quando peccans contra praceptum naturale temperantia, peccet contra praceptum ieiunij.*
6 *Intemperantia vnica comestionis stat cum abstinentia pracepta in ieiunio.*
7 *Quinam finis ieiunij cadat sub pracepto.*

1 VIDETVR non satisfacere, primo quidem, quia non exercet abstinentiam, quæ intenditur in ieiunio, nam potius facit actum intemperantiæ, & exercet gulam, vnde est actus oppositus actui præscripto, imo etiam contrarius legi naturali de temperantia, & ideo cum actus ieiunij sit secundum præceptum naturale de temperantia, talis actus sicut est contra legem naturalem, ita etiam erit contra legem ieiunij: Deinde ieiunium præcipit abstinentiam, qua solet corpus affligi, tunc autem non interuenit talis abstinentia. Deinque finis ieiunij est castigare corpus mediante abstinentia; vnica autem immoderata comestio excludit talem finem, & ipsi contrariatur. Et ita sentit, vt refert Couaruuias *citandus*, Martinus Ayala *lib.* 3. *de Tradit. Eccles. Cap* De *ieiunio.* Quod etiam videtur sentire Maior. *in* 4 *dist.* 15. *q.* 3. dum docet, quod satisfit ieiunio cum quacunque quantitate, dummodo quis interperanter non comedat.

2 Sed quod sic comedens satisfaciat ieiunio, quamuis fieri possit, quod peccet contra præceptum naturale temperantię, modo habetur pro certo, & traditur à Caietano 2. 2 *quæst.* 147. *ar.* 3. §. *Ad huius euidentiam.* Medina C. *de ieiunio cap. de numero refect.* & Cap. De ijs, *per qua ieiunium soluitur.* Innocent. *in Rubr.* De *obseruat ieiunior. num.* 3 Couaruuias *lib.* 4. *Variar. cap.* 21. *num.* 11. ver. *Contrariam opinionem*, qui tamen ver. *Non me latet*, videtur dubius manere. Abulens. *quæst.* 166. *in cap.* 6. *Matth.* ver. *dicendum* Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pœnit. cap.* 14. *num.* 163. Bonacina *Disp vlt. De pracep. Eccles. quæst.* 1. *punc.* 2. *num.* 7. Lubinus *par.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *nu.* 25. Bassæus *in Florib. theol. moral. verbo* Ieiunium 1. *num.* 6. Syluius 2. 2. *quæst.* 147. *ar.* 6. *quæsito* 1. *conclus.* 4 ver. *Petes.* Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 5 ver. *Alterum ieiunij.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 17. Ghetius *in Thesauro anima verbo* Ieiunium *cap.* 1. *nu.* 13. Leander *in pracep. Eccles. tract.* 5 *disp.* 5. *q.* 31. Roccaful. *in prax. tract.* 6 *de pracep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *nu.* 58.

3 Ratio potissima est, quia Ecclesia per ieiunium præcipit quidem abstinentiam in ordine ad macerandum corpus, non qualemcunque, sed obtinendam per tale medium, ita vt præfigat medium, quod debeat applicari ad ipsam obtinendam. Et in hoc medio constituit formam ieiunandi, & mensuram abstinentiæ: vnde intendit solum abstinentiam, vt stat sub tali mensura, & sub tali forma. Vnde qui adhibet tale medium, & seruat talem formam, & mensuram, seruat etiam præceptum Ecclesiæ de ieiunio, & ponit in executione totam illam abstinentiam, quam præfigit. hoc autem medium, forma, & mensura consistunt in abstinentia à cibis prohibitis, & in vnica comestione; quæ omnia seruantur, licet vnica comestio sit in maxima quantitate.

4 Rursus Ecclesia præcipit solum vnitatem comestionis; de quantitate autem ipsius nihil decernit, neque aliquid ex consuetudine determinatum habetur: sed totum relinquitur iuri naturali ieiunantis; vnde potest licitè sumere totam illam quantitatem, quod illi permittit ius naturale habita ratione, quod vnica tantum vice illa die comesturus sit. Atque si in hoc excedit non peccat contra præceptum Ecclesiasticum ieiunij, sed contra naturale præceptum temperantiæ.

5 Hinc facile soluuntur, quæ in oppositum allata sunt. Vnde ad 1. dicitur, quod licet prandium sit in maxima quantitate, & interueniat intemperantia contra præceptum naturale, adhuc tamen seruatur abstinentia sub illa forma, & mensura, quæ præcipitur in ieiunio, vt constat ex dictis. Hinc licet præceptum de ieiunio sit secundum legem naturalem, non tamen quicquid est contra legem naturalem temperantiæ, est contra ipsum, sicut. nec quod est contra ipsum, vt multiplex comestio, est contra præceptum naturale temperantiæ. Solum ergo, quod est contra præceptum naturale temperantiæ, est contra præceptum ieiunij, quando vtrumque præceptum versatur circa idem, secus autem quando circa diuersa. Cū igitur præceptū ieiunij taxet qualitatē cibo-

ciborum, & numerum comestionum, ideò si quis peccaret contra præceptum naturale temperantiæ in numero comestionum, aut in cibis in ieiunio prohibitis, peccaret etiam contra præceptum ieiunij. Non autem qui peccat contra naturale præceptum temperantiæ in quantitate vnicæ comestionis, quia præceptum ieiunij non præscribit aliquid de hac quantitate; atque adeo non versatur circa ipsam, sed relinquit iuri naturali.

6 Ad 2. resp. adhuc bene interuenire abstinentiam, qua corpus affligitur; quia per hoc affligitur, quod priuetur pluribus comestionibus, & cibis carneis, quorum nutrimentum suppleri non potest per quancumque quantitatem ciborum quadragesimalium: imò quantitas ipsorum nimium excedens opprimit stomacum, & complexionem.

7 Ad tertium non omnem finem ieiunij cadere sub præcepto, sed tantum finem intrinsecum, qui est imbibitus in materia præcepta, qui in ieiunio est castigatio corporis per abstinentiam sub tali forma, & mensura: vndè quotiescumque adest forma, & mensura abstinentię ab Ecclesia præscripta, adest etiam finis intrinsecus, cum sit inseparabilis ab ipsa. Intemperantia autem in vnica comestione non excludit hunc finem, sicuti non excludit formam, & mensuram abstinentiæ: vnde adhuc corpus castigatur per subtractionem carnium, & multiplicis comestionis.

An, qui interrumpit prandium; & postea redit ad ipsum complendum, violet ieiunium. Decis. 121.

SVMMARIVM.

1 *Interrumpens prandium, & postea complens, non violat ieiunium.*
2 *Talis interruptio non tollit continuationem moralem.*
3 *Mercator prandens potest descendere ad merces vendendas, & postea complere prandium absque violatione ieiunij.*
4 *Quantum possit durare talis interruptio.*
5 *Potest durare quousque adest aliquid, in cuius virtute censeatur continuari.*
6 *Quid si negotia detineant totum diem.*
7 *Tempus interpositum quando diuidat comestiones.*
8 *Sumpto sufficienti cibo adhuc potest continuari prandium.*

1 NEGATIVE resp. communiter Caietan. *in sum. verbo* Ieiunium *§. Vnica comestio*. Syluester *qu. 3.* Nauar. *cap. 21. Manual. n. 15. & in Hisp. n. 12.* Maior. *in 4. dist. 15. q. 3. §. Contra conclusionem.* Angles *in Florib. q. 9. de ieiunio ar. 2. difficul. 1. Append. 2.* Azor *tom. 1. lib. 7 cap. 9. quæst. 1.* Reginal. *tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 177.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q. 1. punc. 3. num. 10.* Laiman *lib. 4. theol. moral. tra. 8. cap. 1. num. 6.* Valent. *2. 2. disp. 9. q. 2. punc. 3.* Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 2. n. 11.* Toler. *lib. 6. sum. cap. 2. n. 4.* Io: de Friburgo *in sum. Confess. lib. 1. tit. 12. q. 25.* Graf. *1. par. Decis. lib. 2. cap. 37. n. 32.* Nieua *in sum. tit 17.* Ludouicus à S. Io. *par. 1. sum. tr. de ieiun. ar. 11.* Rodriquez *tom. 4. sum. cap. 110. num. 10.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 6. quæsito 1. conclus. 1.* Gordonius *lib. 6. theol. moral. quæst. 18. cap. 4. n. 7. ver. Hic tamen* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 2 num. 13.* Facundez *lib. 1. de 4. præc. Eccles. cap. 4. num. 3.* Fernandez *p. 2. Exam. theol. mor. c. 8 §. 3. n. 8.* Villalob. *tom. 1. sum. tract. 23. difficul 6 num. 2.* Filliucius *tom. 2. tr. 27 p. 2. cap. 2. num. 41.* Molfel. *par. 1. sum. tr. 10. cap. 5. num. 27.* Portel. *in Dubijs Regul. verbo* Ieiunium *in Addit. num. 10.* Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 32.* Sanchez *lib. 5. Consil. moral. cap. 1. dub. 24. n. 1.* Layor. *p. 1. de iubil. c. 20. num. 11.* Lublinus *p. 1. sum. verbo* Ieiunium *nu. 26.* Basseus *in Florib. theol. moral. verbo* Ieiunium *1. nu. 15.* Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 52. nu. 4.* Lopez *2. p. Instruct. c. 112.* Ghetius *in Thesauro animæ, verbo* Ieiunium *cap. 1. num. 4.* Bizozer. *in sum. par. 4 de 3. præcep. Decal. c. vlt. memb. 2. num. 3. ver. Ad hoc* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 4.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de præcep. Eccl. lib. 3. cap. 4. num. 60.*

2 Ratio est, quia cum simus in materia morali attendenda est continuatio moralis prandij, per hoc autem, quod fiat interruptio secundum tempus ob aliquod negotium superueniens, non censetur moraliter interrumpi comestio, quia perseuerat saltem virtualis intentio continuandi, cum nondum fercula destinata pro prandio consumpta sint, nec comedens sumpserit illud totum, quod sibi putat conuenire pro illa comestione.

3 Ex quo rectè infertur cum Sanchez *citato*, posse mercatorem, dum prandet, relinquere prandium, & descendere ad officinam ad vendendas merces, & postea reassumere prandium, quia talis interruptio non tollit, quin sit moraliter vnica comestio, nam illæ partes comestionis vniuntur in vnica intentione præfigentis vnicam sufficientem comestionem, & in apparatu pro vnica comestione.

4 Sed difficultas est, quantum temporis possit interponi in illa interruptione absque violatione ieiunij, & absque eo, quod moraliter censeatur multiplicari comestio. Aliqui volunt, interruptionem debere esse paruam, & remittendam arbitrio boni viri. Ita Azor. Reginal. *citati*. Alij, vt Portel *citatus*, dimidiam horam vult non esse tempus notabile, & proinde post ipsam posse redire ad prandium. Caiet. Angles, Sanchez, Bonacina *locis citatis* asserunt etiam post notabile tempus posse redire ad prandium, atque adeo etiam post horam integram; vt explicat Sanchez. Io: verò Sanchez *citata disp. 52.* Ludouic. à S. Io: *p. 1. sum. q. de ieiun. ar. ar. 2. diffic. 1. append. 2.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp 5 q 33.* Martin à S. Ioseph. *to. 1. moral. lib. 2. tr. 5. de ieiun. n. 10.* Roccaful. *tom. 2. lib. 3. de Præcep. Eccl. c 4. n. 60.* Remigius *tr 3. sum. cap. 4. §. 2. n 8.* Leander à Murcia *in c. 5. Reg. S. Francisc. 2. 3 2. n. 33.* concedit, quod etiam post duas horas possit redire, si surrexit cum animo posta continuandi prandium; Bizozer. etiam post longum tempus.

5 Mihi dicendum videtur, post totum illud tempus posse redire ad complendum prandium, in quo perseuerat aliquid, ratione cuius potest censeri, quod comestio continuetur. Quia enim tempus interpositum non tollit continuationem moralem, seu quin censeatur vnica comestio, ideo neque tollet etiam in notabili quantitate interpositum, si alioquin adsit aliquid, in cuius virtute comestio, censeatur moraliter continuari: talis est intentio redeundi saltem virtualis: quod non sumpserit consuetam quantitatē cibi, quod supersint fercula pro illo prandio destinata; & alia huiusmodi, ex quibus possit formari ratio-

tionabile iudicium, quod nondum prandium fuerit completum. Et ita postea sensit etiam Bossius *tom. 3. mor, tit. 21, nu. 212.* Imò Sylvius *Conclus. 2. in fine.* vult, posse prandium interrumpi per horam absque causa absque peccato mortali, quia in hoc ieiunium non læditur notabiliter.

6 Hic tamen adest dubium, an si quis surgat à mensa nondum completa comestione, & ita distineatur negotijs, vt in ipsis insumat totum diem; an vespere possit complere inchoatam comestionem. Resp. posse complere, quia licet intercedant plures horę, quia tamen tanta interruptio non est voluntaria, sed ex necessitate, adhuc censetur secunda comestio pars, & complementum prioris comestionis, quę imperfecta fuit relicta. Cum enim concedatur vnica completa, & sufficiens comestio intra meridiem, & vesperam, currit tempus, in quo licitum est comedere, & ideo si comestio imperfecta remaneat, licebit semper illam complere, quando prius compleri non potest, quo vsque durat tempus præfinitum pro illa comestione. Sic qui debet soluere determinata die decem aureos pro vnica solutione, censetur facere vnicam solutionem, etiam si partim soluat vna vice, & partim alia vice. Deinde ieiunans habet ius ad vnicam completam comestionem pro illa die, ergo semper potest illam sibi assumere, & si impeditur, ne possit pro vnica vice integram assumere, poterit, quando primo non impedietur, illam complere. Sicuti è contra, quando ipse tenetur ad aliquod præceptum implendum, & incipit implere, nec potest complere, semper ecclesia habet ius, quousque vrget obligatio præcepti ad repetendum complementum, vt constat in recitatione horarum canonicarum. Et ita sentiunt etiam Docti Recentiores de hoc consulti. Accedit etiam, quod cum cibus prima vice sumptus non sit sufficiens, excusaretur à ieiunio, si alioquin non posset seruari. Oppositum tenet Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium. *cap. 1. num. 4.*

7 Obijcitur. Duæ horæ sunt tempus sufficiens ad interrumpendum prandium, & diuidendas comestiones. Ergò post ipsos non poterit continuari prandium. Resp. sufficere etiam minus tempus, quando non interuenit aliquid ratione cuius continuentur illæ comestiones, quando verò aliquod continuatiuum adest, potest intercedere etiam maius tempus, quod non habet vim diuidendi stante continuatiuo.

8 Ex dictis colligitur contra Portel. in *Dub. Regular. verbo* Ieiunium *num* 10. Redeuntem ad comedendum non frangere ieiunium, etiam si anteà sumpserit totum illum cibum, qui sufficiens sit pro sustentatione. Nam ratione voluntatis virtualiter redire ad comedendũ, est continuatio moralis prandij, hæc autem interuenit, siuè sumpserit sufficientem cibum, siuè non, & sicut poterat plus cibi sumere continuando prandium, ita etiam posita interruptione. Et ita notauit posteà etiam Bossius *tom. 3 moral. tit. 21. nu. 215.*

9 Secundo infert Leander à Murcia *in Cap. 3. Regul. cap. 2. §. 2. num. 33.* Quod Religiosi S. Francisci itinerantes, si quando est prandendum, non ministretur sufficiens refectio, poterunt rursus comedere, si alibi ministretur, dummodò tempus intermedium non excedat duas horas, quia non censetur prima vice complesse comestionem.

An, qui in die ieiunij plicato linteolo proposuit nil vltra comedere, possit absque violatione ieiunij sumere aliquid de ferculis nouiter appositis. Decis. 122.

SVMMARIVM.

1 *Qui in die ieiunij plicato linteolo proponit non vlterius edere, potest mutato proposito sumere de ferculis de nouo appositis.*
2 *Imo etiam de ijs, quæ iam apposita erant.*

1 RESP. affirmatiuè cum Villalobos *par 1 sum. tract. 23. difficul. 6. num.* 22 Sanchez *lib. 5. Consil. Moral. c. 1. dub. 24. nu. 5.* Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2. dub. 3. nu. 13* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap. 1. nu. 4.* Roccaful *in Praxi tract. 6. de præcep. Eccles. lib 3. cap. 4. nu 78.* addens, id licere etiam si surrexit è mensa Leander à Murcia *in cap. 3. Regul. S. Francis. cap. 2. §. 2. n. 34.* Licet enim linteolum plicauerit, & proposuerit non amplius comedere, adhuc tamen perseuerat idem prandium, cui ipse quoque accumbit, & ideo, si mutato proposito sumat de nouis ferculis, non instituit nouam comestionem moraliter loquendo, sed priori aliquid superaddit, ita vt additamentum faciat vnam, & eandem comestionem cum priori, quia perseuerat vnitas prandij communis.

2 Et à fortiori sequitur, quòd possit de nouo edere de ferculis, quæ iam apposita erant, quia sicuti sunt pars illius prandij, imo etiam illius ferculi, quod iam prandio inseruit, ita etiam comestio ipsorum de nouo repetita sit pars eiusdem comestionis, ita vt censeatur vna integra comestio ex pluribus partibus, Nec obstat propositum non amplius comedendi, quia adhuc hoc non obstante, adest sufficiens fundamentum, ratione cuius sit vnica comestio moraliter loquendo, nempe vnitas ferculorum, & præparatio pro vna, & eadem comestione.

An ieiunans possit, postquam prandium sumpsit aliò pergere ad aliquid comedendum. Decis. 123.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunans sumpto prandio potest aliò pergere ad aliquid edendum.*
2 *Potest nedũ sumere bellaria, sed etiam quæcumq; fercula.*
3 *Quantum temporis interponi possit.*
4 *Potest ire etiam ad domum amici ad edendum, imo ad emenda fercula, vt postea ea comedat.*

1 RESP. affirmatiuè cum Molfesio *in sum. tom. 1. tract. 10. cap. 5. nu. 27.* & sequutus est Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. quæst. 34.* quia eo ipso, quod surgit à mensa, & aliò se transfert in eum finem, vt aliquid comedat, cõtinuatur moraliter vna comestio

cum

cum alia, ita vt tanquam ex duabus comestionibus partialibus fiat vna integra comestio, illud enim tempus intermedium non censetur interrumpere, sed continuare comestionem, cum sit medium ordinatum ad assequendam aliam partialem comestionem.

2 Ex hoc autem fit, quod nedum possit tunc sumere bellaria, & alia huiusmodi, quæ post prandium adhiberi solent, sed etiam accumbere cum alijs prandentibus, & sumere de quibuscumque ferculis, quia, cum moraliter continuetur comestio, & sit vna, atque eadem, parum refert, quod sit hic vel ille cibus, qui adhibeatur.

3 Si autem inquiras, quantum temporis interponi possit? Resp. posse interponi totum illud tempus, quod in ipsa via insumitur, & quod requiritur ad parandum id, quod intendimus edere; quia totũ hoc tempus est medium adhibitum pro complenda illa comestione; vndè ponit continuationem, stante intentione vlterius protrahendi comestionem. Imò si aliquantulum temporis malus necessario interponatur, nulla est habenda ratio ipsius, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur.

3 Ex quo deducitur, quod potest quis, dum comedit domi, accedere ad domum amici ad complẽdam comestionem cum ipso, siue inuitetur, siue non inuitetur, aut quod possit ire ad emenda alia fercula, & postea domum redire, & ea comedere tanquã complementum prandij, quia tota hæc interpositio temporis censetur medium ordinatum ad complendam comestionem inchoatam, atque adeo continuatiuum ipsius. Quod placuit postea Bossio *tom. 3. moral. tit. 21. n. 215.* Et ex hac doctrina alij similes casus resolui possunt.

An ieiunans discedens à mensa cum animo non comedendi amplius, possit redire, & comedere, si duret adhuc prandium. Decis. 124.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunans durante prandio potest redire ad comedendum, etiam si discesserit cum animo non amplius comedendi.*
2 *Vnde sumatur vnitas comestionis.*
3 *Potest redire ad comedendum, etiam si prius sumpserit sufficientem cibum.*

1 RESP. Posse redire ad alios conuiuas, & adhuc comederé, vt docet Lessius *lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11. ver Infertur quarto.* Laiman *lib. 4. theol. moral. tract. 8. cap. 1. num. 6.* Villalobos *tom. 1. sum. tr. 23. difficul. 6. n. 2.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 32. ver. Notandum est* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 3. n. 13.* Leander *in præcep. Eccl. tr 5 disp. 5. q. 35.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 214* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral lib. 2. tract. 5. de ieiun. num. 11.* Leander à Murcia *in cap. 3. Reg. S. Francis. cap. 2. §. 2. n. 34.*

2 Ratio est; quia cum comestio fiat per intus susceptionem, ita vt principaliter in ipsa attendatur cibus, quatenus intus suscipitur, tanquam forma, qua constituitur comestio, non dependet eius vnitas, ab vnitate, & continuitate propositi comedendi, cum tale propositum non det ipsi formam, sed solum ab vnitate sumptionis cibi. Quia autem cibus interruptim sumitur, ita vt plures partiales sumptiones constituant vnicam comestionem, ideo vnitas moralis comestionis potest stare cum interruptione sumptionis: & debet aliunde desumi, nempe ab vnitate conuiuij, & ideo discedens à mensa potest rursus accedere durante eodem conuiuio absque violatione ieiunij, etiã si proposuerit nõ amplius comedere, quia cum comedat de eodem prandio, censetur eadem comestio. Vndè solutum manet fundamentum Roccaful *in praxi tract. 6. de pracep. Eccl. lib. 3. cap. 4. num. 60.*

3 Quod etiam debet intelligi, non obstante, quod antea sumpserit sufficientem cibum, quia licet peccet contra temperantiam grauiter, aut leuiter iuxta grauitatem, vel leuitatem materiæ; non tamen contra ieiunium, quia adhuc ob eamdem rationem censetur eadem comestio.

An ieiunans surgens à mensa cum animo non amplius comedendi, possit rursus redire ad comedendum, si prandium sit iam completum. Decis. 125.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunans surgens a mensa cum animo non comedendi amplius, completo prandio non potest redire ad comedendum de nouo, secundum aliquos.*
2 *Potest redire secundum alios.*
3 *Potest redire ad comedendum, quæ super fuerant, non autem, quæ de nouo parantur.*
4 *Ieiunans accumbens mensæ acquirit ius ad omnia, quæ apponuntur.*
5 *Per quantum tempus possit redire.*

1 NEGATIVE respondent Nauar. *in sum. cap. 25. n. 15.* Pedraza *præcep. 3.* Angles *in Florib. q. 9. de ieiunio ar. 2. difficul. 1. Append. 2.* Sanchez *lib. 5. consil. moral. cap. 1. dub. 24. num. 4.* Laiman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 6* Valent. 2. 2. *disp. 9. qu. 2. punc. 3.* Rodriquez *tom. 4. sum. cap. 10. n. 10.* qui tamen loquitur de eo, qui sumpsit sufficientem cibum ad ieiunandum. Portel. *in Dubijs Regularibus, verbo* Ieiunium *in Additionibus num. 10* Fernandez *par. 2. Exam. theol. moral. cap. 8. §. 2. nu. 18.* Io: Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 52. n. 4.* Lublinus *par. 1. sum. verbo* Ieiunium *n. 26.* quia per voluntatem illam comestio interrumpitur non modo physicè, sed etiam moraliter.

2 Sed alij tenent, quod possit rursus redire ad comedendum, si modicum tempus intercessit. Ita Molfesius *in summa par. 1. tract. 10. cap. 5. num. 27.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. par. 2. cap. 2. q. 10. nu. 41.* Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium *1. nu. 15.* Bonacina *disp. ult. de praecep. Eccl. q. 1. punc. 3. num. 10.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap. 1. nu. 4.* Quod tacite videtur approbare etiam Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio Resol. 32. ver. Sed plus addit,* dum hanc opinionem refert, & non reprobat.

4 Atque

3 Atque hæc opinio mihi valde probabilis videtur, si redeat ad comedendum ea, quæ prius apposita fuerant, quia tunc sicut ea, quæ comedit sunt pars, seu reliquiæ illius prandij, quod sumpsit, non autem nouum prandium instructum, ita etiam comestio ipsorum est pars, seu aliqua reliquia comestionis præcedentis moraliter loquendo: Secus autem, si instrueretur nouum prandium, nam tunc esset noua refectio. Et sequutus est Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 31. qui subdit, me potuisse citare Bonacinam. verum loquitur, quando prandium nondum est completum, & cæteri conuiuiæ adhuc assident mensæ; sequitur etiam Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 214.

4 Præterea eo ipso, quod quis accumbit mensæ, acquirit ius ad omnia, quæ apponuntur, de quibus potest comedere, non obstante ieiunio, & per id, quod proponat non amplius comedere, & recedat à mensa, non perdit hoc ius, quandiu non præterijt tantum temporis, quod sufficiat, vt censeatur moraliter cessasse hoc ius, quia hoc ius non fundatur in proposito comedendi, neque in assistentia ad mensam, sed in eo, quod est ipsi debita refectio, quæ sumenda est ex cibis appositis, vnde acquirit ius ad omnes illos cibos, & ideo mutato proposito potest de nouo comedere vtendo iure suo.

5 Sed quæres, post quantum tempus possit hoc facere. Resp. in hoc esse attendendas circumstantias simul cum tempore, quia possunt interuenire tales circumstantiæ, quę faciant prudenter iudicare, quod statim cessauerit hoc ius, & è contra aliæ, quæ faciant durare hoc ius per aliquod tempus, vt si quis discedat à mensa proponens non amplius comedere, quia properat ad aliquod peragendum: vt si discedat, quia vult dormire, tunc censetur statim, ac it ad dormiendum cessare hoc ius. Vndè semper consideranda sunt ea, quibus vacat, postquã discessit à mensa, quia si sunt actiones, quæ ex natura sua soleant succedere completæ refectioni, tunc si ante proposito non amplius edendi coniuncto cum talibus actionibus, censetur renunciare iuri acquisito. Regulariter autem quarta pars horæ, vt notat Remig. *tract.* 3. *sum. disp.* 4. *§.* 2. *num.* 8. *in fine.* & forte etiam tertia non est sufficiens, vt censeatur cessasse hoc ius, nisi forte ratione circumstantiarum sufficiens fiat, vt diximus. Totum enim hoc tempus est paruitas materiæ in interruptione, & in auferendo iure acquisito.

An, qui inseruiunt mensæ, frangant ieiunium, si gulosè comedant reliquias ferculorum, quas de mensa tollunt. Decis. 126.

S V M M A R I V M.

1 *Quando inseruientes mensæ non frangant ieiunium, dum comedunt reliquias, quas tollunt.*
2 *Comestio harum reliquiarum est inceptio prandij.*
3 *Etiam si comedens non intendat incipere prandium.*

1 RESP. non frangere ieiunium, si tamẽ ipsi post Dominos sint comesturi. Alias frangerent ieiunium, si quod comederent, esset notabilis materia. Ita Sanchez *lib.* 5. *Consil. Moral. cap.* 1. *dub.* 24. *num.* 3. Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Miscel. Resol* 142. Trullench. *lib.* 3 *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 13. Ghetius *in thesauro animæ, verbo* Ieiunium *cap.* 1. *num.* 4. Martin à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract.* 5. *de ieiun. num.* 11. Roccaful. *in Praxi tit.* 6. *de de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 78.

2 Ratio est, quia tunc censentur incipere prandium, atque adeo illa comestio non est diuersa moraliter ab ipso prandio, sed pars ipsius. Neque obstat, quod inter comestionem illarum reliquiarum, & prandium subsequens interponatur aliquod tempus, quia talis interruptio non facit, quod sint distinctæ comestiones, sed vna interrupta ob præstanda seruitia necessaria.

3 Sed quid, si quis comederet tales reliquias ob meram gulam, non cogitans de inceptione prandij. Resp. neque adhuc frangere ieiunium, si tamẽ postea prosequatur prandium, quia adhuc illa comestio est moraliter quædam inceptio prandij ex natura sua. Cum enim sit hora prandendi, tendit illa comestio ad debitam, & licitam substentationem, quę cum non sit sufficiens, non est completa comestio, sed quædam inceptio, & comestio subsequens est complementum.

An ieiunans possit paulo ante prandium aliquid cibi sumere absque violatione ieiunij. Decis. 127.

S V M M A R I V M.

1 *Ieiunans paulo ante prandium potest aliquid cibi sumere.*
2 *Quodcumque genus cibi sumi potest, etiam ad sedandam famem.*
3 *Quanto tempore ante prandium sumi possit.*
4 *In qua quantitate talis cibus sumi possit.*

1 RESP. affirmatiuè, quia tunc illa comestio habetur tanquam dispositio ad prandium, nam disponitur stomacus mediante tali comestione ad recipiendum prandium, & præparatur veluti primum fundamentum prãdij. Forma autem, & dispositio faciunt vnum quid; quod magis verum est in casu nostro, in quo attenditur sola quædam vnitas moralis, & ideo illa comestio anticipata integrat vnam comestionem cum prandio. Et sequutus est Leander *in præcep. Eccl. tr.* 5. *disp.* 5. *q.* 30.

2 Vnde poterit quis antequam accumbat mensæ, sumere, vel fructus, vel aliquam bucellam, vel saccaro, & melle condita, & quodcumque aliud genus cibi, non solum ad rofocillandum stomacum, aut per modum medicinæ, sed etiam ad sedandam famem, & mitigandam inediam, quam difficilè tolerat; quia sicut licet in hũc finem sumere prandium ita etiam licet sumere in eumdem finem quicquid quocũq; modo facit vnã comestionem cum prandio.

3 Sed hic difficultas est; quanto tempore ante prandium possit institui huiusmodi præparatoria comestio. Resp. non posse multo tempore ante institui, alioquin non continuaretur cum prandio tanquam præparatio ad ipsum, sed esset diuersa comestio;

stio; vndè solum pro illo tempore anticipari potest, quod moraliter censetur idem cum tempore prandij quia si esset diuersum, diuersa etiam esset comestio, quia iam ratione diuersi temporis disiungeretur. Vnde solum per quartam partem horæ, vel tertiam ad summum ante prandium institui poterit, quia hoc tempus cum non sit notabile, computatur, pro eodem tempore, & maius tempus esset notabile præsertim si excederet dimidiam horam, in ordine ad continuationem vnius comestionis cum alia.

4 Si autem quæras, quęnam quantitas cibi tunc sumi possit. Resp. posse sumi quamcumque quantitatem, quia tota illa comestio non est extra comestionem vnicam, quæ conceditur in die ieiunij, sed cum ipsa communicat; sicut ergò in hac non est determinata quantitas cibi, ita nec in quacumque alia, quæ tanquam pars coniungitur cum ipsa ad faciendam vnam integram comestionem.

An, qui legunt pro mensa, aut ipsi inseruiunt, frangant ieiunium si aliquid comedant immediatè antequam legant, aut inseruiant. Decis. 128.

SVMMARIVM.

1 *Legentes, dum alij prandent, & inseruientes mensæ, possunt prius aliquid cibi sumere ad vitandam debilitatem.*
2 *Etiam ad libitum, licet non indigeant ad vitandam debilitatem.*
3 *Talis comestio est incœptio prandij.*
4 *Valet etiam pro religiosis inseruientibus mensæ.*
5 *An requiratur intentio incipiendi prandium.*
6 *Hæc comestio potest fieri, in magna quaque quantitate.*
7 *An qui legunt, vel inseruiunt, si prius sufficienter prandeant, possint finito prandio de nouo comedere in illa mensa.*
8 *Quid si proposuerit non amplius comedere?*

1 QVOD lectoribus pro mensa, aut inseruientibus liceat, aliquid prius sumere, quando ieiunatur ad vitandam debilitatem, & vt muneri suo satisfacere possint, docent communiter, ex illa regula, quod necessitas, & causa rationabilis faciat licitum, quod alias non esset licitum.

2 Sed etiam absolutè tenendum est, quod absq; violatione ieiunij possint aliquid cibi sumere, antequam legant aut inseruiant. Ita Caiet. *verbo*. Ieiunium *cap*. 1. Syluester *q*.3. Azor. *lib*. 7. *cap*. 9. *q*. 1. Nauar. *cap*. 21. *Manual. num*. 13. Valent. *tom*. 3. *disp*. 9. *qu*. 2. *punc*. 3. Tolet. *lib*. 6 *cap*. 2. Laiman *lib*. 4. *theol. mor. tr*. 8. *cap*. 1. *num*. 3. ver. *Tertium similiter*. Lessius *lib*. 4. *cap*. 2. *dub* 2. *num*. 11. Filliucius. *tract*. 27. *par*. 2. *cap*. 2. *num*. 40. Angelus *verbo* Ieiunium. *num*. 16 Angles *in Florib. q*. 9. *de ieiunio ar*. 2. *difficul*. 1. *Append* 3. Syluius 2. 2. *q*. 147. *ar*. 6. *quæsito* 1. *conclus*. 1. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q*. 1. *punc*. 3 *num*. 10. ver. *Hinc patet in fine*. licet asserat, licere tantum ad vitandam debilitatem. Sanchez *lib*. 5 *Consil. moral. cap*. 1. *dub*. 24 *num*. 2. Diana *par*. 4. *tract*. 4. *Miscellan. Resol*. 142. Palud. *in* 4. *dist*. 15. *q*. 4. *ar*. 2. *conclus*. 7. D. Antonin. *par*. 2. *tit*. 6. *cap*. 2. §. 6. Trullench. *lib*. 3. *in Decal. cap*. 2. *dub*. 3. *num*. 11. Ghetius *in Thesauro animæ* verbo *Ieiunium cap*. 1. *num*. 4. Baiseus *in Florib. theol-pract. verbo* Ieiunium 1. *num*. 8. Facundez *lib*. 1. *de* 4. *præcep. Eccl. cap*. 4. *num*. 2. *in fine*. Remig. *tr*. 3. *sum. cap*. 4 §. 2. *num*. 8. Boisius *tom*. 3. *moral. tit*. 21. *num*. 209. Roccaful. *in Praxi tr*. 6. *de præcep. Eccl. lib*. 3. *cap*. 4. *num*. 78.

3 Ratio est, quia tunc incipit prandium, vnde illa comestio inseruientium, & legentium est incœptio prandij ipsorum, quæ ob iustam causam, nempè vt satisfaciant muneri suo, interrumpitur; non tamen censetur interrumpi moraliter prãdium; quia communicant inseruiendo, aut legendo cum eodẽ prandio, siquidem vacant actioni, quæ est pars illius prandij.

4 Quod etiam valet de religiosis, qui inseruiunt mensæ, vt docent specialiter *supracitati* Doctores fere omnes, & insuper Rosella *verbo* Ieiunium *nu*. 13. quia in ipsis quoque militat eadem ratio. Licet Angles *citatus* oppositum sentiat, sed nullo fundamento.

5 Neque opus est, vt lectores, & inseruientes habeant expressam intentionem inchoandi tunc prandium, nam sufficit, quod opere ipso inchoent siquidem illa comestio continuatur cum actione, quę de se est pars illius prandij, atque adeo in ipso communicat: vndè sufficit, vt possit vtramque comestionem in vnam vnire.

6 Ex hoc autem fit, quod non solum possint sumere cibum in paruitate materiæ, sed etiam in illa quantitate, quæ alias solueret ieiunium, quia cum censeatur eadem comestio moraliter cum subsequẽti, nihil refert, quod sit in parua, vel magna quantitate, siquidem tanquam pars prandij potest sumi in ea quantitate, quæ libuerit. Ita Sanchez citat. & sequutus est Leander *in præcep. Eccles. tract*. 5. *disput*. 5. *quæst*. 28.

5 Sed hic dubitatur, an, qui antequam pro mensa legeret, aut inseruiret, sumpserit eam quantitatem cibi, quæ sufficiens prandium constituat, possit rursus comedere completa lectione, aut seruitio. Resp. posse de nouo comedere, si sentiat, se adhuc indigere cibo, quia hæc comestio erit complementum prioris comestionis, & vnicum prandium cum ipsa constituet, quia non interrumpitur moraliter prandium cum vacauerit seruitio mensæ: vndè eodem pacto se habet, ac si mensæ accubuisset, & interim non comedisset, imò etiam potior ratio est de ipso, quia communicat cum actuali exercitio in prandio: & est de illis, qui pertinent ad illam mensam: & sicut posset comedere simul cum alijs, ita potest comedere etiam expleto suo munere, quia rationabiliter interrupit comestionem. Vnde ob eandem rationem puto probabile, quod possit adhuc comedere, etiam si non indigeat, quia adhuc censebitur eadem comestio cum præcedenti, cum per lectionem, aut seruitium exhibitum mensæ non interrumpatur moraliter comestio. Poterit tamen in hoc casu peccare contra naturale præceptum temperantiæ, licet non peccet contra præceptum ieiunij. Quod tenere debent ij omnes, qui putant eum, qui recessit à mensa cum animo non comedendi amplius, posse adhuc redire, si duret prandium, & comedere.

8 Quod si proposuerit non comedere amplius post lectionem, aut seruitium exhibitum, potest mutare propositum, & rursus comedere, quia durat id,

per

per quod moraliter continuari potest subsequens comestio cum præcedenti, nempè communicatio in eadem mensa, quæ fundatur in præsentia, & exercitio actionis concernente eamdem mensam, & est eadem ratio, ac de eo, qui accumbens mensæ desineret comedere, & postea mutaret propositum, & de nouo ederet.

An ob dilationem prandij vltra horam consuetam in diebus ieiuniorum liceat mane longè ante prandium aliquid cibi sumere. *Decis.* 129.

SVMMARIVM.

1 *Non licet in die ieiunij mane aliquid comedere, quia prandium sit differendum.*
2 *Licet autem, quando timetur nimia debilitas.*
3 *Debet tamen cibus sumi in modica quantitate.*
4 *Quia regulariter ob longam dilationem prandij superuenit debilitas, regulariter licet mane sumere parum cibi.*

1 NEGATIVE respondendum est cum Caiet. *in summa verbo* Ieiunium *cap.* 1, Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 1. *dub.* 24. *num* 2. Retardatio enim prandij, sicut non excusat à ieiunio, ita nec facit licitam illam comestioné: & proinde comedens peccabit, aut mortaliter, aut venialiter iuxta quantitatem cibi, quam sumet.

2 Hoc tamen limitari debet, nisi id fiat ex rationabili causa, nempe ob impediendā debilitatem nimiam, quam alioquin pateremur, quia ieiunium ordinatur quidem ad macerationem corporis, non tamen ad ipsum adeo debilitandum, vt notabiliter lædatur, & impediantur consuetæ functiones. Ita Medina *lib.* 1. *sum. cap.* 14 § 10. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 4 *n.* 3. Sa *verbo* Ieiunium *num.* 8. Martin à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral lib.* 2. *tract.* 5. *de ieiun. n.* 9. Vndè non sufficit, quod famem patiatur, quia hoc intenditur per ieiunium, sed debet adesse debilitas considerabilis; imò hæc sola sufficit, etiamsi non adesset fames.

3 Aduertendum tamen est, quod in tali casu cibus debet sumi in modica quantitate; ita vt non sit integra refectio, sed refectiuncula, quia debet sumi solum ea quantitas, quæ sufficiat ad impediendam debilitatem. Quia sicut in subleuamentum naturæ conceditur vespertina refectiuncula, quæ tamen debet esse in parua quantitate, quantum sufficit pro subleuandā natura: ita etiam in casu nostro per Epicheiam censetur concessa illa sola quantitas, quæ censetur posse obuiare debilitati.

4 Quia tamen longa dilatio prandij regulariter causat debilitatem, præsertim in ijs, qui sunt complexionis non multum robustæ, aut quorum stomacus plurimum abundat calore; ideo in casu nostro, quando prandium longe vltra horam præscriptam differtur, erit regulariter licitum sumere aliquod refectiuum, vt obuietur debilitati. Ita Sanchez, Caiet citati, quem non malè pro negatiua sententia citaui vt ait Leander in præcep. Eccl. tract. 5. disp. 5. quæst. 24. quia negatiua sententia procedit in casu quo interueniat sola dilatio prandij absque debilitate, & idem dicit ipse Leander, cum fundetur in sola debilitate, & tamen vult contra dicere.

An ieiunans ex rationabili causa, nempè ad subleuandam debilitatem stomachi, vel capitis possit modicum ientaculum sumere. *Decis.* 130.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunans ob subleuandam debilitatem potest mane sumere modicum ientaculum secundum aliquos.*
2 *Ratione paruitatis materiæ est licitum.*
3 *Imo etiam cum notabili quantitate, si sit necessaria pro subleuanda debilitate.*
4 *Debilitas, quæ timetur, debet esse alicuius considerationis.*
5 *Quomodo se gerere debeat confessarius cum ijs qui debilitatem patiuntur, vt ieiunent.*
6 *Quam certum debeat esse, quod sit superuentura debilitas.*

1 AFFIRMATIVE resp. Filliucius *tr.* 27. *par.* 2 *cap* 2. *nu.* 37. *&* 38. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 4. *in fine* D. Anton. 2. *par. tit.* 6. *cap.* 2. § 9. Syluester *verbo* Ieiunium *num.* 9. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3 *num.* 12. Machad. *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 4. *tract.* 3. *docum.* 6. *num.* 5. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. *&* 8. asserens, sic etiam sentire doctos Recentiores, quia stante debilitate quæ superueniret, id, quod sumitur, habet rationem medicinæ. Et ita posteà docuit etiam Leander *in precep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 5. *qu.* 19.

2 Et quidem, si, quod sumitur, est quid modicum, non violatur ieiunium ratione paruitatis materiæ: imò neque etiam committitur peccatum veniale, quia talis comestio sortitur debitum finem, nempe necessariam subleuationem naturæ: & proinde est actio ordinatè se habens, & ex necessitate proueniens; atque adeo ex epicheia legis, quæ non censetur prohibere illam refectionem, quæ necessaria est pro debita subleuatione naturæ.

3 Si verò cibus, qui sumitur, sit notabilis quantitatis, ita vt excedat paruitatem materiæ: tunc cōsiderandum est, an in tota illa quantitate sit necessarius pro debita subleuatione naturæ, quia si est necessarius, adhuc sit licitus ob eamdē rationem; nā necessitas est mensura quantitatis, quæ licitè sumi potest. At si non est necessaria tota illa quantitas, tunc peccatur contra præceptum ieiunij. Hoc tamen moraliter ponderandum est, quia non potest haberi certa, & mathematica mensura illius quantitatis, quam necessitas exigit, nec nimis scrupulosè procedendum est.

3 Est tamen aduertendum, quod debilitas, siue capitis, siue stomachi, quæ timetur, debet esse alicuius considerationis, quia si sit leuis, pro nihilo reputatur. Vt autem sit alicuius considerationis debet esse talis, vt aut impediat consuetas functiones, aut saltem sinat cum difficultate exerceri: tunc enim signum est, quod natura ieiunio succumbit, & ideo lici-

licita est subleuatio, quia ieiunium non est institutum ad deprimendam naturam.

5 Vndè rectè notat Sanchez *citatus*; quod cum ij, qui huiusmodi debilitatem patiuntur, difficilè inducantur, vt ieiunent, debet confessarius proponere ipsis hoc remedium, quod nimirum sumant manè modicum ientaculum, & hoc pacto si possunt, ieiunent; per hoc enim tollitur illa difficultas, quam in ieiunio patiuntur; & proinde tenentur cum hoc remedio ieiunare.

6 Sed quæres; quam certum debeat esse, quod sit superuentura huiusmodi debilitas. Resp. sufficere quod probabiliter timeatur, quia cum liceat sequi opinionem probabilem, in tali casu quoque licebit sequi probabile iudicium, in quo fundatur talis timor, quia tunc operatio erit secundum rectam rationem, cum illud iudicium sit secundum mensuram rectæ rationis. Quod, si hoc iudicium non sit verum, sed erroneum: adhuc excusabitur, quousque ipsum deponere possit, sicuti excusatur, qui sequitur conscientiam erroneam, quando operatur id, quod alias esset peccatum: Si autem sit dubius de superuentura debilitate, quamuis in dubijs sit melior conditio possidentis, & ipse in tali casu possideat libertatem suam, quia lex non obligat subiectos, nisi secundum possibilitatem, quam habent ad illam seruandam: & ideo in dubio, an possint seruare, nondum censeantur obligati, quia tamen facile potest hoc dubium deponere, experiendo, an verè superueniat debilitas, quæ timetur, ideo debet dubium deponere mediante experientia.

An ieiunans possit primo mane aliquid sumere, ne os male oleat. Decis. 131.

SVMMARIVM.

1 *Quando stomaco ieiuno os male olet, potest ieiunans sumere mane aliquid cibi ad comprimendum malum odorem.*

2 *Comestio principaliter non ordinata ad nutriendum non prohibetur in ieiunio.*

3 *Neque est veniale peccatum, ieiunantem ex causa rationabili sumere cibum extra refectionem in paruitate materiæ.*

1 DIFFICVLTAS procedit de aliquo cibo aromatico, quod possit ori bonum odorem conciliare. Et affirmatiuè resp. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. asserens, ita etiam sentire doctos Recentiores. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 37. Angles *q.* 9. *de ieiunio ar.* 2. *difficul.* 3. *Append.* 2. Trullench *lib.* 3. *in Decal cap.* 2. *dub.* 3. *nu.* 11. Bonacin. *disp. vlt. de præcep. Eccl. q.* 1. *punc.* 1. *num.* 7. Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 20. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 209. Martin à S. Ioseph. *tom.* 1 *moral. lib.* 2. *tract* 5. *de ieiun. num.* 8. Roccaful. *in praxi tract.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 78.

2 Quod mihi quoque probabile videtur. quia in ieiunio vetatur multiplex comestio, quæ per se primo ordinetur ad nutriendum corpus. In casu autem nostro non ordinatur illa modica comestio ad nutriendum corpus per se primo, sed ad tollendum malum odorem, quem stomacus ieiunus causat.

3 Deinde pro tollendo hoc malo odore sufficit parua materia, quæ de se non violat notabiliter ieiunium; vndè tantum potest fundare peccatum veniale; at cum adsit rationabilis causa, quæ dat ipsi debitum finem, qui est secundum rectam rationem neque fundat peccatum veniale.

An Cantores possint in die ieiunij primo mane aliquid cibi sumere, vt habeant vocem aptam ad canendum. Decis. 132.

SVMMARIVM.

1 *Cantores possunt, dum ieiunant, primo mane aliquid sumere pro conseruanda voce.*

2 *Valet hoc etiam in religiosis, qui in Choro canunt.*

3 *Etiam in Concionatoribus.*

1 RESP. affirmatiuè cum Filliucio *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 37. Angles. *q.* 9. *de ieiun. ar.* 2. *diffic.* 3. *Append.* 1. Lauor. *par.* 1. *de iubileo cap.* 20. *num.* 8. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *nu.* 11. Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. Cap.* 1. *dub.* 22. *num.* 7. Bonac. *disp. vlt. de præcep. Eccl. quæst.* 1. *punc.* 1. *num.* 7. Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 21. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 209. Martin à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tract.* 5. *de ieiun. num.* 8. quia cum ordinetur ad conseruandã vocem pro consueta functione canendi, quod sumitur non habet rationem cibi per se primo ordinati ad nutriendum, sed medicinæ ordinatæ ad conseruationem, seu præseruationem, in ieiunio autem prohibetur multiplex refectio ordinata per se primò ad nutriendum.

2 Sed dubium est de religiosis, qui in choro canunt, an ad conseruandam vocem possint, cum ieiunant; primo mane aliquid sumere. Cum enim non indigeant voce suaui, parum refert, quod ipsam conseruent, præsertim, quia, si ipsi nequeant accommodatè canere, supplent cæteri. Sed hoc non obstante possunt ipsi quoque aliquid modicum sumere, quia pertinet ad executionem muneris ipsorum in choro cantare; & quia ieiunium non debet impedire munus consuetum ieiunantis, ideo cum ipso conceditur quicquid est necessarium, ne tale munus impediatur. Hoc tamen debet intelligi de re apta ad conseruandam vocem, quæ se habeat per modum medicinæ. In hoc contradicit Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 21. & solum concedit, si sint musici insignes. Verum si quando ieiunium impedit exercitium proprij muneris, desinit obligare, vt omnes, & ipse quoque concedit; cur non erit licitum aliquid per modum medicinæ ad conseruandam vocem, vt possint munus cãtandi exequi, quando aliàs impediretur? Deinde quæ adhibentur ad conseruandam vocem per modum medi-

cinæ non habent rationem cibi, sed sunt ex illis, quæ non solent assumi pro manducatione, hæc autem nõ violant ieiunium ex D. Tho. *in 4. dist. 15. quæst. 3. art. 4. quæst. 1. ad 3.*

3 Quod à fortiori valet etiam de Concionatoribus, supposito quod teneantur ieiunare, quia ieiunium non debet impedire munus ipsorum, atque adeo, nec quæ sunt necessaria pro ipso exercendo, qualis est vox, quod notat etiam Filliucius *citatus*. Et sequitur Leander *in præcep. Eccl. tract. 5. disp. 5. qu. 20 & antea* Ludouic. à S. Ioseph. *par. 1. sum. quæst. de ieiun. ar. 12. difficul. 2. append. 1.*

An in die ieiunij liceat sumere aliquid per modum medicinæ extra consuetam refectionem, & refectiunculam.

Decis. 133.

SVMMARIVM.

1 *Quod sumitur per modum medicinæ non violat ieiunium.*
2 *Valet non solum de pharmachis curatiuis, sed etiam de præseruatiuis.*
3 *Saccaro condita possunt sumi per modum medicinæ.*
4 *Imò etiam Bellaria, fructus, & panis.*
5 *Pluries in die potest sumi aliquid per modum medicinæ sine violatione ieiunij.*
6 *Non debet fieri fraus ieiunio, dum sumitur aliquid per modum medicinæ.*
7 *Quanta, & quam certa debeat esse necessitas sumendi aliquid per modum medicinæ, vt licitè sumatur.*
8 *Pro tuenda sanitate an licitum in die ieiunij aliquid sumere.*

1 QVOD à ieiunantibus sumitur per modum medicinæ, non soluit ieiunium, etiam si sumatur extra consuetam refectionem, & extra etiam refectiunculam vespertinam, vt tradunt communiter D. Th. 2. 2. *q. 147. ar. 6. ad 3.* Caiet. *ibid.* Syluius *ver. Refectionis porro* Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3* ar. 3. Riccar. *dist. 15. ar. 3. q. 7.* Palud. *q. 4. conclus. 3.* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 3.* Abulens. *q. 178. in cap. 6. Matth.* Nauar. *c. 21. Manual. nu. 12* Ledesma *2. p. 4 q. 17. ar. 6. init.* Laiman lib. 4 *theol. mor. tr. 8. c. 1. num. 7* ver. *Quintum. Idem sentiendum.* Angles in *Floribus q. 9 de ieiunio ar. 2. difficult. 3.* Llamas *3. p. Meth. cap. 5. §. 23.* Lublinus *par. 1. sum. verbo* Ieiunium *n. 3.* Petrus *Ledesma 2. p. sum. tr. 27. c. 2. dub. 1. circa 2. condit. Ieiunij.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 2. n. 39.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 2. n. 10.* ver. *infertur secundo.* Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* Armilla *verbo* Ieiunium *n. 1.* Medine C. *de ieiunio q. 11.* ver. *Sequitur etiam* Reginal. *lib. 4. Prax Fori Pœnit. c. 14. n. 175.* Facundez *lib. 1. de 4. præcep. Eccl. c. 4 n. 2* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. n. 14.* Sãchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 22. n. 1. & 2.* Basseus *in Florib. theol. practicæ verbo* Ieiunium *1. n. 8.* Lauor. *De iubileo p. 1 cap. 20. n. 8.* Trullench *lib. 3. in Decal cap. 2. dub. 1. nu. 3.* Ghetius *in thesauro animæ verbo* Ieiunium cap. 1. *num. 5* Bizozer. *in sum. p. 4. de 3. præcep. Decal. cap. vlt mem. 2. n. 5.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num. 4.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 5. de ieiun. n. 7.* Ratio est, quia per ieiunium intendit quidem Ecclesia macerationẽ corporis, sed non detrimentum salutis, & ideo non prohibet ea, quæ ordinantur, aut ad recuperandam aut conseruandam salutem, vt sunt, quæ sumuntur per modum medicinæ.

2 Hoc autem debet intelligi, vt notant *citati Doctores*, non solum de pharmachis curatiuis, sed etiam de præseruatiuis, quia in his quoque militat eadem ratio, cum non sumantur principaliter in ordine ad nutritionem, sed ad conseruandam salutem, & bonam dispositionem corporalem.

3 Vndè quia, nedum pura electuaria, sed etiam saccaro condita, vulgo *Conserua*, plurimũ conferunt ad conseruandam bonã dispositionem corporalem, ideo ipsa quoque possunt adhiberi absque violatione ieiunij, quia adhuc sumuntur per modũ medicinę, nec principaliter ordinantur ad nutritionem, vt notant ijdem Auctores, præsertim Trullench. *lib. 3. in Dec. c. 2 dub. 3. n. 12.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo.* Ieiunium *cap. 1. n. 5.* Roccaful. *in Praxi tr. 6 de præc. Eccl. lib. 3. c. 4. n. 78.* sequitur Bossius *to. 3. mor. tit. 21. n. 209.* inquiens Leandrum infra *n. 8.* citandum immeritò reclamare.

4 Imo etiam nonnulla bellaria, vt inter alios notat Sanchez *citatus*, eodem modo adhiberi possunt absque violatione ieiunij, siquidem sunt apta, vt preseruent bonam dispositionem corporis. Et eadem est ratio de fructibus, siue recentibus, siue siccis, quando iuuare possunt salutem corporalem, quia tunc habẽt rationẽ medicinæ: vnde adhiberi possunt vuæ passæ ad emolliendum ventrem, & alia huiusmodi. Quin etiam panis adhiberi poterit, quando potest habere rationem medicinæ, & sit aptus ad tuendum bonum statum corporis; vndè quando stomachus est aqueus, adhiberi poterit frustulum panis biscotti.

5 Hoc autem pluries in die eodem erit licitum, si tamen salus corporis exigat pluries sumi. Cum enim salus corporis debeat conseruari immunis ab omni detrimento, quia Ecclesia nihil ipsi per ieiunium præiudicare intendit, quod est secundum exigentiam salutis censetur concessum in ieiunio, cum ipsa sit mensura per quam debet mensurari, quid liceat, quidue non liceat.

6 Est tamen aduertendum cum supracitatis Doctoribus, quod non debet fieri fraus ieiunio, ita vt mediantibus ijs, quæ sumuntur per modum medicinæ intendatur nutritio, sedatio mediæ, vt contingeret, si sumerentur in magna quantitate, aut pluries, quam necessitas exigat, aut si sumerentur sub specie necessitatis ea re vera non existente.

7 Sed hic dubitatur quanta debeat esse necessitas, & quam certa, vt licitè sumi possit aliquid per modum medicinæ. Resp. sufficere quancunque necessitatem, siue magnam, siue paruam; quia necessitas ex genere suo est causa rationabilis reddens licitum quod sumitur per modum medicinæ. Quia tamen exigentia necessitatis debet esse mẽsura illius, quod sumitur, ideo iuxta quantitatẽ necessitatis debet esse quantitas illius, quod sumitur per modum medicinæ. Quod spectat autem ad certitudinem necessitatis, sufficit si ieiunans probabiliter iudicet, illam adesse, quia tunc rationabiliter operatur, cũ operatur secũdũ dictamen rectæ rationis. Quod si postea reperit, hoc iudicium esse falsum, excusatur, sicut excusatur, qui operatur cum conscientia erronea.

8 A dictis *n. 2. & 3.* dissentit Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 5. q. 17.* Cætera sequutus. & citat Innocent. *in cap. 1 de obseruat. ieiun.* Abulens. *in cap. 6. Matth. quæst. 168.* Facundez *præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 2.* Sed Abulens. loquitur de Medicina

quæ

quæ habeat rationem cibi. Verum cum conseruatio actualis sanitatis ordinetur ad auertendum dãnum, quod timeri potest, ea non conseruata, non video, cur hoc non liceat. Nam si amissio lucri comparatur damno, & excusat ab obseruantia præcepti. Cap. *Licet de fer ijs*, non video, cur in ieiunio non sint licita, quæ hic, & nunc censentur necessaria pro conseruanda sanitate, præsertim si sint ex ijs, quæ non solent adhiberi pro comestione, quæ non violant ieiunium, vt dicetur cum D. Thoma *Decis. sequen. num.* 4.

An electuaria, & saccaro condita possint sumi à ieiunantibus extra refectionem ob solam delectationem.
Decis. 134.

SVMMARIVM.

1 *Posse sumi electuaria sine fractione ieiunij ob solam delectationem, qui doceant.*
2 *Non possunt sumi alioquin posset sumi omne genus cibi.*
3 *In ieiunio eo ipso, quod prohibetur comestio, prohibetur etiam delectatio comestionis.*
4 *Quando non soluant ieiunium, quæ non sumi solent loco cibi.*

1 AFFIRMATIVE resp. Ricc. *apud Syluestrum verbo* Ieiunium *num.* 9 circa medium, quem ipse videtur sequi. Et ratio esse potest, quia Ecclesia in ieiunio prohibet solum id extra consuetam refectionem, & refectiunculam, quod per se primo ordinatur ad nutriendum: quod autem sumitur delectationis causa, non ordinatur per se primo ad nutriendum, sed ad delectandum.

2 At si hæc opinio vera esset, tolleretur ieiunium, quia quilibet posset ob delectationem comedere quodcumque genus cibi, etiam carnes, nam posset illas ordinare ad delectationem, & non ad nutritionem. Et sicuti exigentia delectationis non habet terminum, ita nec quantitas comestibilium delectabilium, quę licitè sumi posset, haberet terminum.

3 Deinde in ieiunio prohibetur multiplex comestio, quæ sistat in ratione puræ comestionis, quia eo ipso, quod sistit, ordinatur ad nutriendum, cum non habeat alium finem, nam delectatio non est finis qui sit extra ipsam comestionem, cum non sit aliud quam gustatio intrinseca actioni comestiuæ. Vnde eo ipso, quod Ecclesia prohibet comestionem, seu actionem comestiuam, prohibet etiam ipsam delectationem, præsertim quia intendit mediante abstinentia mortificare corpus; vndè non solum intendit subtrahere nutritionem ex cibo, sed etiam delectationem comestionis, in quo principaliter mortificatur gula.

4 Ita etiam docuit Leander *in præcep. Eccl. tr.* 5. *dis.* 5. *q.* 15. & pro opposita sententia citat alios Doctores & præsertim D. Tho. *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. *ar.* 4. *quæst.* 1. *ad* 3. & Gabr. *dist.* 16. *quæst.* 3. *ar.* 3. *dub* 1. *ver. sed quid de potu*, vbi citat Innocent. & D. Th. non autem D. Antonin. vt ait Leander. verum D. Thom. loquitur de solis electuarijs, quæ ex communi vsu non sunt ordinata ad comestionem, & quando non sumuntur ad sedandam famem, & in fraudem ieiunij. Et idem tradit Gabr. Quis autem dicat, quod sacharo condita non sint ordinata ad comestionem? verba D. Thomæ sunt. *Dicendum quod electuaria, & si aliquo modo nutriant, non tamen hic est vsus principalis eorum. Vnde nec loco manducationis sumi consueuerunt, & ideo talis sumptio ieiunium Ecclesiæ non soluit, quamuis homo possit totaliter vel in parte ex hoc meritum ieiunij perdere, vel etiam mortaliter peccare, si sit immoderata libido. Non tamen est transgressor præcepti Ecclesiæ, nisi in fraudem sumeret, aut si eis, quasi alijs cibis vteretur ad famem extinguendam.*

An ante, vel post prandium liceat edere pomum vel pyrum, aut quid simile ad sedandam sitim sine fractione ieiunij.
Decis. 135.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunans potest comedere pomum, vel quid simile ad sedandam sitim.*
2 *Paruitas materiæ, & finis facit hoc licitum.*
3 *Possunt etiam sumi mala medica, vulgo* Aranci, *& id genus alia.*
4 *An semper quando libuerit, possint sumi poma, &c.*
5 *Possunt ad libitum adhiberi mala medica, vulgo* Aranci, *& id genus alia.*

1 RESP. affirmatiuè cum Filliucio *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 43. Bossio *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 13. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 78. Quod etiã videtur sentire Gabr. *in* 4. *dist* 16. *q.* 3. *ar.* 3. *dub.* 1. *circa* 3. *opinion.* Trullench. *lib* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *in fine.* Et sequitur ex doctrina illorum, qui docent, posse sumi per diem aliquid cibi ne potus noceat, quos supra Decis. 119. *num.* 1. retulimus. quia si liceret sumere pomum simul cum potu, multo magis licebit sine potu. Est tamen aduertendum, quod pomum, vel pyrum non sit tantæ quãtitatis, vt inseruiat pro comestione; & non pro sedanda siti tantum: vndè debet esse modicæ quantitatis. Quæ verba si attendisset Leander, non me impugnasset *in præcep. Eccl tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 6. ex eo, quod pyra, & poma sint ex natura sua cibus, & quod non sufficiat, quod ex intentione sumentis ordinetur ad extinguendam sitim, quia intentio non immutat naturam cibi. Nam si paruitas materiæ non frangit ieiunium etiam ordinata ad comestionem, cur frangat, si ordinetur ad sedandam sitim? Et ideo contra Leandrum hanc sententiam sequutus est Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 208.

2 Ratio est, quia pomum, aut pyrum, quamuis sit quid comestibile, non ordinatur tamen ad nutriendum, sed sumitur loco potus: vndè, cum liceat in die ieiunij bibere, licebit etiam comedere pomum pro siti sedanda, quia stante paruitate materię, non habenda est ratio illius parui nutrimenti, quod inde percipitur, quia per accidens se habet ad extinctionem sitis.

3 Hinc à fortiori licebit etiam sumere ad sedandam sitim mala massilica, vulgo *Limoni*, aut mala medica, vulgò *Aranci*, aut ex alio genere horum fructuum, quia magis ordinantur ad sitim extinguendam, quam ad nutriendum; imò secluso cortice ex natura sua habent potius rationem potus, quam cibi, cum in ipsis præponderet succus. Contrarium sentit Leander *in pracep. Eccl. tract. 5. disp. 5. q. 7.* quia mala ista enumerantur inter cibos. Verum fateor nunq; vidi aliquem comedentem hæc mala, cum inseruiant tantũ ratione succus, aut ad extinguendam sitim, aut ad aspergenda fercula, aut ad refrigerandum. Quare cum non sint in casu, nisi ratione succi non video, quomodo inter cibos reponi debeant.

4 Sed quæret aliquis. An sicuti in die ieiunij potest quis pluries bibere, imo quoties libuerit, ita etiã possit, quoties libuerit, hæc sumere pro siti extinguenda. Resp. loquendo de pomis, & pyris, & alijs huiusmodi fructibus non licere, nam fieret fraus ieiunio, quia non solum sitim extinguunt, sed etiam habent rationem cibi; vndè non solum extingueretur sitis, sed etiam nutriretur corpus quantitate cibi notabili; vndè violaretur ieiunium. Si tamen non deglutiretur substantia solida pomi, aut pyri, sed tantum succus expressus, dum dentibus conteritur, neq; adhuc potest sumi, quoties vrget sitis, si excedatur paruitas materiæ, siquidem adhuc in morali æstimatione haberetur pro comestione, quia esset de substantia cibatiua.

5 Si autem loquamur de malis massilicis, vulgo *Limoni*, aut malis medicis, vulgo *Aranci*, & alijs huiusmodi fructibus, quia in morali æstimatione habent rationem cibi, non poterunt adhiberi quoties libuerit, sed solum sistendo intra paruitatem materiæ. Si tamen ex his omnibus eliceretur succus quia artificialiter conuerteretur in potum, posset adhiberi sicut etiam adhibetur potus ex vino confectus ex vua comestibili. Sic nec etiam poterunt adhiberi pepones aquei, vulgo *Meloni d'acqua*, quia licet continent succum ordinatum ad extinguendam sitim, non tamen sunt potus, sed habent rationem cibi in morali æstimatione.

An vua possit adhiberi ad sedandam sitim per diem, quoties libuerit, sicut adhibetur vinum absque fractione ieiunij.

Decis. 136.

SVMMARIVM.

1 *Vua sicca non potest in notabili quantitate pluries adhiberi à ieiunante ob sitim sedandam.*
2 *Potest adhiberi vua recens in modica quantitate.*
3 *Potest etiam pluries adhiberi, sicut adhibetur vinum, & quot genera substantiæ in ipsa reperiantur, & quænam sit nutritiua.*
4 *Comedere vuam idem est in ordine ad nutritionem, ac si sumeretur solus succus.*
5 *Cur succus vuæ non frangat ieiunium.*
6 *Vua numeratur inter cibos.*

1 DVBIVM procedit solum de vua recenti, nam certum est, quod vua siccata non potest adhiberi quia ratione siccationis consolidata est, & transijt in purum cibum satis aptum ad nutriendum, & minimè aptum ad extinguendam sitim.

2 Vua autem recens potest adhiberi ad extinguendam sitim in modica quantitate non secus, ac cæteri fructus, de quibus diximus, Decis. *præcedenti.* quia tunc adhibetur per modum potus, nec per se primo ordinatur ad nutriendum, & stante paruitate materiæ, quod alias esset peccatum veniale, ratione debiti finis appositi desinit esse.

3 An autem adhiberi possit pluries in die, & quoties libuerit, sicuti adhibetur vinum. Pars affirmatiua probabilis videtur, quia in vua reperitur substantia triplicis generis, nempe cortex, vinacea, seu lignea granula in acinis vuæ inclusa, & succus, qui exprimitur, quod patet, quando vua conteritur, nam tota resoluitur in hanc triplicem substantiam. Ex hac autem triplici substantia solus succus in stomaco digeritur, & conuertitur in substantiam viuentis, cætera autem minimè, sed integra in propria substantia egeruntur, non secus, ac res aliæ, quæ nec aptæ sunt, ad nutriendum, nec habent rationem cibi.

4 Quando ergò comedimus vuuam, idem est in ordine ad cibationem, & nutritionem, ac si sumeremus solum succum ipsius, quia solus est aptus vt digeratur: & quia cortex, & vinacea egeruntur in propria substantia, non possunt habere rationem cibi, atque adeo nec frangere ieiunium Ecclesiasticum, per quod solus cibus nutritiuus prohibetur, non secus, ac non frangitur, si sumeretur, & trasglutiretur lignum, papyrus, palea, terra, & quid simile. Quare vua non potest frangere ieiunium ratione corticis, aut vinaceorum.

5 Sed neque ratione succi frãgit ieiunium, quia succus in sua substantia est vinum, & habet rationem potus, & proinde expressus est materia apta, vt consecrari possit in sacrificio missæ, vt docent communiter cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 74. *ar.* 5. & specialiter Suarez *tom.* 3. *de Sacram. disp.* 45. *sect.* 1. §. *Tertio sequitur.* & Vazquez *disp.* 475. *num* 6. & habetur ex Rubrica Missalis *cap.* 4. Vndè quia exprimitur de acinis, quando vua dentibus conteritur, in ipso ore acquirit rationem potabilis, atque adeo transmittitur ad stomacum per modum potus. Et sicut mustum non frangit ieiunium, quia est potus, ita nec etiam talis succus, quia re vera est mustum: Hæc vt probabilia proposui: ea tamen meliori iudicio examinanda relinquo.

6 Hæc posteriora verba, *Ea tamen meliori iudicio examinanda relinquo*, sufficienter poterant ostendere prout ostenderunt vt plurimum Lectori, quod hãc sententiam non teneam. Vndè miror quod Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 8. me citauerit tãquam hanc sententiam tenentem, & ex Pr. Diana ex Pellizzario *tract.* 6. *resol.* 14. *par.* 9. Vndè vt clarius me explicem dico, me supradicta solum proposuisse tamquam ea, quæ videri possent probabilia, non autem, quia ità teneam cum supra dixerim *num.* 2. posse adhiberi pro extinguenda siti in modica quantitate. Ex ea autem ratione hanc opinionem non teneo, quia vua in morali extimatione habetur pro cibo, sicut autem iuxta moralem extimationem discernuntur cibi carnei à non carneis, ita etiam cibus à potu. Et cognoui aliquos, qui tempore vindemiæ sola vua nutriebantur nullo alio cibo sumpto

An

An rogatus ab amico possit modicum cibum sumere, siue per diem, siue post refectiunculam vespertinam absque violatione ieiunij. Decis. 137.

SVMMARIVM.

1 *Rogatus ab amico, si sumat cibum in notabili quantitate, violat ieiunium.*

2 *Si in parua quantitate, peccat secundum aliquos saltem venialiter.*

3 *Neque venialiter peccat.*

4 *Paruitas cibi sumpti ratione debiti finis non fundat peccatum veniale.*

4 *Imo fit actus virtutis:*

5 *Quanam quantitas cibi sumi possit in obsequium amici à ieiunante.*

6 *Quomodo in hoc non præferatur Deo obsequium amici.*

7 *An pluries rogatus ab amico possit pluries aliquid modicum comedere in die ieiunij.*

8 *Paruus cibus in obsequium amici desinit esse peccatum veniale.*

1 SI quantitas cibi, quæ sumitur, sit notabilis certum est violari ieiunium, quia tunc instituitur comestio extra refectionem, & refectiunculam, quæ est prohibita in die ieiunij, nec potest excusare à mortali paruitas materiæ. Et in hoc sensu docet, id non esse licitum Angles *in Florib.q.9.de ieiunio ar.2. difficul.4. dub.2.* & alij infra citandi.

2 Sed neque esse licitum, rogatum ab amico aliquem modicum cibum sumere in paruitate materiæ, docent Palud. *in 4. dist.15.q.4 ar.2.* Riccar. *quæst 3.* Caiet. 2.2.*q*.147.*ar*.3. Syluester *verbo* Ieiunium *q*. 4. Nauar. *cap*.21. *Manual.nu*.13. D. Antonin. 2.*par.tit*.6. *cap*. 2. §.6. Azor. *par*.1 *lib*.7. *cap*.9. *q*.1. Io. à Cruce *par*.1.*Direct. Conscient. præcep* 4.*ar*. 4 *dub*. 1. *Conclus*. 1. Rodriquez *par*.1.*sum. cap*.23. *nu*.1. Villalobos *par*. 1. *sum.tract*.23.*Difficult*.6.*nu*.4. Llamas *par*.3.*Methodi cap*. 5. §. 25. qui acriter reprehendit Medinam oppositũ docentem, vt videbimus. Murcia *in cap*. 3. *Regul*. S. *Francisc.cap*.3.*n*.50 Leander *in præcep.Eccles.tract*.5.*disp*. 5. *q*.14 Leander à Murcia *in cap*.3.*Reg*.S.*Francisc.cap*.2. §.2. *num*. 51. Mouentur, quia præferendus est Deus amicitiæ, & quia daretur locus irrisioni præcepti de ieiunio, siquidem posset quis cursitare in die ieiunij per domos amicorum, vt inuitaretur, & rogaretur, vt aliquid manducaret.

3 Oppositam tamen sententiam tradit Medina *lib*.1. *sum.cap*.14 §.10. asserens ita sentire etiam Magistrum Victoriam. Cenedo *in q. Canon. q*. 41. *num*.7. Ledesma *tom*. 2. *sum.tract*.27. *cap*.2.*dub* 3. *circa secundam conditionem ieiunij*. Filliucius *tract*.27. *par*.2. *cap* 2. *num*.41. Sà *verbo* Ieiunium *num*.8. Facundez *præcep*. 4. *Eccles.lib*.1.*cap*.4 *nu*·3. Vega *tom*.1. *sum. cap*·14. *casu* 2. *& in sum.Italica cap*.84. Lauor. *par*. 1.*de iubil cap*. 20.*nu*. 12. Diana *par*.1. *tract*. 9. *de ieiunio Resol*. 29. *ver. Sed non bene*. Sanchez *lib*.5. *consil.moral. cap*.1.*dub*.22.*num*.6. Lezana *in sum verbo* Ieiunium *nu* 4. Reginal. *lib*.4.*Praxis nu*.174. *&* 189. Bonacina *disp.vlt. de præcep. Eccles. quæst*.1.*punc*.3.*nu*.4. Remig. *tract*.3.*sum.cap*.4.§.2.*num*.8 *in fine* Roccaful. *in Praxi tract*.6.*de præcep.Eccles.lib*. 3. *cap* 4.*nu*.78. qui omnes asserunt, neque esse peccatum veniale. Et hæc sententia mihi certa videtur.

4 Ratio est, quia paruitas materiæ excusat à mortali: & quando sumitur in obsequium amici, apponitur finis virtutis, nam obsequi amicis pertinet ad specialem virtutem: finis autem virtutis appositus actioni, quæ alioquin est peccatum veniale extrahit ipsam à ratione peccati, & constituit in esse virtutis: quia peccatum veniale in tantum est tale, in quantum non habet debitum finem, non autem quia habeat finem indebitum, nam si haberet, talis finis non esset alius, quam aliqua creatura; atque adeo nõ esset veniale, sed mortale, quia per ipsum figeretur finis vltimus in creatura. Rursus peccatum veniale excludit tantum actualem ordinationem in finem, vt habet D.Th. 1.2.*q*.88. *ar. Ad* 2. Vnde, si coniungatur cum aliquo fine honesto, ordinatur in virtute ipsius virtuali modo in finem, quia honestum ex se dicit virtualem ordinem ad finem. Ex eo autem quod fiat in obsequium amici, ordinatur in finem honestum, quia conuertitur in solatium amici quod pertinet ad Eutrapeliam iuxta doctrinam D.Th. 2.2: *quæst*.168.*ar*.2 *in corpore*.

5 Ex hoc autem sequitur; quod possit sumi totus ille cibus in obsequium amici, qui continetur intra paruitatem materię, quia totus de se fundare potest tantum peccatum veniale, apposito autem debito fine cessat peccatum.

9 Neque obstat; quod Deus præferendus sit obsequio amicorum, quia tunc valet, quando in obsequium ipsorum committeretur aliquod peccatum: non autem quando in obsequium ipsorum exercetur aliqua actio, quæ non est peccaminosa: seu quæ, licet absque causa exercita, sit peccaminosa, nõ tamẽ est talis, quando exercetur cum causa, vt contingit in casu nostro. Et ideo eo ipso, quod talis comestio ordinatur in obsequium amici, ordinatur ipso mediante etiam in Deum, vt finem vltimum saltem naturalem, quia amicus est finis subordinatus fini vltimo.

7 Neque item datur occasio, vt irrideatur præceptum ieiunij, quia si pluries id fieret, aut quis cursitaret per domos amicorum, vt inuitaretur, fieret fraus ieiunio. Nos enim loquimur, quando syncere proceditur, & sistitur intra debitos terminos, ita vt non perueniatur ad quantitatem notabilem. Quare poterit quidem vna, aut altera vice obsequi amicis, imo etiã pluribus vicibus, si tamen totus cibus sumptus omnibus his vicibus, contineatur intra terminos paruitatis materiæ. quia, quando non fit excessus in quantitate cibi, parum refert, quod vna, aut pluribus vicibus sumatur.

8 Obijcit Leander. Sumere in magna quantitate in obsequium amici est mortale: ergo in parua erit veniale Resp. nego conseq. quia in magna quantitate tollit totaliter ordinem ad finem, quem debet homo habere ratione præcepti, & ideò non est capax ordinis virtutis, quia auertit à Deo. At modica quantitas non auertit à Deo, & ideò est capax ordinis debiti. nec fit quod in obsequium amici fiat, quod non licet, nàm ratione finis appositi fit licitum.

An

An ieiunantes possint prægustare cibos Dominorum comedendo, quod prægustant, Decis. 138.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunantes possunt licitè prægustare cibos dominorum comedendo, quod prægustant.*
2 *Ieiunium non impedit officium proprij muneris.*
3 *Qui prægustant ad vitandum venenum, possunt prægustare, etiam si in prægustando sumant notabilem quantitatem.*
4 *Tenentur tamen in reliquo ieiunare.*
5 *Possunt sumere totum illum cibum, quem possent, si non prægustassent, etiam per diem, in paruitate materiæ.*

1 IN simili casu loquendo de carnibus responsum est supra affirmatiuè. Vnde modo quoque affirmatiuè respondendum est, ita vt nec violent ieiunium: neque peccent etiam venialiter. Ita tenent Innocent. *in Cap. 1.* De *obseruat. ieiunior.* Abbas *in Rubr.* De *obseruat. ieiunior.* Azor *par. 1. lib. 7. cap. 9. q. 1.* Nauar. *cap. 21. Manual. n. 13.* Syluester *verbo* Ieiunium §. 9. Filliucius *trac. 27. par. 2. cap. 2. nu. 36.* Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 10.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8.* Caiet. *2. 2. q. 147. ar. 3. circa finem* Facundez *præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 2.* Villalobos *tom. 1. sum. tract. 23. difficult. 6. nu. 3.* Rodriquez *par. 1. sum. cap. 23. nu. 1.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q. 1. punc. 3. nu. 10. ver. Hinc patet.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. præcep. 3. ar. 4. dub. 8. nu. 1.* Diana *par. 5. tract. 5. Resol. 32.* Sanchez *lib. 5. consil. moral. cap. 1. dub. 22. nu. 9.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 3. nu. 10.* Roccaful. *in Praxi tract. 6. de præcep. Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 78.*

2 Ratio autem est, quia prægustatio ciborum spectat ad officium ipsorum. Finis autem ieiunij non est impedire officium alicuius; sed tantum macerare corpus sine preiudicio officij; vnde, quando impediretur essercitium proprij muneris, potius cessat obligatio ieiunandi, quam cedat tale exercitium proprij muneris, vt patet in ijs, qui laborant in operibus seruilibus laboriosis.

3 Ex quo fit, quod ij, qui prægustant pro dominis ad euitandum venenum, possint cibos prægustare, etiam si in prægustatione notabilem quantitatem sumerent, quæ de se sufficeret ad violandum ieiunium ex eo, quod debeant plura fercula prægustare, quia semper funguntur munere suo, quod à ieiunio impediri non debet.

4 Sed hic statim oritur difficultas. An quando in prægustatione assumunt notabilem quantitatem, quæ de se sufficiat ad frangendum ieiunium, teneantur amplius ieiunare: cum enim semel solutum sit ieiunium ob illam comestionem, videtur non habere locum amplius obseruatio ieiunij. Resp. teneri in reliquo seruare ieiunium non secus, ac si non prægustassent; quia, licet, quando est semel violatum, non habeat amplius locum obseruantia ipsius, in casu tamen nostro non censetur violari; quia ille cibus prægustatus non est manducatio ordinata per se primo ad nutriendum, sed ad assecurandum dominum de veneno, vnde non se habet per modum manducationis, sed per modum cuiusdam experimenti, quo dominus in tali persona experitur cibum, an syncerus sit.

5 Hinc quoque fit. Quod prægustans cibos possit prandere, & vespere sumere refectiuncula non secus, ac si non prægustasset aliquem cibum; quia illa prægustatio non se habet per modum comestionis, vt diximus, sed per modum experimenti, & in qua prægustans fungitur munere suo. Ob quam etiam rationem poterit, etiam absque violatione ieiunij, sumere totam illam paruitatem materiæ quò ad cibum, quę in ieiunio sumi potest absque ipsius violatione, quia talis parua quantitas non coniungitur cũ cibo prægustato, vt faciat cum ipso vnam quantitatem, quia paruitas materiæ habet rationem cibi, cibus autem prægustatus rationem experimenti, & assecurationis.

Quomodo determinanda sit paruitas materiæ in cibo, quæ sumpta non frangat ieiunium. Decis. 139.

SVMMARIVM.

1 *In fractione ieiunij datur paruitas materiæ excusans à mortali.*
2 *Duæ vnciæ constituuntur paruitas materiæ.*
3 *Paruitas materiæ debet attendi in ordine ad læsionem abstinentiæ in ieiunio præceptæ.*
4 *Læsio abstinentiæ in ieiunio quomodo considerari debeat.*
5 *Cur duæ vnciæ sint paruitas materiæ in fractione ieiunij.*
6 *Ieiunans absque mortali potest primo mane duas vncias cibi sumere, & bibere.*

1 CONSTANS est omnium sententia, quod in fractione ieiunij detur paruitas materiæ, quæ à mortali excuset, non secus ac datur in furto, quia materia, seu ipsa fractio ieiunij est visibilis, sicut etiam ipsa abstinentia præcepta in ieiunio, atque adeo etiam maceratio corporis, ad quam ordinatur abstinentia; vnde etiam præceptum potest diuisibiliter violari: & proinde grauiter, & notabiliter, vel solum leuiter, si nimirum parua quantitas cibi supra concessam refectionem, & refectiunculã sumatur, quia leuiter lęditur abstinentia, quæ præcipitur. Difficultas autem est in assignando termino, vltra quem non possit crescere hæc paruitas materiæ.

2 Turrian. *par. 1. sum. theol. moral. cap. 256. dub. 17. nu. 2.* putat posse paruitatem materiæ peruenire ad duas vncias Reginal. *lib. 4. cap. 19. nu. 183.* Remig. *tract. 3. summ. cap. 4. §. 2. nu. 7.* Machad. *tom. 1. lib. 2. par. 4. tract. 3. docum. 6. num. 3.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 5. de ieiun. num. 3.* quem sequitur Diana *par. 5. tract. 5. de paruit. materiæ Resol. 11.* vbi affert rationem, quia, sicut quantitas vespertinæ refectiunculæ reducenda est ad quartam partem cœnæ, ita paruitas materiæ, non violans ieiunium mortaliter, reducenda est ad quartam partem eiusdem refectiunculæ, atque adeo ad duas vncias, quia probabiliter pro refectiuncula vespertina conceduntur octo

octo vnciæ. Quam rationem tangit etiam Anton. de Leone *par. 3. q. moral. de Cocbolate num.* 21. & ait non esse malum fundamentum prædictæ opinionis. Bossius autem *tom 3. moral. tit. 21, num.* 211. ait id relinquendum iudicio prudentis viri habita ratione circumstātiarum, & præsertim qualitatis cibi.

3 Verum, quia paruitas, vel grauitas materiæ non debet considerari materialiter, sed secundum quod leuiter, vel grauiter aduersatur virtuti præceptæ, quia, si grauiter aduersetur, inducit etiam grauem deformitatem contra ipsam, atque adeo peccatum mortale, ideo in fractione ieiunij non est attendenda paruitas materiæ in ordine ad quantitatem prandij, vel cœnulæ, sed in ordine ad læsionem abstinentiæ, quæ per ieiunium præcipitur: vnde quantitas cibi, quæ non lædit notabiliter talem abstinentiam erit paruitas materiæ.

4 Et quia eadem quantitas cibi potest in vno magis, quam alio lædere abstinentiam ratione diuersæ complexionis, nam duæ vnciæ v. g. possunt alicui sufficere ad sedandam totam famem, & etiam ad exhibendum congruum nutrimentum pro aliquo tempore; alteri vero non sufficient, sed pro nihilo reputabuntur respectu ipsius. Ideo non est attendenda læsio abstinentiæ comparatiue consideratæ respectu huius, vel illius, sed læsio illius abstinentiæ formaliter, quæ præcipitur in ieiunio: hæc autem est abstinentia à pluribus comestionibus. Et ideo hæc abstinentia per pluralitatem comestionum lædi potest notabiliter, quia tunc destruetur: si autem non interueniat pluralitas comestionum, non læderur notabiliter. Ex quo fit, quod tota illa quantitas sit paruitas materiæ, quæ non sufficit ad instituendam comestionem.

5 Quia tamen Ecclesia prohibens pluralitatem comestionum intelligit de ijs, quæ solent institui, & præter prandium, & cœnam non solent institui nisi leues quædam comestiones, quæ nomine ientaculi veniunt, aut alio nomine, ideo paruitas materiæ debet habere talem terminum, vt neque constituat aliquam ex his leuioribus comestionibus attendendo illam quantitatem, quæ magis vniuersaliter solet in ipsis sumi. Et quia, quando moderatæ sunt, sex vncias circiter cibi importabunt, ideo duæ vnciæ censeri poterunt materia leuis, quia non pertingunt ad medietatem talis comestionis, & ideo moraliter non sunt comestio, neque consequenter lædunt notabiliter abstinentiam à pluribus comestionibus, quæ in ieiunio præcipitur.

6 Ex quo sequitur, vt notat etiam Diana *citatus*, quod ieiunans absque peccato mortali possit primo mane sumere duas vncias cibi, & semel bibere ad tolerandum facilius ieiunium. & postea hora consueta prandere; & nocte sumere consuetam refectiunculam: peccabit tamen venialiter: sed, si adsit rationabilis causa, & excusabitur etiam à veniali.

An, si ieiunans pluries in eodem die sumat cibum in paruitate materiæ frangat ieiunium. Decis. 140.

SVMMARIVM.

1 *Frangitur ieiunium, si pluries in eodem die sumatur paruitas materiæ, quæ semel sumpta non frangit.*

2 *Quando pluries parua materia vniātur ad faciendam vnā notabilem.*

3 *Non frangitur ieiunium, si pluries cibus sumptus contineatur intra terminos paruæ materiæ.*

4 *Proponens in singulis ieiunijs aliquam paruam materiam cibi sumere, non peccat mortaliter.*

5 *Nec etiam inducens plures, vt sumant eodem die paruam materiam cibi.*

6 *Vt quis violet ieiunium, non requiritur, vt velit vnico actu plures comestiones paruas, sed sufficit, si quocunque modo velit.*

1 AFFIRMATIVE respondendum est cum Vasquez 1. 2. *disp.* 146. *cap.* 2. *num.* 4. Sanch. *lib.* 1. *in* Decal. *cap.* 4. *nu.* 11. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q.* 1. *punc.* 3. *num.* 4. Merolla *tom.* 1. *disp.* 2. *cap.* 4. *dub.* 9. *Corol.* 5. *num.* 215. *ver. Et hoc diligenter.* Diana *par* 3. *tract.* 6. *Resol.* 43. Facundez *præcep.* 4 *Eccles. lib.* 1. *cap* 4. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 2. Ghetio *in summa verbo* Ieiuniū *cap.* 1. *num.* 4. Remigio *tract.* 3. *sum. cap.* 4. §. 2. *num.* 7. ver. *Para beuer.* Bossio. *tom.* 3 *moral. tit.* 21. *num.* 210. Et sequitur ex doctrina generali, quod materiæ plures peccati venialis transeunt ad materiam grauem, quę est obiectum peccati mortalis, quando perueniunt ad illum terminum, qui sufficit constituere materiam peccati mortalis. Vnde hoc ita intelligendum est, vt tūc violetur ieiunium, quando pluries sumitur tota illa quantitas cibi, quæ est summum materiæ paruæ, vt si quis pluries sumeret duas vncias cibi, aut quando per iteratas sumptiones exceditur prædicta parua materia, vt si quis pluribus sumptionibus sumeret tres vncias:

2 Ratio est, quia, quando materia peccati est diuisibilis, ita vt intra ipsam detur grauis, & leuis materia, tunc ex pluribus leuibus consurgit vnica grauis, quando vniuntur in vnam materiam. Et tunc vniuntur in vnam materiam, quando vna, atque eadem prohibitione prohibentur eo, quod ordinetur ad eumdem effectum prohibitum, qui, licet non consurgat secundum notabilem æstimationem ex singulis seorsim, consurgit tamen ex omnibus simul sumptis. In casu autem nostro singulis diebus ieiuniorum adest specialis obligatio abstinendi à pluribus comestionibus, quatenus multiplex comestio notabiliter nutrit corpus, ergo plures comestiones paruæ vnientur contra prohibitionem ratione æquiualentiæ ad vnciam notabilem, nam vniuntur in effectu nutritionis prohibito, cum in eadem die eodem modo corpus nutriatur pluribus comestionibus paruis æquiualentibus vni notabili, ac nutriatur vnica tantum considerabili: vnde ratione vnionis in effectu ipsę quoque vniuntur in vnicam materiam prohibitam.

3 Ex quo fit, quod, si quis sumat pluries cibum in die ieiunij extra refectionem consuetam, & refectiunculam quantitate parua, ita tamen vt non excedat simul quantitatem duarum vnciarum, quam diximus, esse terminum paruitatis materiæ, non peccabit mortaliter, quia licet illæ comestiones vniantur, non tamen efficiunt vnicam quantitatem notabilem, vnde sine peccato mortali poterit vna vice sumere quattuor, aut sex amygdalas altera totidem castaneas, tertia vice nonnullas vuas passas, & sic deinceps, donec perueniat ad quantitatem duarum vnciarum.

4 E con-

4 E contra autem sequitur, quod si quis singulis diebus ieiunij sumat totam illam quantitatem cibi, quæ stat intra terminos paruitatis materiæ, non peccet mortaliter, sed solum venialiter, Quia tales quãtitates non continuantur, cum non sint contra idem præceptum, sed diuersum; siquidem singulis diebus ad sunt singulæ obligationes ieiunandi, quæ singulæ cessant transactis singulis diebus. Imo si quis vnico proposito intendat singulis diebus ieiuniorum sumere hanc quantitatem, adhuc tantum venialiter peccabit, quia solum proponet facere diuersa peccata venialia in diuerso tempore. Et licet illæ quantitates vniantur in intentione, & proposito: non tamen vniuntur in ratione materiæ prohibitæ, quia non vniuntur contra idem præceptum. Et hoc notatur etiam à Sanchez dicto *lib.* 1. *in Decal. cap.* 4. *nu.* 11.

5 Præterea, vt notat idem Sanchez *citato loco.* Si quis inducat plures ad comedendum in die ieiunij totam illam quantitatem, quæ attingit terminum vltimum paruæ materiæ, non peccabit mortaliter, sed solum venialiter, quia non plus peccabit ipse, quam peccentij, quos inducit ad peccandum: siquidem inductor ad peccandum peccat eo genere peccati, ad quod inducit: vnde cum sumens cibum infra terminos paruæ materiæ, peccet tantum venialiter, venialiter quoque tantum peccabit, qui inducit. Quod tamen limitandum est, nisi inducens sciat, eum, quẽ inducit, iam sumpsisse totum, quod potuit sumere intra paruitatem materiæ, nam tunc induceret ad frangendum ieiunium.

6 Ex his est reijciendum, quod tradit Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 16. *sect.* 26. *in fine.* Nimirum requiri, vt quis pluries comedendo peccet mortaliter, si materia sit parua, quod velit vno actu omnes illas comestiones, & non sufficere, quod velit omnes illas comestiones per diuersos actus, & vt peccata venialia. Nam coniunctio in vnam notabilem materiam non pendet ex intentione, sed habetur, quia omnes contrariantur eidem prohibitionis, vt diximus *num.* 2. alioquin posset eludi præceptum de ieiunio, nam semper posset quis velle illas comestiones vt plures, & vt peccata venialia.

An potio vulgo Cocholate frangat ieiunium. Decis. 141.

SVMMARIVM.

1 *Potio ex Cocholate secundũ aliquos non frãgit ieiunium.*
2 *Re vera frangit.*
3 *Cocholate ex natura sua est cibus maximè nutritiuus.*
4 *Consuetudo sumendi Cocholatem non facit eam licitam in die ieiunij.*
5 *Sola paruitas materiæ excusat à mortali, & quænã illa sit.*
6 *Potio ex Cocholate an licita si excedat liquor.*
7 *An ex dispensatione Pontificia.*
8 *Duæ vnciæ an parua materia.*

1 NEGATIVE respond. Turrian. *par.* 1. *sum. cap.* 256. *dub.* 24. *conclus.* 4. & 7. & Diana *par.* 4. *tract.* 4. *Miscellan. Resol.* 194. ver. *His tamen* & ait ex aliorum dicto, Ita sentire plures Patres Societatis Iesu in Hispania, & eamdem opinionem tenuisse Basilium Pontium, Corneium, & alios, quia ibi in Hispania effecta est potus vsualis Caramuel *in Reg. S. Benedicti disp.* 26. *num.* 1613.

2 At quod soluat ieiunium tradit idem Diana *loco citato*, & rursus *par.* 5. *tract.* 5. *de Paruit. mater. Resol.* 11. ver. *Notandum est.* Antonius de Leone *in quæst. moral. de Cocholate par.* 3. *num.* 20. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 15. Solorzanus *lib.* 2. *polit. cap.* 10. Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5 *disp.* 5. *quæst.* 5. Lezana *in consil. moral. consil.* .... quem in prima editione huius operis citaueram pro opposita sententia quia ita mihi videbatur sentire in *summ. verbo* Ieiunium *num.* 2. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 207. Leander à Murcia *in Cap.* 3. *Regul. S. Francis. quæst.* 15. *num.* 8. vbi plures viros doctos pro hac sententia affert, & eam luculenter probat, & respondet obiectis: Et sequitur ex communi doctrina, quod ea, quæ habent rationem cibi, soluunt ieiunium, etiam si potabili modo sumantur, vt potus lactis.

3 Et hæc sententia tenenda est, quia re vera Cocholate est cibus ex natura sua afferens maximum nutrimentum, licet potabili modo sumatur: vnde in nutriendo excedit omnia alia nutritiua, Si quidem vnica tantum vncia sufficit, vt nutriat per horas viginti quattuor absque vlla debilitatione corporis: imo etiam expellit somnum, & facit, quod corpus non indigeat restauratione per somnum, quod satis indicat valde confortare, & roborare: & proinde maxime contrariatur abstinentiæ maceratiuæ, quæ præcipitur in ieiunio.

4 Neque puto, obstare consuetudinem, quæ talis potio in Hispania sit facta vsualis, quia hoc sicuti non mutat naturam ipsius, ita etiam non facit, vt sit purus potus, quia non est posita in vsu ad extinguendam sitim, & vt sit vehiculum cibi, sed ad substentandam, & roborandam naturam, & proinde consuetudo non facit, vt sit licita in ieiunio, sicut non facit, vt sit purus potus. Alioquin possemus dicere, quod si introduceretur, vt stillatus gallinæ, aut pulli sumeretur pro potu, posset etiam sumi in die ieiunij tanquam potus, quod magis apparenter diceretur, quia in ordine ad sensum non differt ab aqua, & tribuitur infirmis ad extinguendam sitim. Et idem docet Murcia *quæst.* 15 *in Cap.* 3. *Regul. S Francis.* & nisi obstet paruitas materiæ Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 5. *quæst.* 5. §. 3. Benedictus, Remigius, Noyden. *tract* 3. *sum. cap.* 4. §. 1. *num.* 2.

5 Solum paruitas materiæ posset excusare à mortali; sed difficultas est, quænam censenda sit parua materia: cum enim talis potio adeo nutriat, & corroboret, diuersa est ratio de ipsa, ac de cæteris cibis. Antonius de Leone *loco citato* putat dimidium vnciæ Chocholatæ posse in potione misceri, tanquam paruam materiam. Quem me malè citasse immeritò dicit Leander, vt constat ex verbis ab ipso adductis *in præcep. Eccles. tract.* 5 *disp.* 5. *quæst.* 5. § 4. vbi concedit solum dimidiam vnciæ, quod si concedit etiam aliquid parũ sacchari, ego non excludi. Sed hoc ego nimium existimo, quia proportionaliter loquendo vncia dimidia Cocholatæ plus nutrit, & corroborat, quam sex vnciæ alterius cibi valde nutritiui. Et licèt id neget Leander cit; experientia tamen constat. Vnde cum in hoc non attendenda sit quantitas formalis, nempe virtus nutritiua,

vt

vt pote quia in ieiunio præcipitur abstinentia à cibo tanquam à nutritiuo, illa habenda est pro parua materia, quæ parum nutrire potest: vnde puto non posse excedere octauam partem vnciæ, aut ad summum sextam partem, alioquin semper afferet notabilem nutritionem. Si vera sunt quæ mihi relata sunt ab ijs qui pluries sumpserunt, in quo tamen me remitto prudentiori iudicio.

6 Ex his colligitur. Potum Cocholatæ neq; licitum esse etiam si longe excedat liquor, in quo miscetur, dummodo Cocholate sit in notabili quantitate; quia adhuc sumitur cibus in illo potu. Et sequeretur, quod vbi conceduntur oua in ieiunijs, possent sumi quinque aut sex vnciæ vitellorum ex ouis, & separari octo, aut decem varij liquoris potabilis, & sumi, nam adhuc excederet liquor.

7 An autem ex declaratione Pontificum licitus sit potus Cocholatæ aliqui affirmant, asserentes, Pium V. Gregorium XIII. ita declarasse. Alij verò dicunt non constare de his declarationibus, de quo latè Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. quæst. 5.* §. 2. & concludit, quod dato, quod extent dictæ declarationes, debent accipi de potu, qui in parua materia contineat Cocholate. Verùm hæc omnia pertinent, ad factum, & dependet ex eo, an sint, & quales sint hæ declarationes.

8 Colligitur 2. Quod si duæ vnciæ de Cocholata concederentur pro parua materia, possent etiam concedi duæ vnciæ de vitellis ouorum, quando sunt licita in ieiunijs, & posset confici aliquod iusculum sorbile ad sedandam simul sitim, & nutriendum, in quo fraus maxima fieret ieiunio.

DE HORA SERVANDA IN REFECTIONE QVANDO IEIVNATVR.

An in diebus ieiunij differenda sit refectio, quousque corpus per famem affligatur. Decis. 142.

SVMMARIVM.

1 *Ad comedendum in die ieiunij non est expectandum, quod corpus affligatur per inediam.*
2 *Expectatio afflictionis per inediam non potest congrue præcipi in ieiunio.*
3 *Quæ afflictio corporis in ieiunio præcipiatur ab ecclesia.*

1 RESP. negatiuè cum D.Th. 2. 2. *q.*147.*ar.*7. Caiet. *ib.* Syluio ver. D. 7 *his respondet* Durand. *in* 4. *dist.* 15 *q.* 10. Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 3. *difficul.* 2. Ledesma 2 *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 4. ver. *His non obstantibus* Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. Medina C. *De ieiunio q.* 6 Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pænit. cap.* 14. *dub.* 2. *num.* 165. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. quæst.* 1. *punc.* 4. *num* 4. Roccaful. *in Praxi tract.* 5. *de præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 88. Et fauet communis sensus fidelium, & consuetudo, quæ in hoc plurimum potest, vnde potuisset abrogare etiam legem, si adesset.

2 Ratio est, quia stante diuersitate complexionum vnus citius alio inediam patitur; vnde non posset assignari certa hora prandendi pro singulis, & proinde hoc relinquendum esset conscientiæ vniuscuiusque, quod magnam confusionẽ generaret, & simul etiã sclupulos: & ideo non potest hoc esse obiectũ præcepti ecclesiastici. Hinc de tali præcepto nullum vestigium reperitur, & proinde absque vllo fundamento assereretur.

3 Dices. Esse expectandum, quod corpus per inediam affligatur, quia ieiunium præcipitur ab ecclesia pro affligendis corporibus. Resp. in ieiunio non præcipi quamcunque abstinentiam, & afflictionem corporis, sed illam, quæ oritur ex determinatione cibi, & comestionum: & ideo nulla alia est talis afflictio, quam illa, quæ habetur ex subtractione carnium, & multiplicis comestionis: & ideo ex vi præcepti ieiunandi non est expectandum, quod corpus affligatur per inediam, sed sufficit seruare formam præscriptam in comedendo, siue talis afflictio sequatur, siue nõ: quia hæc est extrinseca ieiunio nec semper ad ipsum consequitur.

4 Quamuis autem non sit expectanda afflictio corporis, potest tamẽ differri refectio vsq; ad noctẽ, vt tradunt Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 2. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 7. Syluester *verbo* Ieiuniũ *n.* 14. D. Anton. 2. *par. tit.* 6. *c.* 2. §. 2. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *c.* 11. *q.* 5. Facundez *præc. Eccl. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 5. Sanchez *lib.* 5. *consil. c.* 1. *dub.* 28. *n.* 6. & cõmuniter. Nam sufficit ad saluandum ieiuniũ vnica comestio, & dilatio reddit ipsum magis maceratiuum.

An certa hora comedendi sit seruanda in ieiunijs. Decis. 143.

SVMMARIVM.

1 *Antiquitus hora nona in ieiunijs extra quadragesimam sumebatur refectio.*
2 *In quadragesima vero differebatur ad vesperam.*
3 *Modo hora meridiei est hora sumendi refectionem.*
4 *Potest tamen refectio vlterius protrahi.*
5 *Quomodo computandus meridies.*
6 *Potest amplecti consuetudo sumendi cibum ante meridiem, si adsit.*
7 *Possunt regulares quoque se conformare huic consuetudini.*
8 *Possumus sequi horologium solare.*

1 ANTIQVITVS in ieiunijs extra quadragesimam hora nona ex consuetudine erat hora sumendi refectionem, vt colligitur ex Can. 34. *Concilij Moguntiaci*, & meminit Epiphanius *in Compendiaria doctrina* dicens. *Quarta, & pro Sabbatho ieiunium statutum est vsque ad horam nonam*. Athanas. *in lib. de Virginit.* August. *Epist.* 118. *ad Ianuar. cap. vlt.* Cassiano *Collat.* 21. *cap.* 23. Et D. Tho. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 7 *in corp.* Hora autem nona erat hora tertia post meridiem, quia vt notat ad hoc propositum Couaruu. *lib.* 4 *Variar. Resol. cap.* 20. *num.* 14. plura ad hoc confirmandum afferens, dies omnes tam breues, quam longi diuidebantur in duodecim horas, sicuti etiam noctes. Vnde Christus dixit Io. 11 *Nonne duodecim sunt horæ diei*, & Matth. 20. Dominus vineæ hora vndecima conduxit operarios, & proinde horæ erant breuiores, vel longiores iuxta breuitatem, seu longitudinem diei, aut noctis. Diuidendo igitur tali pacto dies, hora nona, quæ erat tertia post meridiem, & tertia quoque ante occasum solis, à ieiunantibus, sumebatur refectio.

2 In quadragesima vero refectio adhuc magis differebatur, nempe vsque ad vesperam. Vnde D. Benedict. *cap.* 41. *suæ Regulæ. Quarta, & sexta feria ieiunent vsque ad nonam. In quadragesima verò vsque ad pascha ad Vesperam reficiant.* & D. Bernard *serm.* 3. *de Quadragesima. Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli* (nempe nos soli monachi.) *nunc vsque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter vniuersi, reges, & principes, clerus, & populus; nobiles, & ignobiles, simul in vnum diues, & pauper.* Et Microlog. *cap.* 49. *de obseruat. Ecclesias. In hoc quadragesimale ieiunium ab alijs differt diebus, quod in alijs post nonam, in hoc autem post vesperam reficere debemus. Nec iuxta canones quadragesimaliter ieiunare censemur, si ante vesperam reficimur.* Et adest Cap *Solent. De consecrat. Dist.* 1. desumptum ex Concil. Cabilonensi, vbi ita habetur. *Solent plures, qui se ieiunare putant in quadragesima, mox vt signum audierint ad horam nonam comedere: Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerunt, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad missas, & auditis missarum solemnibus, & vespertinis officijs, & largitis eleemosinis ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad missam venire non valeat, æstimata vespertina hora completa oratione sua ieiunium soluat.* Sed vt notat Couaruuias *citato c.* 20. *lib.* 4. *Variar. Resol. num.* 14. *init.* talis canon neque reperitur inter Canones *Concilij dicti Cabilonens.* vt citat Gratian, nec inter Canones Concil. *Chalcedonensis*, vt citat D. Th. 2. 2. *q.* 147. *ar* 7. nec in Decretis *Syluerij papæ, vt citat* Burchar. *lib.* 13. *c.* 12. Sed ibi ante dict. Can. notatur reperiri in Capitulis *Theodulphi Aurelianensis Episcopi c.* 39.

3 Modo autem vniuersali consuetudine est introductum, vt comestio sumatur circa meridiem, quę consuetudo, vtpotè rationabilis, approbata est ab Ecclesia, vt condescenderet humanæ fragilitati, & proinde, vt potè iam firmatam, possumus eam sequi absque vllo scrupulo, cum talis sit vis consuetudinis, vt possit, etiam humanas leges abrogare. Et in hoc conueniunt communiter omnes Doctores Riccard. *in* 4. *dist.* 15. *ar.* 7. *q.* 5. Durand *q.* 9. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 7. Syluius *ibid. ver. Tandem verò.* Angelus *verbo* Ieiunium *num.* 1. Syluester *q.* 4. *num.* 11. Tabiena *num.* 5. Rosel. *num.* 10. Azor *par.* 1 *lib.* 7. *c.* 11. *quæst.* 1. *in fine.* Laiman *lib.* 4. *theol. moral. tract.* 8. *c.* 1. *num.* 8. *ver. Verum cum posterioribus.* D. Anton. *par.* 2. *tit.* 6. *c.* 2. §. 2. Couarnu. *lib.* 4 *Variar. Resol. c.* 20. *num.* 14. Reginal. *lib.* 4. *praxis Fori pœnit. c.* 13. *num.* 156. Medina C. *de ieiunio qu.* 6 *init.* Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1 *c.* 3. *num.* 3. Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *num.* 84. Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Sanchez *lib.* 5. *Consil. Moral. c.* 1. *dub.* 28. *nu.* 1. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disp.* 12. *q* 10. *num.* 2. & 5. *in vlt. edit.* Lezana *verbo* Ieiunium *num.* 5. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *c.* 4. *num.* 67. Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 3. *difficul.* 1. *conclus* 2 Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *De præcep. Eccles. lib.* 3. *c.* 5 *num.* 79.

4 An autem liceat prandium vltra meridiem differre, communiter affirmatiuè respondent, & addunt, hoc esse laudabilius, quia magis corpus sentit inediam. Vndè assignatur hora meridiei ad comedēdum, non quia non liceat vlterius dfferre comestionę sed quia vsque ad ipsam differenda sit, vt docent pręcipuè D. Anton. *par* 2. *tit* 6 *c.* 2. §. 2. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 7. Syluius *ibid. ver. Tandem verò* Riccar. *in* 4. *dist.* 15. *ar.* 3. *q.* 8. Præposit. *Cap. Denique num.* 21. *dist.* 4. Abulens. *q.* 172. *in c.* 6. *Matth.* Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3 *ar.* 2. *dub.* 1. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 3. *num* 5. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2 *dub.* 2. *num.* 14. Basseus *in Florib. theol. practica verbo* Ieiunium 1. *num.* 16. Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 27. Syluester *verbo* Ieiunium *num.* 14. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *c.* 11. *q.* 5. Reginal. *lib.* 4. *Praxis Fori pœnit. c.* 13. *num.* 158 Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *c.* 4. *num.* 75. Trullench. *lib* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 4 *num.* 2.

5 Quando autem dicitur esse comedendum circa meridiem in diebus ieiuniorum, intelligi debet de meridie moraliter computato, non autem secundum astronomicum calculum, quia in rebus moralibus moraliter procedendum est, alias vt plurimum esset impossibile seruare præcisè punctum astronomicum meridiei, & ita notant communiter Doctores præsertim Syluester *verbo* Ieiunium *quæst.* 4. *num.* 12. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *c.* 11. *quæst.* 1. *in fine* Reginal. *lib.* 4. *praxis Fori pœnit. c.* 13. *num.* 156. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2 *num.* 68 Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium §. 1. Abulens. *q.* 163. *in c.* 6. *Matth. ad* 2. Rodriquez *p.* 1 *sum. c.* 23. *init.* Facundez *præcep.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 3. Bossius *sect.* 4. *de iubileo. Casu* 18. *num.* 86. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 4. *num.* 2. Ghetius *in Thesauro Animæ verbo* Ieiunium *c.* 3. *num.* 4. Tamburin. *De iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 12. *qu.* 10. *num.* 3. Roccaful. *in Praxi tr.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *c.* 5 *num.* 79.

6 Est tamen aduertendum, vt notant plerique ex supracitatis. DD. quod si in aliquibus locis adsit consuetudo sumendi refectionem ante meridiem, vt contingit Veronæ, vbi æstate præsertim solet plus duabus horis ante meridiem, etiam in diebus ieiunij sumi refectio, possumus nos sine scrupulo conformare tali consuetudini, quia sicut consuetudo potest facere legem, ita etiam potest abrogare, & legem, & quamcumque aliam consuetudinem. Ita inter alios Caiet. *verbo* Ieiunium §. 1. Abulens. *quæst.* 172. *in c.* 6. *Matth* Filliucius *tract.* 27 *par.* 2 *num.* 74. Rodriquez 1. *par. sum. c.* 23. *init.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 3. *num.* 5 Facundez *præc.* 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 3. *num.* 3. Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *num.* 90. & 91. Azor. *lib.* 7. *c.* 11. *quæst.* 1. *in fine.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2 *dub.* 4 *num* 2. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *c.* 3. *num.* 3. Viguer. *c.* 7. *Instit. Theol.* §. 3. *ver.* 1. Reginal. *lib.* 4. *praxis num.* 156.

7 Imo

7 Imo Regulares quoque possunt se conformare tali consuetudini, quia fruuntur priuilegijs loci, vbi resident, atque adeo etiam consuetudine priuilegiatiua. Quod vidi in Praxi seruari communiter à Religiosis dictæ ciuitatis; imo consuetudo est rationabilior respectu ipsorum, cum surgant de nocte ad matutinas præces. Sequitur Leander *in praecep. Eccles. tract.* 5. *disp.*6. *quaest.* 7.

8 Insuper etiam posset quis sumere refectionem circa meridiem attendendo ad horologium solare, quod cœtera per semihoram solet præcedere, vt notant Azor. *par.*1. *lib.* 7. *cap.*11. *quaest.*1. *in fine* Filliucius *tract.*27. *par.*2. *cap.*4. *num.* 68. Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *num.*87. Syluester *verbo* Ieiunium *num.*12. Leander *in praecep. Eccles. tract.* 5. *disp* 6. *quaest.*6. Imo, quia ipsum ostendit verum meridiem, satius est illi se conformare: Et proinde ex quocunque capite licet anticipare meridiem, toto illo tempore licebit anticipare meridiem solarem, quia iam talis meridies est terminus moralis præfixus ad sumendam refectionem.

An in ieiunijs præsertim quadragesimæ, liceat, sumere refectionem ante vesperas recitatas ijs præsertim, qui Choro addicti sunt. Decis. 144.

SVMMARIVM.

1 *Qui doceant, in quadragesima non licere comedere ante recitationem officij vespertini.*
2 *Licet comedere.*
3 *Recitatio officij diuini non habet aliquam connexionem cum ieiunio.*
4 *Consuetudo abrogauit canonem de recitando officio vespertino ante comestionem.*

1 NON licere videtur sentire Palud. *in* 4.*dist.* 15. *q.*4.*ar.*4.*conclus.*1. loquens de ieiunijs quadragesimæ, & quò ad ieiunia sabbathorum, in quibus sacræ ordinationes celebrantur, videtur dubius manere. Fundamentum videtur desumi ex Cap. *Solent* De *consecrat. Dist.*1. vbi habetur. Non esse credendum, eos ieiunare, qui manducant, antequam vespertinum officium celebretur. Et proinde nunc quoque, cum in quadragesima recitentur vespere ante meridiem, quæ est hora consueta comedendi, non poterit sumi refectio, nisi vespertinum officium recitatum fuerit.

2 Tenendum tamen est; quod nulla adsit obligatio non comedēdi antequam recitetur officium vespertinum, etiam respectu eorum, qui addicti sunt choro Ita docent Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 3. *difficult.*1. *dub.*1. Medina C. *De ieiunio q.*2. *in fine.* Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium §. *Hora competens.* Ledesma 2.*par.* 4.*q.*17. *ar.*4.*in fine.* Facundez *praecep.*4.*Eccles.lib* 1. *cap.* 3. *num.*9. Nauar. *cap.*21. *Manual. num.*27. D. Antonin. 2.*par.tit.*6.*c.*2.§.2. Reginal. *lib.*4. *praxis Fori poenit. c.*13. *num.* 159. Syluester *verbo* Ieiunium *num.*12. Vival. *in Candel. c.*15. *Append. nu.* 51. Llamas 3.*par. Meth. c.* 5. §.26. Leander *in praecep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 6. *quaest.*11.

3 Ratio est; quia recitatio officij diuini obligat per distinctum preceptum ab eo, quò obligat ieiunium, & est opus diei non habens ex præcepto horam determinatam, licet habeat iuxta ritus Ecclesię; vnde non habet connexionem aliquam cum ieiunio, nec cum illa vnica comestione, quæ conceditur in die ieiunij, & ideo nihil refert, an sumatur refectio ante recitationem vespertini officij, an post, & multo minus, qui non tenentur ad horas Canonicas, obligantur, vt expectent recitationem vespertini officij.

4 Neque obstat canon citatus, quia vt supra adnotauimus, non reperitur apud aliquod Concilium. Deinde quicquid sit, consuetudo illum abrogauit. Quod si vigeret, deberet ita accipi, vt intelligeretur de hora, in qua vesperæ solent recitari, vt scilicet ante ipsam non esset comedendum, non autem vt non esset comedendum ante ipsarum recitatione.

5 Ex dictis colligitur cum Facundez *praecep.*4.*Eccles.lib.*1.*c.*3.*nu.*9. Reginal. *lib* 4. *Praxis c.*13.*nu.*159. Leander *in praecep. Eccles. tract.*5. *disp.*6. *quaest.* 10. In ieiunijs extra Quadragesimam posse sumi prandium ante recitatam Nonam, quia nulla adest prohibitio, siue scripta, siuè ex consuetudine.

An hora determinata comedendi sit de essentia ieiunij. Decis. 145.

SVMMARIVM.

1 *Determinata hora edendi non est de essentia ieiunij.*
2 *In quo consistat essentia ieiunij, & per quid saluetur.*
3 *Præuenire horam determinatam comedendi in die ieiunij, quomodo non minuat afflictionem ex inedia.*

1 NEGATIVE respondendum est, sed esse tantum circumstantiam accidentalē. Ita tenent Palat. *in* 4. *dist.*15. *disp.* 8. §. *Et rursus post* 6. *conclus.* Gabr. *dist.*16.*q.*3.*ar.*3.§. *Quarto de hora.* Caiet. 2.2.*q.*147.*ar.*7. §. *Ad haec breuiter* Angelus *verbo* Ieiuniū Med. *lib.*1.*sum.c.* 14. §.10. Rodriq. *p.*1. *sum.c.*23.*init.* Nauar. *c.*21. *Manual.n.* 22. *in Lat.* & *in Hisp.nu.*21. Sanchez *lib.*5. *Consil.mor.cap.* 1.*dub.*28.*n.*2. Bonacina *disp.vlt.de praecep.Eccles.q.*1.*punc.* 4.*n.*3. Filliucius *tract.*27.*par.*2.*c.*4.*nu.*66. Lauor. *par.*1. *de iubileo c.*20.*num.*15. Bossius *sect.*4. *de iubileo casu* 18. *n.* 96. Diana *par.*1. *tract.*9. *de ieiunio Resol.*37. *ver. Haec opinio* Ghillinus *in sum. verbo* Ieiunium. *nu.*16. Molfes. *tom.*1. *sum. tract.*10.*c.*5.*n.*16. Villalob. *tom.*1. *sum. tract.*23. *diffic.* 9.*n.*2. Naldus *verbo* Ieiunium *nu.*4. Tamburin *tom.*2. *de iure Abbat. disp.*12.*q.*10. *in fine in vlt. edit.* Martin. à S. Ioseph *tom.*1. *moral. lib.*2. *tract.*7. *de ieiun. nu.*2. Et alij, qui tenent, non esse peccatum mortale notabiliter præuenire in comestione horam determinatam, quos Decis. *sequenti* referemus contra Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp.*53.*n.*5. qui tamen nullo fundamēto mouetur. & citat Sāch *lib.*4. *in Dec. c.*11.*n.*50. qui tamē ait, non esse de essentia, sed solum non esse omnino extrinsecam.

2 Et ratio est, quia essentia ieiunij consistit in tali modo, & mensura abstinentię, quatenus est afflictiua corporis, non per inediam, quia hæc per accidens se habet, cum pluries ieiunantes eam non experiantur, sed per subtractionem alimenti, tum quo ad

qualitatem ciborum, tum quo ad quantitatem plurium comestionum. Vnde finis intrinsecus ieiunij est maceratio corporis, vt prouenient ex subtractione cibi: & proinde, quando habetur talis finis, habetur etiam substătia ieiunij, quia finis intrinsecus rei non potest subsistere sine eiusdem substantia. In casu autem nostro nulla seruata hora determinata in comestione habetur maceratio corporis intenta ab ecclesia per ieiunium, quia habetur subtractio prædicta alimenti, ex qua prouenit; & proinde absque hora habetur substantia ieiunij. Hinc manente ieiunio, vt notant plures ex citatis Doctoribus, in sua substantia mutata est in Ecclesia hora comedendi, vt constat ex dictis in superioribus; quod fieri non potuisset, si hora determinata esset de essentia, quia non potest res subsistere mutatis ijs, quæ sunt de essentia ipsius.

3 Et licet hora determinata videatur inseruire ad affligendum per inediam, hoc tamen compensatur, si præueniatur notabiliter, per longiorem dilationem, quæ remanet post prandium vsque ad refectiunculam vespertinam, quo tempore qui facile inediam patiuntur, illam experiuntur; & qui non facilè patiuntur, neque etiam mane patientur, differendo comestionem ad meridiem.

An sit peccatum mortale notabiliter anticipare horam comedendi in die ieiunij.

Decis. 146.

SVMMARIVM.

1 *Anticipare notabiliter in ieiunijs horam comedendi secũdum aliquos est peccatum mortale.*
2 *Hac opinio est probabilis ratione auctoritatis.*
3 *Secundum alios non est peccatum mortale, quod est probabilius.*
4 *Seruatur tota substantia ieiunij non seruata hora determinata prandendi.*
5 *In ieiunijs consuetudo mutauit cœnam in prandium, & quam obligationem induxerit circa horam prandendi.*
6 *Si adesset praceptum prandendi determinata hora, non obligaret sub mortali.*

1 PECCARE mortaliter docent Caiet. 1.2. *q.*147. *ar.* 7. & *in sum. verbo* Ieiunium. §. 1. Paud. *in* 4. *dist.*15.*q.*4.*ar.*4. *conclus.* 1. Palat. *disp.*8. §.*Et rursus. post.*6. *conclus.* Turrecrem. Cap.*Solent.nu.*2. De *consecrat. Dist.*1. Abulens. *q.*172. & 173.*in cap.*6. *Matth.* D. Antonin. 2.*par. tit* 6.*cap.*2. §. *vl.* Nauar.*cap.*21.*Manual.nu.*27. Couaruu.*lib.*4.*Variar. Resolut.cap.*20.*nu.*14.Syluester. *verbo* Ieiunium *num.*13. Tabiena *q.*5. Ledesma 2.*par.*4.*q.*17.*ar.*4. *in fine*. Angles *in Florib.q.*9.*de ieiunio ar.*3. *difficult.*1. *append.* 1. *post. conclus.* 2. Graf.*lib.*2. *Decis. Aurearum cap.*37.*nu.* 35. Azor. 1. *par.lib.* 7.*cap.*21.*q.*3. Vega *tom* 1. *sum.cap.*14. *casu* 33. *in fine* & *in sum. Italica cap.*84. Facundez *pracep.*4.*Eccles. lib.*1.*cap.*3.*num.*4. Sanchez *lib.*4.*in Decal.cap.*11.*nu.*51. & *lib.* 5. *Consil. Moral. cap.* 1.*dub.* 28.*nu.*4. vbi etiam alios citat. Llamas *par.* 3. *Math. cap.*5.§.25. Syluius 2.2.*q.* 147. *ar.* 7.*conclus.*3. Ghetius *in Thesauro anima verbo* Ieiunium *cap.*3.*nu.*7. Lauor.*par.*1.*De iubileo cap.*20. *num.* 15. Homobonus *par.*1.*Exam.Eccles.tract.*6. *cap.*20.*q.*90. Io. à Cruce *par.*1. *Direct.Conscient.pracep.* 4. *ar* 4.*dub.* 8. *conclus.*2. Ledesma *tom.*2.*sum.tract.*27.*cap.*2.*dub.*4.*post.* 4.*conclus.* ver. *Tam bien se ba.* Ludouic. à S. Io. *par.*1. *sum quæst.de ieiun.ar.*13. *difficult* 1.*append* 2. Machad.*tom.* 1.*lib.*2.*par.*4.*tract.*3. *docum.*8.*num.* 3. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de pracep. Eccles. lib.*3. *cap.*5. *num.* 80, qui tamen etiam oppositum probabile putat. Citatur etiam Glos.*cap. vnico Dist.*25. *verbo ieiunantibus.* Sed, vt notat Archidiacon. Glosa ibi. tantum quærit, non aut determinat. Item Reginal.*lib.*4. *Praxi Fori pœnit. cap.*14. *nu.*160.

2 Hęc sententia, si auctoritatem spectemus, valde probabilis est, vt notat etiam Filliucius citandus, cum tot Doctores eam sequantur. Si tamen spectemus rationem, nulli efficaci motiuo nititur, quia licet plures putent, se frangere ieiunium, si in comedendo notabiliter anticipent horam comedendi, ad hunc tamen sensum non mouentur ex aliqua ratione, sed quia vnus ita audit ex alio, nec solent distinguere inter substantiam ieiunij, & circumstantias.

3 Altera igitur opinio asserit, non esse peccatum mortale, sed tantum veniale, quocunque tempore notabili præuenire horam consuetam comedendi. Ita Innocent. *cap.* 1. De *obseruat.ieiunior.* vbi etiam Io. Andr. Petrus Ancharan. & alij Canonistæ Cardinal. *in Cap.Ex parte num.*2. §.*Item De obseruat.Ieiunior* Archidiacon. *in Cap. Vnum orarum* §. *Alias ea demum Dist.* 25. Gabr.*in* 4.*dist.*16.*q.*3.*ar.*3.*dub.*1. §.*Quando de hora.* Alens. *par* 4.*q.* 103. *memb.* 3. Angelus *verbo* Ieiunium *num.* 2. Palat. *in sum.Caiet.*verbo Ieiunium §. 1. Riccar. *in* 4. *dist.* 15.*ar.* 3.*q.*8.*in fine* qui tamen videtur loqui tantum de ieiunijs extra quadragesimam. sed omnibus est eadẽ ratio. Vital. *in Append.c.*15.*de ieiunio quadragesima n.*59. Lessius *lib* 4. *de iust.& iure c.* 2.*dub.*2. *n.*13.*ver. Contraria tamen.* Tolet. *lib.*6.*c.*2.*n.*5. Filliucius *tract.*27. *par* 2. *c.*5. *num.*72. Lopez 2.*p.instruct.c.*112. Medina *lib.* 1.*sum.c.*14. §.10. Rodr.*t.*1.*sum.c.*23.*n.*3. Henr. *in Cõp.Cas.mor.c.*18. *n.*5. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium 1.*n.* 16. Ghillinus *verbo* Ieiunium *num.*16. Ludouicus à Cruce *in Bullam Cruciatæ. disp.*1 *c.*5. *dub.*14. *num.* 13. *in fine*. Trullench. *lib.*3.*in* Decal. *c.*2.*dub.*4 *num* 3. Tamburin. *tom.*2. *De iure Abbat.disp.*12.*q.*10.*nu.*6.*in vlt editione* Lezana *in sum.verbo* Ieiunium *num.*5. Bonacina *Disp. vlt. de pracep. Eccles.q.* 1.*punc.*4 *n.*3. Fernandez *par.* 2. *Exam. theol. mor. c.*8.§.3 *num.*6. Villalob. *tom.*1 *sum. tract.*27. *dub* 9.*n.*3. Molfes.*tom.*1 *sum tr.*10. *c.*5.*n* 16. Diana *p.*1 *tr.* 9.*de ieiunio Resol.* 27. ver. *Hac opinio.* Remigius *tract.* 3. *sum c.*4.§.2.*n* 8. Martin. à S. Ioseph *tom.*1.*mor. lib* 2.*tract.* 7.*de ieiun n.*3. Leander à Murcia *in Cap* 3 *Reg.S.Francis. c.*2 §.2. *n* 32. Bossius *sect.*4. *de iubil Casu* 18.*n.*98. qui cum Laimã *lib* 4.*Theol.mor. tr.*8.*c.*1.*nu.*11. asserit, olim fuisse peccatum mortale quando vnica refectio sumebatur tempore cœnæ nunc autem, quia cœna mutata est in prandium, non esse mortale.

4 Hæc posterior opinio longe probabilior est, quia non solum habet pro se tot insignes Doctores, sed etiam nititur optimo fundamento, quia nimirum seruatur tota substantia ieiunij non seruata hora præfixa ad comedendum, quæ non est de substantia ipsius, vt diximus Decis. *præcedenti*, sed tantum conditio, seu circumstantia quædam: vnde non seruata hora adhuc satisfit præcepto ieiunandi quò ad substantiam obligationis: quando autem præceptum impletur secundum substantiam, etiam si prætermittatur aliqua circumstantia, non committitur peccatum mortale.

5 Dein-

5 Deinde cum hoc tempore vnica comestio concessa, quę prius erat cœna, sit mutata in prandium: vnde solet sumi hora communis prandendi, nec facta hac mutatione sit à iure pręscripta aliqua hora determinata prandendi, quia talis mutatio est introducta per consuetudinem, ad quam non est subsequutum aliquod ius determinans horam prandendi, tota præscriptio horę est facta ab ipsa consuetudine, vt nimirum sit, hora circa meridiem, quæ communiter solet esse hora prandij. Ex hac autem consuetudine non inducitur obligatio saltem obligans sub mortali, quia solum introduxit prandium loco cœnę, & reliquit ipsum naturæ suę, nec induxit aliquam obligationem quia non est consuetudo restrictiua, & præscriptiua alicuius rei de nouo, sed tantum laxatiua, & continens indultum. Quare cum anticipare horam consuetam prandij absque causa non sit quid valde indecens, sed solum secūdum quędam ordinem & dispositionem temporis, qua regulatur refectio corporis, ex eo, quod sit introductum prandium iuxta communem vsum, sequitur quod anticipatio ipsius in die ieiunij non sit contra pręceptum ieiunij, sed solum contra illam dispositionem, qua ordinatur refectio corporis.

6 Addo etiam; quod, si adesset pręceptum, non obligaret sub mortali, quia non esset distinctum præceptum, sed illud idem, quod præscriberet ieiunium, quod etiam præscriberet horam, quæ tamen cum sit extrinseca abstinentię, qua corpus affligitur, non præcipitur, nisi vt quid accidentale ieiunio pertinens ad ordinem abstinentiæ. Cum enim ieiunium duret per spatium viginti quattuor horarum, nempè à media nocte in mediam noctem, quo tempore est licita vnica tantum refectio cum refectiuncula; parum refert, quod ista refectio sumatur hac, vel illa hora; quia semper affligitur corpus per subtractionem alterius, aut plurium refectionum, vnde adest semper eadem abstinentia secundum substantiam, licet secundum diuersum ordinem. Sic etiam Ecclesia præcipit recitationem horarum canonicarum, cum tali ordine ad inuicem, & in tali tempore diei: & tamen non peccat mortaliter, qui non seruat tempus, aut ordinem ipsarum ad inuicem.

Quanto tempore ante meridiem liceat ieiunantibus comedere absque peccato. Decis. 147.

SVMMARIVM.

1 *Non potest per horam dimidiam praeueniri à ieiunantibus meridies, sed solum minus hora dimidia secundum aliquos.*

2 *Potest praeueniri per solum quadrantem secundum alios.*

3 *Per horam dimidiam completam secundum alios.*

4 *Potest praeueniri per horam circiter.*

5 *Meridies moraliter sumptus importat horam vnam circiter ante, & post pracisum punctum meridiei.*

6 *Tempus minus hora integra non est tempus notabile.*

1 DVBIVM procedit, vel de peccato mortali, si peccent mortaliter, qui notabiliter anticipant, vel de veniali, iuxta diuersitatem opinionum de quibus Decis. *praecedenti*, & resolutio pendet ex determinatione, quodnam sit tempus notabile. Strictissimè loquitur Facundez *Pracep.4.Eccl.lib.1.cap.3.num.4.in fine*, & vult horam dimidiam esse tempus notabile; vnde secundum ipsum anticipans per horam dimidiam peccare mortaliter, quia anticipatio non est dicenda notabilis, vel non notabilis comparando quantitatem temporis ad totum diem, sed debet cōparari ad horam prandij, dimidium autem horæ est tempus notabile respectu horæ prandij.

2 Sed adhuc magis strictè Azor *p.1. lib.7. c.11. quaest.4.* dum vult, per solum quadrantem horæ posse comestionem anticipari, qui tamen sub dubio addit, quod fortasse semihora non sit tempus notabile.

3 Alij vero pro tempore non notabili constituunt semihoram integram, ita tamen, vt quilibet excessus supra ipsam faciat tempus notabile. Ita Filiucius *tom.2. tract.27. par.2 cap.4 num.73* Syluius *2.2.quaest.147.ar.7.concl.2.* Diana *p.1. tr.9. de ieiunio Resol.27.ver. Sed dices* Sanchez *lib.5. Consil.mor.cap.1. dub.28. num.7.* Bossius *sect.4. de iubileo casu 18. n.99.* qui non solum loquitur, in ordine ad meridiem, sed etiam in ordine ad horam præscriptam ex consuetudine, vt se explicat num. 10. sequenti. Quod fortasse volunt etiam Doctores *supracitati.*

4 Sed quam plures Doctores docent, ieiunantes prandere posse hora vna circiter ante meridiem Angles *in Floribus quaest.9. de ieiunio ar.3. difficul.1. conclus.2.* Rodriquez *in Bul. Cruciata.§.6.init.& par.1.sum.cap.23.init.ante num.1.* Medina *lib.1.sum.cap.14.§.10.* Villalobos *tom.1.sum.tr.23.difficul.9. num.1.* Vega *par.1. sum. c.14. in hispana, & 84. in Italica casu 33.* Graf. *par.1. Decis. lib.2. cap.37. num.35.* Viguer. *c.7. Instit.§3. ver 1.* Tolet. *lib.6.c.3.num.5.* Io à Cruce *par.1. Direct. conscient. pracep.3. ar.4.num.2.* Molfesius *tom.1. sum.tr.10. c.5.num.15.* Io: Sanchez *in selectis de sacramentis disp.53.num.1.* Trullench *lib.3.in Decal.c.2.dub.4.nr.2.in fine.* Ludouic. à S. Io: *par.1 sum. quaest.de ieiun.ar.13.difficul.1. conclus.2.* Leander *in pracep.Eccl. tract.5.disp.6. quaest.12.* Roccaful *in Praxi tract.6.de pracep.Eccl.lib.3.cap.5. num.79.* Quorum maior pars docet, hoc ita inualuisse, vt iam fere consuetudine firmatum sit.

5 Quorum sententiam absq; vllo scrupulo amplecti posse existimo. Sumus enim in materia morali, atque adeo moraliter procedendum est, & sumi meridies non pro illo instanti, in quo sol per meridianum præcisè transit, sed pro toto illo tempore, quod nomine meridiei vocari solet, quod importet horam circiter ante, & post præcisum punctum meridiei; vndè comedens hora vnica circiter ante præcisum meridiem in meridie censebitur comedere.

6 Accedit etiam, quod tempus non pertingens ad horam integram, non est tempus notabile, non solum in comparatione ad integrum diem, sed etiā in anticipatione respectu meridiei, quia non ponit notabilem distantiam ab ipso meridie, ergo anticipare comestionem pro hoc tempore non erit anticipatio notabilis.

An

An in comedendo in die ieiunij, possit dari anticipatio non notabilis respectu horæ, in qua statuitur posse sumi refectionem, Decis. 148.

SVMMARIVM.

1 *Respectu horæ præfixæ à Doctoribus non datur anticipatio non notabilis in prandendo in die ieiunij secundum Sanchez.*
2 *Alij oppositum docent.*
3 *Datur respectu horæ præscriptæ à consuetudine.*
4 *Quando aliquid diuisibiliter præcipitur, aut prohibetur admittenda est paruitas materiæ.*
5 *Etiam respectu horæ præscriptæ à Doctoribus datur anticipatio non notabilis.*
6 *Cur terminus præfixus à iure debeat accipi indiuisibiliter.*
7 *Quæ anticipatio sit notabilis, & quæ non respectu horæ comedendi præscriptæ in ieiunio.*

1 NEGATIVE respondet Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp.* 53. *num.* 2. loquendo etiam de illa hora, quæ communiter à Doctoribus assignatur, in qua possit sumi refectio. Quia inquit ipse, dum Doctores dicunt, tali hora posse sumi cibum, indulgent totum id, quod possunt, & assignant totum id, quod anticipari potest, ita vt nihil amplius anticipari possit, alioquin si posset aliquid amplius anticipari, non esset ratio, cur non posset adhuc aliquid amplius anticipari, & sic abiretur in infinitum. Sic ętas, quæ pręscribitur pro sponsalibus, pro matrimonio consistit in indiuisibili, nec potest mutari priuato iudicio. Hora autem præscripta à Doctoribus æquiualet termino præscripto à iure.

2 At posse dari anticipationem non notabilem respectu horæ præscriptæ siue à consuetudine, siue à Doctoribus, docet Diana *par.* 5. *tract.* 5. *De paruit. materia Resol.* 10. *ver. Et ideo.* Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 100. dum docet, anticipationem non esse computandam habito respectu ad meridiem, sed respectu horę prandij iuxta morem, vel consuetudinem loci. Vnde infert, quod hyeme licet prandere hora, & dimidia ante meridiem, quia tempus prandij est hora ante meridiem, vt docet cum Azorio 1. *par. lib.* 7. *cap.* 12. *q.* 4. & dimidia est anticipatio non notabilis: & æstate duabus horis cum dimidia, quia æstate duabus horis cũ dimidia, quia æstate duabus horis ante meridiẽ, est tẽpus prandendi. Et hanc sententiã de anticipatione nõ notabili respectu horę præfixæ videntur tenere Doctores citati Decis. *præcedenti n.* 1. 2. *&* 3. & sequutus est Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 13.

3 Hanc igitur anticipationem posse dari existimo, respectu horæ præscriptæ à cõsuetudine in quocunque loco, etiam si dicta hora anticipet meridiem multo tempore. Et ratio est, quia hora præscripta à consuetudine est terminus strictus, & seruato omni rigore, ergo cum in hoc casu moraliter procedendum sit, & sit seruanda hora comestionis præscripta mortali modo, quia non est procedendum in hac comestione secundum apices iuris, sed secundum moralem æstimationem, poterit dari aliqua non notabilis anticipatio, secundum quam liceat anticipare prandium.

4 Quod etiam ex eo colligitur, quia in materia diuisibili datur aliquid paruum, quod pro nihilo computatur, non solum quando est prohibita, sed etiam quando est præcepta; quia prohibitio, & pręceptum sumit speciem, atque adeo grauitatem ab ipsa materia: vnde tanta est, quanta est materia proportione seruata. In casu autem nostro præscribitur vnica comestio in die ieiunij diuisibiliter ad tempus circa talem horam, ita vt nõ addicatur tali horę indiuisibiliter, sed diuisibiliter quatenus censetur moraliter communis hora prandendi: vnde cum alij citius; alij tardius prandeant amplectitur tempus diuisibile, & ideo admittit anticipationem non notabilem, quia per talem anticipationem parum distat prandium ab hora præscripta, & ideo non habetur ratio talis distantiæ.

5 Imo etiam, quando hora pręscribitur à Doctoribus, habet locum anticipatio non notabilis, etiam si in præscribenda hora concedant totam illã anticipationem, quam possunt concedere. Talis enim hora sic præscripta euadit hora communis, & veluti communi sensu stabilita, quia Doctores repræsentant communem sensum, quando communiter in aliquo conueniunt; atque eodem pacto se habet, ac si esset præscripta à iure, aut à consuetudine, & ideo admittit anticipationem non notabilem, quia adhuc talis anticipatio erit parum quid respectu totius temporis, per quod potest anticipari: & ideo ob breuem distantiam censebitur moraliter illa hora, quæ præscribitur quia non præscribitur mathematicè; sed secundũ communẽ acceptationẽ.

6 Nec est eadem ratio de termino præfixo à iure, ac de hora comedendi in ieiunijs præscripta à Doctoribus, quia non ponitur talis terminus, vt ad ipsum trahatur aliquis actus exercendus, sed vt diuisiuus temporis, seu ætatis, in qua aliquis actus est licitus; & ideo debet sumi indiuisibiliter, & mathematicè. At hora prandendi præscribitur à Doctoribus, vt ad ipsam trahatur actus manducationis, & ideo præscribitur diuisibiliter, & secundum moralem estimationem, quia præscribitur habita ratione ad modum, quo communiter etiam in cœteris diebus solet designari hora prandendi, quæ non est talis hora præcise, sed plus minusue; & ideo tanquam moraliter designata admittit anticipationem notabilem.

7 Sed quæres; quænam sit notabilis anticipatio, & quæ non notabilis. Resp. in hoc loquendum esse iuxta ea, quæ diximus Decisione *præcedenti num.* 1. 2. *&* 3. habent enim locum hic opiniones ibidem recensitæ. Sed ego existimo horam integram esse anticipationem notabilem, quia iam initium prandij non communicaret cum hora præscripta, si quidem distaret ab ipsa per partem temporis, quæ in communi mensura non communicat cum alia, siquidem tempus vnius diei distinguitur in horas, tanquam in partes, quæ sint diuersa tempora ad inuicem seiuncta. Si autem anticipatio sit minor hora integra, non erit notabilis, si quidem initium prandij erit moraliter in hora præscripta, quia non distabit ab ipsa per partem temporis, quæ moraliter censeatur tempus distinctum. Talem etiam anticipationem per horam circiter admittit Molfesius *tom.* 1. *sum. tract.* 8. *cap.*

cap. 5.*num.* 15. Et postea Leander *in pracep. Eccles. tract.* 5. *disp.*6. *quæst.* 14. quando hora consueta circa meridiem prande ri solet: si autem anticipetur, non poterit tanto tempore anticipari. Verum si, quando ex communi consuetudine prandium sumitur in meridie per horam anticipari potest, cur quando ex speciali consuetudine est præfixa citiùs hora prandij, non poterit eodem modo anticipari, cum anticipatio sit semper eadem.

An ex iusta causa possit anticipari prandium à ieiunantibus; & quæ nam sit iusta causa. Decis. 149.

SVMMARIVM.

1 *Ex iusta causa anticipari potest notabiliter hora prandij in die ieiunij.*

2 *Quomodo obligemur tali horæ prandere in ieiunio.*

3 *Quænam sit iusta causa, ob quam potest in ieiunio prandium anticipari notabiliter.*

4 *Lectio pro mensa, iter, concio, lectio in scholis, aduentus, & recessus hospitis sunt causæ iustæ anticipandi comestionem.*

5 *Officiales Regularium possunt notabiliter anticipare prandium in ieiunio.*

6 *Item qui tractaturi sunt negocia, quæ requirunt attentionem, vt procuratores, iudices informandi, &c.*

7 *Item qui tractaturus est cum magno Principe, aut eiusdem Magnate;*

1 LOQVIMVR de anticipatione licita, ita vt fiat absque peccato mortali, vel etiam absq; veniali iuxta diuersitatem opinionum, quod peccetur, vel non peccetur mortaliter anticipando sine causa. Et resp. communiter. Non esse peccatum anticipare notabiliter horam præscriptam ad comedendum, quando adest iusta cousa. Ita Caiet. 2.2. *q.*147.*ar.*7. Syluius *ibid. conclus.*1. Palud.*in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 4 *conclus.* 1. Palat. *disp.* 8. Abulens. *q.* 172.*&* 173. *in cap.*6. *Matth.*Couarruuias *lib.* 4.*variar*, *Resol. cap.* 20. *num.* 14. Azor. *tom.*1.*lib* 7. *cap.*11.*q.* 4. Syluester *verbo* Ieiunium *nu.*13. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17.*ar.* 4. *in fine.* Nauar. *cap.*21. *Manual. num.*27. Viguer. *cap.* 7. *Instit.* §. 3.*ver.*1. Innocent. *in Rubr. de obseruat.ieiunior.* Angles *in Florib. q.* 9.*de ieiunio ar.* 3.*diffic.* 1.*append.*2.*post* 2.*conclus.*Llamas 3.*par. Meth. cap.*5. §.25. Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. cap.* 1. *dub.*28.*num.* 5. Diana *par.* 1: *tract.*9. *de ieiunio. Resol.*27. ver. *Notandum est* Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.*4. *num.*74. Fernandez *par.*2.*Exam.theol moral.cap.* 8. §.2.*num.*5. Trullench.*lib.* 3.*in Decal.cap.*2.*dub.*4.*nu.* 4 Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *cap.* 3. *nu.* 7. Tamburin. *tom.* 2.*de iure Abbat.disp.*12.*q.*10. *nu.* 4. & 7. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num:* 5. Facundez *præcep.*4. *lib.*1.*cap.* 3.*num.* 4.Vega *par.* 1. *sum. cap.* 14.*in Hisp.&* 84.*in Italica. casu* 33.Ledesma. *tom.*2.*sum.tract.* 27. *cap.* 2. *dub.* 4. *post* 4. *conclus.* ver. *Tambien se ha*, Roccaful. *in Praxi tract.* 6.*de pracep.Eccles.lib.*3.*cap.* 5. *num.*84. &ij omnes, quos supra Decis.146. tam pro priori, quam pro posteriori sententia citauimus.

2 Ratio est, quia dato, quod oligemur sub mortali non anticipare notabiliter horam comedendj, hæc tamen obligatio non respicit substantiam ieiunij, quæ cousistit in subtractione cibi, sed solum circumstantiam temporis; & ideo non vrget, quando rationabilis causa oppositum exigit. Imò sicut obligatio ieiunandi cessat, quando impleri non potest absque incommodo notabili; ita à fortiori cessabit obligatio seruandi in prandendo circumstantiam temporis; sed cum obligatio minor sit, ex minori quoque causa cessabit. Ideo autem cessat vrgente in oppositum rationabili causa, quia talis obligatio censetur posita habita ratione regularis ordinis, qui solet communiter seruari in prandendo, & seclusis causis extraordinarijs. Ideo, si aliqua extraordinaria causa superueniat, cessat.

3 Hinc deducitur; quænam sit iusta causa, ob quam liceat notabiliter prandium anticipari. Tunc enim erit iusta causa, quando superuenit aliquid extraordinarium, aut etiam aliquid continuum, quod ita exigat anticipationem, vt absque incommodo nõ possit hora consueta explicari: tunc enim adest causa, quæ exigit inuerti consuetum modum, & consuetam horam prandendi, & ideo cessat obligatio, quæ est posita in ordine ad consuetum modum.

4 Ex quo sequitur; quod ob legendum pro mẽsa sit iusta causa, vt possit lector anticipare comestionem, sicut etiam ob concionandum post prandium ob legendum in scholis, ob iter faciendum, propter aduentum hospitis, atque ob alias huiusmodi, vt docent supracitati Doctores, præsertim Palud. *in* 4. *dist.* 15.*q.* 4.*ar.*4.Azor. *tom.*1.*lib.*7. *cap.*12. *q.* 4. Syluester *verbo* Ieiunium. *q.* 4. ver. *Tertium.* Nauar. *in manual. cap.* 21. *num.*27. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.*4. *num.* 74.Facundez *pracep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.*3.*num.*10.Vega *par.* 1. *sum. cap.* 14. *in Hispana*, *& cap.* 84. *Italica: Casu* 23.*in fine* Sanchez *lib.*5.*Consil. moral.cap.*1.*dub.*28. *num.*5. Diana *tract.* 9.*de ieiunio Resol.*27. ver. *Notandum est.* Bonacina *disp. vlt.de pracep.Eccles.q.*1.*punc.*4.*num.*2. Villalobos *par* 1.*sum.tract.*23:*Difficul.*9.*num.*4. Angles *q.* 9.*de ieiunio ar.* 3. *difficul.* 1. *Append.* 2. *post* 2. *conclus.* Basseus *in Florib.Theologia practica verbo* Ieiunium 1. *n.* 16.*in fine* Roccaful.*in Praxi tract.*6.*de pracep.Eccl. lib.*3. *cap.* 5.*num.*84.

5 Similiter officiales Regularium poterunt ante alios comedere, vt possint tempore congruo munere suo fungi, vt notat Villalobos modo *citatus*, quia non debet ieiunium impedire ea, quæ sunt alicuius communitatis, ne congruo modo fiant, præsertim si agatur solum de non seruanda hora comedendi.

6 Item qui post prandium tractaturi sunt negocia, quæ requirunt attentionem mentis, poterunt prandium anticipare, si alioquin dilatio mentis attentionem impediret, quod regulariter solet contingere, ob vapores, qui ascedunt ad caput. Sic procuratores, qui sunt iudices informaturi super aliqua causa, poterunt prandium anticipare. Imo etiam iudices, quia in ipsis quoque est necessaria mentis attentio, vt benè percipiant informationes. Sic etiam ij, qui sunt à secretis principium, & post prandium debent scribere litteras de rebus grauibus, poterunt prandium anticipare, cum talis scriptio exigat mẽtem omnino liberam, & potentem attendere. Et sequitur Leander *in pracep Eccles. tract.* 5.*disp.*6. *q.* 15.

7 Quod, si quis statim à prandio tractare habeat cum magno principe, vt pote cum Rege, aut Summo Pontifice, poterit prandium anticipare, vt congrue loqui valeat, & mens valde attendere ad

con,

conceptus, & verba: hoc enim exigit, & reuerentia quæ principi debetur, & propria vtilitas, cum multum intersit loquenti, quod apud principem bonam opinionem acquirat. Quod etiam extendendum est, quando est loquendum cum aliquo Magnate, qui in negotijs expediendis assistit Principi, cum militet eadem ratio. Et ex hucusque dictis poterunt colligi aliæ causæ, ob quas licita sit prædicta anticipatio.

An qui habet priuilegium anticipandi prandium per horam, possit anticipare adhuc per aliud tempus non notabile supradictam horam. Decis. 150.

SVMMARIVM.

1 *Anticipatio non notabilis potest coniungi cum anticipatione ex priuilegio in prandendo in ieiunijs.*
2 *Priuilegium facit, vt hora concessa ad prandendum sit hora præscripta:*
3 *Anticipatio ex priuilegio potest coniungi cum anticipatione ex consuetudine.*
4 *Etiam si priuilegium concedat anticipationem respectu meridiei.*
5 *Anticipatio non notabilis coniungi potest cum aticipatione ex consuetudine, & ex priuilegio simul sumptis.*

1 AFFIRMATIVE respondetur; vnde religiosi, qui habent priuilegium anticipandi per horam, poterunt anticipare cum hora, & dimidia, aut etiam cum tribus quadrantibus superaddendo anticipationi concessæ anticipationem non notabilem. Et ita docent Filliucius *tract. 27. par. 2. cap. 4. nu. 73.* Diana *par. 1. tract. 9. de ieiunio. Resol. 27. ver. Sed in nostra sententia.* Et sequitur Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 6. q. 16.*

2 Ratio est; quia priuilegium trahit horam comedendi præscriptam in ieiunio ad horam anticipatam, & veluti facit nouam præscriptionem horæ, ita vt sicuti v. g. meridies est hora comedendi præscripta respectu non priuilegiati, ita respectu priuilegiati sit hora vna ante meridiem. Sicuti ergo respectu horæ præscriptæ à consuetudine, aut alio modo, habet locum anticipatio non notabilis, ita etiam habebit locum respectu horæ præscriptæ per priuilegium.

3 At dubium est, an priuilegium concessum Religiosis comedendi vna hora ante tempus præscriptum, habeat locum, vbi adest consuetudo comedendi ante meridiem, etiam per aliquod notabile tempus. Resp. habere locum; vnde possunt per horam comedere ante illud tempus, in quo ex consuetudine solet sumi refectio à ieiunantibus in tali, vel tali loco, quia possunt simul sequi consuetudinem loci, & simul etiam frui priuilegio. Atque hoc est iuxta mentem Pontificis, qui priuilegium concessit, nam voluit, eos comedere, antequam comedant sæculares, respiciens ad labores regulares, & quia de nocte surgunt: & proinde cum militet semper eadem ratio, ob quam debent esse priuilegiati supra sæculares, semper quoque frui possunt priuilegio.

4 Sed quid, si priuilegium concedat horam ante meridiem? Resp. posse adhuc vti priuilegio, quia licet computata anticipatione introducta per consuetudinem comederent per duas, aut etiam per tres ante meridiem, vnde non videtur tunc habere locum priuilegium; hoc tamen non obstat, quia priuilegium ponit meridiem non formaliter pro illa præcisa parte diei, sed materialiter, nempe pro hora determinata comedendi in ieiunio, quam vocat meridiem, quia meridies solet esse hora destinata comestioni. Et constat ex fine priuilegij, qui est subleuare religiosos in comparatione ad sæculares ex eo, quod de nocte surgunt ad matutinas preces.

5 An autem stante anticipatione introducta per consuetudinem, & ea, quæ habetur ex priuilegio, possit adhuc superaddi anticipatio non notabilis, videtur affirmatiuè respondendum, quia hora, in qua potest prandium anticipari tum ex vi consuetudinis, tum ex vi priuilegij est hora præscripta ad prandendum: respectu autem horæ præscriptæ semper habet locum anticipatio non notabilis, vt diximus in superioribus.

6 Hic insurgit Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 6. quæst. 18.* quod sequeretur apertè ex ea doctrina, quod Religiosi quatuor horis ante meridiem, possent prandere Veronæ; nam ibi ex consuetudine in ieiunijs sumitur refectio duabus horis ante meridiem vt supra *Decis. 143. num. 6.* Deinde Religiosi ex priuilegio possunt anticipare per integram horam respectu horæ præscriptæ ex consuetudine. Cum his autem anticipationibus coniungi potest anticipatio non notabilis, quæ extenditur ad horam circiter. Ergò per quattuor horas poterunt anticipare. Verùm ipse quoq; admittit, quod priuilegium Religiosorum habeat locum etiam respectu temporis præscripti à consuetudine, ita *quæst. 17. vers. Sed ego:* Rursus *quæst. 16.* admittit, quod Religiosi possint per breue tempus anticipare horam, quam habent ex priuilegio. Deniq; *quæst. 12.* admittit horam pro anticipatione non notabili: vnde cum admittat omnia ex quibus deducit consequens de quatuor horis, si consequentia in mea sententia tenet, tenebit etiam in sua: aut si non tenet, quia anticipatio non notabilis debet esse maior, vel minor iuxta horam prandij, nec etiam tenebit in mea sententia.

An religiosi, qui non surgunt de nocte ad matutinas preces, fruantur priuilegio comedendi in ieiunijs ante horam consuetam. Decis. 151.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium concessum religiosis comedendi ante horam consuetam est intuitu matutini officij de nocte recitati.*
2 *Hoc priuilegio fruuntur, qui alijs officijs vacant, etiam si non surgant ad matutinum.*
3 *Hoc priuilegium est concessum communitati.*
4 *Fruuntur exempti à matutinis precibus, etiam si non subeant onus æquiualens.*
5 *Et qui illud habent ex communicatione, etiam si ex instituto non surgant de nocte.*
6 *Cõmunicatio facit, vt priuilegiũ sit immediate concessum:*

VI-

1 VIDETVR negatiuè respondendum, quia tale priuilegium est concessum Religiosis intuitu laborum regularium, & præsertim quia surgunt de nocte ad matutinum officium, vnde cum in illis cesset causa, ob quam conceditur priuilegium, cessat etiam priuilegium.

2 Sed dicendum est; quod si sint de ijs religiosis, quorum institutum habet, vt de nocte surgat ad officium matutinum, adhuc fruuntur priuilegio, etiam si per accidens non surgant de nocte ad matutinas preces, vt pote vel quia sunt concionatores, vel Lectores, aut Magistri, aut officiales, nam fruuntur exemptione à matutinis precibus, vt possint vacare proprijs muneribus: vnde fit veluti commutatio quædam vnius oneris in aliud.

3 Deinde priuilegium comedendi ante horam consuetam est concessum communitati, quia prandium fit in communi, & pertinet ad regularem obseruantiam, vt omnes interueniant communi mensæ; & ideo priuilegium vt pote conforme regulari obseruantiæ censetur concessum pro mensa communi: & ideo omnes tanquam membra communitatis possunt frui dicto priuilegio.

4 Ex quo fit, quod Magistri, & Lectores iubilati, qui non amplius legunt in scholis, & nihilominus exempti sunt à matutino officio, possint frui priuilegio, licet non ferant onus æquiualens, nam adhuc sunt menbra communitatis priuilegiatæ. Sequitur Leander *in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. q. 19.*

5 Quod si loquamur de religiosis, qui non habent ex instituto, quod surgant ad matutinas preces, & priuilegium est ipsis immediatè concessum, nulla adest difficultas, quia non censetur concessum intuitu oneris, quod non habent.

6 At, si sit concessum solum ratione communicationis, adhuc existimo, quod possint vti, nam cōmunicatio ita trahit priuilegium ad communicantē, vt ipsum afficiat, ac si esset immediatè concessum, nam concessio communicationis in alienis priuilegijs est quædam implicita concessio singulorū priuilegiorum, non secus, ac si specialiter concederentur.

An, qui obtinuit priuilegium anticipandi in ieiunijs prandium notabiliter censeatur dispensatus à ieiunio. Decis. 152.

SVMMARIVM.

1 *Qui ex priuilegio potest notabiliter anticipare prandium in ieiunijs adhuc tenetur ieiunare.*

2 *Dispensatio de circumstantia, non est dispensatio de substantia.*

1 RESP. negatiuè cum Caiet. 2. 2. *quæst. 147. ar. 7. §. Ad hoc breuiter* Beia *par. 1. casu 45. ver. concludo igitur* Filliucio *tract. 27. par. 2. num. 76.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 4. num. 6.* Azor. *1. p. lib. 7. cap. 11. q. 6.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q. 1. punc. 4. nu. 5.* Facundez *præcep. 4. Eccles. lib. 1. cap. 3. num. 11.* Leandro *tract. 5. in præcep. Eccles. disp. 6. quæst. 20.* Roccaful. *in praxi tract. 6. de præc. Eccl. lib. 3. cap. 5. num. 85.* Et esse communem sententiam, docet Azor. *citatus*, quæ tanquam certa tenenda est.

2 Ratio est; quia cum dispensatio expresè sit de hora comedendi, non cadit supra substantiam ieiunij, sed solum supra circumstantiam temporis, qua sublata potest stare substantia ieiunij: vndè stat taxatiue pro circumstantia: nec potest dispensatio de aliqua circumstantia annexa obligationi trahi ad substantiam obligationis. Nec ex eo cessat obligatio, quia ex tali dispensatione sequatur, quod non possit seruari ieiunium eo modo, quo præscribitur ab Ecclesia, nam potest seruari tota eius substantia, atque adeo modus, quo præscribitur substantia.

An, qui notabiliter anticipat horam comedendi siue ex causa, siue absque causa, adhuc teneatur ieiunare. Decis. 153.

SVMMARIVM.

1 *Qui notabiliter anticipat horam comedendi, non tenetur amplius ieiunare secundum aliquos.*

2 *Tenetur adhuc ieiunare.*

3 *Cum anticipatione horæ præscriptæ potest seruari substantia ieiunij.*

4 *Malitiose anticipans horam comedendi, tenetur adhuc ieiunare.*

1 NEGATIVE respondet Io. Sācius *in Select. de sacram. disp. 53 num. 5.* quia hora circa meridiem est de substantia ieiunij & citat Paludan. Lessium, Syluestrum, qui tamen solum loquuntur de eo, qui mane sumpsit ientaculum. Citat etiam Villalob. *par. 1. sum. tract. 23. difficul. 6. num. 6.* vbi tamen nihil de hoc habet, & infra oppositum docet, vt videbimus. Insuper citat Caiet. 2. 2. q. 147. ar. 7. vbi licet §. *Ad euidentiam*, doceat, quod hora debita est de substantia ieiunij. at §. *Ad hoc breuiter.* docet, quod dispensatus circa horam, non est dispensatus à ieiunio, & in fine, quod solum dispensatus quò ad vnicam comestionem censetur dispensatus à ieiunio, non autem dispensatus quo ad reliquas conditiones, quia sine ipsis potest ieiunium quò ad substantiam remanere.

2 Itaque tenendum est, obligari adhuc ieiunium seruare, vt tenet Caiet. modo *citatus* Lopez *2. par. Instruct. cap. 112.* Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 11. quæst. 7.* Viual. *in Append. cap. 15. de ieiunio quadrages. num. 59.* Beia *1. p. casu 45. ver. Concludo igitur.* Reginal. *lib. 4. praxis Fori pœnit. c. 14. num. 183.* Lanor. *p. 1. de iubileo c. 20. num. 16.* Laiman. *lib. 4. theol mor. tr. 8. c. 1. num. 11. ver. Quare omnino, &c. in fine* Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 3. §. Quarto de hora comestionis* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 4. num. 66.* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. num. 97.* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. 4. n. 5. ver. Quarto* Villalobos *tom. 1. sum. tr. 23. diff. 9. nu. 4. in fine* Sanchez *lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 28. n. 8.* Facūdez *præc. 4. lib. 1. c. 4. num. 10.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 4. num. 7.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 6. q. 9.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præcep. Eccles. lib. 3. c. 5. num. 83.*

3 Ratio est, quia licet notabiliter hora præueniatur, & licet horam determinatam seruare esset

necessarium, ita vt non posset præueniri notabiliter absq; graui peccato, adhuc tamen potest seruari substantia ieiunij, nimirū quo ad vnicam comestionem, & quò ad abstinentiam à cibis vetitis, ergò debet seruari, quia tunc solum cessat præceptum, quando non potest amplius, quò ad substantialia seruari.

4 Quod vt notat Sanchez *citatus*, hoc habet locum, etiam si quis malitiosè id faceret, & in fraudem ieiunij, vt nimirum non teneretur ea die ieiunare. Quare peccaret quidem ratione intentionis soluendi ieiunium, quia tamen non solueret, adhuc teneretur præcepto: & proinde non ieiunando committeret nouum peccatum.

An, qui de nocte, aut multo mane surgunt, possunt licitè anticipare notabiliter horam comedendi.

Decis. 154.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi, qui de nocte surgunt, possunt in ieiunijs anticipare horam comedendi.*
2 *Non solum cum dispensatione, sed etiam absque ipsa.*
3 *Valet etiam de cæteris, qui de nocte surgunt, vt vacent proprijs exercitijs.*
4 *Item qui de nocte surgunt ob venationem, vel aliquid aliud, quod non sit necessarium.*

1 LOQVENDO de Religiosis affirmatiuè respondent Alens. *par.* 4. *q.* 193. *memb.* 3. Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 3. *diff.* 1. *Append.* 3. *post* 2. *conclus.* addēs necessariam esse dispensationē superiorum, quia hora est minus principalis, & ideo necessitate interueniente potest præueniri.

2 Sed censeo non esse opus dispensatione, quia necessitas, quæ facit licitam anticipationem, est euidens; nempe ne corpus, tam longo tempore manens absque refectione, nimis debilitetur.

3 Et hoc extendendum est ad omnes, qui de nocte, aut multo mane surgunt, vt proprijs exercitijs incumbant, quia cum tanto tempore ante alios incipiant laborare, habent iustam causam anticipandi comestionem, quia citius incipiunt debilitari.

4 Quod etiam valet de ijs, qui surgunt, vt studijs vacent, nam licèt studia principaliter mentem fatigent, fatigant tamen consequenter corpus, quatenus ipsi subtrahuntur spiritus, & minus congrue nutritur: vndè experientia docet, quod assiduum studium plus debilitat, quam assiduus labor corporalis.

5 An autem, qui de nocte surgunt, vt eant venatum; aut ad aliquid aliud peragendum, quod pertinet ad recreandum tantum animum, nec vllo pacto est necessarium, possint prandium anticipare. Videtur affirmatiue respondendum, quia militat eadem ratio, nempè nimia afflictio corporis, cum interueniat longus labor, si tandiu differatur prandium. Sequitur Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 15.

An hora prandij in ieiunio possit regulari iuxta primum horologium, quod pulsat.

Decis. 155.

SVMMARIVM.

1 *Hora prandij in ieiunijs potest regulari iuxta horologium primo pulsans*
2 *Pulsatio primi horologij fundat probabile iudicium, quod sit hora, quam designat.*
3 *Dummodo censeatur ordinate procedere.*

1 RESP: affirmatiue cum Io: Sāchez *in Select. de Sacram. disp.* 53. *num.* 3. Et sequutus est Leander *in præcep. Eccl. disp.* 6: *qu.* 21. & est conforme doctrinæ, quam tradunt communiter quando agunt de ieiunio seruando à media nocte in mediam noctem, quatenus asserunt, quod pulsante primo horologio potest sumi caro, si in die sequenti sit licita, nam tunc terminatur ieiunium diei antecedentis.

2 Ratio est; quia pulsatio primi horologij dat sufficiens fundamentum, quod sit hora debita, cum enim sit institutum ad designandum tempus, dum designat horam præscriptam pro prandio in ieiunijs possum probabiliter iudicare, quod sit talis hora. Sic è contrario in die antecedente ieiunium, si comedam, dum pulsat primum horologium, possum continuare comestionem quousque pulsat vltimum horologium, quia hoc facit probabile, quod tunc solum sit media nox, Possum autem sequi in eligenda hora quodcumque iudicium probabile.

3 Aduertendum tamen est, quod prædicta doctrina habet locum, quando censetur, quod horologium, quod primo sonat, rectè concordet cum tempore non mathematicè, sed moraliter. Quod si censeatur discordare, & proinde falso indicare tempus, quod indicat, nullo pacto erit, sequendum, quia non poterit fundare iudicium probabile, quod sit hora designata.

An, qui dubitat, an sit hora debita prandendi in ieiunijs possit prandere.

Decis. 156.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an sit hora debita prandendi in ieiunijs, non potest prandere secundum Sanctium.*
2 *Potest prandere.*
3 *Nisi dubium stet cum iudicio, quod hora prandendi possit longè abesse.*
4 *Valet etiam de eo, qui dubitat, an sit hora, in qua prandium possit anticipari ex quocumque capite.*

1 NEGATIVE resp. Io. Sanchez *in Selectis de sacram. disp.* 53. *num.* 4. Roccaful. *in Praxi tract.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *num* 87. & concordat cum doctrina, quam tradunt, de seruanda hora mediæ noctis, à qua incipit ieiunium, quatenus dubitans, an sit media

nox,

nox, si sit dies ieiunij, non potest sumere cibos vetitos, aut cœnare, vt inter alios notat Facundez *Prec. 4. Eccl. lib. 1. c. 10. num. 7.* Ratio est, quia possessio stat pro præcepto, vnde in dubio melior est conditio ipsius: nec ieiunans habet ius aliquod contra possessionem præcepti, quia dubium non dat ius.

2 Existimo tamen, quod non obstante dubio possit prandere. Moueor, quia quando dubitat, an sit hora debita, si non est, parum potest distare; alioquin, si multum distaret, non dubitaret, an sit hora debita, sed certus esset, quod non esset. Stante ergo huiusmodi dubio, potest formare iudicium probabile, quod liceat comedere, quia tempus parum distans ab hora præscripta censetur moraliter hora præscripta. Roccaful. *in Praxi tr. 6. de præcep. Eccl. lib. 3. c. 5. num.* 87.

3 Hoc tamen limitandum est, vt habeat locum solum, quando dubium est coniunctum cum aliquo probabili iudicio, quod hora, de qua dubitatur, an sit, non longè distet, quia alioquin, si quis ita dubitaret, vt posset hora præscripta notabiliter distare, non posset prandere, sequendo opinionem, quod sit mortale, notabiliter anticipare prandium quia se exponeret periculo notabiliter anticipandi, nec posset formare illud iudicium probabile, de quo *in numero præcedenti.*

4 Et doctrina *num.* 2. tradita habet locum, attendendo horam, in qua sumi potest prandium, etiā ex priuilegio, & computando cum ipsa totam illam anticipationem non notabilem, qua prandium anticipari potest, vt si vna hora ante meridiem prandium sumi potest, & hora alia dimidia anticipari, dubitans, sin sit vna hora, & dimidia ante meridiem, potest adhuc prandere ob rationem ibi allatam. Et quamuis fieri possit, quod aliquid parum anticipet, hæc tamen anticipatio non coniungitur cum priori anticipatione ad ipsam augendam, quia cum non cognoscatur, etiam præter intentionem, & per accidens se habet, nec concurrit, vt anticipatio. Sed solum ex suppositione, quod possit adesse habet locum in ordine ad iudicium, quo iudicatur, quod moraliter sit hora debita, quatenus illa parua distantia in æstimatione morali non computatur ratione paruitatis, & proinde non facit, quin intellectus possit iudicare, quod sit hora præscripta; non autem habet locum respectu iudicij, quo intellectus iudicet, quod possit prandium per totum illud tempus anticipari.

Quodnam tempus possit à ieiunantibus in prandio insumi. Decis. 157.

SVMMARIVM.

1 *Prandium ieiunij non habet præfixum tempus, intra quod debeat compleri.*
2 *Non potest protrahi ad noctem, vbi non solet protrahi in cæteris diebus,*
3 *Secus vbi adest consuetudo, quod protrahatur.*

1 RESP. cum Maiori *in 4. dist. 15. q. 3. §. Quò ad horam.* Facundez *præcep 4. Eccl. lib. 1. cap. 3 num. 5. in fine.* Ita etiam postea Leander *in præcep. Eccles. tr. 5. disp. 6. q. 22* Non esse præfixum aliquod tēpus neque à iure, neque à consuetudine: nec etiam potuit definiri, quia aliqui cito, & cum voracitate comedunt, aliqui verò tardè, aliqui dum prandent confabulantur, aliqui vero soli comestioni vacant, aliqui indigent maiori cibo, aliqui verò minori. Et ideo potest quisque insumere totum illud tempus, quod sibi sufficiens sit ad commodè prandendum.

2 Difficultas est; An liceat ad vesperam, seu etiam in noctem cœnam protrahere. Resp. in ijs locis, in quibus non adest consuetudo protrahendi prandium vsque ad vesperam, seu noctem, nec etiam id esse licitum in ieiunijs; quia licet non interueniret, nisi vnica comestio, protractio tamen esset in fraudem ieiunij, & illa comestio sic protracta æquiualeret nedum prandio, sed etiam cœnæ.

3 In locis autem, in quibus solet prandium protrahi, vt in Germania, non damnarem protrahentes peccati mortalis, quia in ieiunijs præcipitur vnica tantum comestio iuxta consuetudinem loci, quæ solet esse prandium, vndè cum talis protractio sit secundum consuetudinem loci, non videtur esse contraria ieiunio. Et ita etiam postea docuit Benedictus Romigius *tract. 3. sum. cap. 4. §. 2. num. 3.*

DE TEMPORE IN QVO EST IEIVNANDVM TAM QVO AD HORAS QVAM QVO AD DIES.

Quomodo ieiunium incipiat à media nocte, & terminetur in mediam noctem.
Decis. 158.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium Ecclesiæ incipit à media nocte, & terminatur ad mediam noctem.*
2 *Media nox secundum Recentiores debet computari mathematicè.*
3 *Media nox ex præcepto Ecclesiæ quomodo computanda.*
4 *Quomodo prout indicatur per horologia.*
5 *Cur ex vi horologiorum non possit ferri iudicium de media nocte præcisè.*
6 *Media nox non potest vbique, vt indicatur per horologia, in ieiunijs attendi.*
7 *Præceptum ieiunij quomodo seruandum à media in mediam noctem moraliter.*
8 *Dies ieiunij, sufficit si integer moraliter.*
9 *Terminus mediæ noctis quomodo assignandus.*
10 *An attendendum ex obligatione tempus vt præcisè indicatum pro horologia.*

1 IEIVNIVM incipit à media nocte, & terminatur in media nocte sequenti, vt communiter omnes docent, & pro certo supponunt: & notant inter alios Syluester *verbo* Ieiunium *nu.* 28. *circa medium*. Azor. 1. *par. lib.* 5. *c.* 15. *q.* 6. Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 11. *&* 12. Tolet. *lib.* 6. *sum. c.* 1. *num.* 6. Sà *verbo* Ieiunium *num* 4. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 10. *num.* 1. Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *num.* 3. Graf. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *c.* 37. *num.* 10. Medina *c.* 4. *sum.* §. 10. Angles *quæst.* 9. *de ieiun. ar.* 3. *diffic.* 1. Leander *in præcep. Eccl. tract.* 5. *disp.* 6. *q.* 25. Est enim ieiunium addictum diei, & pro ipso die indictum, vnde debet durare toto integro die indictum, vnde debet durare toto integro die, pro quo inducitur: integer autem dies computatur à media nocte in mediam noctem sequentem. Quia dies incipit à media nocte, & terminat in media nocte sequenti. *L. More Romano ff. De fer.* Difficultas autem est, quomodo sit computanda media nox, an mathematicè, an vero moraliter.

2 Communiter Moderniores videntur docere, computandum esse mathematicè; vnde inferunt, quod si quis comedens audiat primum pulsum mediæ noctis, non potest continuare comestionem quousque finiantur omnes pulsus, si sequenti die adsit ieiunium. Et quia non potest obseruari media nox iuxta cursum Solis volunt mathematicè seruandam esse iuxta indicationem horologiorum.

3 In hac difficultate ego primò censeo, præceptum de seruando ieiunio à media nocte in mediam noctem esse intelligendum de media nocte moraliter computata, non autem mathematicè secundum se. Moueor, quia non potest imponi ab Ecclesia præceptum, nisi eo pacto, quo seruari potest, alioquin obligaret ad impossibile, non potest autem seruari, nisi computetur media nox moraliter secundum se, nam media nox mathematicè non potest cognosci, nisi obseruentur cursus stellarum, quod est impossibile, tum quia pauci admodum sciunt obseruare: tum quia non possunt obseruari, quando cœlum est nubilosum.

4 Quod autem spectat ad mediam noctem, prout indicatur per horologia: adhuc puto non mathematice respectu horologiorum esse seruandam, sed tantum moraliter, quia non est certum, quod horologia exacte ipsam designent, & ita & probabile, quod illam designent, vt etiam probabile relinquat quod non sit media nox: & quia possum sequi quodcumque horologium. Ratio est, quia cum non possit computari in ordine ad ieiunium mathematicè secundum se, & secundum rei veritatem, nec etiam etiam debet mathematicè computari, vt indicatur per horologia: nam ideo ieiunium debet seruari à media nocte in mediam noctem, vt seruetur per integrum diem, & proinde finis exigit computari medium noctis, vt in se est, atque adeo tantum moraliter; cum igitur computetur, vt indicatur per horologia, debet computari eo modo, quo computaretur secundum se; quia horologia solum pro hoc inseruiunt, ne comittantur notabiles errores in tali computatione: neque strictius debemus obligari, quando attenditur medium noctis secundum indicationem horologiorum, quam quando attenditur secundum se. Vndè si audiens pulsum mediæ noctis iudicet, nondum esse mediam noctem, sed male designari, non peccabit, si comedat.

5 Accedit etiam, quod horologia nunquam ita exactè procedunt, vt indicent præcisè horam, & tempus, quod currit, sed solum indicant plus minusuè. Cum ergò attendendo indicium horologiorum non possit haberi media nox præcisè; neque possit intellectus formare hoc iudicium. Nunc est media nox præcisè; sed tantum plus minusue, sequitur,

tur, quod neque secundum tale indicium debeat media nox attendi mathematicè, quia debet attendi media nox diei naturalis, cum in ordine ad ipsam ieiunium obliget, non autem in ordine ad indicationem horologiorum.

6 Præterea: cum præceptum ieiunandi sit vniuersale in tota Ecclesia, debet ita accipi, vt possit in tota Ecclesia obseruari, atque adeo etiam secundum omnia, quæ in ipso præcipiuntur: & proinde præceptum quoque de seruando à media nocte in mediam noctem. Non posset autem seruari, si esset attendenda media nox mathematicè etiam secundum indicium horologiorum, quia in pluribus oppidis non adsunt horologia, in aliquibus etiam regionibus non sunt in vsu, præsertim communia, quæ pro tota ciuitate inseruiant: vnde in his locis non potest computari medium noctis secundum indicium horologiorum, ergò etiam in cæteris locis mathematicè debebit computari, cum præceptum non obliget plus in vno loco, quam in alio.

7 Rursus. Præceptum ieiunij, quò ad cætera non obligat, nisi ad ipsa moraliter sumpta: vnde hora præscripta pro prandio est tantum seruanda moraliter; vnica comestio, quæ præscribitur, accipitur morali modo, & ideo sufficit, si sit vna moraliter, & potest interrumpi, vt diximus in superioribus, admittit etiam per diem comestionem in paruitate materiæ, etiam absque peccato veniali, si fiat ex rationabili causa, vt similiter diximus, ergo etiam quatenus præcipit, quod ieiunium seruetur à media nocte in mediam noctem, debet accipi de de media nocte, quatenus secundum prudentem æstimationem computari potest, quia idem præceptum respiciens plures partes integrales ad omnes eodem modo obligat.

8 Quod etiam confir. potest. Ideo enim deberet media nox mathematicè computari, quia præcipitur, quod per diem integrum duret ieiunium: per hoc autem, quod nox computetur secundum prudētem æstimationem non tollitur, quin ieiunium duret per integrum diem, quia sufficit, si dies sumatur moraliter, quia sumus in moralibus, & præcepta morali modo obligant, vt patet etiam in cæteris: vnde præceptum audiendi missam impletur, etiam si aliquid parum de ipsa non audiatur, quia sufficit, quod moraliter audiatur. Præceptum abstinendi ab opere seruili in festis adimpletur etiam si exerceantur pro exiguo tempore, aut etiam si media nox iuxta communem æstimationem computetur, quod accidit, vbi est consuetudo computandi dies festos, quo ad exercitium operis seruilis ab initio noctis, vsque ad initium, nam tale initium, aut hora noctis, si incipiat ab aliqua determinata, computatur moraliter, ita vt horæ viginti quattuor dicatæ diei festo sint plus minusuè; atque adeo solum moraliter viginti quattuor.

9 Ex quibus concluditur, quod in ieiunijs media nox non potest computari secundum se, quia secundum se non innotescit, neque etiam secundum horologia præcisè, tum quia hæc non sunt vnicuique obuia; tum quia, cum varient, ita vt vnum post aliud det signum, & sit in potestate vniuscuiusque eligere quod voluerit, exhibent mediam noctem cū latitudine, intra quam potestq; quisque sibi præfigere terminum mediæ noctis diuidentem vnum diem ab alio. Sed solum erit computanda iuxta prudens iudicium, quod vel ex indicijs horologiorum, vel aliunde præfigat terminum diuisiuum vnius diei ab alio, & secundum hunc terminum præfixum media nox erit mathematicè attendenda. Vndè terminus mediæ noctis erit mathematicus, assignatio autem termini fiet morali modo, quia fiet secundum moralia indicia in ordine ad præcedentem æstimationem.

10 Dices ex Leandro *in quinque præcepta Eccl. tr. 5. disp. 6. qu. 17. in fine*. Horologia indicant tempus, cui ex præscripto, & consuetudine Ecclesiæ debent fideles attendere. Ergò cum indicent tempus mathematicè, non in se, sed in distinctione horarum, debet attendi tempus præcisum, vt stat in indicatione horologiorum. Resp. falsum esse, quod ex præscripto Ecclesiæ, & consuetudine sit attendendum tempus, vt indicatum, per horologia, nam si adesset talis obligatio, adesset obligatio prouidendi de horologijs. Rursùs nec de præscriptione constat, nec consuetudo est vniuersalis, nec etiam in eodem loco, tum quia in pluribus non sunt horologia; tum quia vbi sunt, non audiuntur ab omnibus quando pulsant. Deinde argumentum assumit, quod esset probandum, quod scilicet attendendum sit præcisè tempus, prout indicatur ab horologijs. Nam licèt indicetur secundum præcisas partes, non hinc tamèn fit, quod debeat attendi secundum præcisas partes, quando secundum communem æstimationē est pensandum. Et si semel secundum prudens indicium attendi potest, poterit semper attendi; nam præceptum semper eodem modo obligat.

An in comedendo post mediam noctem, quando subsequitur ieiunium, aut ante mediam noctem in die ieiunij detur paruitas materiæ excusans à mortali. Decis. 159.

SVMMARIVM.

1 *Non datur paruitas materiæ in postponenda cœna respectu mediæ noctis, quando subsequitur ieiunium, nec in anticipanda comestione post ieiunium.*
2 *Datur paruitas materiæ in hoc casu.*
3 *Quando habeat locum paruitas materiæ.*
4 *Duratio ieiunij præcipitur vt quid diuisibile per integrum diem.*
5 *Paruitas materiæ habet locum solum respectu prorogationis cœnæ præcedentis diei, & anticipationis comestionis subsequentis diei.*
6 *Quantum temporis possit assignari in hoc casu pro paruitate materiæ.*
7 *Paruitas materiæ habet locum respectu mediæ noctis moraliter computatæ.*
8 *Leander contrarium sentit.*
9 *Dies ieiunij moraliter computandus.*
10 *Ieiunium quomodo indictum pro integro die.*
11 *Cur non admittenda paruitas materiæ.*

1 DE ieiunio naturali seruando ante sumptionem Eucharistiæ communiter docent, non dari paruitatem materiæ, Quoad ieiunium etiam ecclesiasticum plures videntur idem sentire, dum obiter docent, peccare mortaliter eum, qui audiens pulsus mediæ noctis continuat comestionem carnium, aut alia similia.

2 Sed dari paruitatem materiæ in posponendo v. g. cœnam post mediam noctem, ad quam subsequitur ieiunium, sicut etiam in anticipanda comestione in die ieiunij ante mediam noctem, & proinde excusare à peccato mortali, & etiam à veniali, si interueniat iusta aliqua causa. Tradunt Remigius *tract.* 3. *sum. cap.* 4. §. 2. *num.* 5. ver. *Algunos.* Gordan. *lib.* 3. *theol. moral. q.* 3. *num.* 10. ver. *At vero.* dum medium noctis vult definiendum moraliter. Caramuel *in Reg. S. Benedicti*, aliàs *Theologia Regul. disp.* 101 *num.* 1318.

3 Quotiescunque enim materia prohibita, aut præcepta diuisibilis est, ita vt tota malitia consistat in tota materia, & pars in parte, atque adeo dissonantia ad regulas rationis consurgat maior, aut minor ex maiori, vel minori materia, tunc datur paruitas materiæ. Tunc enim exigua materia fundat paruam dissonantiam, quia non est prohibita, vel præcepta sub aliqua formali ratione, quæ indiuisibiliter contineat totam rationem præcepti, aut prohibitionis, sed sub aliqua alia, quæ est maior, & minor iuxta quantitatem materiæ, vt constat in furto quod est prohibitum, quatenus, vt ablatio rei alienæ infert damnum, & quia damnum est maius, aut minus iuxta quantitatem rei ablatæ, ideo admittit paruitatem materiæ.

4 In casu autem nostro præcipitur, quod ieiunium incipiat à media nocte, & protrahatur ad mediam noctem sequentem: vndè duratio ieiunij diuisibeliter se habet, & sub ratione diuisibili præcipitur, quia præcipitur sub ratione durationis; & coexistentiæ ad tempus, vt continuata, & diuisibilis abstinentia affligat corpus; non secus ac præcipitur cessatio ab opere seruili in diebus festis, ergo duratio ieiunij admittet paruitaté materiæ, ita vt nō sit peccatum mortale subtrahere ante, vel post huic durationi aliquod modicum tépus, aut protrahendo comestioné antecedentis diei, aut anticipãdo comestioné diei subsequétis ad ipsũ dié ieiunij. Quod præsertim verũ est, quia pars vnius diei potest trahi ad partē alterius diei vt cõstituat cũ ipso eũdē diē. Cap. *Quod à Patribus. Dist.* 75. & Cap. *Litteras de tempore ordinat*. Vnde pars post mediam noctem trahi potest ad partem noctis antecedentis ad constituendam eamdem noctem diei antecedentis.

5 Neque hinc fit, quod liceat in die ieiunij sumi secunda refectio, quia adhuc exiguum tempus subtrahetur durationi ieiunij, quia secunda comestio est contra præceptum de vnica comestione, & proinde soluit ieiunium illius diei. Hinc non subtrahitur aliquid modicum durationi ieiunij, sed tota destruitur, quia iam dies deputatus ieiunio non transigitur cum vnica comestione. Quod non contingit, quando comestio præcedentis, aut diei subsequentis ad ieiunium attingit initium, aut finem diei, in quo ieiunatur, per aliquod modicum tempus; quia tunc illa comestio, non est comestio diei ieiunij, sed diei antecedentis, vel subsequentis, vt enim comestio censeatur huius, vel illius diei, debet in ipso fieri saltem moraliter.

6 Si autem dubitetur, quantum temporis possit assignari in hoc casu pro paruitate materiæ. Resp. non debere esse multum, alioquin esset contra finem ieiunij, quo Ecclesia intendit, per diem integrum affligere corpus, nam si esset multum tempus idem esset, ac si bis in eodem die comederetur. Deinde comestio transiret de comestione antecedentis, aut subsequentis diei ad comestionem præsentis diei. Debet ergo esse infra horam ad summum, ita tamen, vt comestio attingat tempus præcedentis, aut subsequentis diei, & possit protogari in diem ieiunij, aut in ipso anticipari, per tempus, quod sit infra horam, quia si non attingeret tempus præcedentis, aut subsequentis diei, non esset comestio illorum dierum, sed diei ieiunij. illa autem anticipatio, aut prorogatio est modica, & modicum quid subtrahit de duratione ieiunij, quia, tempus non pertingens ad horam, est tempus modicum, respectu totius diei.

7 Atque hæc paruitas materiæ nedum habet locum computando mediam noctem præcisè, sed etiam si moraliter computetur: ita vt constituto toto illo tempore, quod pro media nocte moraliter habetur, adhuc ante se, vel post se admittat paruitatem materiæ, quia paruitas materię habet locũ respectu mediæ noctis, prout debet computari, cum adhuc media nocte moraliter computata duratio ieiunij, vt quid diuisibile pręcipiatur, & ideo adhuc modica subtractio de tali duratione est leuis materia.

8 Verum contra prædicta arguit Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 28. Primo, quia ieiunium est indictum pro integro die, vnde neque anticipari, neque prorogari potest comestio ante mediam, aut post mediam noctem: Secundo si anticiparetur, aut prorogaretur comestio, bis in eodem die plene ederetur, quia dies antecedens, aut subsequens traheret ad se comestionem. Tertio, quia possent sine mortali edi carnes in die, in quo prohibentur, vt si quando prohibentur anticipetur comestio diei sequentis, aut prorogetur, quando subsequitur dies, in quo prohibentur.

9 Verum licet non sit admittenda paruitas materiæ, hæc tamen non sunt alicuius momenti. Et quidem si quis, vbi desunt horologia in die ieiunij anticiparet comestionem, aut subsequente ieiunio postponeret respectu mediæ noctis, non solum iuxta ipsius opinionem, sed etiam re vera ieiunaret. Imò etiam vbi pulsant horologia potest quis, si sit dies ieiunij, pulsante primo horologio mediam noctem comedere carnes, si die sequenti sint licitę, aut si subsequatur ieiunium continuare cœnam: quousque pulset vltimum horologium, quamuis contingat, quod detrahatur diei ieiunij hora dimidia, & etiam plus, quod certè conuincit diem ieiunij non esse sumendum de momento ad momentum, ita vt constet integris horis viginti quattuor, alioquin in his casibus non seruaretur ieiunium, quamuis putaretur seruari; sicut quia annus probationis de momento ad momentum est accipiendus, non esset professus, stante quacumque anticipatione.

10 Ad 1. resp. Ieiunium esse indictum pro integro die secundum prudentem æstimationem computa-

putato. Ad 2. neg. sequel. Quia dies, in quo comederetur, traheret ad se partem alterius diei, in quo comestio aut inciperet, aut continuaretur, nam tum ex intentione, tum ex morali æstimatione determinaretur ad diem, in quo est licita, & hic tanquam maius, & principale traheret ad se partem alterius diei tanquam minorem, & accessoriam. Ad 3. neg. similiter sequel. nam pars illius diei, quæ attingeretur à comestione carnium, traheretur ad diem, in quo conceduntur carnes, & fieret pars illius stante morali computatione diei.

11 Solum ergo non est admittenda paruitas materiæ, quando censetur media nox transacta, quia praxis ita interpræatur obligationem ieiunij. Quãdo enim obligatio est affixa certo tẽpori, solet tempus diuersimodè computari; aliquando enim computatur de momento ad momentum, aliquando moraliter tantum; & aliquando cum paruitate materiæ, aut etiam sine paruitate materiæ iuxta diuersam praxim. Cum ergò pro ieiunio assignetur dies à media nocte, in mediam noctem secundum prudentem æstimationem computatus, & praxis obtineat, quod dies sic computatus non admittat paruitatem materiæ ante, aut vltra medium noctis iuxta certum morale iudicium, standum est huic praxi quia obseruantia subsequuta interpræatur legem Cap. *Dilectus*. De *consuetudine*, & Clemen. *Exiui* §. *Item quia* De *verbor. significat*, & *l. Minimè*, & *l. Interpretatione ff.* De *legibus*., Et ea, quæ in contrarium afferuntur, currunt, quia non habent locum stante praxi in contrarium.

An, si quis, dum cœnat, audiat pulsus designantes mediam noctem, teneatur cessare à cœna, si die sequenti sit ieiunandum. Decis. 160.

SVMMARIVM.

1 *Audiens pulsus media noctis, si cœnet, tenetur secundum aliquos cessare, si die sequenti sit ieiunandum.*
2 *Potest prosequi cœnam.*
3 *Ieiunium non obligat, vt quis se spoliet possessione cœna precedentis diei, quando non est completa.*
4 *Causa cœpta prorogatur iurisdictio, qua alioquin cessaret.*
5 *Elapso Iubileo, qui ipsum lucratus est, potest absolui à reseruatis oblitis.*
6 *Possunt commutari vota oblita ei, qui lucratus est iubileum, elapso iubileo, nulla antea commutatione facta.*
7 *Dies antecedens ieiunium non terminatur, donec cœna compleatur.*
8 *Iudicans mediam noctem etiam moraliter transactam, potest cœnam complere, si antea incœperit.*
9 *Ieiunium non obligat nisi secundum mensuram diei moralis.*
10 *Incipiens cœnare est in possessione cœna.*
11 *Re cœpta acquiritur ius ad eius perfectionem.*
12 *Praxis timoratorum circa protrahendam cœnam vltra mediam noctem.*
13 *Eadem ratio de officio cœpto ante mediam noctem, & post ipsam continuato, ac de cœna.*

1 VIDETVR affirmatiue respondendum, quia cum tunc incipiat dies subsequens incipit etiam obligatio de ieiunando, & hoc videtur esse sensus, quamplurium, qui facerent sibi grauem scrupulum, si vlterius protraherent cœnam, & loquentes de ieiunio necessario pro sumenda Eucharistia id docēt communiter. Sed nos de hoc alibi agimus. Quod autem spectat ad præsentem materiam ita tradunt Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp.* 41. *nu.* 40. Palaus *p. 1. oper. moral. tract.* 3. *de conscientia dubia disp.* 3. *punc.* 8. *num.* 10. Villalob. *par.* 1. *sum. tract.* 1. *difficul.* 2. *num* 7. Io: Sãchez *in selectis de sacram. Disp.* 42. *num.* 19. Trullench. *lib.* 3 *in Decal. cap* 2. *dub.* 4. *num.* 8. Bresserus *lib.* 4 *de consc. cap.* 11. *num.* 102. qui volunt teneri cessare à comestione audito primo pulsu horæ.

2 Tenendum tamen est, quod non sit necessarium relinquere cœnam imperfectam, sed posse cõpleri, quando formari potest probabile iudicium, quod non sit re vera media nox, aut etiam remanet dubium, an sit media nox. Ita ij, qui tenent, an quando est dubium, an comestio fuerit post mediam noctem, posse adhuc mane sumi Eucharistiã, quos affero *Decis.* 445. *num.* 3.

3 Quando enim cœnans audit pulsus designantes mediam noctem, est in possessione cœnæ, quæ est actio pertinens ad diem, qui tunc finitur, & in dubijs melior est conditio possidentis, ergo potest continuare cœnam, quousque illam compleat, quia præceptum ieiunij, non obligat, vt quis se spoliet possessione, quam habet supra comestiones diei antecedentis, quod etiam est verum etiam si cœna per accidens, & propter intentionem attingat aliquam modicam partem diei, in quo est ieiunandum, quia præcipit tantum abstinere à pluribus comestionibus in eo die, in quo est ieiunandum, non autem, quod cœna licitè incœpta non possit compleri, quando ea nondum completa succedit dies ieiunij. Et ratio vniuersalis est, quia iuste possidens non potest spoliari sine iniustitia, quod à nullo præcepto fit, cum non sit iniustum: qui autem incœpit cœnam, quando licet cœnare, iustè illam possidet, atque adeo habet ius ad illam complendam.

4 Præterea, quia, quando causa est cœpta, partes acquirunt ius ad terminationem ipsius, non obstante, quod deberet expirare iurisdictio delegati, vt contingit in morte delegantis, quando res non est integra, non expirat, sed prorogatur, donec causa terminetur Cap. *Licet vndiq;* Cap. *Gratum.* Cap. *Relatum.* De *officio delegat. l. Qui a ff* De *iurisd. om. iud.* & tradunt Auferius *in Capel. Tholosan q.* 12. Auendan *de exequend. mand. cap.* 1. *num.* 11. Palat. *in Cap. Per vestras De donat. inter. vir. & vxor* Molina *tom.* 2. *de iust. & iure disp.* 19. *num.* 2. Syluester *verbo* Conseruator. §. 6. Anton. Gabr: *tom.* 2. *tit. de præben. conclus.* 5. §. 35. & 41. Sanctarel. *De iubil. cap.* 9. *dub.* 7. alios citans.

5 Ex quo deducunt, quod quando durante iubileo confessio sacramentalis est incœpta, si confessarius non potuit absoluere pœnitentem, quia haberet casus indigentes discussione, potest absoluere à reseruatis elapso iubileo, etiam si prius non abstulerit reseruationem. Ita Henriquez *lib.* 7. *sum. cap.* 11. *lutera* H. Rodriquez 1. *par. sum. cap.* 184. *num.* 12. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 15. *num.* 17. Sanctarel. *cap.* 8. *de iubileo dub.* 7. Bossius *de iubileo sect.* 1. *Casu* 39.

39. *num.*3. qui dicit, hoc esse certum de commissis, antequam expiraret iubileum, & alij communiter.

6 Et rursus, quod translacto iubileo, potest, qui illud lucratus est, obtinere commutationem votorum oblitorum, etiam si nullam in communi obtinuerit commutationem, quia eo ipso, quod confessus est pro lucrando iubileo acquirit ius, & possessionem ad priuilegia in ipso concessa, & incipit causa quò ad casus, & vota oblita. Ita Zerola *lib.* 2. *de iubileo cap.* 12. *dub.* 10. Henriquez *lib.* 7. *sum. c.* 11. *num.* 4. Sà *verbo* Indulgentia *n.* 4. Sayr. *lib.* 6. *Clauis Regia c.* 12 *num.* 14. Sanchez 8. *de Matrim. disp.* 15. *num.* 17. Fernandez *p.* 3. *Exam. theol. mor. c.* 7. §. 8. *num.* 6. Sanctarel. *c.* 13. *de iubil. dub.* 1. Alphonsus de Leone *p.* 2 *de iubil. num.* 202. Diana *p.* 5. *tr.* 11. *De indul. & iubil Resol.* 40. ver. *Imo ego* Bossius *sect.* 2. *de iubileo casu* 45. *num.* 4. & alij.

7 Cum igitur in casu nostro acquisitum sit ius ad cœnam complendam eo ipso, quod est incœpta debito tempore, potest compleri, quia in dubio censetur prorogari dies, donec cœna terminetur, & non succedere dies ieiunij. Quod etiam colligitur ex interpretatiua voluntate Ecclesiæ, quæ in dubio non vult affligere corpus per subtractionem cibi pertinentis ad antecedentem diem.

8 Ex hoc autem sequitur, quod si cœnans, dum audit pulsus mediæ noctis, formet hoc iudicium, quod media nox sit transacta, non possit adhuc continuare, & complere cœnam, quia inceptio cœnæ non prorogat tempus cœnandi. Ratò tamen hic casus potest contingere, cum vix possit esse certum, quod horologia exactè procedant, & non possint saltem relinquere in dubio quo ad aliquam partem temporis exiguam.

9 Supradictas rationes conatur soluere Leander *tr.* 5. *in præcep. Eccles. disp.* 6. *qu.* 29. Sed non proficit. Ad 1. dicit, quod non datur paruitas materiæ in protractione cœnæ, quia fieret in tempore prohibito, & contra præceptum nouum non comedendi. Verum hoc, quod assumit, esset ab ipso probandum, nam si dies ieiunij computatur secundum prudens iudicium, nec comestio continuatur in tempore prohibito, nec contra nouum præceptum, quia cum præcepta morali modo obligent, præceptum ieiunij non obligat, nisi secundum mensuram diei moralem. Sic etiam adest prohibitio, vt in Rubr. Missal. *tit.* 15. *n.* 5 ne missa celebretur post meridiem, & tamen iuxta omnes sufficit, quod incipiat in meridie, quia meridies moraliter sumitur.

10 Ad 2. dicit, quod cœnans est solum in possessione cœnæ vsque ad signum mediæ noctis, quo pulsato desinit esse in possessione, quia cœna est actio pertinens ad diem, qui finitur, & ideo cum illo debet finiri. Sed non percepit vim argumenti. Nam in eo fundatur, quod incipiens cœnare se ponit in possessione iustæ illius refectionis, quæ cum sit vna moraliter, acquirit ius ad ipsam totam, quousque sit cōgrua refectio, & stante hoc iure acquisito in tempore debito in dubio potest continuare; pulsatio autē mediæ noctis non tollit dubium, quia non est certū signum.

11 Ad 3. resp. 1. Quod non semper re cœpta acquiritur ius ad terminationem ipsius, sed solum quando ius, aut consuetudo id concedunt, aut saltem quando non adest lex, aut præceptum in contrarium In præsenti autem casu adest præceptum ieiunij in contrarium. Resp. 2. statim ac est media nox cœnam esse finitam moraliter, & ideo non remanere ius ad illam complendam. Vtraq; tamen responsio parum ipsum iuuat. Nam nullum adest ius, quod Confessarius elapso iubileo absoluere possit pœnitētem, qui tempore debito cœpit acquirere iubileum sed consuetudo absoluendi dedit causa est ex eo, quod semel ius concedit, quod re cœpta possit perfici, etiā si sit elapsum tempus concessum à iure, vt constat in delegatione iurisdictionis; & quia ratio dispositionis est eadem in alijs casibus, ideo extenditur etiam dispositio ad ipsos. Ratio enim finalis est ne res imperfecta remaneat, seu quod ius acquisitum ad rem non turbetur. Nec obstat, quod superueniat præceptum ieiunij, tum, quia est dubium an superueniat, tum quia etiam ius disponit, quod mortuo delegante expiret delegatio, quod elapso meridie non celebretur, quod elapso iubileo, cesset facultas absoluendi à reseruatis, &c. Et tamen hæc omnia protrahuntur, quia ius est acquisitum ad rem perfectam. Secunda vero responsio est contra communem sensum. Quis poterit percipere, quod cœna sit completa per ordinem ad tempus extrinsecum: cum enim consistat in refectione, nec physicè, nec moraliter potest esse completa, nisi sit sumpta congrua quantitas cibi.

12 Ad 4. *num.* 7. positum resp. quod Ecclesia non subtrahit cibum pertinentem ad antecedentem diē, sed ad aduenientem, in quo præcipit ieiunium, & quod Praxis est in contrarium. Sed quod cibus sumptus adueniente die ieiunij, dum cœna est cœpta tēpore licito, pertineat ad diem antecedentem, videtur notum, nam est pars cœnæ diei antecedentis, & proinde est de iure illius diei, cui est debita, & consueta talis refectio, cum aduentus diei subsequentis adhuc sit dubius. Et quod spectat ad praxim apud eos, qui protrahunt cœnam, vsque ad mediam noctem, est vt à pluribus audiui, quod non protrahatur vltra mediam noctem certam, non autem vltra mediam noctem dubiam.

13 Addit Leander aliud argumentum pro mea sententia, nempè quod incipiens recitare officium hodiernum ante mediam noctem satisfacit præcepto, etiam si maiorem partem recitet elapsa *media* nocte, quia dies antecedens, in quo incipit recitatio trahit ad se partem diei subsequentis, quod ait se latè probare. *tr.* 6. *disp.* 13. *q.* 25. Et resp. esse disparem rationem, quia cœna cœpta ante mediam noctem & completa ea elapsa non est vna moraliter, sicut est officium, & quia cœna habet præceptum contrariū, ne protrahatur vltra mediam noctem, quod non habet officium. Ita Leander, qui si melius respondere non poterat, melius argumentum dissimulasset. Siquidem si officium est vnum moraliter, & in se, & quia pertinet ad diem antecedentem, cœna quoque pertinet ad diem antecedentem, & tanquam secundum se totam debita pro congrua sustentatione, erit vna in se moraliter. Rursus cum officium sit affixum diei, adest præceptum non protrahendi vltra illum diem, & tamen potest protrahi secundum maiorem partem. Ergò licet adsit præceptum non protrahendi cœnam ad subsequentem diem, potest protrahi secundum aliquam sui partem, nisi praxis obstaret.

An

An in vltima nocte Bacchanalium liceat cœnam differre post mediam noctem. Decis. 161.

SVMMARIVM.

1 *Non videtur licitum differre cœnam post mediam noctem in vltima nocte Bacchanalium.*
2 *Ex alio capite videtur licitum.*
3 *In illa nocte ratione consuetudinis dies sequens non incipit à media nocte.*
4 *Cur hæc consuetudo sit rationabilis.*
5 *Quomodo postpositio vltimæ cœnæ Bacchanalium post mediam noctem sit quid modicum.*
5 *Cur non sit contra substantiam ieiunij subsequentis diei.*
6 *Missa quando celebrari possit post meridiem.*
7 *Opera seruilia sine mortali exerceri possunt in die festo per duas horas.*
6 *Parua materia temporis subtrahi potest à die ieiunij.*
7 *An absurda illata à Leandro non subsistunt.*
8 *An adsit sufficiens causa dispensandi, vt cœna protrahatur vltra mediam noctem in die vltima Bacchanalium.*
9 *De iure protrahi non potest.*

1 VIDETVR statim negatiuè respondendum, quia à media nocte incipit dies cinerum, qui est dies ieiunij, vndè cœnans post mediam noctem comederet in die ieiunij, atque adeo peccaret, quod passim Doctores videntur pro certo supponere, & talis etiam videtur esse communis sensus.

2 Nihilominus alij quoque censent, quod non debeant fraudari cœna, si vsque ad mediam noctem vacauerint ludis, saltationibus, & cæteris huiusmodi animi relaxationibus, quæ de consuetudine in illis diebus solent exerceri, neq; sibi persuadere possunt, quod Ecclesia velit, vt absque vltima cœna Bacchanalium incipiat quadragesimale ieiunium.

3 Et facit pro his, quod inceptio diei à media nocte est secundum consuetudinem Ecclesiæ: & proinde non est talis conditionis, vt non possit ipsi per aliam consuetudinem derogari, In casu autem nostro videtur derogari, pro illo primo die quadragesimæ, ita vt non possit incipere à media nocte, quia iam consuetudine introductum est, vt saltationes, lusus, & alia huiusmodi protrahantur ad mediam noctem, & etiam vltra ipsam: & cum sint actiones diei vltimi Bacchanaliũ, facit talis protractio, quod protrahatur etiam dies secundum moralem æstimationem. Et quia cœna est vltima actio, quæ fit singulis diebus: debet censeri, quod ita protrahatur dies, vt det locum debitum cœnæ, cum non debeant cæteræ operationes ipsam excludere. Imo si consuetudo protrahit diem in ordine ad relaxandos animos, debet multo magis protrahere in ordine ad cœnam, quę solet lautior fieri tanquam illa, quæ claudit dies Bacchanales.

4 Neque talis consuetudo est irrationabilis, sed secundum benignam voluntatem interpretatiuam Ecclesiæ, quia cum tali die terminentur omnes animi relaxationes, & succedat longa pœnitentia per ieiunium congruum est, vt aliquid amplius in illo die indulgeatur, & proinde non debeat inceptio ieiunij cum tanto rigore exigi, vt statim à media nocte incipiat. Et cum Ecclesia indulgeat, quod soluatur ieiunium, ne inde aliquod incõmodum obueniat, quod sit alicuius considerationis: & cum permittat exerceri seruilia in die festo, quando necessaria sunt pro ludis, & torneamentis, quæ ordinantur ad recreandos animos, possumus ex hoc interpretari eiusdem benignam voluntatem, quod nolit ieiunium in nostro casu incipere à media nocte, ne priuet illa animi relaxatione, quæ valdè appetitur tanq; vltima percipienda, cum talis priuatio valde ægrè feratur.

5 Accedit etiam, quod omnes dies Bacchanalium tanquam tempus institutum pro relaxandis animis, debet simul comparari cum toto tempore quadragesimæ tanquam cum tempore pœnitentiæ: in quo, licet singuli dies habeant propriam obligationẽ ieiunandi, sunt tamen partes vnius temporis deputati pro pœnitentia; & singula ieiunia sunt partes vnius integri ieiunij quadragesimalis. Facta autem tali comparatione, si tempus recreandis animis deputatum protrahatur per duas, aut tres horas post vltimam mediam noctem Bacchanalium, non subtrahitur tempori pœnitentiæ aliquid notabile & adhuc seruatur ieiunium primi diei quadragesimalis, licet duret minori tempore, nam per solam cœnam censetur claudi dies antecedens, & in sequenti adhibetur vnica tantum comestio. Vnde sequitur, quod non violetur præceptum, quia exhibetur totum, quod requiritur ab ipso saltem secundum substantiam. Et illa subtractio durationis ieiunij per aliquas paucas horas non est tanti facienda, vt censeatur notabile peccatum, cum non pertineat ad substantiam ieiunij, sed solum sit quædam extensio durationis ipsius. Et proinde cum interueniat causa satis rationabilis nempe recreatio animi maior solito, vt potè quia terminatur tempus recreationis, excusabit etiam à peccato leui.

6 Et similis indulgentia non videtur aliena à mente Ecclesiæ, & communi sensu Doctorum. Sic quamuis Missæ celebrari non possint post meridiem hoc tamen, & licitum in aliquibus casibus, vt in festis solemnioribus, præsertim si adsit concio, aut processio, & concedunt Doctores etiam tres post meridiem. Ita Nauar. *De orat. c.* 21. *n.* 31. Rodriquez *par.* 1 *sum. c.* 24. 8. *conclus.* 2. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 24. *n.* 6. Suarez *disp.* 80. *de Eucharist. sect.* 4. *vers. Quo circa* Vasquez 3 *par. disp.* 232. *cap.* 4. *n.* 37. Facundez *præcep.* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 17. *n.* 19. & alij communiter. Et habetur ex Cap. *Necesse de consecrat. dist.* 1. Similiter ratione itineris differri potest vltra meridiem in die festo. Ita Nauar. *Cap.* 25. *Manual. n.* 85. Sotus *in* 4 *dist.* 13 *quæst.* 2. *art.* 2. Rodriquez *par.* 1. *sum. cap.* 24. Henriquez *lib.* 6. *sum. cap.* 24. *n.* 6. Sà *verbo* Missa *n.* 27. Vasquez, & Suarez modo citati, & alij Rursus. Quamuis in toto die festo, prohibeantur opera seruilia, communiter tamen admittunt, exerceri posse per horam, aut etiam per duas horas, quia hoc tempus habetur pro parua materia, & has duas horas tanquam paruam materiam admittit etiam ipse Leander *in præcep. Eccl. tr.* 1. *disp.* 6. *q.* 6. Vnde si à die festo in ordine ad opera seruilia, quæ per præceptum negatiuum prohibentur, subtrahi possunt duæ horæ tanquam parua materia, ita vt opus seruile diei antecedentis possit continuari per

duas primas horas diei festi, cur non poterunt subtrahi à die ieiunij, tanquam parua materia, cum adhuc opera seruilia pro toto die festo prohibeantur? Rursus si ratione solemnitatis, itineris, & alterius rationabilis causæ celebrari potest post meridiem, quia duratio celebritatis, aut eorum, quæ pertinent ad solemnitatem, facit, quod notabiliter mane perduret, cur duratio ludorum saltationum, & si quæ si debito modo fiant, pertinent ad virtutem Eutrapeliæ non poterit operari, quod moraliter protrahatur dies vltimus Bachanalium?

7 Contra autem supradicta acriter insurgit Leander *in præcep. Eccl. tr. 5. disp. 6. q. 30.* quæ tamen affert non sunt alicuius ponderis; & cum dixit, quod laxaret habenas Ludis, saltationibus, potationibus, & alijs huiusmodi, debebat aduertere, quod *ibid. in resp. ad 1.* docet, licitè saltationes, lusus, potationes protrahi vltra mediam noctem, quia non sunt contra præceptum ieiunij.

8 Ex dictis autem pro vtraque parte duo concluduntur. Primum quod adest sufficiens causa ad dispensandum, ab habente potestatem, vt in illa nocte possit cœna differri vltra mediam noctem. Siquidem illi lusus, saltationes, &c. si debito modo exerceantur, ordinantur ad honestam animi relaxationem; & cum succedat longum tempus destinatum pœnitentiæ, non esset irrationabilis indulgentia imo rationabilis, si fieret dispensatio, vt posset animus longius consueto in illa nocte recreari, præsertim, si lusus, saltationes, recitationes mensæ longum tempus requirerent.

9 Alterum est. Quod seclusa dispensatione eodem modo regulanda est cœna, ac in cæteris diebus quibus succedit ieiunium, nam præceptum eodem modo obligat à media nocte in mediam noctem. Neque constat de legitima consuetudine in contrarium, quæ possit legi derogare. Quod autem in casibus allatis *n. 6.* admittatur aliqua latitudo vltra tempus præscriptum à lege; prouenit, quia ita praxis interpretatur legem, & Doctores tanquam probabile admittunt, quod non contingit in casu præsenti.

An in computanda media nocte in ordine ad ieiunium possit attendi vltimum horologium. Decis. 162.

SVMMARIVM.

1 *Media nox in ordine ad ieiunium non debet computari secundum vltimum horologium.*
2 *Potest computari.*
3 *Quodlibet horologium fundat iudicium probabile de tempore.*
4 *Alia est ratio de horologio, & alia de testibus.*
5 *Horologium fundat iudicium probabile, si non constet de errore.*
6 *Cur non possit quis sequi modo vnum, modo aliud horologium in ordine ad actiones, quæ pertinent ad distinctos dies in diuisione vnius diei ab illo.*

1 NEGATIVE respondent Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnica sect. 25. nu. 264.* Rodriquez *tom. 1. sum. cap. 105. num. 6.* quod tamen gratis dicunt absque vllo fundamento. Ex eo tamen videtur posse desumi, quod præsumendum sit vltimum horologium tarde procedere ex eo, quod cœtera magis congruè procedant, nam cum sint veluti testimonia temporis, potius pluribus standum est, quam vni tantum.

2 Oppositum tamen tenent Sanchez *lib. 4. in Decal. cap. 1. n. 14.* Villalobos *tom. 1. sum. tr. 1. difficul. 21. num. 7.* Sanctius *in Selectis de sacram. disp. 42. num. 18.* Facundez *præcep. 4. lib. 1. cap. 10. n. 3.* Lugo *disp. 15. de Euchar. sect. 2 n. 45.* Diana *par. 3. tr. 4. De Sacramentis Resol. 36.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 4. n 8.* Palaus *par. 1. oper. mor. tr. 3. de Conscient. dubia disp. 3. punc. 8. n. 6.* Bresserus *lib 4. de conscient. cap. 11. n. 106.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 2. num. 5.* Martin à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 7. de ieiunio num. 5.* Quæ sententia tenenda est.

3 Ratio autem est, quia quodlibet horologium positum est ad indicandum tempus, vndè sufficit quodlibet, vt possim formare probabile iudicium de media nocte. Nec debeo stare pluribus, quia ad summum plura facient iudicium probabilius, quod tamen non teneor sequi, sed sufficit, si sequar probabile: tum quia experientia constat, quod pluribus horologijs magis à scopo aberrantibus, vnicum tantum magis ad ipsum attingit.

4 Nec est eadem ratio de testibus, quia testes deponunt secundum scientiam, quam habent, & ideo plures testes faciūt maiorem fidem: horologia autem tantum indicant mortuo modo, & ideo ex parte plurium non adest maius fundamentum ad causandum certius iudicium. Item horologia se tenent tantum ex parte opinionis, quatenus fundant ipsam. Testes autem ex parte facti, quia ipsum deducunt ad notitiam iudicis. Quando autem agitur de ipso facto, amplectendum est, quod est probabilius.

4 Limitari tamen debet supradicta doctrina, quod tunc solum habeat locum, quando non constat de errore vltimi horologij, quia, si constaret, non possemus ipsum sequi, eo, quod non posset fundare probabile iudicium.

6 Neque ex hoc fit, quod possit quis in die ieiunij sequi primum horologium, & statim à pulsatione ipsius comedere carnes, quia licitæ sunt pro die sequenti: & postea mutare opinionem, & sequi vltimum horologium, & sequenti die sumere Eucharistiam, quia seruauerit ieiunium à pulsatione vltimi horologij. Statim enim, ac quis elegit primum horologium, & aliquid fecit in virtute talis electionis, quod alias non potuisset, non potest amplius mutare sententiam, & eligere aliud horologium, quia iam constituit diem subsequentem in possessione illius temporis, quod statim subsequutum est pulsationem primi horologij, & consequenter Ecclesia acquirit possessionem illius temporis pro sequenti die: vnde non potest deturbari possessione, præsertim, quia pateretur præiudicium in suo præcepto de ieiunio, nam sequeretur, quod deberet censeri violatum, si eligeretur vltimum horologium pro ieiunio naturali sequentis diei in ordine ad Eucharistiam.

An, qui dubitat, an sit media nox possit comedere, si die sequenti sit ieiunandum.
Decis. 163.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an sit media nox, non potest comedere, si die sequenti sit ieiunandum secundum aliquos.*
2 *Potest comedere.*
3 *Ius dubium non praualet iuri certo.*
4 *Dubium contra ius certum non tollit eius certitudinem.*

1 NEGATIVAM partem tenent Azor. *tom* 1. *lib.*2.*c*.4.*q*.3. Angelus *verbo* Votum *num*. 3. Armilla *num*. 18. Nauar. *lib*.3. *Consil*.4. *de voto num*.11. & 18. Bresserus *lib*.4. *de consc*.*c*.11.*n*. 103. & loquens de hora comedendi in ieiunio Roccatul. *in Praxi tract*.6. *de precep*. *Eccl*. *lib*.3. *c*.5.*num*.87. licèt postea *c*. 11.*num*.208. loquens in terminis oppositum teneat, & alij, qui licet non loquãtur de hoc casu speciali, loquuntur tamen generaliter de voto, lege, & iuramento, vt nimirum in dubio cẽseantur obligare, & proinde cum dubitans, an sit media nox, dubitet, an præceptum ieiunii obliget, stante hoc dubio censendum est obligare.

2 Oppositum tamen, nempe dubitantem, an sit media nox, posse comedere, quando in sequenti die est ieiunandum, tradunt Sotus *lib*.2. *de Iust*. & *iure q*. 3. *ar*. 2 *docum*. 2. *post*. 4. *conclus*. Syluester *verbo* Iuramentum *n*.7. *dicto* 2. *in fine*. Sanchez *lib*.1. *de matrim*. *disp*. 9. *n*. 11. quatenus docent. Votum, & iuramentum non obligare, quando dubitatur de eorumdem existentia, pro quo Sanchez plures alios citat; est autem eadem ratio de quocumque præcepto. Et in terminis tradit idem Sanchez *lib*.2 *de matrim*. *disp*: 41. *n*.40. Facundez *prec*.4. *lib*.1.*c*.10. *num*.2. Auctor *casuum conscientiæ Bononiensium anni* 1637. *Casu* 2. *mensis Septembris, quæsito* 1. Trullench. *lib*.3. *in Decal*.*c*.2. *dub*.4.*nu*.8. Ghilinus *in sum*. *verbo* Ieiunium *num*.18. Remigius *tr*. 3. *sum*.*c*.4. Leander *in prac*. *Eccl*. *tr* 5. *disp*.6. *q*.31. Villalob. *p*.1 *sum*.*tr*.1. *diff*.21.*n*.6. Gordon. *lib*.3. *theol*. *mor*. *q*. 3.*n*.10. Salas 12. *tr*.8. *disp*. *vn*.*n*.264. Io: Sanchez *in selectis de sacram*. *disp*.43.*n*.5. Laiman. *lib*.1.*tr*.1.*c*.1.*nu*.36. Palaus *p*.1. *oper*. *mor*. *tr*.1. *disp*. 3 *pun*.8.*n*.6. Diana *p*.4. *tr*.3. *resol* 18. Ariaga 12. *disp*. 25.*n* 53. Bossius *tom*.1. *mor*. *tit*. 21.*n*. 1701. Martin à S. Ioseph *tom*.1. *mor*. *lib*.2. *tr*.7. *de ieiun*. *num*. 5.

3 Quæ sententia est tenenda, & potest firmari optima ratione. Quia, quando quis dubitat, an sit media nox, dubitat, an incœperit obligatio ieiunandi, & proinde non comedendi: vndè ius præcepti de ieiunio est dubium, an valeat pro illo tempore, ius autem comedendi est certum, quia certum est, quod quilibet potest quocunq; tempore comedere, in quo non vrgeat obligatio ieiunandi; ius autem dubium non potest præualere contra certum.

4 Dices. Ius comedendi reddi dubium ex eo, quod dubitatur, an vrgeat præceptum ieiunandi. Sed hoc non potest dici, quia ius certum non immutatur per dubium, quod adsit in contrarium, atque adeo non cadit à sua certitudine; alioquin etiam in materia doctrinali, quæ certa sunt, fierent dubia ex eo, quod in contrarium adessent dubitationes: vndè sequeretur, quod etiam res fidei euaderent dubiæ, quia in contrarium dubitari potest.

An, si hodie sit dies ieiunij, & dubitem, an sit media nox, possim cœnare.
Decis. 164.

SVMMARIVM.

1 *In die ieiunij dubitans, an sit media nox, non potest cœnare secundum aliquos.*
2 *Potest cœnare.*
3 *Quando operatio cum dubio sit peccaminosa.*

1 NEGATIVE resp. Sanchez *lib*. 2. *de Matrim*. *disp*.41.*n*.40. *ver*. *Contrarium tamen* Facundez *precep*.4. *Eccl*. *lib*.1. *c*.10. *num*.3. Laiman *lib*.1. *theol*. *mor*. *tr*.1.*c*.4.*num*.36 Auctor *Casuum Bononiensium anni* 1637. *Casu* 2. *Mensis Septembris quæsito* 1. *ver*. *E contra* Trullench. *lib*.3. *in Decal*.*c*.2. *dub*.4.*n*.8. Bresserus *lib*.4. *de consc*.*c*.11.*n*.103. Remigius *tr*.3. *sum*.*c*.4. §.2.*n*.4. Leander *tr*.4. *in precep*. *Eccl*. *disp*.6.*q*.32. Villalob. Salas, Io: Sanchez, Gordon. Palaus, Ariaga, Bossius *in Decis*. *preced*.*n*.2. citati Martin à S: Ioseph. *tom*.1. *mor*. *lib*.2.*tr*.7. *de ieiun*. *n*.5. Quia cum sit dies ieiunij, possessio stat pro præcepto, & ideo stante dubio, melior est conditio præcepti possidentis.

2 Attamen mihi videtur, quod possit cœnare, quia non vrget amplius preceptum. Hoc enim dubium oriri non potest, nisi propter vicinitatem mediæ noctis, aut quia etiam paulo ante transacta sit, nam si longè abesset, non esset dubium, an sit transacta. Stante autem vicinitate mediæ noctis moraliter censetur esse media nox; vndè cum in hoc casu media nox sit computanda secundum prudens iudicium, vt ostendimus supra *Decis*. 158. potest tunc cœna sumi absque violatione ieiunij, quia erit comestio pertinens ad diem subsequentem ad ieiunium.

3 Neque sequitur, quod hæc operatio fiat cum dubio, quia tunc operatio facta cum dubio est mala, quando dubium est circa ipsam operationem, an sit licita, an verò non sit licita, nam tunc operans se exponit periculo peccati, secus autem, quando dubium est de aliquo alio. In casu autem nostro dubium est de media nocte, non autem, an liceat tunc cœnare, quia stante dubio de medietate noctis, potest formari iudicium probabile, quod liceat cęnare.

An quadragesimale ieiunium sit de iure diuino, an vero de iure canonico humano.
Decis. 165.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo intelligendi, qui dicunt, quadragesimale ieiunium esse ex institutione diuina.*
2 *Ieiunium quadragesimale non est de iure diuino, sed institutum ab Apostolis:*
3 *Patres, qui hoc tradunt.*

4 *Non reperitur præceptum diuinum de ieiunio quadragesimali.*

5 *Si esset de iure diuino, non dispensaretur in ipso, sicuti dispensatur:*

6 *Quodnam ieiunium fuerit institutum à Montano.*

7 *Quomodo Thelesphorus Papa dicatur instituisse quadragesimam.*

8 *Quomodo accipiendus Cassianus, quando dicit in primitiua Ecclesia non fuisse quadragesimam.*

1 REFERT Azor *citandus*. Quosdã Recentiores sui temporis sensisse, quadragesimale ieiunium esse de iure diuino, motos auctoritate quorumdam Patrum, qui videntur id docere, vt Ambros. *serm.* 25. vbi ait. Quadragesimã indictam fuisse à Domino. Leo *serm.* 12. *de Quadrag.* vocat Ieiunia diuinitus instituta. Augus. *in Psal.* 100. ait, quadragesimale ieiunium nobis præcipi ex lege, & Prophetis, & ex Euangelio, & alij P.P. similia habent Sed loquuntur de præcepto impropriè sumpto. quod satis constat ex verbis D. August. dum ait *Ex lege, & Prophetis nobis præcipi*, certum est enim, quod ex lege veteri non habemus huiusmodi præceptum, & solum loquuntur de quodam præcepto exemplari, quatenus exemplum nos quodammodo obligat ad sequendum.

2 Est igitur ieiunium quadragesimale de iure canonico humano, vt docent communiter Durand. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 3 *conclus.* 3. Maior. *q.* 4. *conclus.* 3. Gabr. *dist.* 16 *q.* 3. *ar.* 1. *notab.* 2. Adrian. *q.* 1. *de confess.* §. *Alij probant. ver. Nec videtur* Sylvester *verbo* Ieiunium *p.* 1. ver. *Quibus autem diebus* Angelus *num.* 7. Medina C. *de ieiunio qu.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 2. *punc.* 4. ver. *Sed vera sententia.* Angles *in Florib. q.* 3. *de ieiunio diffic.* 2. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *nu.* 1. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 1 *dub.* 2. §. *Sed his non obstantibus* Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 12. Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 12. *q.* 1. ver. *At communis.* Laiman *lib.* 4. *theol. mor. tr.* 8. *c.* 2. *n. init.* Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 5. *q.* 1. *prac.* Facũd. 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 4. Gouaruu. *lib.* 4 *Variar. Resol. c.* 20. *num.* 4. Et volunt institutum fuisse ab Apostolis, quod sanè tenendum est.

3 Et desumitur ex D. Hieronymo *Epist. ad Marcellum* dum inquit. *Nos vnam quadragesimam secundum Apostolorum traditionem, &c.* D. Leone *serm.* 6. & 9. *de quadragesima* Rabano *lib.* 2. *De instit. Clericor. c.* 28. Ignatio *Epist. ad Philippenses.* Et ex *Constitutionib. Apostolicis apud* D. Clement. *lib.* 5. *cap.* 12. & *can.* 68. *ex Apostolicis.*

4 Ratio autem est, quia non debet adstrui aliquod præceptum, nisi de ipso constet: non constat autem de hoc præcepto diuino de Quadragesima posito à Christo, quia solum habemus ex Euangelio eius quadragenarium ieiunium, quod tamen non habet rationem præcepti, alioquin deberemus ieiunare per dies quadraginta, etiam in diebus dominicis; & nihil per illos dies comedere. Vnde solum exercitum fuit à Christo ad ostendendam heroicã virtutem abstinentię, & vt nobis tribueret exemplum, quod pro nostris viribus imitaremur: vnde D. Ignat. *citata epist. ad Philip.* de quadragesimali ieiunio loquens ait, *Imitationem enim continet Dei conuersationis.* Rursus ab initio non fuit quadragenarium ieiunium sed tantum triginta sex dierum, quia non incipiebat feria quarta Cinerum, sed solum feria secunda post dominicam primam quadragesimæ, vt constabit ex infra dicendis. Si autem fuisset de præcepto diuino ratione exempli, quod dedit Christus, fuisset semper quadraginta dierum.

5 Accedit etiam, quod passim ex quacumque causa rationabili dispensantur fideles in ieiunio quadragesimali, quod non fieret si esset de iure diuino, sicut non fit in cœteris preceptis Christi.

6 Neque obstant, quæ afferri possunt contra institutionem Apostolicam quadragesimalis ieiunij. Nam, quod legitur apud Euseb. *lib.* 5. *Histor. cap.* 18. Montanum primum imposuisse ieiuniorum leges, intelligitur de nouis legibus, quatenus imponebat duas alias quadragesimas tanquam necessarias ad salutem, in quo errauit, vt constat ex D. Hieronymo *epist.* 54. & Tertul. *lib. contra Physicos cap.* 1. & 15. quando iam erat Montanista.

7 Quando autem ex eodem Euseb. *in Chronico anno* 186. habetur. Pontificem Thelesphorum instituisse quadragesimam, hoc dicitur, quia addit ieiunio quadragesimali aliam hebdomadam, idque pro clericis; vnde *in sua Decretali* habet. *Cognoscite à nobis, & à cunctis Episcopis in hac sancta sede congregatis, statutum esse, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati a carne ieiunent, quia sicut discreta debet esse vita Clericorum a laicorum conuersatione, ita, & in ieiunio debet fieri discretio.* Vnde etiam in Cap. *Quadragesima Dist.* 4. ex D. Ambros. habetur *Quadragesima sex septimanas habet cui addidit Thelesphorus Pontifex septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima.*

8 Et similiter cum Cassianus *Collat.* 21. *c.* 30. ait in primitiua Ecclesia non fuisse obseruantiam quadragesimæ: non loquitur absolutè de ipsa, sed de quadragesima vt distincta à cœteris anni partibus, quia, cum tunc fideles toto anni spacio, vt inquit ipse, ieiunarent, non distinguebant inter quadragesimam, & reliquum tempus.

Quando incipiat ieiunium quadragesimale. *Decis.* 166.

SVMMARIVM.

1 *Cur antiquitus in sabbato prohiberetur ieiunium etiam in quadragesima.*

2 *Quando Catechumeni inciperent ieiunium quadragesimale.*

3 *Ieiunium quadragesimale inchoari solitum a sexagesima.*

4 *Quando Clerici antiquitus inciperent ieiunium quadragesimale.*

5 *Ieiunium quadragesimale solitum inchoari in feria secunda post primam Dominicam quadragesimæ.*

6 *Cur in Cap.* Statuimus. Dist. 4. *præcipiatur* Clericis *septem plenas hebdomadas ieiunare.*

7 *Quid dicendum de sermonibus Augustini scriptis, In capite ieiunij.*

8 *Quando modo incipiat ieiunium quadragesimale.*

9 *Per abusum fuit introductum, duabus, aut tribus, aut alternis hebdomadis in quadragesima ieiunare.*

10 *Tota quadragesima ieiunandum exceptis dominicis ex præcepto Ecclesiæ.*

FVIT

1 FVIT prohibitũ in veteri Ecclesia, in Sabbatis ieiunare; etiam in Quadragesima, excepto sabbato proximo ante resurrectionem. Vndè in Can. 65. *Apost.* habetur. *Si quis Dominicum diem, aut sabbatum vno solo dempto ieiunare deprehendatur, deponitur, siu laicus à communione eijcitur.* Idem habetur in *Can.* 55. *Sextæ* Synodi & in Epist. 4. D. *Ignat.* vbi inquit *Quicumque Dominicam, aut sabbatum ieiunauerit, præter vnum sabbatum Paschæ, ipse est Christi interfector.* Quod etiam fuit in vsu apud Mediolanenses, vt testatur Ambros. *lib. de Elia & ieiunio c.* 10. & August. *Epist* 86. *ad Casulanum*, & *Epist.* 119. *ad Ianuarium.* Hoc autem ideo factum est, ne conuenirent cum Marcionistis, qui dicebant, vt refert Epiphan. *Hæresi* 42. in sabbato non esse gaudendum, & requiescendum, sed dolendum, & ieiunãdum, quia Deus auctor mali in illo die ab opere cessauit. Quod etiam senserunt Manichei, & Priscillianistæ, vt refertur in Cap. *Nequis. Dist.* 3. *De consecrat.*

2 Cathecumeni solebãt incipere ieiunium à Septuagesima, vnde per nouem hebdomadas ieiunabant, vt præpararentur ad recipiendum baptismum Vnde Concil. *Carthaginense* 4. *sub Anastasio Papa c.* 85. ait *Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione crebro examinati baptismum percipiant.* Imo etiam quædam Orientales Ecclesiæ per nouem hebdomadas ieiunabant, incipiendo à Septuagesima, sed præter dies dominicos, & sabbata, prætermittebant etiam ferias quintas, in quibus non ieiunabant; vndè ieiunium erat tantum triginta sex dierum, vt notat Alcuinus *Cap. de Septuagesima.*

3 Fuit etiam solitum alio tempore ieiunium quadragesimale inchoari apud quasdam Orientales Ecclesias à Sexagesima, & continuari per octo hebdomadas, vt nimirum ieiunium duraret per quadraginta dies, nam octo hebdomadæ detractis diebus dominicis, & Sabbathis tot dies continent. Et hoc notat Basilius *homil.* 2. *de ieiunio.*

4 Thelesphorus autem Papa sanciuit, vt Clerici quadragesimale ieiunium inciperent à Quinquagesima, atque adeo per septimanas plenas ieiunarent, vt habetur ex sua Decretali allata Decis. *præced num.* 7. & notatur in Cap. *Quadragesima Dist.* 4. Sed hæc etiam consuetudo abrogata est.

5 Communiter autem apud Ecclesiam Latinam solebat Quadragesima incipere initio sextæ hebdomadæ ante Pascha, seu hebdomada post quinquagesimam, vt docet Ambros. *serm.* 34. *de quadragesima*, & refertur in Cap. *Quadragesima Dist.* 4. Gregor. *hom.* 16. *in Euangelia.* Cassian. *Collat.* 21. *c* 24. 27. & 28. Alcuinus *de diuinis Officijs Cap. de Quadragesima.* Ordo Romanus *Cap. de Septuagesima.* Auctor Micrologi *c.* 49. Et sequuntur Couaruu. *lib.* 4. *Variar. Resol. c.* 20. *num.* 4. *& sequent.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 12. *q.* 2. Laiman *lib.* 4. *th. mor. tract.* 8. *c.* 2. *num.* 1. *ver. Sciendum est.* Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 5. *quæsito* 3. & alij. Quod etiam ex eo colligitur, quod officia quadragesimalia etiam modo solum incipiunt in Dominica prima quadragesimæ, & non in feria quarta cinerum, & tunc solum vesperæ recitantur ante refectionem, sicuti solum debent recitari in quadragesimali ieiunio. Et hic mos hodie viget apud Ecclesiam Mediolanensem.

6 Neque obstat, quod in Cap. *Statuimus Dist.* 4. præcipiatur, quod Clerici ieiunent septem hebdomadas plenas, cum cœteri non ieiunarent, quia incipiebant ieiunium à feria quarta Cinerum. Nam non dicit plenas, quia cœteri inciperent à Feria quarta, sed quia nolebat, quod putarent, sibi permitti in alio die non ieiunare, & præsertim in sabbato, in quo apud Orientalem Ecclesiam non ieiunabatur, dum alia hebdomada superaddebatur ipsorum quadragesimæ.

7 Nec item, quod extent Sermones D. August. *in feria* 4. *in capite ieiunij*, & aliorum P. P. nam incertum est, an illi sermones sint, D. Aug. Deinde supposito quod sint vt notat Azor. *citatus*, dicendũ est, ipsum Aug. non apposuisse titulum *In feria quarta Cinerum*, sed ab alio fuisse appositũ, quia cum agerent de principio ieiunij, fuerunt accommodati illi diei.

8 Modo autem ieiunium quadragesimale incipit à feria quarta Cinerum, nam vel à Gregorio 1. vel, vt alij volunt, à Gregorio secundo fuerunt additi ieiunio illi quattuor dies, qui præcedunt Dominicam primam quadragesimæ, vt nimirum ieiunium esset quadraginta dierum. Prius enim erat triginta sex dierum, qui cum sit decima pars anni offerebantur Deo per ieiunium tanquam decimæ; modo autẽ est reductum ad quadraginta dies, vt imitetur ieiunium Christi.

9 Est autem aduertendum, quod cum aliquando legimus apud veteres. Quosdam populos consuisse ieiunare per tres hebdomadas, alios per duas, alternis hebdomadibus ex illis, quæ deputatæ erant ieiunio; hoc non fuisse ex aliquo iure introductum, sed per abusum; vndè Ambros. *serm.* 34. habet *Hoc enim dico, quia audio complures, quod grauius est, fideles alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio ieiunare.*

10 Tota quadragesima exceptis diebus Dominicis est ieiunandum ex præcepto Ecclesiæ ex Cap. *Non liceat de Consecrat Dist.* 3. & Cap. *Quadragesima De Consecrat. dist.* 5. Vnde omnes, qui tenentur legibus ecclesiastici ieiuni, subduntur tali ieiunio, nisi ex aliquo capite excusentur.

Quando finiatur quadragesimale ieiunium. Decis. 167.

SVMMARIVM.

1 *Feria quinta ante Pascha complebatur ieiunium quadragesimale.*

2 *Mos soluendi ieiunium quadragesimæ in feria quinta ante Pascha fuit sublatus.*

3 *Talis mos fuit per abusum introductus, & quando de iure finiatur ieiunium quadragesimæ.*

4 *Quando Orientales solerent complere tale ieiunium.*

1 ANTIQVITVS apud quasdam Ecclesias introductum fuerat, vt feria quinta hebdomadæ ante Pascha, populi post synaxim ieiunium soluerent in commemorationem cœnæ Christi: vndè tunc terminabatur ieiunium quadragesimale. Feria autem sexta sequenti ieiunabant,

bant, quia tali die per totum annum indictum erat ieiunium. Sabbato autem sequenti ieiunabant, vel ob vigiliam l a citatis, vel quia, vt apud occidentales, toto anno illa dies erat destinata ieiunio.

2 Sed hic mos est postea sublatus, vt constat ex Concilio *Toletano VIII. cap.8.* & Laodicensi c.50. & ex Cap. *Non liceat de Consecr. Dist.3.*& Cap. *Non oportet eodem tit.* vbi dicitur. *Non oportet in quadragesima quinta feria vltima hebdomada ieiunium dissolui,* & *totam quadragesimam inhonorari.*

3 Ex quibus colligitur, quod talis consuetudo soluendi ieiunium in illa die per abusum fuerit introducta, siquidem reprahenditur in Concilijs,& prohibetur. Vndè de iure solum in sabbato inclusiuè ante Pascha terminatur quadragesimale ieiunium, vt notant Ambros. *lib. De Elia,& ieiunio.cap.*10. Alcuin. *lib.4. de Ecclesias. officijs cap.* 4. Auctor Micrologi c. 49. Et constat ex communi, & vniuersali consuetudine, & communi sensu, præsertim Doctorum, qui accipiunt omnes dies illius hebdomadæ, tanquā ieiunio destinatos.

4 Est tamen aduertendum, quod in primitiua Ecclesia apud Orientales, apud quos ieiunium quadragesimæ incipiebat à quinquagesima, fuisse solitum terminari feria 6. ante dominicam, quæ hodie est Dominica palmarum, seu maioris hebdomadæ: siquidem sabbato non ieiunabant. Hebdomada autem ante Pascha, quæ dicebatur hebdomada passionis, iciubabatur ob Passionem Domini recolendam Vndè *lib.1.Constit.Apost.apud* D. Clement. c. 12. habetur de ieiunio quadragesimæ. *Celebretur vero ieiunium hoc ante ieiunium Pascha incipiens quidem à secunda feria, desinens verò in sextam Deinde dimisso ieiunio incipite sanctā hebdomadam Paschæ; ieiunate que omnes cum timore.* Et Ign. *Epist. ad Pphilip.* cum dixisset *Quadragesima nolite pro nihilo habere,* subdit *Hebdomadam etiam passionis nolite despicere:* Loquitur autem in ordine ad ieiunium. Epiph. quoque *in Doctrina compendiar.* habet, *Quadragesimam ante septem diem Paschatis similiter seruare solet eadem ecclesia in ieiunijs perseuerans.* Quem morem viguisse etiam apud Latinos occidentales, colligitur ex Aug. *Epist.* 119. c. 15. vbi vocat *Quadragesimam contiguam Dominica passionis:* hoc est hebdomadæ, in qua recolitur passio Christi,& S.Leone *serm.5.de quadrag:* dum ait, *Nos per ieiunium quadragesimæ præparari ad celebranda sacramenta redemptionis nostræ,* hoc est tempus passionis Christi.

Quando instituta sint ieiunia quattuor temporum, & quo iure: *Decis.168.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinationes solum semel in anno, & præmisso ieiunio solebant celebrari.*
2 *Ieiunia quattuor temporum sunt ex institutione Apostolica*
3 *Ieiunium Mensis Martij non habetur, quod sit institutum ab Apostolis, sed à Callisto Papa.*
4 *Ieiunia quattuor temporum fuerunt diuerso modo celebrata ex diuersis ordinationibus Pontificum.*
5 *Quomodo nunc debeant celebrari iuxta vltimum statutū.*

1 QVAMVIS in primitiua ecclesia ordinationes solerent celebrari semel tantum in anno, nempè in mense Decembri, qui mos perseuerauit vsq; ad Simplicium Papam, vt colligitur ex Vitis Pontificum;& notat Auctor *Micrologi c.28.* ex Romano *Pontificali.* Atque non fuerit solitum celebrari ordinationes, nisi præmisso ieiunio, vt desumitur ex illo Act. 13. *Ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* Nempe saluū & Barnabam. Leone 1. *Epist.* 81. *ad Dioscorum Alexandrinum* Amalario *lib.2.de offic. Eccles. c,* 1. Ex hoc tamen tantum sequitur, quod ieiunium in mense Decembri obseruatum fuerit intuitu ordinationum ex Apostolica institutione, non autem quod ab Apostolis non fuerint instituta alia ieiunia quattuor temporum, sed paulo post, vt vult Laiman *lib. 4. theol.mor. tr.8 c.3.nu.* nam ab affirmatione vnius non sequitur negatio alterius in ijs, quæ ex libera voluntate sunt connexa, vt in casu nostro, Nec ex eo, quod solum in mense Decembri celebrarentur ordinationes, sequitur, tunc solum esse celebrata ieiunia: nam tunc solum posset hæc consequentia inferri, quando hæc ieiunia essent instituta ob solas ordinationes, quod non est verum, cum constet, in alijs temporibus esse instituta ante Simplicium Papam, cum tamen ante ipsum solo mense Decembri, & non in alijs ieiunijs celebrarentur ordinationes.

2 Sunt igitur ieiunia quattuor temporum ex institutione Apostolica. Et quidem de ieiunio mensis Decembris constat ex illo Act. 27. *Cum iam non esset tuta nauigatio eo, quod & ieiunium iam præterijsset:* De quo etiam Leo Papa *sermone* 1. *de ieiunio decimi mensis* ait, *Quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, sed illud est studiosius obseruandum, quod Apostolicis accepimus traditionibus consecratum:* Et *serm.*7. de ieiunio septimi mensis habet, *Apostolica institutio ita veteris testamenti decreta distinxit, vt quadam ex eis, sicut erant condita, euangelica eruditioni profutura decerperet,* & *serm.* 8. de eodem ieiunio loquens. *Cui medicinæ, cum tempus omne sit congruum, hoc tamen habemus aptissimum, quod & Apostolicis. & legalibus institutis videmus electum: ita in mense septimo spiritualibus purificationibus emundemus.* Et de ieiunio Pentecostes, idem Leo 1. *serm.* 2. *De Pentecoste* habet, *vt ieiunium, quod ex apostolica traditione subsequitur sancta obseruatione celebremus.* Et Clemens Romanus *lib.5.Constit. Apost. c.18.* de eodem ieiunio. *Post festum Pentecostes celebrare hebdomadam, post quam & ieiunate alteram aquum est enim, & lætari de Dei dono, & ieiunare post hilaritatem:*

3 De ieiunio autem primi mensis, seu mensis Martij non habemus, quod fuerit institutum ab Apostolis ea forte de causa, quia cum coincideret cum ieiunio Quadragesimæ, non distinxerunt inter ipsa tanquam vnum esset diuersum ab alio, sed nomine quadragesimalis vtrumq; venit. Vnde Callistus Papa *in Concilio Moguntiaco celebrato anno Domini* 803. decreuit, vt ieiunium, quod ter in anno celebrabatur, quater celebraretur, vt tradit Auctor *Micrologi c. 28. circa finem,* & habetur decretum hoc *Epist.* 1. *Decretali tom.1. Concil.*& refertur in Cap: *Ieiunium Dist.* 76: *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quattuor tempora fieri decernimus.* Quapropter dicitur instituisse quattuor anni tempora, quia nimirum addidit quartum.

4 Hæc

4 Hæc autem ieiunia non semper eodem modo obseruata sunt, nam in Concil. *Moguntino sub Carolo Magno anno* 813. *can.* 14. sic statutum est. *Constituimus, vt quattuor tempora ab omnibus cum ieiunio obseruentur, hoc est mense Martio hebdomadæ primæ, & feria quarta, sexta, & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Letanijs ad Missarum solemnia. Similiter in mense Iunio hebdomada secunda feria quarta, sexta, & sabbato ieiunetur vsque ad Nonam. Similiter in mense Septembri hebdomada tertia, & in mense Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam Natalis Domini, sicut est in Romana Ecclesia traditum.* Hic autem modus immutatus est, & alius constitutus in Concilio item *Moguntino regnante Henrico secundo*, vt refertur in Cap. *De ieiunio Dist.* 76. vbi habetur *De ieiunio autem incerto quattuor Temporum hanc certitudinem statuimus, quod si Calendæ Martiæ in quarta feria sua ante euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Si autem Calendæ Martiæ in quintam, aut sextam feriam, aut sabbatum distendantur, in secundam hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo si Calendæ Iunij in quartam feriam, vel ante inciderint, in sequenti hebdomada ieiunium peragatur; & si in quintam feriam, aut sextam, aut sabbatum contingerint, in tertiam hebdomadam ieiunium reseruetur. Et hoc sciendum est, quod, si quando ieiunium mensis Iunij in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam euenerit non ibi celebrandum erit, sed in hebdomada solemni Pentecostes. Eodem modo de Septembris ieiunio constitutum sit, vt si Calendæ in quarta feria, aut antea euenerint ieiunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta, aut sexta feria, aut sabbato contingerint, in quarta hebdomada, ieiunandum erit. In Decembri illud obseruandum est, vt proximo sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur ieiunium, quia si vigilia in sabbato euenerit, simul vigiliam, & ieiunium celebrare non conuenit.* Fuerunt etiam factæ aliæ variationes, vt constat ex Gerundensi *Synodo can.* 2. & ex Concilio *Oxoniensi in Anglia*, & ex Isidoro *lib.* 1. *De diuinis officijs Cap. de ieiunio.*

5 Sed demum statutus est modus, qui vsque ad hanc diem perseuerat ab Vrbano secundo in Concilio *Placentiæ coacto*, vt refertur in Cap. *Statuimus. Dist.* 76. his verbis. *Statuimus, vt ieiunium quattuor temporum hoc ordine celebretur, primum in initio quadragesimæ; secundum in hebdomada Pentecostes: tertium vero in Septembri: quartum in Decembri more solito fiat*, & idem Vrbanus 2. dicitur constituisse in Concil. *Claramontensi*. Vt primum ieiunium fiat in prima hebdomada Quadragesimæ: secundum in hebdomada Pentecostes absque genuum flexione cum Allelnia, & Gloria in excelsis Deo, & cum vestibus solemnibus; tertium in hebdomada ante æquinoctium auctumnale. Quartum in plena hebdomada ante natalem Domini cōputata eiusdem vigilia, vnde si vigilia incidat in sabbato, coincidat cum ieiunio hyemalis temporis.

An omnia ieiunia quattuor temporum sint de præcepto. Decis. 169.

SVMMARIVM.

1 *Omnia ieiunia quattuor temporū sunt de præcepto ex iure.*
2 *Non sunt secundum alios de præcepto ex iure, sed secundum consuetudinem ieiunia æstiua.*
3 *Non sunt ex præcepto de iure: sed sunt ex traditione Apostolica.*
4 *An hæc traditio contineat præceptum.*
5 *Quid dicendum de ieiunijs aliorum temporum.*
6 *Ieiunia quattuor temporum qua occasione instituta.*
7 *Non erant omnibus communia.*
8 *Nec cadebant sub obligatione.*
9 *Modo habent alium statum, & vnde.*
10 *Ratio naturalis dictat Deo esse satisfaciendum pro offensis.*
10 *Animus se obligandi ad ieiunia quattuor temporum vndè colligatur.*
11 *Animus se obligandi facto declaratur.*

1 OMNIA esse de præcepto, & obligare sub mortali docent communiter. Azor. *tom* 1. *lib.* 7. *c.* 14. *q.* 2. Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 2. *n.* 5. *ver. Quares primo* Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2. *dub.* 9. *n.* 67. Angelus *verbo* Ieiunium §. 7. Vega *par.* 1. *sum. c.* 14. *de ieiunio. Casu* 8. Filliucius *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 6. *num.* 98. Facundez *præcep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 1. & 2. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 5. *quæstio* 4. Villalobos *tom.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 2. *n.* 4. Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccles. q.* 1. *puncto* 5. *n.* 3. Toletus *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 1. Et definiunt præceptum ex Cap. *Statuimus Dist.* 76. vbi decernitur, ieiunandum esse in quattuor anni temporibus nimirum in initio quadragesimæ, in hebdomada Pentecostes, in Septembri, & Decembri.

2 At ieiunium in hebdomada Pentecostes non esse de iure, sed tantum secundum consuetudinem docent Caiet. *verbo* Ieiunium *c.* 2. Syluest. *n.* 5. Et idē sentit D. Tho. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 5. *ad* 3. quatenus docet quod ieiunium exultationis non est in præcepto Ecclesiæ, tale autem est ieiunium illorum temporum cum incidat infra octauam Pentecostes, & celebretur cum Alleluia, & Gloria in excelsis. vt in Cap. *De ieiu. Dist.* 76. & docet etiā idē D. Th. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *ar.* 3. *q.* 1. *ad.* 5. Et ad Caput *Statuimus* posset responderi, quod in ipso non præcipitur ieiunium, sed tempus ieiunandi: ita vt Pontifex relinquendo ieiunium in suo statu, in quo erat ratione consuetudinis, solum ibi regulet tempus, in quo debeat fieri. Quod satis ex ipso tex. patet, nam ibi solum fit præscriptio temporis non ieiunij. Sic etiam Ecclesia alia solet præscribere quo ad modum, non obligans quò ad substantiam: vt constat in officijs sanctorum, quæ concedit ex deuotione recitanda, præscribit enim modum, & tempus.

3 Puto igitur, huiusmodi ieiunium non esse ex præcepto de iure, quia omnes canones de ipso loquentes decernunt tantum circa tempus, in quo debet celebrari, & supponunt institutionem ipsius: vnde est antiquius quocumque canone de ipso loquente, & fundatur, vt notauimus Decis. *præcedenti n.* 2. in traditione Apostolica, & proinde retinet statum, & conditionem, quam habuit ab huiusmodi traditione in ordine ad obligandum.

4 An autem hæc traditio contineat præceptum negatiuè respondet Franciscus Turrianus *in schol. n.* 2. *circa c.* 19. *lib.* 5. *Constit. Apost. apud* D. Clementem asserens, esse vnam ex illis traditionibus, quas S. Epiphanius *in Epitome fidei Catholicæ in descriptione Characteris Ecclesiæ Catholicæ* vocat traditiones non ex præcepto, sed ex susceptione voluntaria. Et hæc responsio fundatur etiam in ipsa Constitutione Apostolica *loco citato*, nam diuerso modo loquitur de hoc ieiunio,

ac

ac de ieiunio feriæ quartæ, & sextæ, quando enim loquitur de hoc ieiunio temporum ponit tamquam de æquitate: ait enim; *Aequum enim est tum lætitiam de dono Dei capere, tum post relaxationem corporis rursus ieiunare.* At quando loquitur de ieiunio feriæ quartæ, & sextæ, ponit ipsum apertè, vel de præcepto, inquit enim; *Præcipimus vobis quartis, & sextis ferijs ieiunare.* Vnde cum respectu vnius adhibeatur verbum præcipiendi, & non respectu alterius, signum est, quod vnum fuit institutum, vt de præcepto seruandum, non autem alterum, sed solum ex quadam congruentia, & æquitate. Vnde huiusmodi ieiunium est vniuersaliter acceptatum iuxta formam institutionis Apostolicæ, & sic semper transmissum per subsequentia sæcula vsque ad præsens.

5 Si autem loquamur de cœteris ieiunijs temporum, cum similiter originem trahant ex Apostolica traditione, vt diximus Decis. *præced. n.* 2. verisimile est, quod eodem modo fuerint instituta, & peruenerint ad sua sequentia sæcula per traditionē eiusdem rationis cum sit eadem ratio de omnibus.

6 Ieiunia enim quatuor temporum sunt instituta intuitu collationis Ordinum, vt habetur clarè ex ordine Romano *tit. de ieiun quattuor temp.* vbi *de miss. & officijs diuinis.* circa fin. *pag.* 6. *edit Romanæ* 1591. vbi ità habetur. *In quattuor temporibus, quando agimus duodecim lectionis, solemus ieiunare pro ordinandis quamuis ordinatio non fiat, etiam si præuenerint in Octauis Pentecostes, quando celebratur festiuitas septiformis spiritus, & Neophytorum. Vt autem hoc ieiunium celebretur in largitione sacrorum ordinum, Ecclesiæ primitiua mos obtinuit.* Ex quibus constat finis huius ieiunij; dirigebatur namq; ad obtinendam à Deo dignam electionem Ordinandorum, & dignam susceptionem Ordinum.

7 Huiusmodi autem ieiunia non erant omnibus communia, sed ijs solum, qui conueniebant ad processiones ad implorandam diuinam opem pro ordinationibus, vt desumitur ex eodem Ordine Romano vbi *de Renunciatione ieiuniorum pag.* 21. *&* 22. *in eadem editione.* ibi enim sub titulo. *Itèm inuitatio plebis de ieiun· &c.* habetur. *Hac hebdomada nobis mensis illius recensenda sunt ieiunia. Quapropter fidem vestræ dilectionis hortamur, vt eadem quarta, & sexta feria solitis processionibus exequentes Sabathorum diem vigilijs solemnibus expleamus.* Et rursus sub titulo sequenti. *Quarta ergo, & sexta feria solito conuenientes ocursu offeramus Deo spiritale ieiunium.* Quę satis declarant hæc ieiunia non fuisse omnibus communia, sed tantum Clero, & ijs, qui vt intercederent pro ordinandis se adiungebant Clero in processionibus.

8 Quin ex his ipsis locis elicitur, quod hæc ieiunia non cadebant sub obligatione quo ad Laicos, sed voluntariè assumebantur, sicut etiam voluntariè conueniebant ad processiones: Nam verba; *Ideoq; oramus sanctam fidem vestram, vt primi, quarti, septimi, vel decimi ferias ieiunemus.* Si enim populus hortatione, & præcibus ad hæc ieiunia inducebatur, profectò non aderat obligatio. Quod etiam habetur ex D. Leone Papa *serm.* 2. *de ieiun. decimi mensis.* ibi. *Quod temporis ratio, & deuotionis nostræ admonet consuetudo, pastorali vobis dilectissimi sollicitudine prædicamus. Decimi mensis celebrandum esse ieiunium.* Si ergò deuotionis admonet consuetudo, non est consuetudo obligans.

9 Quarè si in eodem statu hæc ieiunia permansissent, neq; de præsenti obligarent, quia traducta fuissent ad nos cum eadem qualitate actuum facultatiuorum prouenientium ex deuotione. Verum quia modo assumuntur ex alio motiuo, quàm ad implorandam diuinam opem pro ordinandis, de quo nemo ferè cogitur, nempe tanquam maceratiua, & satisfactiua, atque adeo in ordine ad satisfaciendum Deo pro peccatis, ideo mensurantur iuxta mensuram motiui, & ex eo animo continuata sunt, quem huiusmodi motiuum induxit, atq; adeo tamquam necessaria, & debita in satisfactionem.

10 Ratio enim naturalis ostendit, quod Creditori satisfaciendum sit, & quod persona offensa sit mediante obsequio placanda, præsertim quando illius ope continuò indigemus, & vnumquemque ad hoc teneri. Et consequenter ostendit etiàm, quod hoc ipsum speciali titulo respectu Dei seruandum sit, tū quia maximè interest, quod ipsum placatum habeamus; tum quia offensa ipsius est longè turpior, quam si esset offensa hominis. Vndè cum hæc ieiunia sint destinata ad satisfaciendum Deo, & hæc satisfactio sit debita ex iustitia, sequitur, quod exerceantur tanquam debita, & ex motiuo soluendi debitum atq; adeo, tanquam de obligatione. Et ideo cum communiter homines ea elegerint in hunc finem, ita elegerūt, vt simul tacite declararēt, velle se obligare ad satisfaciendum Deo hoc pacto. Et ita constat vnanimis consensus, quo se obligauerunt ad hęc ieiunia.

11 Hic autem est aduertendum. Non esse necessarium, vt consuetudo dicatur introducta cum animo se obligandi, quod interueniat explicita intentio imponendi sibi talem obligationem; sed sufficit, quod actus, quibus consuetudo introducitur, eligantur tanquam morali modo necessarij ad communem vtilitatem; nam hoc pacto declaratur animus se obligandi. Sicut enim in foro externo animus se declarat magis facto, quam verbis. *l. Certum ff.* Si *cert. pet.* & Cap. *Dilecti De appellat.* vbi Decal. *Not.* 2. Ancharan. *Consil.* 302. *post init.* Socin. Iun. *consil.* 97. *num.* 13. *lib.* 1. Gozadin. *cons.* 101. *num.* 125. Gram. *consil.* 13. *num.* 3. Ita etiam animus se obligandi in consuetudine magis exprimitur facto ipso interno, nempè iudicio de necessitate sic agendi, quam verbo *ipso* interno, quo quis apud te dicat, volo me obligare. Quod est valde notandum.

An in quibusnam peruigilijs sanctorum de iure ieiunandum sit. Decis. 170.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunandum in vigilia Natalis Domini de iure communi, & Assumptionis Virginis.*
2 *Item in vigilijs Apostolorum quibusdam exceptis.*
3. *In peruigilio quoque S. Matthiæ.*
4 *In quibus vigilijs Apostolorum ieiunia non fuerint aliquando in vsu.*
5 *Sabbato est ieiunandū, quando festum incidit in feria secunda, nec ieiunans alio die satisfacit.*

Ex

1 EX iure communi habetur primò ieiunandum esse in peruigilijs Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Virginis in Cœlum, ita ex cap. *Ex parte de obseruat. ieiuniorum*. Vnde omnia alia ieiunia in peruigilijs Festorum Christi Domini; aut B. Mariæ non sunt de iure, sed tantum vel ex deuotione, vel ex consuetudine, vel ex statuto particulari. Vnde nullum aliud ieiunium obligat vniuersaliter.

2 Præterea est etiam de iure ieiunium in peruigilijs Festorum Sanctorum Apostolorum, vt habetur ex cap. *Consilium de obseruatione ieiuniorum*. Excipitur tamen peruigilium B. Ioannis, quia incidit in die Natalis Domini, in quo non est locus ieiunio, & Sanctorum Philippi, & Iacobi, quia incidit inter Pascha, & Pentecostem, in quo tempore Ecclesia nullum indicit ieiunium. Ita in *eodem* cap. *Consilium*.

3 Peruigilijs autem Apostolorum additur peruigilium S. Matthiæ quia loco Iudæ adscriptus est numero Apostolorum: nam de hoc Consultus ita declarauit Innocentius III. vt habetur in dicto cap. *Ex parte. De obseruatione ieiuniorum*.

4 Est tamen aduertendum, quod ieiunia in peruigilijs quorumdam Apostolorum, aliquando saltem vniuersaliter non fuerunt in vsu, vt desumitur ex *sermo: 25. Ad Fratres in Eremo*, qui tribuitur D. August. ibi enim excipiuntur peruigilium Iacobi Taddei, Bartholomei, Thomæ, Matthiæ, & Io. Euangelistæ. Et propterea Palud: *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 3 conclus 2.* docet, Non esse ieiunandum in peruigilijs Bartholomei, Iacobi maioris, & Matthiæ ex præcepto, nisi vbi præceptum sit consuetudine receptum.

5 Rursus etiam aduertendum est. Quod quando Festum, in cuius peruigilio est ieiunandum, incidit in feria secunda, debet ieiunium in sabbato immediatè præcedenti anticipari, vt habetur ex cap. *Ex parte* De *obseruatione ieiuniorum*. Ex quo sequitur, quod si quis ieiunaret die Dominico, aut ante sabbatum, non satisfaceret præcepto ieiunij, quia in illo Cap. *citato* statuitur, vt die sabbati ieiunetur; vnde cum ieiunium sit alligatum diei, necesse est, vt illius onus suscipiatur in eo die, in quo præscribitur.

An ieiunio in Peruigilio Pentecostes sit de præcepto, & obliget ad mortale.
Decis. 171.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium in vigilia Pentecostes non est de iure.*
2 *Obligat ex consuetudine secundum communem sententiam.*
3 *Secundum alios nec ex consuetudine.*
4 *Consuetudo non obligat, quando non constat, an fuerit inducta cum animo se obligandi.*
5 *Non constat, quod consuetudo ieiunandi in vigilia Pentecostes sit inducta cum animo se obligandi.*
6 *Secundum aliquos non est inducta cum tali animo.*
7 *Vnde colligatur quod sit inducta cum tali animo.*
8 *Consuetudo non est obligatiua, nisi sit cum consensu superioris.*
9 *Non potest præsumi consensus principis pro consuetudine obligatiua, quando esset contraria legi, quæ in viridi obseruantia manutenetur.*
10 *Oppositio Leandri.*
11 *Per actum contrarium renunciatur priuilegio.*
12 *Lex & consuetudo ità accipienda, vt non corrigant ius præcedens.*
13 *Obseruantia constituit ius.*

1 NVLLIBI in iure reperitur præceptum de huiusmodi ieiunio. Vndè communiter docent, non obligare ex præcepto ad mortale, sed solum ex consuetudine. Nec enim deiumi potest tale præceptum, vt nonnulli putant ex cap. *De ieiunio. Dist. 76.* quia licet ibi habeatur, quod si ieiunium mensis Iunij contingat in vigilia Pentecostes debeat celebrari in hebdomada Pentecostes. Illa tamen verba (*Quia vigilia simul, & ieiunium celebrari non debet*) non sunt verba Concilij, vt ibid. Glosa notat. verbo *Quia vigilia*. Deinde etiam si essent posita à Concilio, non colligeretur præceptum de tali ieiunio, sed explicari posset, quod intelligeretur de vigilia quò ad celebrationem officij, & missæ solemnis, vel de ieiunio, quod ex deuotione celebraretur. Neque etiam desumitur ex cap. *Nosse. eadem Dist. 76.* quia ibi refertur tantum auctoritas D. Ambrosij, quæ non facit præceptum, neque dicit, quod sit ieiunandum ex præcepto: sed solum dicit, quod Festum Pentecostes debent celebrare cum non minori lætitia, quam celebraretur Festum Paschatis, quia similiter etiam ieiunauerunt in vigilia Pentecostes: vndè ad summum colligitur, quod ij, ad quos ipse loquebatur in illo sermone, ieiunauerint, non autem, quod soleret ieiunari de præcepto.

2 Itaque solum ex consuetudine obligare docent Syluester *verbo* Ieiunium *n. 5.* Azor *tom. 1 lib. 7 c. 13. q. 2.* Gabr. *In 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. notab. 2.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 5. quæstio 7. ver. Difficultas tamen manet* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q. 1. punc. 5. num. 3.* Filliucius *tr. 27. par. 2. c. 5. n. 101* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. c. 5. n 9.* Caiet *2. 2. q. 147. ar. 5. §. Ad hoc dicitur* Angel. *verbo* Ieiunium *num. 7. in fine.* Lessius *lib. 4. c. 2. dub. 9. n. 66.* ver *Præter hæc,* Sanchez *lib. 5. consil. moral. c. 1. dub. 18. n. 1.* Armilla *verbo* Ieiunium *n. 2.* cum Glosa *in Cap. Scire debet* verbo *Obseruantia Dist. 76.* Tamburin. *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 1. nu. 1. in vlt. editione.*

3 Quod tamen huiusmodi ieiunium non sit de præcepto, tenet Gratian *in Cap. Scire §. Necessario dist. 76. & in Cap Nosse §. Obseruantia casus. eadem Dist.* & D. Th. *2. 2. q. 147. ar. 5. ad 3.* vbi docet, quod ieiunium exultationis non debet cadere sub præcepto; sed esse ex instinctu Spiritus Sancti, & propterea non esse institutum ieiunium ab Ecclesia toto tempore Paschali. Granna *lib. 2. Decret. tit. 9. n. 13.* Ex hac autem doctrina sequi videtur, quod neque debeat cadere sub præcepto, seu obligare ex consuetudine, quia, cum consuetudo æquiparetur legi, non debet vt obligatiuum à consuetudine induci, quod non debet præcipi ab Ecclesia. Atque consuetudo non potest acquirere vim legis, quando lex contradicit quia tunc non potest præsumi cõfirmari à superiori nec ipsũ cõsentire dãdo vim legi. Vt autem habeat vim legis, requiritur ipsius cõsensus, vt docet cõmuniter ex *l. De quibus* & *l. Sed & eo ff. De legibus.* In casu

autem nostro lex contradicit, quia non approbat ieiunia pro tempore Paschali.

4 Atque hæc sententia habet fundamentum nõ paruum, nam tunc solum consuetudo habet vim obligandi, quando est inducta cum animo se obligandi, sine quo etiam si sit inducta à tota communitate, nõ sortitur vim obligatiuam: Ex quo fit, quod quando est incertum, an sit inducta cum animo se obligandi, incerta quoque sit obligatio, quia ex incerta causa non potest oriri certus effectus; obligatio autem, quando est incerta non sortitur suum effectum, quia tunc concurrit aliquid incertum cum certo, nempe vis obligatiua incerta, & certa possessio libertatis, & ius ipsius ad non se submittendum obligationi, quia libertas habet ius certum ad non se submittendum alicui obligationi, nisi constet, quod sit legitime imposita. Et in hoc casu valet regula, quod sit melior conditio possidentis. Et ita docet Suarez *De legib. c.* 15. *n.* 13. & sequitur Bossius *sect.* 4. *De iubileo Casu* 18. *n.* 30.

5 In casu autem nostro incertum est, an consuetudo ieiunandi in vigilia Pentecostes sit inducta cum animo se obligandi, quia non adest, vnde id desumatur. Et quamuis aliqui doctores affirment, esse inductam cum animo se obligandi, quia tamen non fuerunt contemporanei eorum, qui consuetudinem introduxerunt, non possunt de tali animo testificari ex notitia, quam de ipso habuerint, vt proinde tanquam testibus ijs sit fides adhibenda. Nec etiam eam asserunt ex aliquo motiuo, ex quo colligatur, quod cum tali animo fuerit introducta, quia nec ipsum habent, nec in medium afferunt: vndè merè gratis, & voluntarie id affirmant, quod non sufficit vt faciant constare de tali animo, & reddant obligationem certam. Nec valet dicere, quod mouentur ad ita asserendum, quia communis sensus populorum tenet, quod fuerit introducta cum tali animo se obligandi, nam ipsi habent talem sensum, quia isti Doctores asserunt, fuisse introductam cum animo se obligandi: vnde si Doctores ita asserant moti ex communi sensu populorum, committetur pulcher circulus, & nihil certi stabilietur.

6 Quod si eorumdem assertio faceret probabile ipsorum dictum, probabile quoque erit dictum aliorum, qui dicunt non esse introductam cum tali animo, vt D. Thom. *supra cit.* dum dicit, quod ieiunium exultationis debet esse ex instinctu Spiritus Sancti. Vnde cum instinctus Spiritus Sancti sit specialis in vnoquoque, & ipsi intrinsecus, & censeat, ieiunium in vigilia Pentecostes esse ieiunium exultationis, cẽset quoque, non esse ex consuetudine obligatiua, alioquin non esset ex instinctu Spiritus sancti, sed ab extrinseca obligatione exactum.

7 Accedit etiam, quod potius colligitur, quod talis consuetudo non sit inducta cum animo se obligandi. Nã nõ debet præsumi inducta consuetudo cũ animo se obligandi, nisi quando potuit rationabiliter induci, quia præsumendum est, quod fuerit rationabiliter inducta, alioquin non esset legitima consuetudo, sed abusus. Vt autem potuerit induci, debet potuisse tunc etiam sanciri lex de eodem, nam consuetudo est altera lex, & pro lege suscipitur Cap. *Consuetudo Dist.* 1. In casu autem nostro non potuit sanciri lex de ieiunio in vigilia Pentecostes, tum quia ieiunium exultationis non debet cadere sub præcepto, vt docet D. Thom. 2. 2. *citat. qu.* 147. *ar.* 5. *ad* 3. tum quia lex prohibet ieiunia toto tẽpore Pasquali Cap. *Scire Dist.* 76. vnde excludit à ieiunio vigiliam Apostolorum Philippi, & Iacobi Cap. *Consilium De obseruat. ieiunior.* ob eam rationem, quia incidit infra tempus Paschale ex quibus constat, quod non vult legẽ de ieiunio pro tali tempore.

8 Rursus, vt consuetudo habeat vim obligandi, non solum debet introducta cum animo se obligãdi, sed etiam debet esse approbata à superiore, vt de consuetudine obligante ad mortale docet Io. Valer. *De different. vtriusque Fori verbo* Consuetudo *Different.* 3. cum Soto *lib.* 1. *de iust. & iure q.* 7. *ar.* 2. & sequitur Bossius *sect.* 4. *de iubileo Casu* 18. *n.* 24. Et ratio est, quia à sola communitate habente facultatem condendi leges potest introduci consuetudo obligatiua, nam non potest haberi effectus à causa, in qua non est virtus; vnde nec effectus legis in consuetudine, nisi à virtute legislatiua, quæ solum est in communitate habente potestatem condendi leges. Communitas autem præcisa capite, seu superiore, sicuti est communitas acephala, & imperfecta, ita nec habet potestatem perfectam condendi leges, atque adeo, nec introducendi consuetudines obligatiuas. Quando autem superior non cõsentit, sed solum communitas non est consensus sufficiens, quia non est à perfecta communitate, apud quam residet potestas. Hinc vt introducatur consuetudo obligans vniuersitatem fidelium, requiritur consensus Romani Pontificis, siue solius, siue cum Concilio Generali, quia sine ipso non habetur communitas cum suo capite.

9 In casu autem nostro consuetudo ieiunandi in vigilia Pentecostes non potest esse introducta cum huiusmodi consensu, quia quando lex durat in sua rationabilitate, & in sua obseruantia manutenetur à Principe, non potest præsumi consensus principis contrarius legi, quia lex repræsentat voluntatem publicam ipsius, quæ dirigit communitatem, & proinde consuetudo non habet consensum principis, quando est contraria tali legi. Cur igitur lex de nõ ieiunando in tempore Paschali maneat adhuc in sua rationabilitate, & manuteneatur à Pontifice in sua obseruantia, non potest præsumi consensus ipsius pro introducenda consuetudine obligatiua ieiunij. Hæc dici possunt pro posteriori sententia, an autem in praxi sit amplectenda nolo decernere; sed hoc alijs iudicandum relinquo.

10 In his quoque non considerauit Leander *in præcep. Eccles. tr.* 4 *ct* 5 *disp.* 7 *q.* 11. verba supradicta, an autem in praxi sit amplectenda, nolo decernere, quæ liquidè declarant, me non ferre iudicium de hac opinione. Vnde neque ipse, neque Bordonus *in Miscellan Decis.* 65. neque Diana *par.* 10 *tract.* 16. *resolut.* 17. neque alij me recte citauerunt tamquam sequentem hanc opinionem. Neque recte Leander arguit contra me ad hominem. Quia cum dixerim *Decis.* 176. *n.* 6. Quod consuetudo abstinendi à carnibus in sabbato occurrente magno festo obliget ad mortale, non obstante, quod ex Cap. *Quia dies De consecrat. Dist.* 5. concedantur. Quærit vnde sciam, quod hæc praxis obliget ad mortale, cũ nesciam, an introducta sit cum animo se obligandi, & sit contra expressum ius. Si dixero quod scio ex praxi omniũ fideliũ, & ex communi sententia Doctorum, id ipsum cogor dicere de consuetudine ieiunandi in vigilia Pentecostes. Et quasi os concluserit, triumphum canit plaudente Diana.

11 Sed

11 Sed non animaduertit, quod adest præceptũ vniuersale abstinendi à carnibus in sabbatho, & proinde facultas comedendi occurrente maiori festo est priuilegium derogans præcepto, cui potest renunciari; vndè cum viderim omnes fideles etiam in maiori festo abstinere à carnibus, meritò inferre potui, quod hæc praxis obligat, tanquam ea, quæ continet actum contrarium priuilegio per quam ipsi renunciatur. *Cap. Gratum* De *offic. Deleg.* & Cap. *Ex ore* De his, *quæ fiunt à ma. par. Cap.* Vbi Doctores, sicut etiam in *Cap. Si de terra*, & in Cap. *Cum accessissent* De *constit.* At quod non sit ieiunandum in vigilia Pentecostes, & toto tempore Paschali est lex in fauorem lætitiæ illius temporis, & ideo praxis ieiunandi non solum est renunciatio priuilegij, imò est contra Ius, quod cum admittat solum ieiunia ex deuotione debet censeri introducta secundum mensuram Iuris, quia sicuti lex posterior ita accipi debet, vt quam maximè fieri potest vitetur correctio iuris. *l. Si quando* C. De *in offic. test.* & Cap. *Cum expediat.* De *elect. in 6.* ita etiam consuetudo, cum sit lex non scripta. Rursùs quod dixerim hanc praxim non obligare adest fundamentum ex dicto Glos. & D. Thom, *n. 3. citat.*

12 Hæc autem attuli vt ostenderem Leandrum non rectè impugnasse, quæ supra allata sunt, non autem, quia putem hanc opinionem esse tenendam cum oppositum tenendum sit ex eo capite, quod obseruantia declarat consuetudinem obligare. Potest enim obseruantia constituere ius, & facere, quod id obliget, quod de se non obligat *l. De quibus ff.* De *legibus*, & *l. Nulli ff.* Quod *cuiusque vniuersit.* & *l. Obseruare* §. 5. *ff.* De *offic. proconsul.* Vndè quamuis consuetudo non obliget ex eo, quia non constat, quod sit inducta animo se obligandi, obligat tamen, quia obseruantia ita declarat.

An ieiunium in peruigilijs S. Io: Baptistæ, S. Laurenti, & Omnium Sanctorum obliget sub mortali. Decis. 172.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium in vigilijs S. Io: Baptistæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum non de iure obligat, sed de consuetudine.*
2 *Non constat, quod hæc consuetudo sit inducta cum animo se obligandi.*
3 *Neque etiam constat ex traditione.*
4 *Vnde colligitur, quod sit inducta cum animo se obligandi.*

1 IN iure autem canonico nullum extat præceptum de ieiunando in his peruigilijs: vnde communiter docent, hæc ieiunia nõ esse de iure, sed de consuetudine, quæ tamen obtinuit vim legis. Ita Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. notab. 2.* Syluester *verbo* Ieiunium *n. 5.* Angelus *n. 7* Armilla *n. 2.* Azor *par. 1. lib. 7. c. 13. q. 1. ver. Quaro, an in peruigilio* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 5. n. 101.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 5. quæsito 7. ver. Quænam vero*, Villalobos *par. 1. sum: tr. 23. diff. 2. n 4.* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. 5. n. 3.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 9. n. 66. ver. Præter hæc* Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 5. n. 10.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 18. n. 1.* Et inter ieiunia obligantia ad mortale ponunt Innocent. Hostiens. Io: Andreas, Abbas, cæterique Canonistæ *in Rubrica De obseruat. ieiunior.* Limitant tamen omnes ad Ecclesiam Latinam.

2 Sed contra hæc quoque ieiunia militat difficultas allata Decis. *præced. n. 4. & sequentib.* quod nimirum non constat, an introducta fuerit cum animo se obligandi, an vero tantum ex deuotione: vndè etiã redditur incerta obligatio consuetudinis, atque vt incerta non potest præualere contra certam possessionẽ libertatis, vt ibi loco citato prosequuti sumus.

3 Et quamuis dici possit, quod ex traditione habeatur, quod fuerit inducta cum animo se obligandi, quia posteri accipiunt hæc ieiunia tanquam obligantia à suis antecessoribus, hoc tamen non iuuat quia non constat de hac traditione, quæ sit perpetua vsque ad initium horum ieiuniorum: neque quod posteri ea semper acceperint tanquam obligantia à suis antecessoribus; vnde adhuc remanet dubia obligatio consuetudinis.

4 Itaque ex eo solum capite mihi videtur firmari posse quod consuetudo sit inducta cum animo se obligandi, quod hęc ieiunia sint electa à Populo, vel ab initio, vel processu temporis ad satisfaciendum Deo pro peccatis iuxta dicta supra *Decis. 169. n. 9. & sequentib.* & ad propitiandos sibi sanctos in quorum honorem exhibentur. Tunc enim subintrat dictamen rationis dictans esse necessarium satisfacere Deo pro peccatis, & propitiare sibi sanctos tamquam intercessores nostros apud Deum: vnde consuetudo ieiunandi inducit conditiones intrinsecas legis, nimirum, quod sit vtilis, & ordinata ad bonum publicum, atque necessaria iuxta Cap. *Erit autem Dist. 4.* Atq; adeò poterit habere rationem legis, & ideo stante hac qualitate consuetudinis, & dictamine rationis, ex quo profecta est, debet præsumi, quod sit inducta cum animo se obligandi.

Quando ieiunandum sit cum vigilia S. Io. Baptistæ incidit in festo corporis Christi. Decis. 173.

SVMMARIVM.

1 *Quando vigilia S. Io. Baptistæ incidit in festo corporis Christi, anticipandum est ieiunium.*
2 *Prędicta anticipatio est de præcepto sub mortali.*

1 RESP. Anticipandum esse ieiunium in quarta feria eo pacto, quo anticipatur in sabbato ieiunium, quod incidit in die Dominico, ita sanciuit Leo X. in quodam *Breui misso ad Legatum Hispaniæ*, vt testatur Nauar. *c. 21. Manual. n. 11 ver. Porro* & nouissime Vrbanus VIII. in Constitutione *edita die 13. Octobris anni 1638.* quæ incipit *Cum euenire.* Ratio autem constitutionis in eo fundatur, quod ieiunium, vt pote quid mæstum, non debet misceri cum lætitia festiuitatis, & ideo cum Festum corporis Christi tanquam ex principalioribus, debeat celebrari cum speciali lætitia non est in ipso ieiunandum.

2 Est autem aduertendum, quod prædicta Constitutio Vrbani VIII. non indulget talem anticipationem ieiunij, sed præcipit, vt constat ex tenore ipsius: ita enim habet. *Propterea de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium sacris Ritibus Præpositorum consilio deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties vigiliam prædictam in dictum diem Festum solemnitatis Sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque à carnibus abstinendum, in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe feria quarta, prout ieiunaretur in ipsa vigilia, Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus.* Ex quibus constat, præceptum imponi de anticipando huiusmodi ieiunio. Et qui non anticiparet faceret contra præceptum, quod cum sit de re graui spectante ad debitam dispositionem ordinis ecclesiastici, censendum est, quod præcipiat sub mortali.

An in diebus Rogationum, & in Litanijs maioribus sit ieiunandum. *Decis.* 174.

SVMMARIVM.

1 *Quando instituta Litaniæ maiores, & Rogationes, & qua occasione additum ieiunium.*
2 *Qui doceant, esse ieiunandum in his diebus.*
3 *Non est ieiunandum in Litanijs maioribus.*
4 *Non adest præceptum de ieiunio in Rogationibus.*
5 *Neque etiam consuetudo obligans.*
6 *Solum ex consilio est ieiunandum in Rogationibus.*

1 LITANIÆ maiores institutæ fuerunt ante tempora D. Gregorij Papæ vt colligitur ex *lib.* 2. *Registri* sui: dum ait *Solemnitatis annuæ deuotionis nos dilectissimi admonet, vt litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, sollicitis, ac deuotis debeamus auxiliante Domino mentibus celebrare.* Rogationes quòque antiquissimæ fuerunt, nam de ijs meminit D. August. *in serm.* 178. *de tempore in Vigilia Ascensionis.* Eas autem instaurauit, & cum ieiunio coniunxit S. Mamertus *Viennensis Episcopus* ad implorandam diuinam opem contra terremotus, & incursiones ferarum, vt testatur Sidonius Appollinaris *apud Baronium tom.* 6. *Annal. anno* 475. & notatur in Martyrologio *Romano die* 11. *Maij.* & hanc consuetudinem amplexatæ sunt Germania, Anglia, Hispania, & Italia, quamuis postea paulatim ieiunium in desuetudinem abierit, & solum in aliquibus locis aliquod vestigium remaneat, nempe à carnibus tantum abstinentia: in alijs vero ieiunent feria secunda, & quarta, in alijs sola feria quarta. In alijs, neque etiam à carnibus abstineant. Mediolani tamen seruatur perfectum ieiunium in illis tribus diebus.

2 Aliquod autem ieiunium seruandum esse tam in diebus Rogationum, quam in Litanijs maioribus docet Syluius 2.2. *q.* 147. *ar.* 5 *quæstio* 6. ver. *His tamen* ex antiquissima consuetudine. Et videtur ita quoque sanciri in Cap. *Rogationes* De *Consecrat. dist.* 3.

3 Sed de institutione ieiunij in litanijs maioribus nullum habetur vestigium, nec vlla extat consuetudo, nec vlla mentio de ipso fit in corpore iuris: vnde nescio quo fundamento affirmari possit, quod aliquo modo sit ieiunandum, & modo in his temporibus praxis in vniuersalis est in oppositum.

4 At neque extat aliquod præceptum de ieiunio Rogationum. Nam in illo Cap. *Rogationes* De *Consecrat. Dist.* 3. habetur tantum consilium de ieiunio, seu approbatio consuetudinis de ieiunando in illis tribus diebus, vnde notat ibi Glos. *verbo Ieiunium.* suaderi ieiunium non præcipi. Quia nimirum Ecclesia non indicit ieiunium inter Pascha, & Pentecostem Cap. *Sacre Dist.* 76. & Cap. *Consilium.* *De obseruatione ieiunior.* Et docet D. Thom. 2.2. *q.* 147. *ar.* 5 *ad* 3.

5 Neque etiam ratione consuetudinis potest adesse hæc obligatio, quia constat non fuisse introductam cum animo se obligandi, siquidem introducta fuit ad implorandam diuinam opem contra mala, quæ Viennenses patiebantur, à S. Mamerto, vt diximus *num.* 1. & postea amplexata fuit ab his, & illis populis ob deuotionem, & pietatem, & proinde non habet vim obligandi.

6 Itaque communiter docent, quod nulla adsit obligatio ieiunandi, sed tantum consilium. ita Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *not.* 2. *circa finem* Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 15. *q.* 4. Filliucius *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 5. *n.* 102. Facundez *precep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Bonacina *disp. vlt. de precep. Eccles. q.* 1. *punc.* 5. *num.* 3. Villalobos *tom.* 1. *sum. tract.* 23. *difficul.* 2. *num.* 8.

An in feria quarta, & sexta sit ieiunandum. *Decis.* 175.

SVMMARIVM.

1 *Olim aderat præceptum obligans ad mortale ieiunandi quarta, & sexta feria.*
2 *Hoc ieiunium non fuit ex præcepto perfectum, sed tantum abstinentia à carnibus.*
3 *His temporibus sola feria sexta abstinendum à carnibus, non autem feria quarta.*

1 OLIM in veteri Ecclesia aderat præceptum ieiunandi in quarta, & sexta feria, vt desumitur ex *Constit. Apostolica apud* D. Clementem *lib.* 5. *c.* 19. *Const. Apost. in fine*, vbi dicitur *Præcipimus vobis quartis, & sextis ferijs ieiunare.* Ex Ignatio *Epist.* 3. *ad Philippenses Quarta, & sexta feria ieiunate.* Tertul. *contra Physicos cap.* 14. Clem. Alexand. *lib.* 7. *strom.* August. *Epist.* 86. & alijs, & habetur etiã ex iure Canonico Cap. *Ieiunia De consecrat. Dist.* 3. Et statuitur in *Can.* 68. *Apost. Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctam quadragesimam Pascha, aut quartam feriam, aut Parasceuem non ieiunauerit, deponitor. Si laicus sit, communione priuator.* Ex quibus constat; impositum fuisse ieiunium cum obligatione ad mortale, vt indicat non solum modus præcipiendi, sed etiam pœna grauis transgressoribus imposita, qualis est depositio, & excommunicatio.

2 An autem ieiunium horum dierum fuerit perfectum cum vnica tantum comestione, an verò imperfectum cum sola abstinentia à carnibus non satis constat. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 15. *q* 3. Facundez *præc.*

4.

4. Eccles. lib. 1. cap. 6. n. 5. putant fuisse ieiunium perfectum, & alij volunt, fuisse imperfectum cum sola abstinentia à carnibus; & hoc notat Turrian. *in cap. 19. lib. 5. Constit. Apost. apud* D. Clementem *num. 4. Adnotat.* Et colligitur etiam ex Cap. De *esu carnium.* De *consecrat. Dist.* 3. vbi Leo Papa Quartus huius nominis De *esu carnium* (nota loqui de solis carnibus) *vetustissima, & non improbanda traditio semper est tenenda, vt a cœnæ termino, quæ fit in principio noctis quarta feriæ, quæ lucescit in quarta feria, vsque in diluculum quintæ feriæ, & similiter à cœna noctis sextæ feriæ, quæ lucescit in sexta feria non imperitè ieiunatio vsque ad Sabbati lucem quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit protendatur.* Ex quibus patet, quod ieiunium horum dierum limitatur ad solam abstinentiam à carnibus. Puto tamen ex deuotione ieiunare ieiunio perfecto vt plurimum solitos fuisse; quod indicat Epiphan. *Hæresi 75.* dum ait. *Et per totum annum ieiunium seruatur in Catholica Ecclesia. Nam quarta, & pro sabbato* (nempè feria sexta) *vsque ad horam nonam, excepta Pentecoste per quinquaginta dies, ieiunium est imperatum,* Quare in Occidentali quoque Ecclesia huiusmodi ieiunium institutum fuit, vt constat etiam ex Cap. *De esu carnium citato.*

3 Modo tamen solum viget præceptum de abstinentia à carnibus in feria sexta. Præceptum autem ieiunandi in feria quarta, etiam cum sola abstinentia à carnibus, aut consuetudine abrogatum fuit aut quod verius puto, relaxatum. Vnde Nicolaus primus *Ad consulta Bulgarorum c. 5.* insinuat, ieiunium quartæ feriæ esse vnicuique liberum. Et constant hæc omnia ex communi praxi Fidelium, & notant Syluester *verbo* Ieiunium *q. 10. n. 27.* Riccar. *in 4 dist. 16. q. 3. ar. 1. notab. 2. circa finem* Azor. *1. par. lib. 7. c. 15. q. 3.* Villalobos *1. par. tr. 23. difficul. 2. num. 6.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q. 1. punc. 5. n. 3.* Filliucius *tr. 27. par. 2. cap. 5. num. 102.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 5. quæsito 5.* Facundez *præc. 4. Eccles. lib. 1. c. 6. n. 5.*

An in Sabbato sit ieiunandum: Decis. 176.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia Orientalis prohibuit ieiunium in Sabbato.*
2 *Ecclesia Occidentalis præcepit.*
3 *Modo ex præcepto solum est abstinendum à carnibus.*
4 *Variæ consuetudines in contrarium.*
5 *An, si festum ex solemnioribus incidat in sabbato, sit abstinendum a carnibus.*

1 ECCLESIA orientalis, atque adeo omnes Græci abhorrebant à ieiunio in die sabbati, vt habetur ex *Constit. Apost. apud* D. Clementem *lib. 5. c. 19. in fine.* ex D. Ignat. *Epist. ad Philippenses in fine* vbi ait. *Quicunque Dominicam, aut Sabbatum ieiunauerit, præter vnum sabbatum Paschæ, ipse est Christi interfector.* & ex Can. 66. Apost. *Si quis Clericus inuentus fuerit die dominico ieiunare, vel sabbato, præterquam vno solo, deponatur: sin autem laicus segregetur.* Hoc autem præceptum non ieiunandi non fuit traditum ab Apostolis in communi, sed tantum orientali Ecclesiæ, vt notat Turrian. *in citat. locum Constit. Apostolicar. n. 5.* Atque hic ritus defenditur à D. August. *in epist. 86. ad Casulanum contra Vrbicum.* Tertul. *in Apologet. c. 16.* Et fuit hoc præceptũ positum primo ob Simonianos, qui negabant, Mundum, à quo Deus creando requieuerat in sabbato, esse opus Dei: vnde voluerunt, hunc diem cum lætitia transigi, veluti pro gratiarum actione. Transijt quoque hic ritus ad nonnullas Ecclesias occidentis, vt de Mediolanensi constat ex D. Aug. *epist. 118. ad Ianuarium,* vt refertur in Cap. *Illa dist. 12.* vbi habetur. *Cum Romam venio, sabbatum ieiuno: Cum Mediolani sum, non ieiuno.*

2 Ecclesia autem occidentalis, & Romana sabbatum deputauit ieiunio, vt desumitur ex *Epist. D. Hieronimi ad Lucinium;* quæ refertur in Cap. *Vtinam Dist. 76.* & ex citato Cap. *Illa Dist. 12.* & ex *Cap. Sabbato. De consecrat. Dist. 3.* ex Concil. *Elibertino can. 26.* vbi Ecclesia Hispaniarum secutæ sunt morem Ecclesiæ Romanæ ieiunandi in sabbato. Similiter etiam Ecclesiæ Galliarum eumdem ritum sunt amplexatæ, vt constat ex *can. 12.* Concilij *Agathensis.* & refertur in cap. *Placuit de consecrat. Dist. 3.* & ex *can. 2.* Concilij *Aurelianensis quarti.* Similiter etiam aliquæ Ecclesiæ Africanæ, vt desumitur ex citata *Epist. 86. D. Aug. ad Casulanum.*

3 Nunc tamen non est in vsu ieiunium sabbati, sed tantum abstinentia à carnibus ex Cap. *Quia dies de consecrat.* Dist. 5. vbi Gregor. VII. *in synodo Romano* Sic sanciuit. *Quia dies sabbati apud Sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus, nos eorumdem auctoritatem sequentes salubriter admonemus, vt quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi maiori festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente) abstineat.* Et quamuis Glos. *doceat in hunc locum,* hanc abstinentiam non esse de præcepto sed de æquitate, & consilio, non tamen est audienda. Quia licet adhibeatur verbum *Admonemus,* quia tamen subditur, quod qui desiderat esse particeps Christianæ Religionis, debet in tali die abstinere à carnibus, admonitio cadit supra hoc non supra abstinentiam, vnde est admonitio, qua admonemur nõ de abstinentia, sed de ipso præcepto. Cum n. non sit particeps Christianæ Religionis, qui comedit carnes, procul dubio non seruat ea, cũ qua cõseruatur Christiana religio, atque adeo mortaliter peccat; Et hic est communis sensus: & ita tradunt Syluester *verbo* Ieiunium *p. 10. n. 28.* Azor. *par. 1. lib. 7. c. 15. q. 2.* ver. *Ex his omnibus* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 5. quæsito 5.* Facundez *præc. 4. lib. 1 cap. 6. n. 4.* Palud. *in 4. Dist. 15. q. 4. ar. 4.* Dillalobos *par. 1. sum. tr. 23. diffic. 2. n. 5.* Et sequutus est Leander *in præc. Eccles. tr. 6. disp. 7. q. 17.*

4 Est tamen aduertendum, quod Paludan. *concl. 2. citati ar.* docet. In Gallia à die Natalis Domini vsque ad Purificationem inclusiuè obtinuisse consuetudinem, vt carnes licitæ sint: quod nescio, an verum sit. Similiter etiam in quibusdam prouincijs Hispaniæ præsertim in Castella in omnibus sabbatis, exceptis sabbàtis quadragesimæ, quattuor temporum, & quando in ijs incidit aliqua vigilia Sanctorum, licita sunt ex consuetudine intestina animalium, & eorumdem extremitates, vt capita, & pedes, vt notant Doctores Hispani agentes de hac re, præsertim Facundez *præcepto 4. lib. 1. c. 6. n. 4.*

5 Quæres an si in sabbato incidat Festum aliquod ex solemnioribus, liceat tunc vesci carnibus: Resp. licere ex citato Cap. *Quia dies De consecrat. Dist. 5.*

nam

nam ibi dicitur; *Sabbato abstinendum à carnibus, nisi eo die maior festiuitas interueniat*. Sed praxis hoc ad Natalem Domini coarctauit.

An in Aduentu sit ieiunandum. *Decis.* 177:

SVMMARIVM.

1 *Olim in Aduentu ieiunabatur: sed non constat, an ex præcepto.*
2 *His temporibus nulla adest obligatio ieiunandi in aduentu.*
3 *Excipiuntur Religiosi, qui ex suis statutis obligantur.*

1 OLIM in Aduentu ieiunabatur, vt desumitur ex *Can.6.* Concil. *Matisconensis primi*, vbi dicitur, à Feria Sancti Martini vsque ad Natalem Domini, secunda, quarta, & sexta sabbati ieiunatur ex Cap. *Cõsiliũ de obseruatione ieiuniorum*, vbi dicitur, *Ieiunium etiam apud nos in Aduentu Domini agitur.* Et proinde quidam putant, Hoc ieiunium fuisse de præcepto, vt præsertim Facundez *præcepto 4. Eccl. lib. 1. cap. 6. num. 9.* Sed, vt bene aduertit Syluius 2. 2. *q. 147. ar. 5. quæsito 7. §. An hoc ieiunium.* non constat, an fuerit de præcepto; neque ex vlla auctoritate præsertim allatis colligitur præceptum, sed tantum, quod ieiunaretur, quod fieri potuit ratione consilij, & deuotionis.

2 His tamen temporibus non adest obligatio aliqua ieiunandi in Aduentu, vt constat ex Praxi, & tradunt communiter Doctores, præsertim Gabriel. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. not. 2* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 16. q. 3* Syluius, & Facundez *locis citatis in num. præced.* Filliucius *tr. 27. par. 2 c. 5. n. 102.* Tabiena *verbo* Ieiunium. q. 10. *n. 11.* Syluester *n. 5. in fine.* Tamburin. *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 2. num. 3.* in vlt. edit. Et sequutus est Leander *tr. 6. in prac. Eccles. disp. 7. q. 19.*

3 Excipiendi tamen sunt Religiosi illi, qui ex suis Constitutionibus, & statutis tenentur ieiunare, nam tenentur iuxta formam propriæ obligationis. Hæc tamen obligatio non est ab Ecclesia imposita, licet approbata, sed ab ipsa religione. Et est aduertendum, vt notat Tamburin. modo citatus, quod seclusa obligatione regulæ, non tenentur Regulares ad tale ieiunium ratione consuetudinis, quia non est consuetudo seruata ab ipsis ex animo se obligandi, sed ex deuotione.

An pro aliquo tempore prohibeatur ieiunium. *Decis.* 178.

SVMMARIVM.

1 *Cur ieiunium prohibitum fuerit in die Dominico, & sabbato.*
2 *In iure canonico non admittitur ieiunium pro tempore Paschali, nec in Dominicis, nec in die Natalis Domini.*
3 *Quando peccet ieiunans in prædictis diebus.*
4 *Ob exercitium virtutis licet ieiunare in quocumque die.*
5 *Quomodo id accipi debeat.*

1 ECCLESIA olim ab initio prohibuit ieiunare in die Dominico, & in sabbato, vt habetur ex *Constitution. Apostol.* apud D. Clement. *lib. 5. c. 19. in fine*, ex D. Ignat. *Epist. ad Philippenses in fine*; ex Can. 66. *Apost.* vbi dicitur, *Si quis Clericus inuentus fuerit die Dominico ieiunare, vel sabbato, præterquam vno solo, deponatur. Sin autem laicus segregetur*, & in die Dominico prohibetur etiam in synodo Grangena *can. 18.* his verbis; *Si quis propter eam, quæ existimatur exercitationem, in Dominico ieiunet sit anathema.* Hæc autem prohibitio fuit facta in detestationem hæreticorum, qui ex varijs erroribus ducti, docebant in his diebus ieiunandum.

2 In iure aut Canonico non admittuntur ieiunia toto tempore Paschali, vt habetur ex cap. *Post Pascha*, & cap. *Scire debet. Dist. 76.* & ex cap. *Consilium De obseruat. ieiunior.* Item in Dominicis diebus: neque ieiunium admittitur, ex cap. *Ieiunium. De consecrat. dist. 3.* Neque in die Natalis Domini ex cap. *fin. De obseruatione ieiuniorum.*

3 Ex quibus colligitur, quod si quis his diebus, aut in contemptum institutionis Ecclesiasticæ, aut ex aliquo errore, siue superstitione ieiunaret, peccaret grauiter, vt notant Doctores citandi, siquidem vel exerceret per talem actum superstitionem, vel protestaretur errorem, vel in re graui contemneret Ecclesiam, aut etiam, si ex quadam singularitate, vt notant Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 2. punc. 4. dub. 2.* Sanchez *lib. 2 sum. c. 37. n. 13.* qui tamen vult, esse solum veniale. Ghetius. *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium. *c. 3. n. 2. ver. circa primam.*

4 Ex deuotione tamen, & ob exercitium virtutis licet in quocunque die ieiunare ex cap. *Post Pascha*, & cap. *Vtinam Dist. 76.* habetur enim hoc posteriori loco. *Vtinam omni tempore ieiunare possimus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.* Et tradunt communiter Doctores D. Th. 2. 2. *q. 147. ar. 5. ad 3.* Caiet. *ibid.* Io: Medina C. *de ieiunio q. 10.* Nauar. *c. 21. Manual. n. 27.* Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 2. punc. 4. ver. Secundum dubium est.* Syluius 2. 2. *q. 147. ar. 5. quæsito 8.* Syluester *verbo* Ieiunium *n 6.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 5 n. 103.* Ledesma 2. *par. 4. q 17. ar. 4.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8. immediate ante 6. conclus.* Sanchez *lib. 2. sum. c. 37. n 17.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 5. n. 18.* Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *c. 3. n. 2. ver. Circa primam.* Tamburin. *De iure Abbat. tom. 2. disp. 12. q. 1. n. 4. in vlt. editione.* Reginal. *tom. 1. praxis fori pœnit. lib. 4. c. 12. n. 138.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 9. n. 67. ver. Respondeo.* D. Antonin. *par. 2. tit. 6. c. 2. §. 1. in fine* Abulensis *q. 162. in c. 6. Matth.* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. c. 5. n. 2.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q. 1. punc. 5. num. 3. ver. Respondeo* Sà *verbo* Ieiunium *nu. 7.* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 16. q. 7. & 8.* Angles *in Florib. q. 4 de ieiunio diffic. 3.* Bellar. *tom. 3 controuer. 3. lib. 7. c 23.* Laiman. *lib. 4. theol. mor. tract. 8. c. 2. n. 9.* Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5 disp. 7. q. 20.* Reccaful. *in Praxi tr. 6 de prac. Eccl. lib. 3. c. 8. n. 127.* Et ratio est, quia ieiuniũ est opus virtutis: opus autem virtutis semper est bonum, & licitum, nisi vitietur ex appositione mali finis.

5 Hoc tamen debet intelligi, vt non suscipiatur ieiunium contra consuetudinem Ecclesiæ, vt in die Dominico, quia hoc ipso, quod est contra talem con-

consuetudinem, quæ pro lege habenda est, sit irrationabile, cum sit contra rationabilem consuetudinem. Et ita docet D. Th. 2.2. *q*.147.*ar*.5.*ad* 3. cum D.Aug. *Epist*.36 *post init.*

An Episcopus possit transferre de vno die in aliũ ieiunium à iure communi indictum. *Decis.* 179.

SVMMARIVM.

1 *Decreta superioris non relinquuntur dispositioni inferioris.*
2 *Episcopus ex iusta causa potest transferre in alium diem ieiunium iuris communis.*
3 *Episcopus, vt executor iuris communis, potest mutare in executione circumstantias.*
4 *Qui habent iura Episcopalia possunt transferre in alium diem ieiunium iuris communis.*
5 *Prælati Regulares id quoque possunt pro suis subditis.*
6 *Hæc translatio fieri potest pro vno tantum loco, aut Ecclesia.*
7 *Ieiunia quattuor temporum an transferri possint.*
8 *Ieiunium an commutari possit ratione festi occurrentis.*
9 *Regulares, an teneantur sequi translationem ieiunij factam ab Ordinario.*

1 VIDETVR negatiuè respondendum, quia inferior non potest mutare legem superioris, nec quæ sunt determinata à superiore relinquuntur dispositioni inferioris, & proinde ieiunium determinatum pro certa die à Pontifice non poterit mutari ab Episcopo per translationem in alium diem.

2 Tenendum tamen est, quod Episcopus possit transferre huiusmodi ieiunia in alium diem, dummodo id fiat ex rationabili causa. Ita docent Innocent. *in Rubrica de obseruatione ieiuniorum*. Panorm. *ibid.* Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium *cap.* 3. *in fine* Syluester *q.* 7. *init.* Tabiena *n.*7. Angles *in Florib. q.*4. *de ieiunio, difficul.*3. *dub.*1. Armilla *verbo* Ieiunium *n.*6. Nauar. c. 21. *Manual n.* 11. Sylvius 2.2. *q.*147. *ar.*4. ver. *Quartum quando* Gordonius *lib.*6. *Theol. mor. q.*18. *c.*7. *init.* Gabriel. *in* 4. *Dist.*15. *ar.*3. *dub.*2. Homobonus de Bonis. *par.*2. *Exã. Eccles. tr.*8. *c.*7 *q.*13. ver. *Ad tertiam quæstionem.* Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2 *dub.*7. *n.* 21. Bizozerus *in sum. p.* 4. *de* 3. *præc. Decal. c. vlt. memb. vlt. n.*14 Naldus *n.*7. Reginal. *tom.*1. *praxis fori pœnit. lib.*4. *c.*17. *n.*224. Laiman. *lib.*4. *tr.*8. *c.*3. *n.*9. Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. quæst.* 1. *punc. vlt. disp.*19. Azor. *tom.*1 *lib.*7. *c.*18 *q.* 5. Facundez *præc.* 4. *Eccl. liq.*1. *c.*9. *n.*4. Villalob. *par.*1. *sum. tr.* 23. *diff.* 4. *n.* 22. Sanchez *lib.*5. *consil. c.*1. *dub.* 5. *n.* 26. Leander *tr.*5. *in præc. Eccl. disp.*10. *q.*39. & 42. Bossius *tom.*3. *mor. tit.*21. §.3. *n.*163. Palat. *in* 4. *dist.*15. *disp.*9. *in fine*, & passim Canonistæ *in Cap. Consilium De obseruat. ieiunior.* Io. Andreas, Butrius, Hostiensis. Et desumitur argumentum ex dicto cap. *Consilium. De obseruat. ieiuniorũ*, vbi ieiunium incidens in Dominica anticipatur in sabbato, & ex *Constit.* Leonis X. & Vrbani VIII. de qua supra *Decis.*172. vbi ieiunium vigiliæ S. Io. Baptistæ incidens in festo corporis Christi, anticipatur in feria quarta antecedenti.

3 Ratio autem, quia licet, quæ statuuntur in iure canonico, non relinquantur dispositioni Episcopi, committitur tamen ipsi executio ipsorum, vnde in exequendo debet prudenter procedere, & proinde executio est commissa eiusdem prudentiæ, per quam debet ipsam dirigere, & ideo licet non possit non exequi, quæ statuuntur in iure canonico, quando sunt exequenda, potest tamen mutare aliquam circumstantiam concernentem executionem, quando ita exigit prudentia, & proinde exequi in vno tempore, quod esset in alio exequendum. Quod præsertim habet locum, quando talis mutatio circumstantiæ est conformis iuri canonico, vt in casu nostro de translatione ieiunij in alium diem ex rationabili causa. Hoc enim præstat ipsum ius canonicum Cap. *Consil. de obseruat. ieiunior.* Neque admittit ieiunia in tempore lætitiæ, vt in tempore Paschali cap. *Scire debet. Dist.*76 Neque in Dominicis diebus cap. *Ieiunium De consecrat. dist.* 3.

4 Ex his autem deducitur; quod omnes Abbates, & quicumque alij, qui exercent iura episcopalia ita vt exempti sint à iurisdictione Episcopi, possint transferre ieiunia indicta à iure communi de vno die in alium diem. Cum enim habeant iurisdictionem fori ecclesiastici in hoc æquiparantur Episcopis: & pertinet ad ipsos dirigere illam ecclesiam, cui præsunt, & oues sibi commissas. Sequitur Leander *in præc. Eccl. tract.*5. *disp.* 10. *q.*40.

5 Deducitur etiam. Quod prælati Regulares habeant eamdem auctoritatem respectu suorum subditorum: exercent enim respectu ipsorum iura quasi Episcopalia, & sunt executores iuris canonici respectu eorumdem; & proinde tanquam ordinarij ipsorum possunt quò ad hoc, quicquid potest Episcopus respectu suorum subditorum.

6 Tertio colligitur, vt notat etiam Caiet. & Sylvius *supracitati* Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.* 5. *n.* 19. quod si in aliqua ecclesia speciali, aut loco alicuius diocesis contingat celebrari aliquod festum solemne, vt esset festum titularis, aut patroni, & eodem die incidat ieiunium indictum à iure communi, poterit pro ijs, qui sunt de illo loco, vel de illa Ecclesia, transferre ieiunium in alium diem, quia militat eadem ratio, ob quam potest transferri. Neque obstat, quod causa non sit vniuersalis, quia sicut lex non requirit causam vniuersalem, vt fieri possit dispensatio, sed tantum in ijs, cum quibus dispensatur, ita nec vt fiat immutatio in executione legis, quò ad aliquam circumstantiam, requiritur, quod causa sit vniuersalis, sed sufficit, si habeat locum in ijs, pro quibus fit immutatio. Sequitur Leander *in præc. Eccl. tr.*5. *disp.* 10. *q.*41.

7 An autem idem dicendum sit de ieiunijs quattuor temporum, si coincidant cum aliquo festo solemniter celebrato, negant Caiet. Sanchez, Bossius *n.* 2. citati, nullam tamen afferunt rationem diuersitatis. Solum videtur posse assignari, quia hoc ieiunium semper celebratur ijsdem diebus hebdomadæ, quibus est affixum. Sed hoc non puto obstare, quia talis affixio non est maior, quam sit affixio ieiuniorum in vigilijs; vnde probabile puto, quod possit transferri, cum militet eadem ratio.

8 Rursus an ieiunium ratione festi solemnis possit, nedum transferri, sed etiam in aliud opus pium commutari, affirmant Azor. & Bois. *n.* 2. *cit.* Quod tamen non placet quia Episcopus non habet facultatem commutandi quæ præscribunt leges, hoc enim

enim importat facultatem supra ipsas leges, quæ ipsis non conuenit. Non sic in translatione, quia hæc est secundum ius commune: & ideo potest Episcopus ex identitate rationis ipsum extendere ad alia ieiunia tamquam exequutor iuris communis, de quibus non disponit.

9 An vero Regulares teneantur sequi translationem ieiunij factam ab Ordinario affirmant Caiet *in um. verbo* Ieiunium c. 3. *in fine* Sanchez, & Bossius *n.* 2. citati. Sed oppositum puto tenendum, quia Regulares non subsunt dispositionibus Ordinarij, nec illius directioni, nec quoad ipsos est exequutor iuris communis.

An, quando ieiunium vigiliæ Festi S. Matthiæ Apostoli, incidit in duobus vltimis diebus Bacchanalium possit ab Episcopo in alium diem transferri.

Decis. 180.

---

1 *Causa cur ieiunium vigiliæ S. Matthiæ Apost. incidens in duobus diebus vltimis Bacchanalium, possit in alium diem transferri.*

2 *Potest Episcopus tale ieiunium in alium diem transferre, & vtiliter gerit negocium Ecclesiæ.*

3 *Non omnia, de quibus Pontifex non decernit, tacitè reprobat, præsertim si per alium fieri possint.*

4 *Consequentia à negatione facti ad negationem potentiæ non valet.*

4 *Vitare peccata est causa sufficiens transferendi ieiunia.*

1 VIDETVR negatiuè respondendum, nam causa, ob quam posset transferri, esset, quia in illis diebus solet à plurimis violari, cum non possint adduci, vt duobus vltimis diebus, quibus carnes comeduntur, proximè ante quadragesimam, ab ipsis abstineant. Hæc autem causa est, præuisa à Summo Pontifice, nec tamen instituit talem translationem; vndè tacitè videtur illam nolle.

2 Mihi tamen probabile videtur; quod possit Episcopus transferre in alium diem huiusmodi ieiunium. Et ita sentiunt Laiman *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3. *n.* 9. Diana *par.* 3. *tr.* 6. *Resol.* 66 & sequitur Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 3. *n.* 163. Imò Gobar. *de indulgent. par.* 2. *c.* 7. *n.* 332. testamus, quod in quibusdam Episcopatibus Germaniæ, quando vigilia S. Matthiæ incidit in feria tertia post Quinquagesimam solet ieiunium transferri in præcedens sabbatum. Adest enim causa valde rationabilis pro tali translatione, vt nimirum vitentur tot peccata, quot committuntur in violatione ieiunij: & Episcopus transferens, vtiliter gerit negocium Ecclesiæ. Vndè cum nemo præsumatur nolle propriam vtilitatem procurari, imò rationabiliter præsumatur, quod velit, adest sufficiens fundamentum interpretandi voluntatem Ecclesiæ, quod approbet huiusmodi translationem.

3 Neque obstat, quod *n.* 1. opponitur, quia licet Summus Pontifex nihil decreuerit de hac translatione, non tamen sequitur, quod tacitè illam reprobet sed potius, quod relinquat hoc curæ Ordinariorum. Scit enim, eos esse executores iuris communis; & et proinde sinit, quod ipsi prudenter disponant executionem, & prout cognoscunt concernere ad vtilitatem Ecclesiæ. Non enim censeri potest reprobatum ab ipso, quod per alios fieri potest.

4 Contra supradicta insurgit Leander *in prac. Eccles. tr.* 5. *disp.* 10. *q.* 42. primò. Quia causa, ob quam dicitur posse transferri, est præuisa à Summis Pontificibus, ergò cum nihil decreuerint, non putarunt sufficientem. 2. quia posset, quodlibet ieiunium incidens in festo transferri, quia adhuc adest causa vitandi peccati. 3. quia nunquam est auditum, quod fuerit translatum. 4. Quia iuxta ius commune solū ob occurrentiam alicuius festi potest transferri. Ad 1. nego conseq. Quia Pontifex non prouidet omnibus, quæ præuidet: an non ante Leonem X. fuit præuisa occurrentia vigiliæ S. Io. Baptistę, in die Corporis Christi, & tamen non fuit, nisi tunc translata. Ad 2. neg. conseq. Quia homines in festo ordinario non ita difficile abstinent à carnibus, sicut in diebus vltimis Bacchanalium. Ad 3. neq; vsque ad tempora Leonis X. fuerat auditum de translatione vigiliæ S. Io. Baptistæ, & tamen rationabiliter fuit translata. Nec valet consequentia, quod non possit fieri, quod nunquam factum est. Quis dicat non posse condi plures leges obuiantes pluribus abusibus à Summis Pontificibus, Episcopis: quas tamen nunquam est auditum conditas fuisse. Ad 4. Ius commune admittere vt causam rationabilem translationis ieiunij occurrentiam festi, non tamen excludere alias causas. Si autem vitare peccata est causa sufficiens relaxandi votum, vt quando quis non potest se continere, quod obligat de iure diuino, à fortiori erit causa sufficiens transferendi ieiunium. Hinc Boss. *tom.* 3. *mor. tit.* 31. §. 3. *n.* 163. ait Leandrum citatum irrationabiliter oppositum sentire.

An Prælati Regulares in Curia Romana possint pro suis subditis transferre ieiunium iuris communis de vno in alium diem.

Decis. 181.

---

1 *Præsumitur, quod Pontifex nolit in sua præsentia exerceri iurisdictionem circa ea, quæ sunt iuris communis, vt in num.* 3.

2 *Prælat. Regulares etiam in Curia Romana possunt transferre ieiunia de vno in alium diem.*

3 *Executor iuris communis habet illam facultatem, quæ est necessaria pro prudenti executione.*

4 *Pontifex non censetur præsens Monasterijs Curiæ Romanæ.*

1 NEGATIVA pars probari potest, quia cum sint in præsentia Summi Pontificis, non videntur posse aliquid immutare circa ea, quæ sunt iuris communis, nam non potest præsumi tacitus consensus, cum possit adiri ipse, aut qui eius vicibus funguntur; nec quod approbet, quod quisquam iurisdictionem sibi assumat in ijs, quæ sunt iuris communis.

2 Ex alio tamen capite videtur dicendum quod adhuc possunt, dum sunt in curia Romana, trāsferre ie-

ieiunium de vno in alium diem. Quia licet ius commune sit ius publicum, executio tamen ipsius apud monasteria priuato modo fit, & adhuc Prælatus Regularis est executor iuris communis in proprio monasterio: vnde punit transgressores ipsius, & potest etiam aliquando dispensare in ipso ex iuxta causa, vt in casu ipso ieiunij. Quare cum adhuc in curia Romana sit ipsi commissa quo ad proprios subditos executio iuris communis poterit iuxta exigentiam prudentiæ dirigere executionem; atque adeo ex rationabili causa transferre ieiunium de vno in alium diem Sequitur Leander *in præcep. Eccl. tr. 5. disp. 10. q.* 43.

3 Hinc patet, quid responderi possit ad id, quod pro opposita parte allatum est *n.* 1. Falsum est enim quod non possit præsumi tacitus consensus Pontificis; quia eo ipso, quod alicui est commissa executio alicuius legis, presumitur concessum totum illud arbitrium, & tota illa facultas, quæ requiritur ad prudenter exequendum; atque adeo facultas immutandi circumstantias executionis, quando prudentia exigit immutari, vt in casu nostro. Solum debet Pontifex præsumi inuitus, quod quisquam iurisdictionem sibi assumat publicam in ijs, quæ sunt iuris communis, & quæ sibi non competat in virtute executionis talis iuris eidem commissæ.

4 Addi etiam posset, quod Pontifex non censetur præsens Monasterijs, quæ sunt in curia Romana. Nam adhuc huiusmodi monasteria viuunt suis specialibus legibus, & constitutionibus, & adhuc exempta sunt extra regimen speciale, quo regitur Ciuitas Romæ, & solum illi subiecta vt vniuersali pastori, atque adeo in ordine solum ad vniuersale regimen. Et proinde cum non sit præsens aliquo speciali regimine, censetur, ac si esset absens: quia in hoc casu præsentia considerari debet habita ratione regiminis, cum sit præsentia iurisdictionalis.

An accedentes ad locum, pro quo ieiunium est translatum in alium diem, gaudeant beneficio translationis.

Decis. 182.

SVMMARIVM.

1 *Accedentes ad locum, in quo ieiunium est translatum, gaudent beneficio translationis, si communicent in causa, ob quam est facta.*

2 *Priuilegium loci extenditur ad omnes de loco.*

3 *Recedentes à loco translationis, an teneantur amplius ad ieiunium.*

4 *Accedentes ad locum, vbi ieiunium est impletum, non tenentur amplius ad ipsum, etiam si non impleuerint.*

5 *Inuitatus ab ijs, pro quibus ieiunium est translatum, non tenetur ieiunare.*

1 RESP. gaudere beneficio translationis, dummodo tamen accedant formali modo, hoc est cum communicatione in illa causa, pro quo facta est translatio. Vnde quando intuitu lætitiæ, qua debet celebrari aliquod festum in certo loco, aliquis accedit ad illum locum, vt cum alijs celebret festum, gaudebit beneficio translationis ieiunij: secus autem, si accedat ob alium finem, & non communicaret in celebratione festi, quia tunc non censeretur de illo loco formaliter; prout ipsi conceditur translatio ieiunij. Sequitur Leander *in præcep. Eccl. tr. 5. disp.* 10. *q.* 45.

2 Hæc decisio fundatur in eo, quod priuilegium transferendi ieiunium in alium diem, non est concessum intuitu personæ, sed intuitu loci, quia videlicet conceditur ob causam, quæ militat in tali loco, nempe ob celebritatem festi: & proinde se extendit ad omnes, qui sunt de tali loco. Quia autem priuilegium locale sequitur locum, & conuenit omnibus, qui sunt de loco, ideo tale priuilegium debet extendi ad omnes qui fiunt de tali loco vt priuilegiatus est, nam tunc, sicut trahunt ad se locum vt priuilegiatum, ita etiam trahunt priuilegium.

3 An autem teneantur alio die ieiunare, si recedant ab illo loco, & redeant ad locum, in quo ieiunium translatum fuit. Resp. negatiue, quia iam illud ieiunium non amplius ipsos obligat, nam translatio non est facta intuitu personæ, sed intuitu loci, & proinde cum non maneant in loco, pro quo translatum est, nec etiam obligatio, quæ translata est in alium diem pro ijs, qui sunt de tali loco, consequitur ipsos, & cum illam non reperiant in loco, apud quem degunt, eximuntur. Vnde est eadem ratio de ipsis, ac de ijs, qui accedunt ad locum, in quo ieiunium est
4 iam completum, qui non tenentur adimplere, licet antea non compleuerint, quod etiam contingit in diebus Festis, vt docent Abbas *in Cap.* A *nobis.* 1. *nu.* 11. *De sentent. Excommunicat.* Felin. *ibid. n.* 6. Couaruu. *lib.* 4. *Variar. c.* 20. *n.* 8. Philiar. *tom.* 1. *De officio sacer. par.* 2. *lib.* 3. *c.* 32. *§. Est vero notandum.* Lopez. 1. *par. Instruc. c.* 52. *§. Vnaquaquè ciuitas.* Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 5: Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 15. *ar.* 4. *dub.* 2. ver. *Sequitur ex dictis.* Henriquez *lib.* 7. *sum. c.* 13. *n.* 8. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. c.* 18. *n.* 18. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus festis c.* 13. *n.* 3. Facundez *præcepto* 1. *Eccl. lib.* 1. *c.* 7. *nu.* 3. Bossius *sect.* 4. *de iubileo. Casu* 18. *n.* 39. & alij plures, qui citantur ab ijsdem Doctoribus. Et ratio clara est quia nemo subditur legi, etiam si sit de iure communi, nisi quatenus hic, & nunc obligat; præceptum autem ieiunij non obligat tali die in tali loco.

5 Ex dictis colligitur, eum, qui inuitatur ad prandium ab ijs, pro quibus ieiunium est translatum in alium diem ob festum solemne, quod in ipsorum Ecclesia peragitur, non teneri ad ieiunium. Ratio est, quia communicat cum ijsdem in lætitia, & celebratione solemnitatis, & proinde debet gaudere priuilegio. Atque si amplius cum ipsis non commoretur, non tenebitur amplius ad ieiunium si sit dilatum ad aliquem ex sequentibus diebus, quia talis translatio non est facta extra illum locum.

An regulares ratione itineris possint transferre ieiunium in alium diem.

Decis. 183.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ratione itineris possunt transferre ieiunium in alium diem.*

S 2 Com-

2 *Communicatio priuilegiorum facit, vt priuilegia censeantur immediate concessa.*

1 RESP. Minores de obseruantia posse transferre, etiam si sit ieiunium iuris communis ex priuilegio Leonis X. vt refertur in Compendio *priuilegiorum eorumdem. Minorum* verbo *Itinerantes*, & notat Sorbus *in compendio priuilegiorum Mendicantium Tit.* Ieiunium. *n.* 4. Et proinde omnes Religiosi, qui habent communicationem priuilegiorum fruuntur dicto priuilegio, vt notat etiam Peregrinus noster *in compendio priuilegiorum Tit.* Ieiunium §. 3.

2 Sed dubitari potest, an cœteri Regulares gaudeant dicto priuilegio, nam non militat in ipsis ratio, ob quam concessum est Minoribus de Obseruantia: est enim concessum, quia pedestres iter agūt At hoc non obstat, quia concessio communicationis priuilegiorum facit, quod singula priuilegia censeantur concessa illi, cui fit talis communicatio, & ideo non requiritur in ipso, quod militet eadem ratio, quæ militabat, quando primo fuit concessum, quia hoc non requiritur in communicatione, sed cum absolutè concedatur communicatio, absolutè etiam, & independenter à quacunque ratione concessa intelliguntur priuilegia.

An non ieiunans die præscripto teneatur amplius ieiunare. *Decis.* 184.

SVMMARIVM.

1 *Qui non ieiunat die præscripto, non tenetur amplius ieiunare.*
2 *Ieiunium præscriptum pro certo die est onus diei, quod transit cum ipso.*
3 *Dominica non habet annexum onus ieiunij, sed sabbatum pro ipsa.*
4 *Quando ieiunium non est annexum diei determinato, onus ieiunandi non transit cum die.*
5 *Obligatio adimplendi aliquid intra certum tempus, non transit elapso termino.*
6 *Paludani sententia quomodò accipienda.*

1 RESP. non teneri alio die ieiunare; quod tamen debet intelligi, quando ieiunium est affixum diei determinato. Et ita docent Palud. *in* 4. *dist.* 15 *q.* 4. *ar.* 5. *circa finem.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 8. *n.* 22. Angelus *num* 21. Tabiena *n.* 14. Rosel. *n.* 24. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *c.* 20. *q.* 5. Nauar. c. 21. *Manual n.* 27. Lessius *lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 3. *n.* 18. Filliucius *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 84. Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. quæst.* 1. *punc.* 6 *n.* 3. *vers. Respondeo neque teneri.* Reginal. *lib.* 4. *praxis fori pœnit.* c. 14. *dub.* 12 *n.* 188. Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. c. 10. *n.* 5. Abbas *in c.* 1. *De obseruat. ieiunior.* Angles *in Florib. q.* 4. *de ieiunio, difficul.* 2. *dub.* 1, *proposit.* 2. Lublinus *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 13. Ghilinus *eodem verbo. n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n* 6. Leander *par.* 3. *in præcep. tr.* 5. *disp.* 1. *q.* 14. Roccaful. *in Praxi tr.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 130.

2 Ratio autem Decisionis est, quia tunc ieiunium, cum sit statutum pro certo die, est onus diei: vnde sequitur diem, & transit cum ipso: vt est etiā onus audiendi missam in die festo; onus recitandi horas canonicas, & alias huiusmodi.

3 Nec obstat. Cap. *Ex parte de obseruat. ieiunior.* vbi statuitur quod ieiunium incidens in die Dominico, celebretur sabbato antecedenti. Nam hoc ideo non est statutum, quia ieiunium non sit onus diei; sed quia, quando esset annexum diei Dominico, lætitiæ festi non congruit, quod in illo die celebretur, & proinde annectitur antecedenti diei. Quare ex incapacitate diei Dominici fit onus sabbati iuxta Constitutionem canonicam. vnde transit etiam cum sabbato.

4 Quando autem ieiunium non est annexum diei determinato, tunc onus ipsius non transit cum ipso die, sed transfertur ad sequentes, quod etiam est verum, quando præfigitur terminus, infra quem est ieiunandum, quia tunc talis terminus non præfigitur, vt onus ieiunandi alligetur tempori, quod illo termino clauditur, sed ne vltra ipsum differatur, vnde si differatur committitur peccatum, non tamen
5 cessat obligatio: vnde si quis voueat semel ieiunare infra mensem, & non ieiunet, non liberatur obligatione ieiunandi, nam duplex obligatio continetur in illo voto, nempe ieiunandi, & ieiunandi intra tale tempus. Sic etiam qui tenetur soluere intra tale tempus, si non soluat, non liberatur obligatione soluendi, vt in *l. Celsus* §. *Sed ipse ff.* De receptis arbitris. vbi enim dicitur. *Si cui præcipitur, vt soluat intra Calendas Ianuarias, & non soluit, debet deinde soluere: quia duo mandata in vno continentur, nimirum vt soluat, & soluat intra Calendas Ianuarias.* Et similiā habentur in Cap. *Cum dilecti De dolo, & contumacia.*

6 Hic reprehendor à Leandro *n.* 1. citato quod malè citauerim Paludanum. Sed ipse non aduertit, quod quando Paludan. dixit, qui non vult ieiunare, & per secundam comestionem factus est impotens ad non ieiunandum, loquitur de ieiunio, quod continet duo præcepta, nempè ieiunandi, & certo tempore ieiunandi, non autem, quando ieiunium continet vnicum præceptum, quale est ieiunium affixum diei, de quo procedunt auctores citati *n.* 1. & de ieiunio continente duo præcepta tenui etiam cum Paludano *n.* 4. & 5.

DE OBLIGATIONE IEIVNANDI ET EXEMPTIONE AB IPSA RATIONE LOCI.

An regulares teneantur ad ieiunia loci, quæ ex consuetudine obligant.
Decis. 185.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non tenentur ad ieiunia locorum, quæ obligant ex consuetudine.*
2 *Quos obliget consuetudo.*
3 *Cur consuetudo sæcularium nõse extendat ad Regulares.*
4 *Regulares non tenentur ad ieiunia, quæ ex consuetudine obligant clericos sæculares.*
5 *Clerici sæculares non obligantur ad ieiunia, quæ ex consuetudine obligant laicos.*
6 *Cur consuetudo inducta à laicis cum consensu Episcopi non obliget Clericos sæculares.*
7 *Laici non obligantur ad ieiunia Regularium, nec Clericorum sæcularium.*
8 *Moniales non tenentur ad ieiunia, ad quæ laici, & Clerici sæculares tenentur ex consuetudine.*

1 NEGATIVAM sententiam certam puto, & eam tradunt omnes communiter Palud. *in 4. dist.* 15 *q.4. ar.3.* Rosella *verbo* Ieiunium *n* 16. Syluester *ibid. q.2.n.* 7. D. Antonin. *par* 2.*tit.6. c.2. §* 6 Azor. 1.*par. lib.* 7.*cap.* 19.*q.2.* Medina *C. de ieiunio q.*10.*initio.* Ledesma 2.*par.* 4. *q* 17 *ar.* 3.*ver. Tertio dico*, Angles *in Floribus q.4 de ieiunio diffic.* 2.*ver. Hinc consuetudo sæcularium.* Reginal.*tom.1.praxis fori pœnit. lib.*4 *n.*135. Bonacina *tom.*2.*disp. vlt. de prae. Eccl. q.*1.*punc.* 6.*num.* 5. Sanchez *lib.*5.*consil moral. c.* 1.*dub.* 3.*n.*1. Rodriquez *p.*4.*sum.c.* 110.*n.*4. Bossius *sect.* 4.*de iubileo casu* 18.*n.*32. Vega *par.*1.*sum.c.*14. *de ieiunio Casu* 11. Trullench.*lib* 3.*in Decal.c.*2.*dub.*5.*n.*2.& *dub.* 6.*n.*7. Tamburin. *De iure Abbatum tom.*2.*disp.*12.*q.*3. *n.*2 in vlt. editione. Lezana *verbo* Ieiunium *n.* 7. Villalob. *par.*1. *sum. tract.*23.*difficul.* 5.*num.*5 Facundez *praecep.*4.*Eccles. lib.*1.*cap.* 7 *num.* 2. & 3. Bordonus *in Resolut. Varijs Resolut.* 18.*n.*5. Hieronimus Rodriquez *in Compend. Reg.q. Resol* 75.*n* 18. Roccaful. *in Praxi tr.* 6.*de prae. Eccl c* 9 *n.* 192. Leander à Murcia *in cap.*3. *Reg. S. Francis. q* 6 *n.*5.

2 Ratio est: Quia consuetudo non potest obligare nisi communitatem, à qua introducitur, quia obligatio non aliunde prouenit, nisi ex animo se obligandi; consuetudo autem inducta à sæcularibus cum animo se obligandi non prouenit à religiosis, quia Religiosi non communicant cum sæcularibus, vnde dicuntur mortui mundo, & proinde non faciunt cum ipsis vnam aliquam communitatem.

3 Deinde consuetudo non obligat in quantum habet vim Legis Cap. *Consuetudo Dist.* 1. & proinde obligat eos solum, ad quos vim legis se potest extendere: vis autem legis sæcularis non potest se extendere ad Regulares, quia sicuti non subijciuntur potestati sæculari, ita nec legibus ipsius, & ideo nec etiam consuetudini sæcularium obligari possunt.

4 Atque ob eamdem rationem, vt notant Doctores citati n.1. nec etiam Regulares obligantur ad ieiunia, ad quæ ex consuetudine obligantur Clerici sæculares. Neque enim faciunt cum ipsis vnam, & eamdem communitatem, sed diuersam, quia sunt exempti a iurisdictione Episcopi, & ideo non congregantur sub ipso tanquam sub capite vna cum Clericis sæcularibus, atque adeo consuetudo clericorum non est simul consuetudo Regularium, & ideo ipsos non obligat.

5 Rursus, nec clerici sæculares obligantur ad ieiunia, ad quę laici ex consuetudine obligantur, quia cum sint in diuerso ordine, non constituunt vna cum laicis eamdem communitatem, sed habent viuere secundum diuersas leges, & cum non subdantur potestati laicali, nec etiam subdi possunt consuetudinibus proprijs ipsorum.

6 Nec obstat, quod, cum talis consuetudo sit in in ordine ad spiritualia, inducatur à Laicis, vt subduntur Episcopo, & proinde habeat vim etiam ab auctoritate Episcopi, quæ se extendit etiam ad Clericos. Nam Episcopus consentit in talem consuetudinem solum vt prouenientem à laicis potentibus se obligare & non potentibus obligare clericos, & ideo ad hos non se extendit obligatio.

7 Similiter, vt notant ijdem Doctores, nec laici obligantur ad ieiunia Clericorum, aut Regularium, ad quæ ex consuetudine obligantur, quia sicut non faciunt vnicam communitatem, ita nec communicant in consuetudinibus.

8 Denique neque Moniales tenentur ad ieiunia quæ ex consuetudine obligant Laicos, & Clericos, quia licet simul cum ipsis vniantur sub Episcopo, tamquam capite, vniuntur tamen secundum propriam Regulam, atque adeo vt faciunt distinctam communitatem à Laicis, & Clericis Vnde quando consentit in consuetudinem ipsorum, non consentit vt caput Monialium, nec vt iurisdictio ipsius se extendit ad ipsas, & proinde non refundit obligationem consuetudinis in Moniales.

An, quando consuetudo loci est vniuersalis, obligentur etiam Religiosi ad ieiunia loci. Decis. 186.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo loci, quando est vniuersalis, obligat Religiosos ad ieiunia secundum aliquos.*
2 *Non obligat.*
3 *Quando ad consuetudinem non concurrunt omnes Regulares, non obligat non concurrentes.*
4 *Cur neque obliget concurrentes, etiam si omnes concurrant.*
5 *Superiores locales Regularium non possunt dare vim consuetudini, & quare.*
6 *Regulares non tenentur ad ieiunia prouinciæ ex consuetudine.*
7 *Quomodo comprobatio det vim consuetudini.*
8 *An Regulares teneantur seruare Festa, quæ sunt de consuetudine.*

1 AFFIRMATIVE resp. Azor. Azor. 1. *par. lib.* 7. *c.* 19. *q.* 2. Reginal. *tom.* 1. *praxis fori pœnit. lib.* 4. *n.* 135. Bonacina *tom.* 2. *disp. vlt. de pracep. Eccl. q.* 1. *punc.* 6. *n.* 5. Hieronimus Rodriq. *in compend. q. Regul. Resol.* 75. *n.* 18. Villalobos *par.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 5. *n.* 6. Facundez *pracep.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 7. Portel. *in Dub. Regul. verbo* Festi dies *in Addit n.* 4. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *de ieiunio Resol.* 36. *in fine.* Rodriquez *par.* 4. *sum. c.* 110. *n.* 4. Ghilinus *verbo* Ieiunium *n.* 25. Bossius *sect.* 4. *de iubileo, Casu* 18. *n.* 32. Peirinus *q.* 1. *de Prælato Relig. c.* 8. *n.* 22. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 2 & *dub.* 6. *n.* 7. Taburin. *tom.* 2. *De iure Abbat. disp.* 12. *q.* 3. *n.* 1. *in vltima editione.* Lezana *tom.* 1. *q. Regul. c.* 11. *n.* 13. & *verbo* Ieiunium *n.* 7. Nouarius *in Lucerna Regul. verbo* Ieiunium *n.* 3. & 3. Pellizar. *tom.* 1. *manual. tr.* 5. *c.* 5. *n.* 50. Quia nimirum sunt ieiunia communia moribus omnium in illo loco degentium approbata, & Religiosi sunt membra talis populi, & participant de eius bonis. Vndè etiam dies festi alicuius loci, qui omnium consuetudine coluntur, seruantur etiam à Regularibus.

2 At negatiuam sententiam tradunt Siluester cum Archidiacono *verbo,* Ieiunium. *q.* 2. *n.* 7. Rotella *ibid. n.* 16. Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 3. D. Antonin. 2. *par. sum. tit.* 6. *c.* 2. §. 2. Philip. à Cruce Vasioncillos *tr. de Decimis* §. 2. *n.* 4. *ver. Suppongo lo tercero.* Martin à S. Ioseph, *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tr.* 4. *de Ieiunio n.* 3. Bossius *tom.* 3 *moral. tit.* 21. *n.* 192. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de pracep. Eccl. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 192. Leander à Murcia *in c.* 3 *Reg. S. Francisc.* 2. §. 2. *n.* 29. dum asserit obligare tantũ, si consuetudo sit in obseruãtia apud Religiosos. Bordonus *in suis Consil. Regul. Resol.* 18. *n.* 5. Quia consuetudo non est maioris efficaciæ, quã sit lex Cõcilij, & Synodi Ordinariorum; vnde si talis lex, etiam secundum præfatos Doctores, non obligat Religiosos, nec etiam obligabit consuetudo.

3 Hanc sententiam, antequam eam reperissem apud Bordonum, pro certa habebam, nam possumus hanc consuetudinem dupliciter considerare. primo quidem, si Religiosi ad eam non concurrant, aut si aliqui concurrant, non concurrant autem cæteri. Et tunc certum puto, quod qui non concurrunt ad talem consuetudinem, nec etiam possint ab ipsa obligari. Qui enim non habent potestatem condendi leges, nec etiam possunt inducere consuetudinem, vt optime notant. Bar. *Consil.* 136. Alex. *Consil.* 173. *n.* 12. Rolan. *Consil.* 5. *n.* 74. *lib.* 1 dicens, hanc esse communem opinionem. Tiraquel. *tr. de Primogen. q.* 16. *n.* 2. Ludouisius *Decis.* 162. *n.* 2. Et ratio manifesta est, quia consuetudo non obligat, nisi habeat vim legis, nec potest participare vim legis, nisi à potestate factiua legis. In casu autem nostro communitas, etiam si cum ipsa coniungantur aliqui Regulares non habet potestatem condendi leges obligantes Regulares, qui non concurrunt ad consuetudinem, nam sunt omnino exempti à tota hac communitate, nec aliquo pacto subijciuntur potestati ipsius: vnde nec etiam potest dare vim consuetudini, vt ipsos obliget.

4 Si verò consideremus hanc consuetudinem tanquam eã, ad quã concurrunt etiam ipsi Regulares, neque adhuc habet vim ad ipsos obligandos ob eamdem rationem. Nam in tantum videtur obligare, in quantum ipsi quoque concurrunt ad consuetudinem; sed ex hoc quod concurrant, non oritur in ipsis obligatio, nam non habent potestatem condendi leges pro sua communitate degente in tali loco, nam totum ius condendi leges apud Regulares est penes capitulum Generale, aut ad summum apud Capitulum Prouinciale, non autem apud communitatem illius loci; Et ideo cum consuetudo non obliget, nisi acquirat vim legis, nec possit acquirere vim legis, nisi inducatur ab eo, qui habet potestatem condendi leges, consuetudo in casu nostro, licet inducta etiam à Regularibus, non obligabit ipsos. Et propterea in Decisionibus Moralib. *Decis.* 415. *num* 4. dixi cum Abbate *in Cap. Cum tanto. num.* 8 *De consuetudinibus,* & alijs, quos ibi citaui. Communitatem mulierum non posse inducere consuetudinem obligantem, quia vt communitas imperfecta non habet potestatem condendi leges.

5 Quod si dicas, Ad hanc consuetudinem concurrere etiam Superiorem loci, qui habet potestatem obligandi subditos, & proinde etiam apud ipsos acquirere vim legis. Resp. Superiores locales non posse obligare subditos noua obligatione per modum legis, quia neque ipse habet potestatem condendi leges, sed tantum potest cogere ad satisfaciendum obligationi, ad quam tenentur ex regula, & ea de nouo imponere per modum præcepti, aut ordinis personalis, quæ sunt secundum exigentiam regulæ. Consuetudo autem non obligat, nisi acquirat vim legis, quam à tali superiore non potest acquirere.

6 Ex quibus deducitur, quod Regulares, non tenentur ad ieiunia Prouinciæ, quando obligant ex generali consuetudine prouinciæ, etiam si consuetudo confirmata sit in Synodo prouinciali, quia non subduntur Constitutionibus Synodalibus, vt infra dicemus. Militat enim eadem ratio, quia neque tota prouincia potest condere leges obligantes Regulares, cum non sint subiecti potestati ipsius, atque adeo nec dare vim consuetudini ad ipsos obligandos.

7 Vnde

7 Vnde solutum manet, quod adducebatur pro prima sententia, quia licet consuetudo sit moribus omnium comprobata, non tamen potest obligare eos, ad quos non se extendit comprobatio secundum potestatem legislatiuam, quia comprobatio dat vim obligandi consuetudini, quatenus est comprobatio potestatis legislatiuæ. Vnde sicut Regulares non communicant in eadem potestate legislatiua cum communitate, ita nec etiam in comprobatione, quæ dat vim obligandi consuetudini. Quare nec sunt membra talis populi, quo ad regimen particulare, sed solum prout simul cum ipsis communicant in corpore Ecclesiæ sub supremo capite Romano Pontifice. Participatio autem de bonis sæcularium non obligat Religiosos, vt teneantur seruare ipsorum consuetudines, sed ad summum vt debeant ipsis inseruire in spiritualibus.

8 Nec est eadem ratio de Festis, nam Regulares tenentur seruare festa, non quia obligentur à consuetudine, sed quia Concil. Trident. præcipit *sess. 25. c. 12. de Reformat. Regul.* Quod festa ab Episcopo indicta seruentur etiam à Regularibus; & quia quæ obligant ex consuetudine, obligant cum consensu Episcopi, ideo ad hæc quoque tenentur Regulares. Quamuis dici posset, quod cum Concil. loquatur de Festis, quæ seruanda præcipiuntur ab Episcopis, non teneantur Regulares ad ea, quæ sunt de consuetudine, quia non sunt propria præcepta ab Episcopo; cum enim decretum Concilij sit contra exemptionem Regularium, strictè accipiendum est, tanquam odiosum iuxta regulam *Odia De regulis iuris in 6.*

An moniales teneantur ad ieiunia loci quæ ex consuetudine obligant si consuetudo sit vniuersalis. Decis. 187.

SVMMARIVM.

1 *Moniales tenentur secundum aliquos ad ieiunia loci, quando obligant ex vniuersali consuetudine.*
2 *Non tenentur quando non concurrunt ad talem consuetudinem.*
3 *Nec etiam, quando concurrunt.*
4 *Cur consensus Episcopi in consuetudinem nihil operetur pro Monialibus.*
5 *Generalis dispositio non comprehendit, quæ requirunt specialem dispositionem.*
6 *Quando regimen vniuersale Episcopi se extendat etiam ad Moniales.*

1 ADEST specialis difficultas de Monialibus, quia cum subijciantur Ordinario, videntur ligari consuetudine, in quam consentit Episcopus. Et quidem Doctores *Decis. præcedenti citati* pro prima opinione *nu. 1.* à fortiori affirmatiuè responderent, quia tanquam communicantes cum cœteris sub eodem Pastore, & capite, debent etiam communicare in obligatione generalis consuetudinis.

2 Sed negatiuam sententiam sustinendam puto. Nam, si Moniales non concurrant ad talem consuetudinem, non habet vim obligandi ipsas, quia prouenit ab ijs, qui supra Moniales non habent potestatem legislatiuam, & proinde nec possunt tribuere consuetudini vim legis in ordine ad ipsas iuxta dicta Decis. *præced. n. 3.* sunt enim separatæ à cœteris & constituunt specialem communitatem, quæ viuit secundum speciales regulas, & leges, & ideo non communicant cum cœteris in legibus.

3 Si vero ipsæ quoque concurrant ad consuetudinem, neque adhuc consuetudo acquirit vim ad ipsas obligandas, quia cum sint quædam communitas imperfecta, quæ non habet facultatem condendi leges, nec etiam possunt dare vim legis consuetudini, vt dixi in Decisionib. *Moral. Decis.* 415. & ideo quocumque tempore duret apud ipsas consuetudo, nunquam acquiret vim legis, quia solum acquirit, quando inducitur cum animo se obligandi ab habente potestate condendi legem.

4 Nec sufficit, quod Episcopus, qui potest leges statuere pro Monialibus, consentiat in talem consuetudinem in generali, ad quam concurrunt etiam ipsæmet Moniales, quia talis consensus in vniuersali nihil operatur pro Monialibus, nam, cum ipsæ sint communitas distincta à cœteris, & viuant secundum speciales leges, & regulas, debet Episcopus ipsis assistere in ordine ad speciale regimen iuxta exigentiam Regulæ ipsarum, & ideo quæ facit in ordine ad Diocesim secundum vniuersalem directionem, non se extendunt ad Moniales, quæ non subduntur ipsi in ordine ad talem directionem, sed in ordine ad specialem: vnde ex eo quod consentiat in consuetudinem generalem Diocesis, talis consensus, quia procedit ex generali directione, non autem ex speciali, secundum quam præest Monialibus, non dat vim consuetudini in ordine ad ipsas.

5 Quod etiam confir. Quia generalis dispositio non comprehendit ea, quæ requirunt specialem dispositionem, vt tradunt Glos. & Doctores *in cap. Inquisitionis De Hæreticis in 6* Dec. *in cap. Sedes, n. 8. in fine, De Rescriptis,* qui & alios citat, Roman. *Consil.* 403. *n* 59. Cum ergo consensus superioris dans vim consuetudini sit quædam dispositio, consensus generalis Episcopi in consuetudinem generalem non comprehendet moniales, quia ratione specialis regiminis requirunt specialem consensum. Quod præsertim verum est, quia cum sint specialis communitas distincta à cœteris, consuetudo cœterorum transiens ad ipsas, licet materialiter sit eadem consuetudo, formaliter tamen hoc est in ordine ad acquirendam vim obligandi, est diuersa, quia transit ad communitatem, quæ in suo regimine diuerso modo procedit.

6 Et si dicas. Quod moniales diriguntur ab Episcopo vniuersali regimine in ijs, quæ conducunt ad bonum tam commune ipsis, quam cœteris. Resp. id esse verum, quando militat eadem ratio tam in ipsis, quam in cœteris. In casu autem nostro non militat eadem ratio, quia cum moniales habeant specialia ieiunia secundum propriam regulam est habenda specialis ratio de ipsis, quando agitur de imponendo nouo ieiunio, non obstante, quod ipsæ seruent tale ieiunium ex deuotione; quia aliud est seruare ieiunium ex deuotione, aliud habere onus seruandi, quia deuotio non cogit nolentes, sicut cogit debitum seruandi.

An

An consuetudo loci, quò ad ieiunia obliget Vniuersitates. Decis. 188.

SVMMARIVM.

1 *Vniuersitates constituunt speciale corpus ciuile.*
2 *Consuetudo loci quo ad ieiunia non obligat Vniuersitates.*
3 *Vniuersitas est segregata à communitate ciuitatis.*
4 *Consuetudo loci non afficit, nisi qui ratione domicilij sunt de loco.*
5 *Scholares non acquirunt domicilium, vbi habitant ratione studiorum.*
6 *Etiam si consuetudo ieiunandi sit vniuersalis, non obligat vniuersitatem.*
7 *Non solum non obligat vniuersitatem quò ad scholares, sed neque etiam quò ad reliquos de vniuersitate.*
8 *Ciuis scholaris non obligatur ad ieiunia, ad quæ non obligatur vniuersitas.*
8 *Ciuis scholaris sequitur exemptionem vniuersitatis.*
9 *Consuetudo loci, & etiam leges obligant scholares secundum aliquos.*

1 LOQVIMVR de Vniuersitatibus scholarium, quæ, in quibusdam ciuitatibus, in quibus studijs vacatur, congregantur sub vno Rectore: & proinde sub ipso faciunt vnum corpus ciuile, quod regitur secundum suas speciales regulas, & priuilegia.

2 Respondetur igitur negatiuè, vt docent Medina C. *De ieiunio q. 9.* ver. *Vnde corollarie.* Ledesma 2. *par. 4. q. 17. ar. 3.* ver. *Tertio dico.* Angles *in Floribus q. 6 De ieiun. diffic. 2.* ver. *Hinc consuetudo.* Sanchez *lib. 5. cons. moral. cap. 1. dub. 3. n. 1.* Leander à Murcia *in cap. 3. Reg. S. Francis. quæst. 6. n. 5.* & alij, qui volunt, solum eos obligari legibus loci, qui contrahunt domicilium contra eos, qui volunt etiam peregrinos obligari, quos omnes suo loco referemus.

3 Ratio autem est, quia Vniuersitates separantur à communitate loci, & constituunt distinctum corpus, siquidem scholares non ibi degunt, vt ciues, sed vt confluentes ad illam vniuersitatem formandã; & proinde remanet illa vniuersitas à cæteris segregata vtens suis specialibus priuilegijs. vnde consuetudines loci non transeunt ad ipsam, quia consuetudo vnius communitatis non afficit aliam.

4 Quod etiam confir. Quia consuetudo loci non afficit, nisi qui sunt de loco, atque adeo eos, qui in tali loco habent domicilium; nam ideo consuetudo est localis, quia non afficit personas immediate, sed tantum mediante loco, & proinde eas solum, quæ sunt loco affectę; solum autem ratione domicilij afficiuntur loco, nã qui non habent domicilium, non sunt de illo loco. Et ratio etiam procedit, quia in tantum consuetudo obligat, in quantum fuit introducta cum animo se obligandi animus autẽ obligandi cum proueniat solũ ab ijs, qui ratione domicilij sunt de loco, solum extendi potest ad personas, quæ sunt de loco ratione domicilij.

5 Scholares autem, qui sunt de vniuersitate, licet diu habitent in ciuitate, dum ibi morantur ratione studiorum, nunquam contrahunt domicilium, vt docent Bar. *in l. lex Cornelia* §. *Domum. De iniurijs.* Abbas *in cap. vlt. num. 8.* De Parochis. Marian. Socin. Senior *in cap. vlt. ver. Sed in hac dubietate. De foro competenti.* Felin. *in Cap. Dilectus filius 2. num. 12.* De Rescriptis. Menoch. *lib. 2. de Arbitr. cent. 1. Casu 86. n. 22.* & alij; quia non incorporantur communitati, sed semper se habent tanquam aduenæ, siquidem nihil aliud ibi egere intendunt, nisi studijs vacare.

6 Atque tradita doctrina procedit, etiam si consuetudo vniuersalis sit, quia stante quacunque vniuersalitate non excedit eius obligatio terminos communitatis, & proinde non afficit nisi eos, qui sunt de corpore communitatis, quales non sunt scholares vt modo dicebamus.

7 Imo non solum procedit quò ad scholares, sed etiam quo ad Lectores, & omnes, qui sunt de vniuersitate, nam militat in omnibus eadem ratio, quod non sint de corpore communitatis, vt pote constituti de corpore vniuersitatis.

8 Sed difficultas est de ciue, qui sit membrum vniuersitatis, vel quia vacat studijs, vel quia cathedram habet, an teneatur ad ieiunia loci ex consuetudine. Resp. non teneri, quia tanquam scholaris aut alio modo incorporatur vniuersitati, & fruitur licet ciuis, priuilegijs ipsius, & ideo veluti separatur à communitate Ciuitatis, & transit in aliam eo fere pacto, quando ciuis fit religiosus, & manet in eadem ciuitate, & ideo tanquam de alio corpore non debet sentire onera ciuitatis. Nec obstat quod non sit aduena, sed habeat domicilium, quia cum hoc bene stat, quod sit membrum Vniuersitates, & proinde fruatur priuilegijs ipsius, & sequatur exemptionem eiusdem communitatis.

9 Oppositum, nempe scholares teneri ad ieiunia loci, atque alias leges, tenet Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 9.* allegans Domin. *in cap. Quæ contra.* ver. *Cogitate tamen Dist. 8.* & Felin. *cap. Clerici. init. De foro compet.* & sequuntur alij, vt videbimus infra *Decis. 202.* sed, vt etiam videbimus ibi, probabilior, & absolute tenenda est opposita sententia.

An Præfecti Vrbium, oppidorum &c. cæterique Officiales teneantur ad ieiunia, quæ sunt de consuetudine loci. Decis. 189.

SVMMARIVM.

1 *Officiales faciunt vnum corpus cum communitate.*
2 *Officiales Præfecti, &c. non tenentur ad ieiunia de consuetudine loci.*
3 *Officiales non acquirunt domicilium in loco officij.*
4 *Communitas, vt contra distincta ab officialibus habet sua iura.*
5 *Familia officialium non tenetur ad ieiunia de consuetudine loci.*
6 *Communitas, vt seiuncta ab officialibus Principis, est adhuc corpus integrum, & potest se mouere motu ciuili.*
7 *Quasi domicilium an ponat subiectionem quoad municipalia.*
7 *Caput quando debeat se conformare membris.*

EST

1 EST maior difficultas de his, quã de vniuersitatibus, & scholaribus; quia cum exerceant regimen Ciuitatis, aut oppidi, vniuntur cum communitate in ratione capitis, & proinde faciunt vnum corpus cum ipsa, & videntur subesse ijsdem obligationibus, quibus ipsa subest.

2 Sed hoc non obstante tenendum est, quod nõ obligentur ad ieiunia, quæ sunt de consuetudine loci. Et hoc deducitur ex doctrina illorum Doctorum, qui tenent, aduenas non obligari ad ieiunia, & festa seruanda, quæ sunt peculiaria loci, quos infra *Decis.* 101. & 102. referemus, quando de hoc agemus contra eos qui tenent, saltem aduenas morantes maiori anni parte obligari ad leges locales. Et hanc opinionem in speciali tradunt Specul. *Rubr. De constit. n.* 7. Turrecrem. *Cap. quo iure* §. *Dignit. Dist.* 8. *ar.* 4. *n.* 8. Angles *in Florib. q.* 4. *de ieiunio difficul.* 2. *ante dub.* 1.

3 Ratio autem est, quia Præfecti, Prætores, cæterique Officiales, qui ratione officij morantur in aliquo loco, non acquirunt ibi domicilium, vt docent Alciatus *Consil.* 55. *n.* 9. Menoch. *Consil.* 1129. *n.* 15. *&* *lib.* 2. *De arb. Cent.* 1. *casu* 86. *n.* 27. Baldus *p.* 1. *Consil.* 393 *n.* 2. *& p.* 5. *cõs.* 156. Bar. *in l. Coin. lex* §. *Demũ ff. De inur. & fam. lib.* Grat. *Discep. Forens. cap.* 181. *n.* 4. *&* 5. Farin. *Frag. Crimin. par.* 1. *n.* 215. Praxis *noua Episcop. nu.* 222. Barbosa *De offic. & potest. Episcopi allegat.* 4 *n.* 29. *&* alij Quia nimirum ad contrahendum domicilium requiritur animus ibi commorandi, qui non adest in Officialibus, qui tantum Officij causa ibi morantur: Vnde nec incorporantur communitati, & proinde nec subsunt legibus, obligationibus, quibus subest communitas, & ratione communitatis singulares personæ. Hinc dicuntur ciues impropriè, & quò ad quid vt docent, Bal. *in l. Si non speciali C. De testamen.* Iason. *in l. Si is, qui pro emptore n.* 301. *ff. De vsucap.* Io. à Platea *in l. Ciues C. De incolis lib.* 10. Bar. *q.* 6 *princip. De repres.*

4 Deinde Communitas, vt contra distincta à Præfectis, & Officialibus, habet sua specialia iura, quibus fruitur, habet suos Repræsentantes, exercet contractus, & alias speciales obligationes contrahit, quæ non redundant in Præfectum, & cęteros, Officiales. Imo Præfectus iudicat inter communitatem, & cæteros, qui actionem habent contra ipsam. Ex quibus apertè colligitur, Communitatem esse corpus distinctum ab Officialibus, & proinde obligationes ex consuetudine proprias communitatis non redundare in ipsos, sicut nec redundant obligationes contractuum, & aliç huiusmodi.

5 Et quod dicimus de Officialibus, idem dicendum est de familia Officialium, quia & ipsi veniunt nomine Officialium, vt notat Boer. *q.* 149. *post init.* Et eadem ratio quò ad propositum nostrum militat in ipsis, quia non acquirunt domicilium, cum non accedant animo habitandi, sed tantum, vt præstent seruitium Domino, atque adeo etiam ipsi accessoriè accedunt ratione Officij eiusdem Domini.

6 Nec obstat, quod dicebatur *n.* 1. quod Officiales iungãtur communitati in ratione capitis, quia cum repræsentẽt suo modo Principem, & fungantur vice ipsius, communitas comparatur ad ipsos, vt membrum, quod ab ipsis influxus regiminis debeat recipere, & vt talis non potest inducere obligationem consuetudinis, quia non potest se mouere, sed sequi motum capitis. At quando inducit consuetudinem obligantem consideratur vt corpus integrum seiunctum ab Officialibus, quod se mouet motu proprio quò ad ea, quæ sunt sibi specialia, & ideo se potest obligare, hæc tamen obligatio non redundat in Officiales, quia illam contrahit vt ab ipsis seiuncta, Et post hæc scripta inueni hanc sententiam nouissimè traditam à Bernardo Barili *De potest. leg. Municip. Disquis.* 1. §. 4. *n.* 37 & 40. & probabilem putat Diana *par.* 10. *tr.* 14. *resol.* 37.

7 Oppositum tenuit Leander quoad hanc partem, & quoad sequentia *in præcep. Eccl. tr.* 5. *disp.* 3. *q.* 12. & 13. obijcit primò. Quia contrahunt quasi domicilium, quod sufficit, vt ad ieiunia loci teneantur. 2. quia debent subditis se conformare, si velint eos obseruatores legum. 3. quia absurdum est, quod capita non se conforment membris. Cap. *Non decet Dist.* 12. Ad 1. resp. Quasi domicilium non sufficere ad ponendam subiectionem quoad leges, vel consuetudines municipales, quæ respiciunt personas, vt priuato modo regendas, nisi in ijs, quæ in iure exprimuntur. Ad 2. neg. sequel. Quia non debent regere subditos secundum leges, quibus ipsi reguntur, sed secundum ipsorum speciales, vt dictum est *n.* 4. Deinde sequel. ad summum valeret de conuenientia, non de obligatione. Ad 3. Non esse absurdum, quod caput non se cõformet membris, quando non est naturale sed adscititium, quales sunt gubernatores non assumpti de corpore Communitatis, quia habet tantum directionem corporis iuxta speciales leges ipsius, quas debet manutenere quoad eos, qui eas sibi imposuerunt, non autem se ipsum illis subijcere.

An milites, qui stant in præsidijs, aut hospitatione teneantur ad ieiunia de consuetudine loci. Decis. 190.

SVMMARIVM.

1 *Milites manentes in præsidijs, aut hospitio non tenentur ad ieiunia de consuetudine loci.*

2 *Milites manentes in hospitio, aut præsidijs etiam per longum tempus, non acquirunt domicilium.*

3 *Etiam si applicentur custodiæ Castri, quasi certi mansuri ibi in longo tempore.*

4 *Miles habens animum habitandi, neque adhuc incorporatur communitati.*

5 *Nisi tamen transferat ibi bona, aut alio modo ostendat ibi figere sedem.*

6 *Opposita sententia non satis fundatur.*

1 NEGATIVE respondendum est iuxta doctrinam, quam plures graues Doctores tradunt de aduenis, quod scilicet non teneantur ad ieiunia propria loci, quos infra suo loco referemus, nam & ipsi, etiam si diu in aliquo loco maneant, inter aduenas computandi sunt, nam ibi morantur arbitrio Principis, & etiam iuxta tradita in Decisione *præcedenti.*

2 Ra-

2 Ratio autem est, quia, quando accedunt ad aliquem locum, accedunt tantum, vel vt ipsum custodiant, vel vt ibi habeant hospitium quoadusque occasio tulerit, quod ad alium locum transmittantur, & proinde non possunt habere animum ibi habitandi, ita vt censeantur figere sedem; vnde non acquirunt domicilium, nec incorporantur communitati. Si enim scholares non acquirunt domicilium, etiam si per plures annos in aliqua ciuitate morentur, quia, cum ibi morentur studiorum causa, non habent animum permanendi, vt supra dicebamus Decis. 188. *n.* 5. & Decis. *praecedenti n.* 3. cum alijs Doctoribus de Officialibus, qui morantur in loco ratione officij, ob eamdem rationem, nec etiam milites acquirent domicilium, sed tanquam aduenæ erunt exempti ab obligationibus localibus.

3 Sed quid dicendum est de Militibus, qui applicantur custodiæ alicuius fortalitij, qui habent quasi certitudinem ibi permanendi per plures annos, & quod nunquam euocabuntur, vt sunt milites Hispani, qui sunt in fortalitijs Italiæ, possessis à suo Rege? Resp. neque istos incorporari communitati, neque acquirere domicilium, & proinde non teneri ad onera communitatis, quod satis ex eo patet, quia non fruuntur priuilegijs, & commodis communitatis, sed semper habentur tanquam exteri, & aduenę. Et cum semper in ipsis militet eadem ratio, quod scilicet ibi morantur, vt custodiant Castrum, siue Fortalitium, non vt figant sedem, semper etiam impeditur animus ibi habitandi, & acquirendi domicilium; nam animus habitandi importat intentionem se incorporandi cum cœteris de communitate. Vnde Menochius *lib.* 2. *De Arbitrar. Cent.* 1. *casu* 86. *n.* 22. notat cum Bar. *in l. Lex Cornelia* §. *Domum.* De *iniurijs*, quod scholaris, dum solum studiorum causa moratur in aliquo loco, nunquam ibi contrahit domicilium, etiam si per mille annos moraretur.

4 Quod si dicas; quod miles potest habere animum ibi habitandi, atque adeo tunc contrahere domicilium. Resp. regulariter non posse habere hunc animum, quia mora in illo loco pendet ex arbitrio Principis, qui potest milites, quando placuerit, euocare, & alio mittere. Deinde etiam si habeat talem animum; non per hoc incorporatur communitati, sed semper habetur tanquam aduena, & ideo cum non fiat membrum communitatis, nec etiam debet sustinere onera, quæ sibi imposuit communitas.

5 Hæc tamen, quæ diximus limitanda sunt, nisi concurrant circumstantiæ, quæ faciant, quod miles contrahat domicilium, vt si nimirum in talem locum transferret propria bona, aut aliquid aliud præstaret, per quod appareret, eum ibi sedem figere, quia tunc censeretur se incorporare communitati, vt notat Menochius *Consil.* 692. *n.* 15.

6 Nec obstant, quæ obijcit Cespedes noster *in suis dub. Militarib. dub.* 98. vbi oppositum tenet, quod bonum regimen exigat, festa, & ieiunia loci à militibus seruari. Nam non exigit bonum regimen, vt leges seruentur à non subiectis. Nec potest dici contra sensum communem, & bonos mores, quod communi Doctorum sententia firmatur. Firmatur autem communi sententia, quod aduenæ non teneantur legibus loci; & quod milites semper sint aduenæ, vt constat ex dictis *n.* 2. quod si adesset scandalum, tunc vrgeret aliud præceptum, non autem obligatio loci.

An Religiosi teneantur ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitatem.

Decis. 191.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi tenentur ad ieiunia loci, quæ sunt ex voto secundum aliquos.*

2 *Non tenentur.*

3 *Quomodo votum communitatis obliget omnes etiam successores.*

4 *Cur obligatio voti communitatis non transeat ad Religiosos.*

5 *Consuetudo antiqua non est quasi lex naturalis, vt putat Portel.*

6 *Votum pro communi vtilitate non obligat, nisi concurrentes ad votum, & ipsis subiectos.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam tradunt Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 15. *n.* 21. Portel. *in Dubijs Regular. verbo* Festi Dies *in Addit. n* 4. Lezana *par.* 1. *q. Regul. cap.* 11. *n.* 13. & *verbo* Ieiunium *n.* 7. quia tale votum est emissum pro communi omnium vtilitate, & religiosi participant de hac vtilitate, & de bonis populi. Addit Sanchez, quod tale votum habet consensum Episcopi, vnde cum Religiosi teneantur seruare leges Episcopi Synodales, tenentur etiam seruare hoc votum.

2 At negatiua sententia tenenda est; quam tradit Philippus à Cruce Vasconcillus *tr. de Decim.* §. 2. *n.* 4. vers. *Supponga lo tercero* Pellizar. *tom.* 1. *manual. tr.* 5. *cap.* 5. *q.* 21. *n.* 52. Homobon. *par.* 3. *Exam. Eccl. vbi de Episcop. cap.* 9. *resol.* 3. loquens de festis. Bordonus *in Consil. Regul. Resol.* 18. *n.* 5. & eam amplecti debent omnes, qui docent, non teneri Religiosos ad ieiunia ex consuetudine, aut indicta ab Episcopo, quos supra partim retulimus, & partim infra referemus. Et miror, quod Sanchez sibi ipsi contrarius *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 1. doceat, quod Religiosi non teneantur stare præceptis, aut consuetudinibus particularibus oppidi, & *Dub.* 34. *n.* 9. Quod Religiosi non teneantur seruare constitutiones synodales, etiam si confirmatæ sint à Summo Pontifice.

3 Ratio aut manifesta est, quia votum communitatis non obligat, nisi quatenus aliorum voluntates sunt quodammodo in voluntatibus vouentium, aut ex vi cuiusdam pacti; cuius obligatio transit ad successores, aut quia omnes de populo, etiam successores consentiunt in illud votum, & illud acceptando faciunt suum, aut quia inducatur consuetudo, aut tandem quia auctoritate Rectorum communitatis, & Episcopi acquirit vim præcepti, & legis, quæ omnes obligat etiam successores, quod sane probabilius est, & traditur præsertim à Suarez *tom.* 2. *de Relig. tr.* 6. *De voto lib.* 4. *cap.* 9. *nu.* 10.

4 Quomodocunque autem res se habeat, nullo pacto obligatio voti communitatis transit ad Regulares, nam cum sint distincta communitas tam à communitate laicorum, quam Clericorum, non possunt voluntates ipsorum esse vllo pacto in voluntatibus

tatibus vouentium, nec similiter possunt teneri ad pactum, quod circa hoc faciant, sicut nec etiam tenentur ad alia pacta communitatis. Nec etiam consentiunt in votum acceptando, quia cum non subijciantur Rectoribus communitatis & Episcopo, non sufficit ad acceptationem tacita approbatio, sed necessarius esset particularis actus expressus de tali acceptatione. Nec etiam tanquam consuetudo, aut lex firmata ab Episcopo, quia consuetudo, vt diximus in superioribus, non se extendit ad Regulares, sicut non se extendit potestas legislatiua, cuius virtute acquirit vim legis, vt dicebamus in superioribus. Lex autem licet ab Episcopo firmata non afficit Regulares, si quidem sunt omnino exempti à potestate Episcopi, vt dicemus in sequentibus. Hinc pluribus in locis obseruaui; Regulares non seruare ieiunia loci ex voto, sed contentos esse propriorum, vt in ieiunio pro festo D. Sebastiani Mediolani.

5 Sed occurrit Portel loco supra citato, inquiens, quod consuetudo antiqua habet vim legis, quasi naturalis, & ideo obligat Regulares. At satis inepte. Lex enim naturalis est insita à natura, & ideo communis omnibus hominibus, vt habetur Cap. *Ius naturale*. *Dist.* 1. Consuetudo autem, quantumuis antiqua, est quid introductum à moribus hominum Cap. *Consuetudo eadem. Dist.* 5. Quomodo ergo consuetudo potest habere vim legis, quasi naturalis? Hoc enim non potest saluari, nisi sit quasi ex instinctu naturæ, atque adeo quasi communis omnibus hominibus, quod quam falsum sit, testantur ipsæ consuetudines.

6 Ad id, quod affertur pro opposita sententia resp. Votum esse emissum pro communi omnium vtilitate, loquendo de ijs, à quibus emittitur, non autem pro hac vtilitate, quatenus redundat in cæteros. Deinde etiam si esset emissum pro vtilitate etiam Regularium, non sequeretur, quod obligaret ipsos, quia votum non obligat, nisi emittentem & eos, quos emittens potest obligare. Sic si ego voueam pro salute amici, non tenetur ille amicus ad tale votum. Nec quod Religiosi participent de bonis populi, facit, quod afficiantur obligatione voti, nam talis participatio non potest inducere talem obligationem, præsertim cum fundetur in gratuita donatione titulo eleemosinæ. Correspondent autem Religiosi tali participationi inseruiendo populis.

An Regulares, quando Communitas emittit votum de ieiunio, teneantur accedere ad vouendum, si aduocentur.

Decis. 192.

SVMMARIVM.

1 *Quando communitas emittit votum de ieiunio, Regulares tenentur concurrere si aduocentur secundum Bordonum.*
2 *Membra debent sequi caput.*
3 *Non tenentur, quia non possunt obligari ad vouendum.*
4 *Concurrente communitate ad votum ciuitatis potest Regularis particularis renuere.*
5 *Regulares aduocati ad communicandum in voto communitatis, non possunt accedere.*
6 *Si accedant, non consentientes voto, non obligantur.*
7 *Membra debent conuenire cum capite, quod ipsa mouere potest.*
8 *Quando pars sit turpis, si non conueniat cum toto.*
8 *Quomodo Regulares sint pars ciuitatis.*
9 *Quid requiratur vt quis sit pars Communitatis.*
9 *In quibus Regulares se debeant conformare cum cæteris.*

1 AFFIRMATIVE respondet Bordonus *in Consil. Regul. Resol.* 18. *n.* 14. & eos peccare, qui renuunt & nihilominus adhuc remanere obligatos ad ieiunium, quia ratione voti aliorum obligantur tanquam à lege, seu statuto. Quod probat quia rationabile est, membra conue-
2 nire cum suo capite, cum ab ipso discedere non deceat Cap. 1. *Dist.* 112. Neque ab ipso discrepare, neque aliter facere Cap. *Celebritatem. De consecrat. Dist.* 3. & Cap. *Cum non liceat. De præscriptionibus*. Et quia turpis est pars, quæ non congruit cum suo toto, Cap. 2, *Dist.* 8. & Cap. 2. *De sponsalib.* §. *Ne vero.* Religiosi autem sunt ciues, membra, & partes ciuitatis, vt docet Nauar. *Com.* 2. *De Regul. n.* 63. §. *Nunc. & Consil.* 6. *de testament. n.* 3. *& Consil.* 9. *de maiorit. n.* 3. Tum quia non possunt resistere absq; scandalo.

3 Sed hæc opinio nullo modo admittenda est, sed asserendum, quod Regulares aduocati ad communicandum in tali voto possunt renuere. Ratio est quia nemo potest obligari ad vouendum, cum votum importet obligationem omnino voluntariam: nec si posset obligari, possent Regulares in tali casu obligari, cum obligatio prouenire possit tantum à superiore, & ipsi nec communitati, nec Ordinario subijciantur. Quis autem dicat, quod quis peccet renuendo facere id, ad quod non obligatur?

4 Vnde si communitas aliqua Regularium concurreret ad votum, & aliqui particulares de communitate renuerent, nec peccarent, quia non habent obligationem aliquam ad vouendum. Nec possent à superiore cogi, quia potest tantum cogere quò ad ea, ad quæ se extendit obligatio Regulæ: hæc autem non se extendit ad noua vota suscipienda

5 Imo addo. Quod Regulares aduocati ad communicandum in huiusmodi voto, non possunt accedere, quia esset contrahere nouam obligationem, non solum pro se ipsis, sed etiam per modum legis, aut statuti pro successoribus; non possunt autem contrahere, quia neque ex se ipsis, neque simul cum Communitate, aut etiam Ordinario habent potestatem ferendi leges, aut statuta obligantia successores Regulares, cum hoc non sit in potestate ipsorum, sed solius capituli Generalis. Vnde accedendo accederent ad sibi illicitum. Nec dici potest, quod superior localis, aut Capitulū locale potest per modum pacti obligare successum, quia hoc solum habet locum, quoad ea, quæ sunt sub ipsius dispositione: non est autem sub ipsius dispositione imponere noua onera, præsertim quæ nō habeant causā à Regula, qualē esset tale ieiuniū, quod haberet causām extra regulā, nempè deuotionē populi, quæ nō pertinet ad Religiosos, nec cōducit ad obseruātiā Regulę.

6 Ex quibus sequitur; quod, qui non consentiunt voto, non teneantur seruare illud ieiuniū, quia in tantum tenerentur, in quantum obligaret per modum legis, ac statuti; non potest autem tali

T pacto

pacto obligare Regulares non consentientes, quia talis obligatio non potest prouenire, nisi ab ijs, qui habent facultatem condendi leges, quibus ipsi obligentur, quæ in nullo ex ijs, qui emittunt votum reperitur.

7 Et hoc etiam sequitur ex ijs, quæ afferuntur in oppositum. Nam si membra debent conuenire cum capite, & ab ipso non discrepare, & si non decet, ea discedere ab ipso, sequitur, quod non debeant Regulares conuenire cum Communitate, aut Episcopo, cum non sint caput ipsorum: & cum membra debeant sequi motum capitis, & solum capitulum generale possit obligare obligatione per modum legis, & statuti, solum motum ipsius quò ad hoc debent sequi.

8 Quod autem spectat ad id, quod pars sit turpis, quæ non congruit cum suo toto, debet intelligi, quando non conuenit in eo, in quo debet conuenire. vnde si communitas faciat aliquid, quod non deceat facere Regulares, bene agent Regulares, si non faciant, ideo non turpiter facit ille Regularis, qui non concurrit ad votum cœteris concurrentibus, quia isti vt diximus, non possunt concurrere. Deinde cum Regulares faciant specialem communitatem seorsim ab alijs præsertim in ijs, quæ pertinent ad cultum diuinum, & habeant sua specialia onera, non debent in ijs communicare cum communitate, alioquin deberent subire etiam alia onera communitatis, quod repugnat statui ipsorum. Vnde sunt tantum pars communitatis participatiue, quatenus admittuntur ad participandum cum ipsa in fauorabilibus.

9 Hanc eamdem opinionem, quod teneantur Regulares accedere ad vouendum de nouo, propugnat Bordon. *in Decis. Miscellan. Decis.* 8. & repetit, quod antea dixerat hanc obligationem oriri ex conformitate partium cum toto corpore Communitatis. Sed rursus dicitur, quod ij tantum intelliguntur partes communitatis, qui sunt membra corporis politici; vt autem sint membra debent vniri sub eodem capite. Regulares autem, cum sint exempti, & immediatè subiecti summo Pontifici, non sunt sub ordinario, vt capite, & proinde non communicant cum cœteris, tanquam partes in eodem corpore. Imo si aliquo modo possent dici partes, cum habeant munus longè diuersum, & proprium institutum, habendi sunt vt partes valde heterogeneæ, & proinde non debent censeri eodem iure, nec vti eadem conformitate cum cœteris, quia habent iam ex se modum viuendi valde difformem. Nec est eadem ratio de festis, & interdicto. Imo ex eo, quod Concil. Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Reformat.* vult teneri seruare festa, & interdicta posita ab Ordinarijs, tacitè declarat, non teneri ad cœtera, quia supponit, quod in nullo tamquam exempti tenerentur se conformare dispositionibus Ordinarij, & ideò obligat, vt se conforment in prædictis. Denique si Religiosi tenerentur vt partes se conformare cum cœteris, tenerentur seruare omnia, quæ ipsi obseruant, quod nec ipse Bordonus admittit, *Resol.* 18 *n.* 5 *tom.* 1. *Consil.* & alibi.

An Moniales teneantur ad ieiunia loci, quæ sunt ex voto. Decis. 193.

SVMMARIVM.

1 *Moniales non tenentur ad ieiunia loci, quæ sunt ex voto.*
2 *Consensus Episcopi in votum communitatis non extendit ipsum ad Moniales.*
3 *Moniales, quando obligentur ad vota communitatis.*

1 NEGATIVE resp. iuxta ea, quę dicta sunt in superioribus Decis. quia voluntas ipsarum non est in voluntate communitatis vouentis, nec subduntur communitati, à qua possint obligari; sed sunt distincta communitas viuens secundum suas speciales leges seorsim à communitate loci; & ideo sicut non communicant in cœteris, nec etiam communicabunt in obligatione voti.

2 Nec sufficit, quod Episcopus consentiat in votum communitatis, quia talis consensus non extendit votum ad eos, ad quos antea non se extendebat, sed tantum dat vim, vt possit obligare per modum statuti, & legis eos, ad quos ab ipsa communitate dirigitur, & ideo relinquit in suo esse, & confirmat tantum pro ijs, pro quibus à communitate emittitur.

3 Hoc autem quod dictum est, valet, quando moniales non cōsentiunt specialiter in talia vota, nā si consentirent, & accederet etiam consensus Episcopi in huiusmodi votum, prout emittitur etiam à monialibus, tunc obligaret non solum emittentes votum, sed etiam pro tempore succedentes, nam esset eadem ratio de ipsis, ac de communitate.

An votum Communitatis de ieiunio obliget Vniuersitates. Decis. 194.

SVMMARIVM.

1 *Vniuersitates non obligantur voto cōmunitatis de ieiunio.*
2 *Obligatio quam suscipit Communitas, non afficit eos, qui non sunt de communitate.*

1 RESP. negatiuè iuxta doctrinam Medinæ C. *De ieiunio q.* 10. *tit.* Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 3. D. Antonin. 2. *par. tit.* 6. *c.* 2. §. 6. Rosellæ *verbo* Ieiunium *n.* 16. Syluestri *ibid. q.* 2. Angles *in Florib. q.* 4. *De ieiunio diffic. al.* 2. *in fine* & aliorum, qui docent, Communitatem, & vniuersitatem esse diuersos status, ac diuersis statutis, & consuetudinibus gubernari.

2 Ratio autem est, quia vniuersitas, vt supponimus non concurrit ad votum, nec communitas vouens potest obligare Vniuersitatem, siquidem obligatio communitatis, non excedit terminos eiusdem communitatis; sola enim communitas est illa, quæ suscipit obligationem, & ideo, qui non sunt de cor-

corpore communitatis, non afficiuntur tali obligatione. Vniuersitas autem non est de corpore communitatis, siquidem constituit corpus distinctum, quod suo peculiari motu regitur.

An votum communitatis de ieiunio obliget Officiales, & Milites ibi hospitantes, aut de præsidio. Decis. 195.

SVMMARIVM.

1 *Officiales non tenentur ad ieiunia ciuitatis ex voto:*
2 *Milites qui sunt in præsidio, aut in hospitio, non tenen. ad ieiunia loci ex voto.*

1 RESP. negatiuè quo ad Officiales, vt deducitur ex iis, quæ supra dicta sunt *Decis.* 189. quo ad ieiunium de consuetudine; militat enim eadem ratio quod non sint incorporati cômunitati, cum non habeant ibi domicilium, vt ostensum est *n.* 3. eiusdem Decis. obligatio autem voti contrahitur intra spheram communitatis, & ligat tantum eos, qui sunt de communitate.

2 Rursus etiam negatiuè respondetur quò ad milites, siue ibi tantum hospitium habeant, siue etiam sint de præsidio, quia sicuti non obligantur consuetudine loci, vt diximus supra *Decis.* 190. ita neque etiam voto Communitatis, cum non plus obliget votum, quam consuetudo, nam habet eosdem terminos vtraque obligatio, cum ab eadem potestate procedat, Et militat eadem ratio, quia nimirum milites incorporantur communitati, votum autem obligat solum, qui sunt de communitate.

An Regulares exempti teneantur ad ieiunia, quæ pro certo die, vel fixa lege indicuntur ab Episcopo. Decis. 196.

SVMMARIVM.

1 *Regulares tenentur secundum aliquos ad ieiunia imposita ab Episcopo.*
2 *Non tenentur.*
3 *Iurisdictio Episcoporum non extenditur ad Regulares.*
4 *Statutum Episcopi non parit obligationem neque quo ad vim directiuam apud Regulares.*
4 *Regulares, quomodo extra territorium Episcopi.*
5 *Locus exemptus instar alieni territorij in ordine ad iurisdictionem Episcopi.*
6 *Regulares non subduntur statutis Episcopi, aut Synodalibus.*
7 *Debent tamen obseruare festa indicta ab Episcopo, & interdicta ipsius.*
8 *Quando vis directiua legis habeat locum.*
9 *Nec tertiarij Religiosi S. Francisci tenentur ad ieiunia indicta ab Episcopo.*

1 AFFIRMATIVE respondebunt ij omnes, qui tenent Religiosos obligari ad seruandas constitutiones Synodales & Episcopi, vt præsertim Vasquez 1. 2. *disp.* 167 *n.* 34. ex quo deducit Sanchez *lib.* 4. *in Decal. c.* 15. *n.* 22. teneri Religiosos ad seruanda vota communitatis. Bezar. *tom.* 2. *sum. tr.* 3. *c.* 6. *q.* 11 *n.* 3. Malder. 1. 2. *q.* 96. *ar.* 5. *tit. De Religiosis vers. Dico quarto.* Et specialiter loquens de ieiunio tradit Villalobos *tom.* 1. *sum. tr.* 23. *difficul.* 5. *n.* 6. Peirinus *q.* 1. *de Prælat. Relig. c.* 8. *n.* 22 Lezana *par* 1. *quæst. Regul. c.* 11. *n.* 13. Quia sicuti tenentur seruare dies festos, qui præcipiuntur ab Episcopo, & interdictum ab ipso impositum; ita etiam ieiunia; nam licet non subsint legibus Episcopi quò ad vim coactiuam, subsunt tamen quò ad vim directiuam.

2 At negatiuam sententiam tenent Azor. *par.* 1 *Instit. moral. lib.* 7. *c.* 19. *q.* 2. Facundez *prac.* 4 *Eccl. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 4. Rodriquez *par.* 4. *sum. cap.* 110. *num.* 4. Suarez *lib.* 4. *de legib. c.* 20. *num.* 8. Bossius *sect.* 4. *de iubileo ca. su* 18. *n.* 32. Marchinus *de Peste par.* 5. *c.* 5. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub* 5 *n.* 2. & *dub.* 6 *num.* 7. Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbatum disp.* 12: *quæst.* 3. *num.* 4. *in vlt. edit.* Portel. *in dubijs Reg. verbo* Festi dies *n.* 3. Hieronimus Rodriquez *in compendio quæst. Regul. Resol.* 75 *n* 18. Llamas 3. *par. Meth. c.* 5. §. 28. *in fine.* Lorca 1. 2. *disp.* 25. *de legib. mem. vlt.* Zanard. *par.* 2. *Direct. prac.* 4. *c.* 12. in fine Phippus à Cruce Vasconcill. *De decim.* §. *n.* 4. *vers. Suppongo lo tercero.* Diana *par.* 1. *tr.* 9: *de ieiun. Resol.* 36. Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl. q.* 1. *punc.* 6. *n.* 5. *ver. Sed maior difficultas.* Ghilinus *in summa verbo.* Ieiunium *n.* 25. Bordonus *in Consil. Regul. Resol.* 18. *n.* 5. Et hanc sententiam certam omnino puto Quam postea sequuti sunt Caspedes *de exemp. c.* 20. *dub.* 312. Bossius *tom.* 3. *moral tit.* 21. *n.* 191. Leander à Murcia *in Cap.* 3. *Reg. S: Francis. c.* 2. §: 2. *n.* 29.

3 Ratio, quæ mouet est. Quia Regulares sunt omnino exempti ab Ordinariorum potestate, & immediate subiecti Sedi Apostolicæ, & proinde sunt extra iurisdictionem ipsorum, ergo quando indicunt ieiunia, sicut ipsorum iurisdictio non extenditur ad Regulares, nec etiam extendetur obligatio, quia obligatio, quæ originatur ex iurisdictione, non excedit limites iurisdictionis. Vnde hinc est, quod leges imponi non possunt nisi subiectis.

4 Neque ex eo, quod Episcopus imponat obligationem ieiunandi suis subditis, consurgit aliquo modo eadem obligatio in Regularibus, quia sicut iurisdictio Episcopalis coarctatur intra territorium, ita etiam statutum ipsius, & proinde extra territorium non potest parere aliquem effectum, neque etiam quò ad vim directiuam, vnde qui sunt alterius diocesis, neq; quò ad vim directiuam tenentur seruare statuta ipsius. Regulares autem, cum sint exempti tam quo ad personas, quam quò ad locum, sunt extra territorium arg ex Cap. 1. *De priuilegijs in* 6. nã sunt tantum materialiter intra territorium, non autem quo ad effectum iurisdictionis, & ideo statutum Episcopi nõ potest parere aliquẽ effectũ circa ipsos.

5 Et ideo eamdem esse rationem de loco exempto, ac de alieno territorio, ita vt nõ possit statutum Episcopi obligare existentes in loco exempto, non secus, ac si essent in alieno territorio, docet de communi

muni Suarez *lib.3. De legib.c.32.n.9.* plures alios allegans *& disp. 5. de censuris sect.4. &* Bonacina *disp.1. de legibus q.1. punc. 6. num. 65.* Et desumitur ex Cap. *Cum Episcopus.* De *officio ordinar. in 6.* & ex Clement. *Archiepiscopo. De priuileg.*

6 Et proinde docent communiter, Regulares non subesse statutis Synodalibus, aut Episcopi, nec teneri ad ea seruanda ob exemptionem, qua gaudent, vt inter alios docent Azor. *par. 1. lib.7.c.30.q.2.* Suarez *lib.4. de legib.c.20.num.8.& sequent.* Salas item *De leg. disp.14.sect.4.n.43.* Pontius *lib.5. De matrim.c.7. n.31.* Diana *p.1.tr.10. De leg. resol.11.* Palaus *p.1.tr.3. de leg. disp.1. punc 24.§.6.n.11.* Riccius *tom.4. resol.379. nu: 6.* Gran. *1.2. controuer.7. tract. 3.p.1. disp. 6. sect.3. n.18.* Caspens. *par. 1. Cursus Theol. disp. 4. de legibus sect.2. num.16.* Sanchez *lib.5. consil. mor. c.1. dub 14. n.9.* addens, etiam si statutum esset confirmatum à Pontifice. Merolla *Tom.2. Theol. moral. disp.4. dub.20.* Quam enim exemptionem haberent, si subessent statutis Episcoporum, & tenerentur ea seruare? Possunt enim Episcopi suis statutis omnino sibi subijcere Regulares, vnde Cap. *Nimis parua. De excessibus Prælatorum.* Prohibetur Episcopis, quod non cogant Regulares, subiacere suis constitutionibus.

7 Neque est eadem ratio de interdicto, & Festis; nam præcipitur, quod Regulares seruent interdictum impositum ab Episcopo in Tridentino *sess. 25.c.12. de Reformat. Regul.* sicut etiam festa, quæ ab ipsis præcipiuntur; non autem hoc præcipitur de ieiunijs. Imo ex hoc colligitur, quod alia non debeant seruare, siquidem Concil. taxatiue procedit.

8 Neque ratione vis directiuæ tenentur Regulares seruare statuta Episcopalia, & Synodalia; quia vis directiua non habet locum, nisi inter eos, qui sunt de eodem corpore, vt est Princeps respectu sui corporis, quia tunc obligat, quatenus adest obligatio, quod idem corpus ciuile regulate se habeat, & & seruet debitum ordinem. Regulares autem, cum sint exempti, non sunt de corpore eodem, cum subditis Episcopi. Rursus vis directiua habet locum, quando lex continet quandam declarationem eo, quod constat, quod exemptus alias tenetur ad id vitandum, quod prohibetur à lege, aut ad id præstandum, quod ab ipsa præcipitur, & ideo dicitur lex dirigere, quia ostendit, quid ex alia obligatione faciendum sit. Hoc autem non habet locum in statutis Episcoporum respectu Regularium, quando alias Regulares, non obligantur.

9 De tertiarijs autem S. Francisci, dicendum est, neque ipsos teneri ad ieiunia indicta ab Episcopo, quia licet Nicolaus IV. in Regula, quam præscripsit Tertiarijs in sua costit. *Super memem c.5.* præcipiat, ab ipsis hæc ieiunia seruari, loquitur tamen de Tertiarijs, qui degunt in proprijs domibus, & non habent vota solemnia, secus de Religiosis, vt notat Bordonus *in Consil. Regul. Resol.18.n.5.* in fine. vbi notat, quod de hac obligatione nulla fit mentio à Clemente VII. in Constit. *Ad vberes fructus*, vbi refert dictam Regulã, & adaptat Tertiarijs religiosis.

An Moniales teneantur ad ieiunia indicta ab Episcopo. Decis. 197.

SVMMARIVM.

1 *Moniales tenentur ad ieiunia indicta ab Episcopo, quando intendit illas obligare.*

2 *Non tenentur, quando ea imponit solum in vniuersali.*

3 *Lex, & præceptum in vniuersali, cur non dirigatur ad Moniales.*

4 *Secundum quam intentionem legislatoris obliget lex.*

1 CERTVM est teneri, si Episcopus intendat eas obligare, atque intentionem suam manifestet, quia cum ipsi subijciantur, potest eisdem imponere ea onera, quæ expedire iudicauerit. Solum difficultas est; an teneantur ad ieiunia, quæ imponuntur vniuersaliter pro ciuitate, aut etiam pro tota Diocesi absque eo, quod fiat specialis mentio de Monialibus.

2 Existimo autem valde probabile, non teneri ad huiusmodi ieiunia, quando vniuersaliter inducuntur ab Episcopo, ita vt nullum signum appareat, quod voluerit specialiter obligare etiam Moniales. Sequutus est Caspedes *de exempt. c.20. dub.313.n.2.*

3 Ratio autem est, quia lex, aut præceptum non obligat nisi eos, ad quos dirigitur, cum non excedat in obligando intentionem præcipientis, lex autem lata, aut præceptum positum in vniuersali non dirigitur ad Moniales; tum quia intentio non fertur extra eos, pro quibus intenditur finis; & in tali casu cum finis ieiunij sit bonum spirituale communitatis, aut in ordine ad gratiarum actionem, aut ex alio motiuo, non fertur intentio extra eos, qui sunt de communitate, Moniales autem non sunt de communitate, cum constituant distinctum ordinem, & distinctam communitatem. Tum quia non militat eadem ratio in sæcularibus, & Monialibus, nam hæ habent plura onera ratione regulæ, & exercent plura opera bona, quibus possunt satisfacere fini, pro quo imponitur ieiunium sæcularibus; vnde nec potest in ipsis adesse idem motiuum ad imponendam legem, & præceptum. Tum quia, cum sint distincta communitas, quod cœteris conducit, potest non conducere ipsis, & ideo in speciali considerandum est, an lex, seu præceptum debeat ipsis imponi, atque adeo etiam explicari, quod etiam ipsis specialiter imponitur. Tum quia lex debet imponi secundum exigentiam boni communis, in diuersis autem communitatibus, quæ habent diuersa instituta, est etiam diuersa exigentia, & quod conducit vni, non conducit alteri, & ideo debet lex dirigi specialiter ad hanc, & illam communitatem habita ratione exigentiæ boni ipsius, & quando dirigitur ad vnam non censetur dirigi ad aliam, nisi specialiter nominetur.

4 Dices. Si Episcopus interrogaretur, an tali statuto censeatur imponere ieiunium etiam monialibus, affirmatiuè responderet; vnde intentio ipsius est, in statuto comprehendere etiam moniales. *Resp.* quod, si consideraret, moniales portare alia onera ieiuniorum, & proinde non esse ita facile grauandas nouis oneribus, forte etiam negatiue responderet. Deinde quicquid de hoc sit, lex, & statutum non obligat secundum mensuram intentionis, quæ manet in legislatore, quia hæc est intentio secreta, & priuata, quæ nihil operari potest erga subditos: sed secundum mensuram intentionis, quæ manifestatur in lege, quia hæc sola potest causare obligationem in subditis, cum ad extra manifestetur, & det vigorem legi. Quod valde notandum est, quia in-

inseruit pro interpraetatione cuiuscumque legis, quę mensurari debet secundum intentionem expressam, non secundum priuatam.

5 Est tamen aduertendum, quod si ieiunium indiceretur ob aliquam specialem causam, quæ esset communis etiam Monialibus, tenerentur quoque ipsæ ieiunare, quia cum intentio Episcopi respiciat illam causam, indicit ieiunium secundum mensuram ipsius, atque adeo omnibus, quibus causa est communis. Vbi enim est eadem ratio, est etiam eadem lex comprehensiuè. *l. His solis.* vers. *satis etiã cauiè C. De reuocant. donat.* & *l. Item veniunt §. ait Senatus ff. de petit.* hæredit. Et hoc tantum probant quę adducit Bossius *tom, 3. moral. tit. 21. n. 191.* impugnans supra dictam doctrinam.

An vniuersitates, Officiales, & Milites teneantur ad seruanda ieiunia indicta ab Episcopo. Decis. 198.

SVMMARIVM.

1 *Vniuersitates, Officiales, Milites non tenentur ad ieiunia imposita ab Episcopo.*
2 *Cur vniuersitates non teneantur ad ieiunia imposita ab Episcopo.*
3 *Cur Officiales non teneantur ad ieiunia imposita ab Episcopo.*
4 *Cur milites sint exempti a ieiunijs proprijs loci.*

1 NEGATIVE resp. quò ad omnes enumeratos iuxta doctrinam eorum, qui tenent, Aduenas non obligari ad seruanda ieiunia propria loci, quos infra *Decis. 202.* referemus; hi enim omnes tanquam aduenę habendi sunt, cum non acquirant domicilium.

2 Et quod spectat ad Vniuersitates; cum sint communitas distincta à communitate ciuitatis, non subiacent ijs, quæ imponuntur ciuitati, vt constat etiam in ijs, quæ Princeps imponit ciuibus, à quibus exempta est vniuersitas scholarium, quia leges pro vna communitate non afficiunt alteram. Et est eadem ratio, ac de consuetudine, quia cum consuetudo sit lex quædam moribus comprobata Cap. *Consuetudo. Dist. 1.* quos non obligat consuetudo loci, nec etiam obligat lex. Consuetudo autem loci non obligat Vniuersitates, vt cum pluribus Doctoribus supra tradidimus Decis. 188. *n. 2.*

3 De officialibus vero, qui foris adueniunt (nam secus est de ijs, qui etiam sunt ciues) militat eadem ratio, ac de consuetudine. Vt enim diximus cum pluribus Doctoribus Decis. 189. *n. 3.* Officiales non acquirunt Domicilium, atque adeo non incorporantur communitati, & proinde lex, & praeceptum ordinatum ad communitatem non extenditur ad ipsos, quia non extenditur vltra terminos communitatis.

4 Similiter etiam milites, qui non sunt ciues, sed vt præsidij, vel hospitationis causa degunt, non subduntur legi, seu præcepto, quia sunt extra communitatem; & proinde etiam extra terminos ad quos se extendit obligatio statuti, & præcepti. Non enim acquirunt domicilium, etiam si per plures annos maneant in eodem loco, vt dicebamus Decis. 191. *n. 2. & sequentib.* Solum obijci potest, quod hi acquirunt quasi domicilium. Sed vt dicemus Decis. 203. hoc non sufficit ad inducendam obligationem ieiunij. Et post hæc scripta inueni tenere hanc sententiam Bernardum Barilem *De potest. leg. municip. disquisit. 1, §. 4. n. 37. & 40.*

An Episcopus teneatur seruare ieiunia, quæ ab ipso populo imponuntur. Decis. 199.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus secundum aliquos tenetur ad ieiunia ab ipso imposita populo,*
2 *Non tenetur,*
3 *Ieiunia imposita ab Episcopo sunt media, quibus populus perducitur ad perfectionem, non autem quibus perducatur Episcopus, & proprium pabulum subditorum.*
4 *Diuersis medijs perducitur populus ad fidem supernaturalem, ac Episcopus.*
5 *Quando lex per vim directiuam obliget legislatorem.*

1 AFFIRMATIVE respondet Bonacina *tom, 2. disp. 1. de legib: qu. 1. punc. 6. n. 20.* ver. *Ex opposito* loquens in speciali etiam de ieiunio: & ij omnes, qui tenent, Episcopos obligari quò ad vim directiuam, vel saltem indirectè ratione legis naturalis ad seruandas proprias leges & statuta, vt Caiet 1. 2. *q. 96. ar 5. s. Ad hoc dubium* Sotus *lib, 1. de Iust. & iure q. 6; ar. 7.* vbi etiam ponit exemplum de ieiunio Clauis Regia *lib, 3. cap. 4. nu. 10.* & alij, qui ibi *num. 3.* ver. *Communis tamen*, citantur. Et ratio de ieiunio specialis esse potest, quia ieiunium imponitur tanquam actus virtutis, qui fit medium in ordine ad finem supernaturalem, & tanquam bonum spirituale communitatis: vnde cum faciat vnum corpus tanquam caput cum cœteris de communitate, & debeat seipsum cum toto corpore promouere ad finem supernaturalem, & ipse quoque debeat concurrere ad bonum spirituale communitatis, tenebitur seruare ieiunia ab ipso iniuncta.

2 Alij vero negatiuam sententiam tenent. Ita de ieiunio loquens Duual. 1. 2. *tr. de Legib. q. 5. ar. 5.* ver. *Quarta difficultas*, & cœteri, qui docent, Episcopum non teneri sub graui peccato ad seruandas leges à se latas, neque etiam quò ad vim directiuam, sed tantum ex quadam decentia, & honestate naturali, vt Io. Andreas *in c. Qui licet de Regulis iuris in 6.* Azor. *par. 1. lib. 5. c. 11. q. 2.* ver. *In hac controuersia* Salas *Disp. 14. de Legib. sect. 3. n. 3.* ver. *Secunda, & vera opinio*, & alij apud ipsos.

3 Et hæc posterior sententia mihi magis placet loquendo in speciali, quo ad legem, seu præceptum de ieiunio, & potest etiam speciali ratione confirmari. quia nimirum non militat eadem ratio in Episcopis, & in subditis. Lex enim debet esse necessaria Cap. *Erit autem. Dist. 4.* quatenus nimirum, quod præ-

præcipitur, debet esse moraliter necessarium ad bonum communitatis, ad quod debet lex respicere; Ieiunium autem impositum ab Episcopo, cum imponatur tanquam actus virtutis conducens ad finem supernaturalem, debet censeri necessarium moraliter ad bonum publicum, quatenus tale bonum consistit in huiusmodi perductione ad supernaturalem finem; non est autem necessarium in Episcopo, sed solum in subditis, quia Episcopus est in statu perfectionis, & habet alios ducere ad perfectionem, vt notat D. Th. 2.2. *q.* 185. *ar.* 1. *ad* 2. & ideo vtitur ieiunio imposito tanquam medio ad perducendum populum ad perfectionem; ipse autem non indiget tali medio, quia si seruet omnia, quæ exiguntur à proprio statu, habebit omnia, quæ sunt necessaria ad perfectionem; & proinde lex ab ipso lata de ieiunio non obligat ipsum, neque quòad vim directiuam, quia non est de materia ipsi necessaria, sed tantum necessaria pro subditis: vnde cum Episcopus segregetur à subditis ratione status diuersi, in ratione vitæ tenendę in ordine ad finem supernaturalem, vis directiua legis de materia necessaria pro subditis ratione conditionis ipsorum non extendet se ad ipsum; quia per alia media debet se perficere secundum exigentiam proprij status.

4 Hinc soluitur ratio in oppositum adducta *n.* 1 nam Episcopus ratione proprij status debet se perducere ad finem supernaturalem per alia media, ac debeat conduci populus, & ideo, quæ sunt necessaria pro populo, & vt talia ipsi imponuntur, non sunt necessaria pro Episcopo. Vnde non sequitur quod quando perducit populum ad perfectionem, atque adeo ad finem supernaturalem per ieiunium, quod debeat, per idem medium perducere se ipsum, nam in hoc exercet officium pastoris exhibendo necessaria media ipsi populo tanquam destituto ijs, quæ ad sufficientiam habet pro se absque ieiunio.

5 Vnde obiter colligitur, quando lex per vim directiuam obligat etiam legislatorem, tunc enim obligat, quando obseruantia legis est per se necessaria ad bonum communitatis, etiam in legislatore: si autem non sit necessaria, non obligat. Et ratio est quia cum lex oneret, non debet imponi, nisi ob necessitatem boni publici; & proinde debet esse necessaria ad conseruationem illius, vt *n.* 4. dicebamus. Et proinde cum vis directiua legis in eo consistat, quod ipsa ratio legis ostendat, legem esse seruandam; si obseruantia legis non est necessaria in legislatore, neque ratio legis ostendere poterit, esse obseruandam, & consequenter ad ipsum non se extendet, quia in tantum ostendit, esse obseruandam in quantum bonum publicum exigit obseruari.

An vagi teneantur ad ieiunia propria locorum, per quæ transeunt. Decis. 200.

SVMMARIVM.

1 *Vagi tenentur secundum aliquos ad ieiunia locorum propria.*
2 *Ipsorum fundamenta.*
3 *Vagi non tenentur ad ieiunia propria locorum.*
4 *Cur vagi non sint sub iurisdictione Episcopi in ordine ad propria statuta.*
5 *Vagi non sortiuntur domicilium, vbi sunt.*
6 *Quas leges locales teneantur vagi seruare.*
7 *Vagi puniuntur, vbi sunt, ratione consuetudinis.*

1 AFFIRMATIVE respondent, qui tenent, Vagos obligari legibus, & proprijs consuetudinibus locorum Ita Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q* 4. *ar.* 2. §. *Similiter & omnes.* ver. *Est hic tamen adnotandum.* Sanchez *lib.* 3. *de matrim, disp.* 18. *num.* 15. *& lib.* 1. *in Decal. c.* 12. *n.* 23. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 20. Lorca 1.2. *tom.* 2 *disp.* 25 *De legibus membro* 4. *in fine.* Villalobos *par.* 1. *sum. tr.* 2. *difficul.* 33. *n.* 1. Reginal. *tom.* 1. *praxis fori pœnit. lib.* 13. *n.* 172. *in fine.* Salas *disp.* 14. *de legib. sect.* 4. *n.* 40. ver. *Dico tertio.* Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 13 Diana *par.* 1. *tr.* 9. *resol.* 2. ver. *Notandum vero est.* Trullench *lib.* 6. *in Decal. c.* 2. *dub.* 6. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 7. *n.* 105. Pontius *lib.* 5. *de matrim. c.* 7. Caspen: *par.* 1. *Curs. Theol. disp.* 4. *de legib. sect.* 4. *n.* 59. Palaus *par.* 1. *oper. mor. tr.* 3. *disp.* 1 *p.* 24. § 4. *n.* 3. Merolla *tom.* 2. *Theol. mor. disp.* 4. *c.* 3. *dub.* 42. *n.* 566. Baldell. *tom.* 1. *Theol. mor. lib.* 5. *disp.* 32. *n.* 28. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 1. *de leg. q.* 1. *punc.* 6. *nu.* 54. qui more consueto malè citat Azor *par.* 1. *lib.* 5. *c.* 11. *q.* 13. nam ibi *q.* 3. tantum docet, quod Vagi puniuntur in loco, vbi sunt, & Laiman, qui oppositum tenet, vt videbimus.

2 Mouentur hi Doctores, quia cum Vagi non habeant proprium domicilium, illud sortiuntur, vbicunque reperiuntur; Et inde sequeretur quod essent exempti ab omnibus statutis, & legibus localibus, Decretis Episcoporum, quod est quid inordinatum, & repugnans rectæ gubernationi, & parum consentaneum saluti ipsorum. Denique quia iudices puniunt vagos vbicunque reperiuntur, etiam ob delicta alibi commissa, vt notat Iulius Clarus *in practica lib.* 5. *q.* 39. ver. *Cæterum si reus.*

3 At vagos non teneri ad seruanda ieiunia propria loci, vbi reperiuntur, tenent ij, qui docent, non esse subiectos legibus, & statutis localibus: Ita Medina 1.2. *q.* 96. *ar.* 5. *in fine.* Sayrus *lib.* 3. *Clauis Regiæ c.* 4. *n.* 15. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2. *dub.* 7. *n.* 49. Laiman *lib.* 1. *theol. mor. tr.* 4. *c.* 12. *n.* 7. ver. *Nihilominus* Bossius *sect.* 4. *de Iubileo. Casu* 18. *n.* 58. Sanchez in *Selectis de Sacramentis disp.* 54. *n.* 34. loquens de ieiunio vbi etiam alios citat. Martin à S. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 10. *de ieiun. v.* 4. Et probabile putat Diana *p.* 1. *tr.* 10. *de legib. resolut.* 16. *in fine.*

4 Et hæc sententia mihi absolute placet, quia ieiunium imponitur ab Episcopo tanquam à capite communitatis, & Pastore talis gregis, quia super ipsum tantum habet iurisdictionem; & ideo cum obligatio legis, statuti, atque præcepti non se plus extendat, quam se extendat iurisdictio, non se extendit extra communitatem, cui tanquam Pastor præest Episcopus. Vagi autem non incorporantur communitati, quia sunt semper in transitu, nec acquirunt domicilium, & ideo est eadem ratio de ipsis, ac de peregrinis. Vnde non fruuntur priuilegijs communitatis, nec censentur membra ipsius. Et ideo obligatio legis, ac statuti, cum non se extendat extra communitatem, non se extendet ad ipsos. Et si esse membrum communitatis; & ipsi incorporatum est ratio, cur obliget lex; non esse membrum, & non esse incorporatum erit ratio, cur non obliget.

5 Ne-

5 Neque quæ in oppositum afferuntur, sunt magni momenti, nam non bene infertur, quod cum non habeant proprium domicilium, illud sortiantur, vbicunque sunt, nam si sortirentur, haberent proprium forum, quod tamen est falsum arg. ex Cap. fin. *De Foro compet* haberent proprium Parochum, possent recipere omnia sacramenta, etiam non necessaria in quocunque loco, quod tamen est falsum. Hinc censetur priuilegium, quod possit Parochus assistere ipsorum matrimonijs.

6. Ad secundũ conceditur, vagos esse exemptos ab omnibus legibus, & statutis localibus, quæ sunt pure personalia, ita vt non concernant communitatem, qualia sunt statuta circa contractus, mercaturam, & alia huiusmodi: neque absurdum est, quod, qui non est de communitate, non seruet ordinem eumdem cum cæteris, & recto regimini sufficit, quod seruentur statuta, quæ concernunt communes actiones cum cæteris, quia tunc cum vagi communicent in actionibus cum cæteris, debent etiam communicare in subiectione ad leges. Quod autem pertinet ad salutem satis ipsis prouisum est per leges generales, & communes omnium locorum.

7 Ad tertium. Vagos puniri, vbi reperiuntur, quia ita obtinuit consuetudo sic exigente bono communitatis, nam alioquin possent facile impune delinquere.

An aduenæ teneantur ad ieiunia propria locorum, per quæ transeunt, aut dum sunt in transitu aliquantulum morantur. Decis. 201.

SVMMARIVM.

1 *Aduenæ tenentur seruare ieiunia locorum propria, etiam si tantum per diem ibi morentur, secundum aliquos.*
2 *Consuetudo loci ab omnibus seruanda.*
3 *Leges locales seruandæ ab aduenis, & quando secundum aliquos.*
4 *Aduenæ breui tempore morantes in loco non tenentur ad ieiunia propria loci.*
5 *Cur aduena breui tempore morans in loco, non teneatur ad leges loci.*
6 *Consuetudo loci seruanda ab ijs, qui sunt de loco.*
7 *Consuetudo loci seruanda ab aduenis, quando alias darent scandalum.*
8 *Cur aduenæ timorati censeant, obligari ad ieiunia loci.*
9 *Qando sentiens commodum debeat sentire & incommodum.*
10 *Aduena non est pars, aut membrum communitatis.*

1 AFFIRMATIVAM sententiã tenent ij omnes, qui vniuersaliter docent, Aduenas teneri ad seruandas consuetudines, & leges ieiuniorum, Festorum, & alias huiusmodi Abbas *Cap. Consil. n.6. De obseruat. ieiun.* Felin *in Cap. Quod Clerici. Foro competenti.* Cardinal. *in Clem. 2. q.5 De celebrat. Missar.* Portius §. *Sed, & quod, num. 26. Instit. De iure natur. Gent. & Ciuil.* Couaruuias *lib.4. Variar. c.20. n.8.* Maior. *in 4. dist. 15. q.5.* Nauar. *c.13. Manual. n.5. ver. Infertur tertio, & c.23. n.120.* Rodriquez *par.1. sum. c.122. n.1.* Philiar. *tom.1. De officio sacerdotis: par.2. lib.3. c.23 §. Est tertio notandum.* Lessius *lib.4 de iust. & iure c.3 dub.7. n.50.* Grassius *lib.2. Decis. c.37. n.34.* Suarez *tom.1. De Relig. tr.1. lib.1. c.14. n.8. & lib.3. De legibus cap.33. n.3.* Vazquez *3. p. tom.3. disp.184. c.3. n.28.* Pontius *lib.5. de matrim. c.7. §.1. num.6* Salas *disp.14. de legib. sect. 4. n.41. ver. Alia opinio.* Malderus *1.2. q.96 ar.5. §. De peregrinis* Molfes. *par.1. sum. tr.10. c.4. n.17.* Ortiz. *c.16 sum. n.72. & c.19. n.12.* loquens specialiter de ieiunio Io. à Cruce *par.1. Direct. conscient. præcep.3 ar.4. dub.9. n.6.* Lublinus *par.1. sum. verbo, Festum, n.3.* Et hanc opinionem vocat multo probabiliorẽ Villalobos *par. 1. sum. tract.2. difficul. 33. num.7. in fine.* Sà *verbo. Ieiunium n.1.*

2 Probant autem hanc sententiam ex Cap. *Illa, Dist.12.* Vbi Ambrosius apud D. Aug. *Epist. 18. ad Ianuarium* ait. *Cum Romam venio, sabbatum ieiuno; cum Mediolani sum, non ieiuno: Sic & tu ad quamcunque Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Deinde, quia viri timorati seruant huiusmodi ieiunia, & festa, & censent, adesse obligationem. Tertio, Aduenæ sunt soluti à ieiunijs proprij loci, ergo debent esse subiecti ieiunijs locorum, per quæ transeunt, quia sentiens commodum, debet sentire & incommodum iuxta Regulam, Cap. *Qui sentit. De regulis iuris in 6.* Quarto. quia aduena vt pars debet conformari toti communitati, hoc enim est secundum ius naturale: vnde consuetudine, & praxi consensu Prælatorum approbata, videtur introductum, vt Peregrini teneantur ad leges locales circa ieiunia, & alia huiusmodi.

3. Explicant autem supra citati Auctores hanc sententiam, quod Aduenæ teneantur ad leges locales seruandas, quando morantur in loco tempore proportionato pro seruando præcepto. Vnde non tenerentur audire missam, nisi toto mane, aut per maiorem partem morarentur, nec ieiunare, nisi morarentur per integrum diem, quia præceptum de ieiunio requirit diem integrum. Ad seruanda autem præcepta negatiua semper tenentur, quia obligant pro quocunque tempore.

4 At contrariam sententiam tenent plures alij Doctores, & proinde aduenas, etiam si per aliquod breue tempus morentur in loco, non teneri ad ieiunia propria illius loci. Ita Palud. *in 4. dist. 15. q.4. ar.3. n.34.* Palat. *disp.8. post 6. conclus. ver. At vero* Syluester *verbo. Ieiunium. n.7. ver. Si autem transeat solum* Medina *1.2. q.96. ar.5. §. Dubitatur præterea.* Io: Medina *C. De ieiunio q.10. initio.* Tolet. *lib.6. c.5. n.3.* Rosella *verbo. Ieiunium n.16.* Ledesma *2. par. 4. q.17. ar.3. ver. Tertio dico;* Rodriquez *tom.1. q. Regul. q.68. ar.4.* Angles *in Flo. rib. Theol. q.4 de ieiunio diffic. 2. ver. Hinc peregrini.* Azor: *par.1. lib.7. cap.19. q.4.* Soytus *lib.3. Clauis Regiæ c.4. n.15.* Auila *De censuris. par.2. c.3 disp. 2. dub.3. conclus.3. ver. Circa Corollarium.* Vega *tom.1 sum. c.14. de ieiunio casu 11.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp. 18. n.6. ver. Quarta quia,* vbi pro hac sententia citat plures canonistas. *& lib.1. cap.12. n.38.*

Lai-

Laiman *lib. 1. theol. moral. tract. 4 cap. 12. num. 4.* Cooninch. *3. par. tom. 1. q. 74. ar. 4. dub. 2.* Bonacina *disp. 1. De legib. q. 1. punc. 6. num. 36. ver. Hoc posito.* Reginal. *tom. 1. praxis fori pœnit. lib. 4. c. 12. n. 136.* Filliucius *tract. 27. par. 2. cap. 6. n. 106.* Granadus *1. 2. controuer. 7. tract. 3. par. 1. disp. 6. sect. 4. num. 25.* Diana *par. 1. tr. 9 Resolut. 2. ver. Sed non minus.* Facundez *præcepto 4. Eccles. lib. 1. c. 7. n. 10.* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. num. 49.* Sanchez *in selectis de sacram. disp. 54. num. 31.* Gaspar. Hurtad. *Disp. 5. de sacrificio Missæ difficul. 1. ver. Addimus.* Gordonus *lib. 6. Theol. moral. q. 18. c. 7. in fine.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 6. n. 3.* Achunna *in 1. par. Decreti in Cap. Illa. nu. 4. dist. 12.* Barilis *de lege municip. disp. 1. §. 3. n. 3.* Martin à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tract. 10. de ieiun. num 3.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. cap. 8. n. 119.*

5 Hæc posterior sententia vera mihi videtur, & absque difficultate tenenda; nam leges non obligant, nisi eos, ad quos pertinent. lex autem ieiunij localis non pertinet, nisi ad eos, qui sunt de loco, non materiali modo, sed formaliter, hoc est, qui sunt de communitate loci, quia sicut iurisdictio non extenditur, nisi ad proprios subditos, ita non extenditur nisi ad eos, qui sunt de communitate loci. Aduenæ autem, quamuis per breue tempus morentur in loco, non sunt de communitate loci; nec sunt propriæ oues illius gregis; vnde Episcopus non potest circa ipsos, quæ potest circa proprias oues, vt omnes fatentur; non enim potest dispensare, ministrare sacramenta, exceptis sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ ministrantur ex consuetudine, & tacito consensu proprij Pastoris. Et sicuti leges Ecclesiæ vniuersalis non obligant infideles, quia de foris sunt, etiam si habitent inter fideles; non alia ratione, quia non sunt de ouili vniuersalis Ecclesiæ. ita nec leges specialis Ecclesiæ obligabunt aduenas, quia non sunt de gremio, & ouili illius Ecclesiæ, cum sint ibi tantum in transitu, & non vt subijciantur simul cum cæteris tali Pastori.

6 Neque contra prædicta facit Cap. *Consilium. De obseruat. ieiuniorum,* vt à nonnullis allegatur, quia ibi tantum Pontifex scribit Episcopo Bracharensi, quod circa festiuitatem S. Bartholomei seruet consuetudinem regionis. Ex quo tantum colligitur; quod Episcopi debeant seruare consuetudines introductas, quibus etiam stent subditi; non autem quod Aduenæ teneantur legibus, & consuetudinibus loci.

7 Ad 1. resp. Ex illo tex. tantum colligitur, quod seruanda sit consuetudo loci, quando timetur scandalum ex opposito, vt constat ex illis verbis. *Si non cuiquam vis esse scandalo.* vnde argum. à contrario sensu, quando non adest scandalum, neque etiam adest obligatio seruandi ieiunia propria locorum, atque adeo adest tantum obligatio per accidens, non autem per se ratione legis, aut statuti. Et intentio Ambrosij est tantum consulere Augustino, quod, vt se in tuto ponat, ne cuiquam scandalum det, seruet consuetudinem locorum.

8 Ad 2. Viros timoratos censere se obligari ad hæc ieiunia ex ignorantia, vel si docti sunt, quia sequuntur oppositam opinionem.

9 Ad 3. neg. conseq. non enim bene infertur, Non tenetur ieiunijs proprij loci, ergo debet teneri ad ieiunia loci, in quo est vt aduena. Quando autem dicitur, quod qui sentit commodum, debet sentire etiam incommodum, debet intelligi, quando commodum trahit secum incommodum, & proinde ad inuicem connexa sunt. Esse autem solutum ieiunijs proprij loci non habetur à loco, in quo est aduena, neque Episcopus illius loci absoluit ab obligatione; sed habetur ex eo, quod obligatio est limitata ad locum, & ideo extra ipsum non se extendit; vnde non trahit secum incommodum ieiunij alterius loci. Imo ex hoc oppositum elicitur, nam, si qui est extra locum proprij domicilij; non tenetur ad ieiunia propria illius loci, etiam si ibi conseruet domicilium, multo minus tenebitur ad ieiunia loci, in quo est transeunter, quia in ordine ad obligationem plus est retinere domicilium cum absentia, quam esse præsens sine domicilio.

10 Ad quartum. Aduenam non esse partem, quia non incorporatur communitati, nec fit subiectus Episcopo, vt constat ex supradictis. Quod autem fit in praxi à Prælatis comprobata, quod ieiunia propria loci ab aduenis seruentur, non colligitur, nisi quia aliquando puniantur, qui non seruant, quod tamen non indicat consuetudinem, nam id prouenit, vel ratione scandali, vel quia Prælati putant, etiam Aduenas obligari.

An, quando Aduenæ diu morantur in aliqui loco, teneantur ad ieiunia propria illius loci. Decis. 202.

SVMMARIVM.

1 *Aduena habens animum figendi sedem, statim tenetur ad ieiunia illius loci.*
2 *Aduena morans diu in aliquo loco, tenetur ad ieiunia loci secundum aliquos.*
3 *Non tenetur.*
4 *Lex non est nisi ab habente iurisdictionem.*
5 *Aduena absque animo contrahendi domicilium non subditur locali iurisdictioni.*
6 *Subiectio ad localem iurisdictionem non habetur, nisi ex tacito contractu aduenæ.*
7 *Aduena non sentiens commodum subiectionis, nec debet sentire incommodum.*
8 *Consuetudines, & leges locales debent seruari ab aduena, si figat sedem.*
9 *Aduena diu morans in aliquo loco contrahit quasi domicilium fictione iuris.*
10 *Aduena, in quibus debeat se conformare moribus ciuitatis.*
11 *Subiectio transitoria in aduenis est ficta.*

1 QVANDO aduena peruenit ad aliquem locum cum animo ibi figendi sedem, acquirit statim domicilium, cum pluribus Doctoribus notat Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 23. n. 2.* quia se incorporat illi communitati, & fit membrum ipsius, vnde etiam tenetur seruare leges illius loci, atque adeo etiam ieiunium, vt notant communiter omnes Doctores tam pro prima, quam pro secunda sententia Decis. *præcedenti* citati.

2 At quando non habet animum ibi manendi, moratur tamen per notabile tempus, teneri ad seruanda ieiunia propria loci, docent non solum Doctores Decis. *praecedenti* pro priori opinione citati, sed etiam quam plures ex ijs, quos attulimus pro posteriori opinione. Ita Rodriquez *tom. 1. q. Regular. q.68.ar.4.* Azor. *par.1.lib.7.cap.19.q.4.* Suarez *tom.1. de Relig.tr.1.lib.2.c.14.n.8.* D.Anton. *2.par.tit.6.c.2.§. 1.* Facundez *praecep.4.Eccl.lib.1.c.7.n.6.* Achunna *in 1. par.Decret. in Cap.Illa.num.4 Dist. 12.* Palat. *in 4.dist. 15.disp.8. post 6.conclus.* Reginal. *tom.1.praxis fori poenit. lib 4.c.12.num.136.* Gordonus *lib.6.Theolog.moral.q. 18.cap.6.ver.Quaritur 3.* Trullench. *lib.3. in Decal. c. 2.dub.6.num.3.* quia videlicet, quando aduenæ diu morantur in aliquo loco, contrahunt quasi domicilium. Et quia pertinet ad pacem communitatis, quod aduenæ diu morantes in aliquo loco se conforment moribus illius.

3 At oppositā sententiam, nimirum Aduenas diu morantes in aliquo loco non teneri ad ieiunia, & leges particulares illius loci, quæ concernunt priuatas actiones, & proprias, docent Syluester *verbo.* Ieiunium *num.7.* Medina C. *De ieiunio q.10. init.* Toler. *lib.6.cap.5.n.3.* Ledesma *2.par.4.q.17. ar.3.ver. Tertio dico.* Angles *in Florib. Theolog.q.4.de ieiunio difficul.2. ver. Hinc Peregrini.* Sanchez *lib.3.de matrimonio disp 18 n. 6.* & clarius *lib.1 sum.cap 12.num.38.* Laiman *lib.1 theol.mor.tr.4.cap.12.num.4.* Bonacina *disp.1.de legib.q 1 punc.6.num.36.ver. Hoc posito.* Filliucius *tr.27.par.2. cap.6. n.106.* Granad. *1.2.Controuer.7.tr.3. par.1. disp. 6.sect.4.n.25.* Diana *par.2.tr.9. de ieiunio.Resol. 3. ver. Imo ego puto,& tr. 10. de legib. Resol.13.ver. At ego* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18.n.49.* Sanchez *in selectis de sacram.disp.54.n.31.* Gaspar. Hurtad. *disp.5. de sacrificio Missæ, difficul. 1. ver. Addimus* Caspen. *par.1.Cursus Theol.tr.13. de legib.disp.4.sect.4.num.36* Barilis *de leg. municip. disquisit.1. §. 3. n.9.* Martin. à S.Ioseph. *tom.1. moral. lib. 2. tr.10.de ieiun.num.3.* Roccatul. *in Praxi tr. 6.de praecep.Eccl. lib.3.cap.8.n.19.* Et tenet ita etiam Glossa *in Cap Quæ contra verbo* Aut Peregrini. *Dist.8.* & Cap. *Illa.verbo.* Venerit. *Dist.12.*

4 Et hæc sententia tenenda est, nititur enim duplici principio, quorum primū certum, & lumine naturæ notum est, quod lex non potest ferri, nisi ab habente iurisdictionem, atq; adeo non potest obligare, nisi subditos, vt notat D.Th. *1.2.q.96.ar.5.* & desumitur ex Cap. *2.De constit.in 6.* & l. *fin ff. De iurisd.om.iud.* nam lex habet dirigere in finem, quem intendit, solus autem, qui habet iurisdictionem, potest dirigere. Vnde nec Pontifex potest suis legib. obligare infideles, quia non habet potestatem super illos, cum non sint de grege Christi, iuxta illud. *1. Corinth.15.de his, qui foris sunt, quid ad nos* & habetur in Cap. *Gaudemus. De diuortijs.* non enim habet ipsos perducere ad finem supernaturalem. Nec item potest ferre leges ciuiles pro toto orbe, quia non habet administrationem temporalem totius obis, vt notāt communiter Doctores. Nec imperator potest ferre leges pro regnis, sibi non subiectis, sicut nec quilibet alius Princeps; defectu nimirum iurisdictionis, & subiectionis in populis, quæ requiruntur ad potestatem legislatiuam, vt notant Doctores in *l.Imperium ff. De iurisd.om. iud.* & in Cap. *Cum Ecclesia S.Mariæ. De constitutionib. & in Cap. Solitæ. De maior.& obedient.*

5 Alterum principiū est, quod aduenæ, qui morantur in aliquo loco absq; animo contrahendi domicilium, non subijciantur iurisdictioni speciali illius loci, & hoc principium fundatur in iure tā ciuili, quam canonico; nam desumitur ex *l.Debitor.32. ff. de pignorib.& hyppoth.* vt notat etiam Glos. *in Cap. Quæ contra.verbo* Aut Peregrini. *Dist. 8.& Cap.Licet De Foro competenti.* Vbi habetur, quod quis non sortitur forum atq; adeo nec subiectionē, nisi ratione domicilij, aut ratione rei, de qua contra possessionem agitur, aut ratione contractus. Ex quibus solum domicilium dat forum simpliciter, atq; adeo simpliciter subiectionē: cætera autem dant solum forum, quatenus pro ipsis necessarium est. Vnde neq; Ecclesia obligat Græcum versantem inter Latinos ad celebrandum in azimo, vt habetur in Concil. *Florentino in Litteris vnionis.* Vnde etiam in citato Cap. *Licet.* habetur, quod quilibet conueniri potest apud Sedem Apostolicam, etiam si aduena sit, quia Ecclesia Romana est omnium mater, atq; adeo omnes sibi subijcit, ergo ex opposito cæteræ Ecclesiæ particulares, quia non sunt matres omnium, non sibi subijcient, nisi proprios filios, atque adeo eos solum, qui ratione domicilij incorporantur communitati.

6 Et ratio est, quia subiectio in ordine ad iurisdictionem localem est vnicuique voluntaria, sicut est voluntaria habitatio in hoc, vel illo loco; & ideo non potest consurgere, nisi ex quodam tacito contractu partium, quo vna alteri se subijciat, tradens se ipsius iurisdictioni, & acceptetur ab alia. hic autem tacitus contractus interuenit, quando quis habet animum contrahendi domicilium, secus autem, quando non habet; quia dum intendit ibi morari tāquam aduena, nunquam intendit se subijcere iurisdictioni particulari illius loci, nam non intendit se incorporare tali communitati. Et sicuti sæcularis, quantumuis diu moretur inter Regulares, nunquam fit subditus regulis ipsorum, nisi interueniat aliquis contractus, ita nec aduena, cum sit exemptus à tali iurisdictione, non fiet subditus, nisi interueniat talis contractus, exceptis ijs casibus, qui in iure sunt expressi, de quibus *num.praecedenti.* Vnde aduenæ tanquam non subditi, eiam si diu in loco morentur, non tenebuntur ad seruanda particularia ieiunia loci.

7 Quod amplius confirmari potest. Quia aduena, licet diu moretur in loco, non sentit beneficium subiectionis: non enim potest recipere ibi sacramenta exceptis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; & hoc ex præsumpta voluntate proprij Pastoris; non admittitur ad officia communitatis, non habet ius pascendi, si adsint pascua communia, nec communicandi in cæteris communibus; vnde nec debet sentire incommodum subiectionis, & teneri ad onera propria illius communitatis iuxta Regulam. *Qui sentit. De regulis iuris in 6.*

8 Neque obstat; quod habet Augus. *lib.3.confess. c.8.* & refertur in Cap. *Quæ contra dist 8.* nam cum dicit, quod pactum ciuitatis consuetudine, aut lege firmatum, neque peregrini libidine violari debet, intelligit de peregrino accedente cum animo contrahendi domicilium, vt colligitur ex ratione, quam adducit, inquiens, *Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non congruens.* Vnde oportet, vt peregrinus fiat pars ciuitatis, non fit autem pars, nisi fiat ciuis, quia de ratione partis est, vt concurrat ad constituendum totum, cuius est pars: non fit autem ciuis, nisi habeat animum contrahendi domicilium.

V 9 Ad

9 Ad ea autem, quæ n.2. in oppositum allata sunt, resp. Quod aduenæ, diu morantes in aliquo loco, contrahunt quidem quasi domicilium quo ad ea, quæ ipsis ius indulget; non autem, quo ad cætera. Imo ex eo, quod est quasi domicilium, non est verum domicilium, sed domicilium diminutum, & tantum quo ad aliqua, ratione quorum, licet non habeant domicilium, censentur tamen fictione iuris habere. Hinc tamen non sequitur, quod totaliter subijciantur iurisdictioni locali, quia talis subiectio non habetur, nisi ex vero domicilio, & incorporatione totali ad communitatem. Neque subiectio in aliquibus ad cætera extendi debet, cum sit odiosa, neque à iure extendatur; si enim voluisset extendi, non assignasset casus particulares, in quibus essent subiecti, neque excepisset casus, in quibus non essent subiecti. Sic excipit ordinem, quem non potest aduena recipere, etiam si diu moretur in loco, vt habetur Cap. *Cum nullus. De tempore ordinat. in 6.* Imo, quia non manebant aduenæ subiecti ex longa mora, vt ius prouideret incommodis inde emergentibus, determinauit ea, in quibus essent subiecti. Nec fictio iuris debet extendi vltra casus in iure expressos, vt communiter Doctores *in Cap. In præsentia. De probationibus* quos allegat, & sequitur Guttier. *lib.1.q. canon.c.32.n.56.*

10 Cum autem dicitur, quod pertinet ad pacem communitatis, quod Aduenæ, diu morantes in loco, se conforment moribus illius. Resp. id esse verum, quo ad ea, quæ communia sunt cum cæteris de communitate, vt sunt contractus, mercatura, & alia huiusmodi, non autem quo ad ea, quæ peculiaria sunt propriæ personæ, vt est ieiunare; & alia huiusmodi.

11 Ex quibus colligitur fictam omnino esse illam subiectionem transitoriam, qua dicit Suarez *lib.3. de legib. cap.33.* Aduenas subijci legibus loci: neq; enim talis subiectio habet aliquod fundamentum, aut titulum, vnde proueniat, neque enim sufficit sola præsentia in loco ad ipsam contrahendam, alioquin Regulares, & aliæ personæ exemptæ, vt Abbates, Prælati, & Officiales curiæ Romanæ subijcerentur Ordinarijs, quando in ipsorum Diocesibus reperirentur extra loca exempta. Sed requiritur voluntas se subijciendi, quia est voluntaria, exceptis casibus, in quibus à iure constituitur.

An aduenæ manentes in aliquo loco maiori anni parte teneantur ad ieiunia propria illius loci. Decis. 203.

SVMMARIVM.

1 *Aduenæ morantes in aliquo loco maiori anni parte, tenentur seruare ieiunia illius loci secundum aliquos.*
2 *Non tenentur.*
3 *Vt aliquid dicatur de tali loco, debet esse perpetuo ipsi addictus.*
4 *Quot modis contrahatur domicilium; & quid requiratur, vt aduena ipsum contrahat.*
5 *Aduenæ, diu morantes in aliquo loco contrahunt quasi domicilium in solis casibus expressis à iure.*
6 *Qui non transfert domicilium, tenetur ad ieiunia, & leges domicilij originis, etiam si per vnum diē ibi maneret.*
7 *Oratores, & legati etiam ciuitatum subiectarum, non tenentur ad ieiunia propria loci.*
8 *Aduena manens Romæ non tenetur ad ieiunia propria loci.*

1 AFFIRMATIVE respondent Felin. *in Cap. Quod Clerici. init. De Foro competenti;* Dominic. *in Cap. Quæ contra. ver. Cogitate tamen. Dist. 8.* Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 18. n. 9.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure. cap. 2. dub. 7. n. 47.* Pontius *lib. 5. de matrim. cap. 7. §. 1. n. 4.* Bonacina *tom. 2. disp. 1. De legib. q. 1. punc. 6. num. 43.* Palaus *p. 1. oper. mor. tract. 3. disp. 1. punc. 24. §. 3 n 2.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 2. ver. Imo ego.* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. c. 7. n. 6.* Suarez *tom. 1. de Relig. tr. 1. lib. 2. c. 12. n. 4. & 5.* Trullench. *lib. 3 in Decal c. 2. dub. 6. n. 3.* Merol. *tom. 2. Theol. mor. disp. 4 c. 3. dub. 42. n. 533.* & alij in tractatu De *legib.* Quia nimirum, quando aduena habitat maiori anni parte in aliquo loco, contrahit ibi quasi domicilium: vnde potest recipere omnia sacramenta excepto sacramento ordinis, est ibi sepeliendus, nisi in alio loco eligat sepulturam, & proinde tenentur seruare leges loci.

2 Sed negatiuam sententiam tradunt Glos. *in cap. Quæ contra. verbo. Aut peregrini Dist. 8.* & in Cap. *Is, qui. verbo. Nota. De sepulturis. in 6.* Bal. *in l. Est verum 3. C. De Incolis.* Angel. *in l. Nec ipsi C. eodem* Bar. *in l. Lex Cornelia 5. §. Si tamen n. 1. ff. De iniur. & fam. lib.* & *in l. Quæsitum ini. ff. De legat. 3.* Spec. *Rubr. De const. n. 7* Archidiac. *in Cap. Illa. verbo. Serua Dist. 12.* Turrecrem. *in Cap. Quo iure. §. Dignitat. ar. 4. n 8. Dist. 8.* Boer. *in l. Consentaneum num. 107. C. Quomodo, & quando iudex.* vbi docet, nec per mille annos contrahi domicilium ab illo, qui habitat cum animo recedendi. Alciat. *Respons. 55. n. 9.* Menoch. *lib. 2. de Arbitr. Centur. 1. num. 7. & sequentib.* Panormitan. *in Cap. In nostra n. 10. De sepulturis.* vbi ponderans tex. *Cap. 2. De sepulturis in 6.* docet, ad contrahendam Paraciam requiri domicilium, & non sufficere habitationem; quod etiam obseruat Rota *in Florentina præiensi Matrimonij Die 26. Iunij* 1579. vbi notat, quod ad contrahendam Paræciam non sufficit mora temporalis sine animo constituendi domicilium. Insuper tenent hanc sententiam Medina *Cod. de ieiunio q 10. init.* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 3. ver. Tertio dico.* Angles *in Florib. Theol. q. 4. de ieiunio difficul. 2. ver. Hinc Peregrini.* Ludouicus Perus *Decis. 16. num. 1.* Riccius *Resol. 263. n. 2.* Bernardus Barilis *De potest. legis municip. Disquisit. 1. §. 4. n. 30* qui alios citat.

3 Hæc posterior sententia nititur longè meliori fundamento, & proinde tenenda est. Fundatur enim in pluribus tex. nempe in l. *Debitor 32. ff. De pignoribus, & hypothecis.* & in l. *Ex facto. 35. §. Rerum. ff. De hæred. instituend.* & in l. *Quæsitum 78. init. ff. De legatis, & fideicom. 3.* & in l. *Nihil 26. ff. De captiuis, & postlim.* In quibus omnibus textibus requiritur, vt aliquid dicatur de tali loco, quod ipsi perpetuo addictus sit, & non sit inde remouendum. Et ideo vt aliquis sit de communitate aliqua, non sufficit, quod per maiorem anni partē ibi moretur, imo neque etiam quod ibi moretur toto tempore anni; sed requiritur, quod ille locus sit electus pro perpetuo domicilio; atque adeo nisi hoc interueniat, non obligabitur legibus, & consuetudinibus proprijs illius communitatis, nam vt pote latæ pro sola illa communitate obligant solum illos, qui sunt de communitate.

4 Deinde

4 Deinde. Domicilium acquiritur tantum tribus modis; nempe origine, legis dispositione, & animo, atque voluntate, vt notat Marian. Socin. Senior. *in Cap. finale.* ver. *Sexto principaliter. De foro competenti.* Aduena extra illos casus, in quibus ius fingit domicilium, non potest illud contrahere, nisi habeat animum contrahendi, nam animo, & voluntate debet ab ipso contrahi, etiam si per totum annum in certo loco moretur, ergo si absque hoc animo non contrahit domicilium, nec etiam fiet de corpore communitatis, & proinde tanquam extra corpus non tenebitur legibus specialibus illius communitatis, nam hæ leges sunt quidam motus, quibus caput regit corpus, & consequenter nec etiam tenebitur ad seruanda ieiunia propria illius loci.

5 Illud autem quasi domicilium, quod habetur per fictionem iuris, est coarctatum tantum ad illos casus, qui sunt expressi in iure, vt dicebamus etiam Decis. *præcedenti num.* 9. vt in ordine ad recipienda sacramenta, ad sepulturam, & alia huiusmodi, in quibus aduena fingitur habere subiectionem. Nec est extendendum ad omnia, tum quia non esset quasi domicilium, sed absolutè domicilium; tum quia nec ius extendit, nam si voluisset extendere, absolute declarasset, quod aduena morans tanto tempore in tali loco, habeat domicilium in ipso, non autem expressisset casus, in quibus censeatur habere domicilium. Cum namque sit domicilium à iure non est extendendum, nisi quatenus extendit ipsum ius.

6 Ex quibus colligitur; quod si quis non mutet domicilium originis, ipsum transferendo ad aliũ locum, etiamsi per maiorem anni partem moretur extra ipsum, imo etiam si vno, aut altero die per totum annum in ipso moraretur, teneretur seruare leges, & consuetudines illius loci, quia semper esset ibi vt habens domicilium, & incorporatus communitati,

7 Secundo colligitur. Oratores; seu Legatos non solum, qui repræsentant alios Principes, sed etiam qui repræsentant apud Principem ciuitates subiectas, non teneri ad seruanda ieiunia propria loci, quia, vt dixi in Decis. *Moralib. Decis.* 509. & 510. non subduntur legibus, & edictis localibus, non solum, quia non contrahunt domicilium; sed etiam, quia repræsentãt proprium principem, seu communitatem, à qua missi sunt; vnde semper habent repugnantiam ad incorporari cum communitate, apud quam morantur, nam ratione talis repræsentationis remanent de communitate, quam repræsentant, quam in persona propria sustinent, quæ non communicat cum communitate, apud quam morantur.

8 Tertio colligitur, Aduenas degentes Romæ absque domicilio non teneri ad ieiunia propria loci, sicut nec ad seruanda festa, & alias leges proprias loci, nisi tamen etiam pro aduenis posita sint. Ratio est; quia, licet concurrat auctoritas Summi Pontificis, qui habet vniuersalem iurisdictionem super omnes, sub his tamen legibus, seu statutis, non intendit comprehendere omnes, cum ferantur tantum pro ciuitate Romæ; vnde ligant tantum qui sunt de tali ciuitate, & communitate; atque adeo non se extendunt ad aduenas, qui non habent domicilium.

An aduena, constituens domicilium in aliquo loco, si postea mutet animum intendens inde discedere, teneatur adhuc seruare ieiunia propria illius loci, donec discedat. Decis. 204.

SVMMARIVM.

1 *Si aduen, constituto domicilio, mutet animum ibi manendi non tenetur ad ieiunia loci, antequam discedat secundum Io: Sanchez, &c.*
2 *Sed loquitur sine fundamento. ideo.*
3 *Tenetur ad talia ieiunia quousque discedat.*
4 *Quid domicilium, & cur non dependeat in conseruari ab animo ibi manendi.*
5 *Domicilium non dissoluitur, nisi transferatur habitatio.*

1 NEGATIVE respondent Io: Sanchez *in Selectis de Sacramentis disp.* 54. *n.* 35. Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n.* 21 *littera E.* si tamen mutet animum infra dimidiam partem anni, & intendat transferre inde domicilium. secus tamen, si mutet animum elapsa dimidia parte anni. Et videtur adhærere Diana *par.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 2. ver. *Et tandem.* Quia, inquit Sanchez, ad continuandum domicilium requiritur continuatio animi habitandi; sicut requiritur animus habitandi ad contrahendum domicilium· vnde mutans animum ante dimidium anni non acceptatur à legibus, vt incola, sicuti acceptatur post elapsam medietatem anni, vel si acceptatur, intelligitur lex quoque mutare animum habendi ipsum, vt incolam, quando ipse mutat ante medietatem anni. Elapsa autem medietate anni non desinit esse incola sola mutatione animi, quia iam perseueranit tempore necessario ad acquirendum domicilium.

2 Sed hoc sine fundamento dicitur, nam si incipit domicilium, quando incipit habitatio cum animo figendi sedem in illo loco, vt concedit ipsemet Sanchez, oportet dicere, quod tunc à lege acceptetur vt incola; quod autem accepter sub conditione, quod si mutet animum, lex quoque fit mutatura, & non amplius acceptatura vt incolam, hoc omnino fingitur, nec habet vllum fundamentum nec in iure, nec in ratione.

3 Itaque tenendum est, quod non obstante hac mutatione animi teneatur ad ieiunia propria loci, & ad cœteras leges seruandas, quousque inde transferat domicilium. Ita tenet etiam Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 23. *n.* 2. ver. *Hinc fit.* & *lib.* 1. *in Decal. c.* 12. *nu.* 20. Lessius *lib.* 4. *de iust.* & *iure c.* 2. *dub.* 7. *n.* 6. *in fine.* Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 5. & 6. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 1. *De legib. q.* 2. *punc.* 6. *n.* 45. ver. *addo* Palaus *par.* 1. *oper. moralis tr.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 3. *num.* 1.

4 Ratio est; quia domicilium non est aliud quã incorporatio in eandem communitatem ratione habitationis, seu fundata in habitatione; hac autem incorporatione posita ratione habitationis, & animi, seu voluntatis incorporandi, & contrahendi domicilium non dependet amplius in conseruari à tali

à tali animo, nam talis incorporatio est quidam tacitus contractus, quo incola se tradit communitati; & ab ipsa communitate acceptatur; contractus autem durant, quousque rescinduntur, nec dependent in conseruari ab eo animo, à quo dependent in fieri.

5 Et propterea domicilium non dissoluitur sola nuda voluntate inde recedendi, sed requiritur etiam actualis recessus, vt notant Doctores *n.* 3. citati, & prætereа Bar. *in l. Placet n.* 1. *ff. Ad municipat.* Marian. Socin. *in Cap. Licet n.* 25. *& 54. De foro competenti.* Bal. *in fin.* C. *De municip. & orig. lib.* 10. Glosa *in l. Origine circa finem* C. *De municip. lib.* 10. & in l. *De iure. verbo.* Ad munera. *in fine. ff. Ad municipat.* Et desumitur ex l. Domicilium, ibi *Domicilium re, & facto transfertur, non nuda contestatione ff.* Ad *municipat.* vbi etiam Glos. *verbo.* Domicilium, & l. *Non vtique verbo* Constituerit. *ff. eodem.* & l. Ciues *ver.* Larem. C. De *incolis lib.* 10. Et ratio est, quia sicuti non sufficit solus animus, sed requiritur etiam habitatio ad contrahendum domicilium, ita ad ipsum tollendum non sufficit solus animus, sed requiritur sublatio habitationis, quia solus animus nihil operatur ad extra, & quia debet tolli habitatio, tanquam fundamentum, in quo fundata fuit incorporatio facta cum communitate. Vnde valet regula *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Cap. *Omnis. De regulis iuris.*

An Religiosi, dum sunt hospites in aliqua prouincia, aut loco, teneantur ad ieiunia propria prouinciæ, aut monasterij.
Decis. 205.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi hospites extra propriam prouinciam tenentur secundum aliquos ad ieiunia propria loci, in quo sunt, & ad alias constitutiones.*
2 *Secundum alios non tenentur.*
3 *Tenentur quando in loco, vbi sunt, retinent subiectionem.*
4 *Secus autem, si non retineant subiectionem.*
5 *Generales, & cæteri superiores, quando sunt extra propriam prouinciam, non tenentur ad ieiunia, & cæteras constitutiones locales.*
6 An *Regulares extra monasterium teneantur ad ieiunia suæ Regulæ.*

1 AFFIRMATIVAM sententiam tenent Salas *disp.* 14. *de leg. sect.* 4. *num.* 56. Pontius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 7. §. 2. *n.* 14. *circa finem.* Portel. *in Dubijs Regularib. verbo.* Statutum *num.* 5. Merol. *tom.* 2. *Theol. mor. disp.* 4. *cap.* 3. *dub.* 42. *n.* 556. Peirinus *q.* 1. *De Prælato Relig. cap.* 8. *n.* 20. *&* 21. Bossius *sect.* 4. *de iubileo casu* 18. *n.* 60. qui tamen excipit Generalem, & Prouinciales, & alios superiores, qui non subduntur superiori Prouinciæ, seu monasterij. Item Suarez *lib.* 3. *de leg. c.* 33 *nu.* 5. quem nihil de hoc agere, male asserit Bossius *citatus.*

2 Negatiuam verò sententiam tradit Rodriquez *tom.* 1. *q. Reg. q.* 68. *ar.* 4. Baldel. *tom.* 1. *theol. mor. lib.* 5. *disp.* 32. *n.* 20. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 1. *De legib. q.* 1. *punc.* 6 *n.* 37. Subdit tamen, quod oppositum est in praxi consulendum ob scandali periculum, quia religioni magnæ obseruãtiæ specimen præseferre debent. Sed hoc scandali periculum non puto ita facile interuenire posse, quia vt plurimum Religiosi sunt personæ doctæ, & prudentes, atque adeo sciunt, ad quid teneantur aduenæ, & ad quid non teneantur.

2 Mihi cum distinctione procedendum videtur. Si enim Prouinciæ, & Monasteria ita communicant ad inuicem, vt aduenæ accedant tanquam subditi illorum superiorum, qui præsunt prouinciæ, & monasterijs, & tunc tenentur seruare ieiunia propria loci, & alias constitutiones speciales, quia eo ipso, quod accedunt vt subditi, incorporantur cum cæteris in eamdem communitatem, & fiunt eiusdem condicionis; atque subiectio imponit ipsis eadem onera, & eamdem obligationem, quam habent cæteri.

3 Si vero non ita communicant ad inuicem Prouinciæ, & Monasteria, vt aduenæ accedant tanquam subditi, tunc non tenebuntur seruare ieiunia, & alias constitutiones proprias loci; nam cessat ratio, ob quam obligari possunt; tunc enim merè se habent vt hospites, nec fiunt de communitate, & proinde est eadem ratio de ipsis, ac de aduenis sæcularibus.

5 Ex his autem deducitur. Quod Generalis, Prouinciales, alijque superiores, qui non subduntur superioribus aliarum Prouinciarum, non teneantur seruare ieiunia propria locorum, vbi sunt tanquam hospites, vt docet etiam Bossius *supra citatus*; quia nimirum sunt exempti à subiectione in ordine ad superiores talis Prouinciæ, & proinde etiam à legibus, & constitutionibus Prouinciæ, & Monasteriorum; nam hæ ligant tantum subditos intra illam Prouinciam.

6 An autem Regulares in eadem ciuitate extra monasterium teneantur seruare ieiunia propria regulæ. Resp. affirmatiuè cum Bordono *in Consilijs Regul. Resolut.* 18. *n.* 4. Et sequutus est postea Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n* 194. Quia obligatio ad talia ieiunia non est localis, sed personalis assumpta per votum, & ideo sequitur personam. Hoc autem est intelligendum, nisi aliter in Regula exprimatur: nam si solum intendat obligare intra monasterium, extra erunt exempti ab obligatione, cum lex plus non obliget, quam se extendat intentio obligandi.

An aduenæ teneantur ad ieiunium proprium loci, in quo est, si eadem obligatio adsit etiam in proprio Domicilio.
Decis. 206.

SVMMARIVM.

1 *Aduenæ tenentur secundum aliquos ad ieiunia loci, quando præcipiuntur etiam in proprio domicilio.*
2 *Non tenentur in hoc casu, quando non tenentur ad seruandas omnes leges loci.*
3 *Non adest vsus superiorum consensu approbatus, quod teneantur.*

4 *Valde grauarentur, si tenerentur.*
5 *Secundum alios non tenentur.*
6 *Non apparet, vnde obligentur.*
7 *Lex non obligat extra territorium iusdicentis.*
8 *Superior non potest conuenire cum alio, quod proprij subditi obligentur legibus alieni territorij.*
9 *Non est absurdum non teneri legibus, qui non est subiectus legibus.*

1 AFFIRMATIVE respondent ij omnes, qui putāt, Aduenas teneri ad seruandas leges, & cōsuetudines loci, quos supra Decis. 200. n. 1. citauimus. Et præterea Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 18. n. 3. & 24.* Bonacina *tom. 2. disp. 1. de legib. q. 1. punc. 6. n. 52.* Granad. 1. 2. *controuer. 7. tr. 3. p. 1. disp. 6. sect. 4.* Facundez *prac. 4 Eccl. lib. 1. c. 7. n. 7.* Palaus *par. 4. operis moral. tr. 3. disp. 1. punc. 24. § 3. n. 6.* Diana *par. 1. tr. 10. Resol. 13. in fine.* Merolla *tom. 2. Theol. mor. disp. 4. c. 3. dub. 42. sect. 3. n. 535.* Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. n. 44.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 6. n. 5.* Caspensis *par. 1 curs. theol. tr. 13. de legib. disp. 4. sect. 4. init.*

2 Verum hi Doctores modo citati non loquuntur consequenter, vt specialiter de Sanchez aduertit Pontius *lib. 5. de matrimonio cap. 7. n. 12.* Non enim sibi cohæret, quod aduenæ non teneantur legibus loci, in quo sunt, & quod teneantur legibus talis loci, quando eædem sunt etiam in proprio domicilio, quia cum leges proprij domicilij non causent aliquam obligationem extra proprium territorium, neque etiam obligare possunt, vt seruentur leges externæ, quando hæ alias non obligant.

3 Neque iuuat recurrere ad praxim, & vsum, quasi communi iure Gentium introductum, & vnanimi fidelium superiorum consensu approbatum, nam de hac praxi, & vsu, nec de hoc iure Gentium constat: imo ex iure oppositum colligitur, nam non permittunt leges, quod possit quis non subditum grauare. Vnde lex canonica non permittit exemptos ab Ordinarijs ipsorum legibus grauari, nec Ecclesiasticos à laicis. Nec Principes sæculares permittunt proprios subditos grauari, dum morantur in alienis territorijs, vt constat in mercatoribus proficiscentibus ad nundinas, & si grauantur, conqueruntur, quæ omnia repugnant tacito consensui necessario pro introducendo hoc vsu, & hoc iure Gentium.

4 Nec iuuat dicere, quod Aduenæ non magis grauentur, quam si existerent in proprio domicilio, quia longe magis grauarentur, nam imponeretur onus à non habente iurisdictionem, quod esset iniustum grauamen: neque enim est grauamen onerari ab eo, qui potest, & debet, quando ita res exigit: at vero grauamen magnum est, onerari ab eo, qui non debet, nec potest defectu iurisdictionis.

5 Io: ergo Sanchez *in Selectis De Sacrament. disp. 54. n. 31.* circa finem tenet, quod Aduenæ non teneantur ad ieiunia loci, etiam si eadem ieiunia præcipiantur in proprio domicilio, & hanc sententiam putat probabilem Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 18. in fine*, & concludit doctrinam Sanchez esse valde notandam.

6 Et quidem ego non video, vnde prouenire possit talis obligatio; nam licet illæ leges sint de eadem re, quam præcipiunt, quia tamen fundantur in diuersa iurisdictione, manent in sua singularitate nec fiunt vna lex communis vtrique loco, sicut nec est vna communis iurisdictio, & ideo nec etiam possunt causare vnam communem obligationem, sed solum vnaquæque habebit suam particularem
7 obligationem coarctatam ad locum. Et ideo aduena non obligabitur à lege proprij domicilij, quia hæc non obligat extra territorium, vt decernitur in Cap. *A nobis* De *sententia excommunicationis*. & in Cap. *Animarum*. De *constitutionibus in 6.* & tradunt communiter Doctores præsertim in citatos tex. Nec etiam à lege loci, vbi reperitur, quia hæc non obligat, nisi subditos, & qui sunt de tali communitate, pro quo sancita est, vt vidimus in superioribus; & tenent Doctores citati *num. 1. præsentis Decisionis*. Nec potest talis lex habere vim obligandi à lege domicilij, tum quia lex domicilij non est superior, vt det ipsi talem vim: tum quia indirecte saltem lex obligaret extra territorium, & extra ipsum haberet aliquem vigorem contra tex. modo allegatos.

8 Et hinc infertur, quod non possint superiores inter se conuenire, quod proprij subditi ligentur legibus alieni territorij, siue eædem sint in vtroque territorio, siue diuersæ, nam hoc esset exercere iurisdictionem extra proprium territorium, si quidem darent facultatem alteri ad minus ligandi suos subditos extra territorium, quod ex prææallegatis textibus facere non possunt. Vnde ex hoc quoque capite corruit ille vsus, & praxis superiorum consensu introducta, de qua *num. 3. præsentis Decisionis*.

9 Nec est absurdum, quod talis aduena non teneatur legibus proprij domicilij, nec etiam legibus loci, vbi reperitur, quia non est absurdum, quod non teneatur legibus, qui non est subiectus legibus proprij domilij, quia hæ non ligant extra territorium, nec etiam legibus loci, vbi est, quia non est incorporatus communitati.

An aduena teneatur seruare ieiunia iuris communis, quando ius commune in proprio domicilio est abrogatum.
Decis. 207.

SVMMARIVM.

1 *Aduena tenetur ad ieiunia iuris communis, licet in proprio domicilio sit abrogatum.*
2 *Secundum alios non tenetur, quorum sententia est probabilis.*
3 *Ius commune abrogatum non obligat de nouo, nisi ex voluntaria subiectione.*
4 *Obligatio iuris communis non contrahitur, nec amittitur ratione loci.*
5 *Mediolanensis potest quattuor diebus proximis ante primam Dominicam quadragesimæ non ieiunare, sed comedere carnes, & lacticinia extra Mediolanum.*

1 AF-

1 AFFIRMATIVAM sententiam tradunt Henriquez *lib.7. sum. cap. 25. num.2.& in Commen. littera S. in fine.* Sanchez *lib.1. in Decal. cap.12. n.39* Nauar. *c.23. Manual. n.120.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ* §.1. *dub. 3. n.8.* Vega *par. 1. sum. c. 14. casu 18.* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tract. 4. c. 12. n.3.* Salas *disp. 14. de legib. sect. 4. num.8.* ver. *Tertio inferes.* Suarez *tom. 1. De Relig. tr. 1. lib.2. c.14. n. 27. & 28.*. Palaus *par. 1. oper. mor. tr.3. disp.1. punc. 24. §.3. n.8.* Bonacina *tom.2. disp. 1. de legibus q.1. punc. 6. n.55.* ver. *Secunda sententia.* Merol. *tom.2. disp. 4. cap. 3. dub.42. n.563.* Pontius lib. 7. *de matrim. cap.8. n.3.* Et in hanc sententiam magis inclinat Bossius *sect. 4. de iubileo casu 18. n. 64.* Ratio horum Doctorum est, quia ius commune obligat omnes independenter à loco, & in tantum non obligat in aliquo loco, in quantum est, per consuetudinem ibi abrogatum. Vnde exiens è loco, vbi est abrogatum, dum est in loco, in quo seruatur, tenetur ad illud seruandum, quia ibi viget, & omnes subijciuntur etiam exteri iuri communi, cum sit conditum ab habente iurisdictionem super omnes.

2 Oppositam tamen sententiam tenent Palatius *in 4. dist.15. disp.8. post 6. conclus.* ver. *At vero* Sanchez *lib.3. de matrimonio disp.18. n.7.* ver. *Verum quamuis.* Merolla *tom.2. Theol. moral. disp.4. cap.3. n.396.* Facundez *Præcep. 4. Eccl. lib. 1. cap 7. num. 11.* vbi citat Panor. *in cap. Consil. De obseruat. ieiunior.* & Cardinal. *in Clement. 2. De celebrat. Missar. q. 5.* Et Imolam *ibid.* Citant etiam Medinam *1.2. q.95. ar.5. in fine* vbi tamen de hoc nihil habet, & Ledesmam *q. 45. de Matrim. ar.5. punc. 3. dub. vltimo §. secundo arguitur.* sed male, quia ibi docet solum, quod accedens ad locum, vbi non vrget, nec est receptum Tridentinum quoad [illegible] matrimonij de assistentia Parochi, & testium, non tenetur ipsum seruare, non autem, quod possit non seruare, quando in loco hospitij viget, & non in proprio domicilio. Hanc etiam sententiam putat æquè probabilem Bossius *citatus.*

3 Hęc opinio valde probabilis est secluso tamen scandalo, vt etiam notant auctores ipsius; quia, cum ius commune non sit locale, sed vniuersale, non obligat ratione loci, sed immediate afficit personas independenter à loco, & ideo si apud aliquam communitatem est abrogatum, remanent liberæ personæ illius communitatis, etiam si ad alium locum diuertant, vbi viget, quandiu censentur manere de tali communitate, apud quam non viget: nam ius commune iam cessauit obligare talem personam, nec locus potest resuscitare de nouo obligationem sed opportet, quod ipsa se de nouo subijciat iuri communi, quod non contingit per hoc, quod accedat ad locum, vbi viget ius commune, sed solum per incorporationem cum communitate, quæ sit subiecta tali legi, nam per talem incorporationem tacitè se de nouo subijcit iuri communi abrogato. Vnde Græcus diuertens apud Latinos non tenetur seruare ius commune in azimo, sed potest sequi morem suæ regionis, & consecrare in fermentato.

4 Vnde si quis hanc sententiam tenere voluerit, poterit respondere, quod ius commune obligat quidem omnes; sed quia obligat independenter à loco, nec contrahitur, nec amittitur obligatio ratione loci, sed semel amissa obligatio ratione abrogationis ab aliquibus, non contrahitur de nouo, nisi aut per innouationem legis, aut per voluntariam subiectionem illorum, qui iam sunt ab ipso exempti.

5 Ex his colligitur, Quod Mediolanensis extra Mediolanum quattuor diebus proximè antecedentibus Dominicam primam quadragesimæ non tenetur ieiunare, sed potest primis duobus comedere carnes, & duobus posterioribus oua, & lacticinia, quia ius commune obligans ad ieiunium illis diebus est apud Mediolanenses abrogatum, & ideo etiam extra Mediolanum remanent liberi ab illius obligatione.

An aduena, accedens ad locum, vbi ius commune de aliquo ieiunio est abrogatum, teneatur ipse ieiunare, si tale ius non sit abrogatum in proprio domicilio.

Decis. 208.

SVMMARIVM.

1 *Aduena, accedens ad locum, vbi ius commune de aliquo ieiunio est abrogatum non tenetur ieiunare.*

2 *Abrogata lege iuris communis acquiritur priuilegium loco, ne cæteri in ipso obligentur.*

3 *Discrimen inter priuilegium, & legem.*

4 *Aduenæ Mediolani non tenentur ad ieiunia primis quattuor diebus quadragesimæ.*

5 *An missionarij apud Orientales possint non seruare ieiunia, quæ ibi non sunt in vsu, & an teneantur ad propria illorum populorum.*

6 *Potest quisque accedere ad locum, vbi ius commune est abrogatum, vt illud non seruet.*

1 RESP. negatiuè, ita sentiunt Nauar. *in Manuali c. 23. n.120. lat. Hispa. 128.* Couaruuias *lib.4 Variar. c.20. n.8.* ver. *Fuit & in dicto in fine.* Henriquez *lib.9. sum. c.25. n.2. in fine.* Pedrazza *Præcep. 3. §.14.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.19. n.18. in fine, & 19.* Suarez *tom.1. De relig. tr.1. lib.2. cap. 14. n.29,* Ledesma *q.45. de matrim. ar.5. punc. 3. dub. vlt. §. secundo arguitur.* Pontius *lib.5. de matrim. c.8. num.2.* Azor. *lib.7. c.20. q.4. in fine.* Palat. *in 4. dist.15. disp.8. post 6. conclus.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 5. n.63.* Lessius *lib.4. de iust. & iure c.2. dub.8. nu. 59.* Merolla *tom. 2. Theol. moral. disp.4. c. 3. dub. 42. num.577. in fine.* Bonacina *tom.2. disp. 1. de legib. q.1. punc.6. n.61.* Palaus *par.1. Oper. moral. tr.3. disp. 1. punc. 24. §.5. n.1.* Diana *par.1. tr.9. De ieiunio Resol. 18.* Bossius *sect.4. de iubileo casu 18. n. 39. & 40.* Baldel. *tom.1. th. mor. lib.5. disp.31. n.8.* Caspen. *tom.1. curs. th. disp.4. de legib. sect.5. n. 42.* Barilis *de lege municip. disquisit.1. §. 5. n.5.* Facundez *præcep. 1 Eccl. lib.1. c.7. n.3.* & alij communiter.

2 Ratio autem est, quia licet iuris cōmunis leges obligent omnes immediate independenter à loco, quia non sunt latæ pro loco determinato, sed pro tota communitate fidelium, quando tamen in aliquo loco sunt abrogatæ, possunt illuc accedentes vti priuilegio abrogationis, quia iam per talem abrogationem factum est, quod lex in illo loco non obliget, & proinde est veluti acquisitum priuilegium

loco,

loco, quo excludatur ab ipso vigor legis; vnde quicunque fiunt de tali loco, acquirendo domicilium deponunt obligationem legis. Ex quo fit, quod omnes accedentes ad locum possint gaudere priuilegio locali; hoc enim est de natura priuilegij localis, quod communicetur omnibus antecedentibus ad ipsum.

3 Nec est eadem ratio de obligatione legis, ac de priuilegio, quia lex constituta est ad ligandum, & continendos subditos sub certa mensura operandi, vnde ex natura sua debet restringi, ne grauentur ij, qui non debent grauari. At priuilegium locale, sicuti est in fauorem loci, & ratione loci illorum omnium, qui sunt de loco, ita tanquam fauens ex natura sua se communicat omnibus, qui accedunt ad locum.

4 Ex his autem colligitur. Quod aduenæ accedentes Mediolanum, possunt quattuor proximis diebus ante Dominicam primam quadragesimę non ieiunare, sed primis duobus vesci carnibus, & duobus posterioribus lacticinijs, vt solet in praxi seruari; quia nimirum ibi est abrogatum ius commune de ieiunio in illis quattuor diebus. Et hoc verum est, etiam si vnico tantum die ex illis quattuor ibi morarentur, imò etiam si eadem die essent ad proprium domicilium reuersuri. vt in specie notant Sanchez 1. *in Decal. cap.* 11. *n.* 30. Lessius *lib.* 4. *De iust. & iure c.* 2 *n.* 59. Baldel. *tom.* 1. *theol. moral. lib.* 5. *disp.* 31. *n.* 9 Salas *disp* 14 *de legib. sect.* 5. *n.* 69 Bonac. *disp.* 1. *degib. q.* 1 *punc.* 6 *n.* 64. Laiman. *lib.* 1. *theol. moral. tr.* 4. *cap.* 11. *n.* 8. Mero. *tom.* 2. *theol. mor. disp.* 4. *c.* 3. *dub.* 41. *n.* 496.

5 Colligitur secundo resolutio illius difficultatis, an nimirum Missionarij à sacra Congregatione missi ad Gentes Orientales teneantur seruare ieiunia extra quadragesimam. Resp. enim non teneri, quia apud illos populos, etiam qui catholici sunt, non sunt in vsu, vel quia ius commune est abrogatum, vel quia nunquã apud illos viguit; & proinde possunt sequi consuetudinem loci, quamuis optime facerent si ieiunarent, sicuti faciunt nostræ Congregationes Patres ibi diuersantes. An autem seruare alias duas quadragesimas æstatis, & Natalis, quam præter communem seruant illi populi. Resp. negatiuè, quia ex dictis in superioribus Regulares non tenentur ad seruandas leges particulares prouinciarum quo ad ieiunia, sicut nec etiam aduenæ. Quia tamen illi populi habent pro pessimis hominibus non seruantes has quadragesimas, ideo vt colligant fructus, propter quod missi sunt, debent illas seruare.

6 Colligitur secundo posse, dedita opera, quemlibet accedere ad locum, vbi iuri communi est derogatum, vel quo ad ieiunia, vel quo ad aliquid aliud, atque ea intentione, vt ipsum non teneatur seruare, vt notat etiam Bonacina loco citato *p. præced.* & Lessius *n.* 59. *citati capitis.* nam in hoc vtitur iure suo, quo se subtrahit obligationi legis. Et sicuti licet quærere dispensationem, aut priuilegium eximens à lege, ita etiam licet se eximere accedendo ad locum, vbi lex non obligat. At de hoc agemus latius in particulari in *Decisione de hac re*.

An Regulares sint exempti à ieiunio primis quattuor diebus quadragesimæ, si Mediolani accedant ad domum sæcularium, apud quos non seruatur ex abrogatione iuris communis.

Decis. 209.

SVMMARIVM.

1 *Regulares Mediolani ex vi iuris communis apud sæculares non tenentur seruare ieiunium primis quattuor diebus quadragesimæ.*

2 *Tenentur ratione regulæ, si adsit specialis obligatio quo ad hoc.*

3 *Secus autem, si non adsit specialis obligatio.*

4 *Quando in hoc regula obliget, & quando non.*

5 *An Regularis se conformans cum Mediolanensibus primis quattuor diebus quadragesimæ extra monasterium, teneatur ieiunare in diebus Rogationum.*

6 *Obligatio legum cessat proportionaliter ad desertionem domicilij.*

1 De hoc casu nihil inuenio in particulari obseruatum à Doctoribus. Certum est autem quod quantum ex vi iuris communis, non tenentur seruare ieiunium, quia cum accedant ad locum extra monasterium, vbi non obligat ius commune, quo ad hoc possunt se conformare consuetudini loci, vt cum communi sententia dicebamus. Decis. *præcedenti*.

2 Secundo certum est. Quod si per regulas hoc ipsis prohibeatur, faciunt contra regulam, atque adeo peccant, vel mortaliter, vel venialiter, prout ipsa regula obligat. vnde Regulares illi, qui quadragesimam anticipant per plures dies cum præcepto ieiunandi, & non intermittendi ieiunium vsque ad Pascha, non possent vti hoc priuilegio illius loci. Quia adhuc extra monasterium obligantur suis regulis, nam regula non inducit obligationem localem, sed personalem, quia obligatio fundatur in votis, quæ personalia sunt. Ita etiam notauit Roccaful. in *Praxi tr.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 192.

3 Si autem non adsit specialis obligatio Regulæ, possent Religiosi accedentes ad domus sæcularium non seruare ieiunium, & vti iisdem cibis cum ipsis. Sequitur ex dictis Decis. *præced.* quia Regulares ratione exemptionis apud sæculares censentur aduenæ: nam locus exemptus comparatur loco extra diocesim, vt notant Glos. *in Clement. De foro competenti. ver. Aut earum parte.* Io: Andreas *ibid.* Rodriquez *tom.* 1. *q. Regul. q.* 36. *ar* 3. *§. primum.* Quia licet Regula supponat præcepta communia tanquam fundamentum, in quo fundat statum perfectionis, quem intendit, & consequenter indirectè obliget ad ipsa seruanda, hæc tamen obligatio non imponit aliud onus, nisi illud, quod ex se afferunt præcepta; & ideo cum præcepta communia non plus obligent Religiosos, quam sæculares, vt desumitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 186. *ar.* 10. & *q.* 187. *ar.* 3. *in corpore*, & notat Suarez. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 5

sequi.

sequitur, quod solum obligentur, quando obligantur sæculares: & proinde nec etiam obligentur, quando, & vbi ius commune est abrogatum: Deinde accedens ad locum potest gaudere priuilegijs loci. vnde accedens de vna Parochia vbi ieiunium obligat ad aliam, vbi non obligat, non tenetur ieiunare, vt tradit Sanchez cum alijs *lib.3. de matrim. disp. 18. num. 21.* Qui autem e monasterio accedit ad domum sæcularis, accedit ad alium locum nempe de exempto ad non esse exemptum, & in quo alius ritus seruatur. Et post hæc scripta inueni idem traditum fuisse à Bordono *in Consil. Regular. resol. 18. n. 2.* & postea etiam à Pellizar. *tom. 1. manual. tr. 5. cap. 5. q. 21. num. 52.*

4 Est autem aduertendum; quod, vt teneantur Religiosi, dum sunt Mediolani apud sæculares, primis quattuor diebus quadragesimæ ieiunare, oportet, quod obligatio regulæ respiciat specialiter illos quattuor dies; quod potest contingere, aut expresse, si nimirum præcipiat ieiunium etiam pro illis quattuor diebus, dum sunt Mediolani, aut implicite, si nimirum præcipiat tali die inchoari quadragesimam, & non interrumpi vsque ad Pascha, tunc enim remanet præceptum regulæ pro illis quattuor diebus. Quod si Regula tantum præcipiat, quadragesimam inchoari tali tempore, & nullam mentionem faciat, quod non interrumpatur. Tunc Regulares primis quattuor diebus Mediolani existentes apud sæculares poterunt soluere ieiunium. Ratio autem est; quia obligatio Regulæ non addit supra obligationem iuris communis, nisi anticipationem quadragesimæ pro aliquibus diebus, & ideo ibi terminatur vbi incipit obligatio iuris communis, vtpote quia est solum de anticipatione quadragesimæ, & ideo se extendit tantum vsque ad feriam quartam cinerum. Et ideo si pars aliqua de obligatione iuris communis est alicubi abrogata, vt Mediolani, possunt tales Regulares frui priuilegio abrogationis:

5 Quæres an Regularis, qui illis quattuor primis diebus quadragesimæ se conformaret ritui Mediolanensium, & apud sæculares non seruaret ieiunium, sed comederet carnes, aut lacticinia, teneretur postea ieiunare in diebus Rogationum, sicut tenentur Mediolanenses. Resp. negatiuè; quia fruitur priuilegio ipsorum tanquam hospes, nam id facit extra monasterium, atque adeo veluti extra territorium, vnde, si tempore Rogationum sit in monasterio, non tenetur ieiunare, quia est veluti extra territorium, & in loco excepto, vbi non obligat præceptum ieiunandi, quod habent Mediolanenses & est eadem ratio, ac de cœteris aduenis, qui illis primis quattuor diebus quadragesimæ essent Mediolani, & tempore Rogationum essent in proprio domicilio: Si vero esset apud sæculares Mediolanenses, non teneretur, quia esset apud ipsos tanquam aduena cum nunquam Regularis extra claustra acquirat domicilium; aduena autem non tenetur legibus loci, vt diximus supra *Decis. 201. & sequentib.* Et quia Regulares non tenentur ad leges proprias locorum, vt diximus supra *Decis. 196.* illud autem præceptum ieiunandi est proprium Mediolanensium.

6 Neque obijci potest; quod leges domicilij obligent, quandiu domicilium deseratur; nam valet proportionaliter solum, ita vt qui actu deserit quò ad præsentiam localem tantum actu non obligetur, sed tantum habitu; ita vt statim ac redit, incipiat obligari actu, qui vero etiam deserit habitu, hoc est cum animo deserendi, neque etiam habitu obligatur.

An Regulares Mediolani existentes teneantur ieiunare ex vi iuris communis primis quattuor diebus Quadragesimæ, an vero possint se conformare consuetudini Mediolanensium.

Decis. 210.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non possunt singuli in particulari intra proprium monasterium soluere ieiunium Mediolani primis quattuor diebus quadragesimæ.*

2 *Nec etiam tota communitas monasterij.*

3 *Consuetudo obligandi, & consuetudo de obligandi pari ratione procedunt quo ad extensionem.*

4 *Regulares quo ad consuetudines loci censentur extra territorium.*

1 DIFFICVLTAS esse potest, & de tota communitate Religiosorum, & de singulis Religiosis in particulari, & quod spectat ad Religiosos in particulari, existimo, licèt Mediolani sint, non esse intra Monasteria absolutos ab obligatione ieiunandi illis primis quattuor diebus quadragesimæ. Ratio est, quia dum sunt in Monasterio, sunt in diuersa communitate saltem quò ad gubernationem, & directionem; cum procedat secundum diuersas leges, & Regulas, & sit immediatè subiecta summo Pontifici; vnde cum alioquin sit subiecta iuri communi, ex eo, quod est abrogatum apud sæculares in aliquo loco, non censetur ibi abrogatum apud Religiosos, quia abrogatio facta in vna communitate non transit in aliam. Quod etiam ex eo patet, quia Regulares de facto seruando ius commune ieiunant illis diebus, vnde non potest dici, quod apud ipsos sit abrogatum.

2 Et hinc sequitur, quod neque tota communitas Regularium possit Mediolani sequi consuetudinem Mediolanensium, quia consuetudo Mediolanensium abrogans ius commune de ieiunio pro primis quattuor diebus quadragesimæ, non se extendit ad Regulares, quia cum sint distincta communitas, non deobligantur consuetudine sæcularium, nam consuetudo vnius communitatis non deobligat aliam. Et hoc desumitur ex doctrina, quam tradunt Suarez *lib. 7. de legib. cap. 9. n. 11. & cap. 16. num. 9.* Salas *Disp. 19. de legib. sect. 11. n. 91. & sect. 15. num. 105* Bonacina *tom. 2. disp. 1. de legib. q. 1. punc. vlt. § 3. num. 16.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 3. punc. 3. nu. 6* Quatenus, & generaliter docent, quod consuetudo vnius commmunitatis non pertinet ad aliam; & specialiter, quod consuetudo laicorum non obligat Clericos existentes in eodem loco, & per consequens, quod neque deobligat, quando alias sunt obli-

obligati, nam est eadem ratio de obligatione, & deobligatione.

3 Deinde consuetudo sæcularium, vt supra Decis. 185. cum communi sententia *n.* 1. 2. & 3. non obligat Regulares ea ratione quia Regulares sunt distincta communitas, ergo neque consuetudo poterit deobligare quo ad ius commune ob eamdem rationem, quia sunt distincta communitas, quia licet sit diuersa ratio de consuetudine obligante, & deobligante, quo ad communicationem tamen de vna communitate in aliam est eadem ratio, quia nimirum tam vna, quam altera consuetudo non se extendit vltra terminos communitatis, in qua inducitur.

4 Rursus. Consuetudo abrogans ius commune de ieiunio pro primis quattuor diebus quadragesimæ non se extendit extra territorium Mediolanense, ergo neque ad Regulares, quia, cum sint exempti censentur extra territorium arg. ex cap. 1. *De priuileg. in 6* & ex cap. *Cum Episcopus. De officio ordinarij in 6.*

An absens à proprio Domicilio teneatur seruare ieiunia proprij Domicilij.
Decis. 211.

SVMMARIVM.

1 *Absens à proprio domicilio tenetur legibus proprij domicilij secundum aliquos.*
2 *Non tenetur.*
3 *Actus iurisdictionales, & quicquid in iurisdictione fundatur, non habet vim extra territorium iusdicentis.*
4 *Obligatio legis non plus extenditur quam iurisdictio legislatoris.*
5 *Quibus legibus proprij domicilij, & quomodo teneantur absentes.*
6 *Cur absens sit exemptus à iurisdictione proprij superioris.*
7 *Cur absentes non teneantur legibus proprij domicilij non obstante, quod nec teneantur legibus loci.*

1 AFFIRMATIVE respondent Paludan. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 3. nu. 26.* D. Antonin. *p. 2. tit. 7. c. 2. §. 2 in fine.* Syluester *verbo* Ieiunium *n. 8. in fine.* Rosella *ibid. n. 16.* & cæteri, qui putant, absentes ligari legibus proprij domicilij; quos citant Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 18 n. 17.* & Salas *disp. 14. de legib. sect. 3 num. 59.* Horum fundamentum est, quia absentes, qui non mutant domicilium, adhuc sunt ciues propriæ patriæ, & de ipsa communitate, & sicuti non subsunt legibus loci, in quo hospitantur, ita debent subesse legibus proprij domicilij, alioquin nullis subessent legibus particularibus, & sentirent commodum, quod non teneantur legibus loci, in quo subsunt, absque incommodo, quod adstringantur legibus proprij domicilij contra regulam. *Qui sentit. De regulis iuris in 6.*

2 At negatiuam sententiam tenent communiter cæteri Doctores. Nauar. *cap. 13. Manual. n. 5. ver. Infertur tertio. & c. 23. n. 120. lat.* & hisp. *n. 128.* Henriquez *lib. 9. sum. c. 25. n. 2. in fine.* Azor. *p. 1. lib. 5. c. 18 quæst. 14.* Lopez 1. *par. Instruct. c. 52. §. Vnaquæque ciuitas.* Philiar. *tom. 1. De offic. Sacer. p. 2. lib. 3. c. 23. nota 3.* Rodriq. *tom. 1. sum. cap. 122. num. 1.* Graff. *lib. 4. Decis. Aurear. c. 7. n. 37. & 39.* Vgolin. *Tab. 1. De censur. c. 9. §. 3. num. 1. & 3.* Pedrazza *præcepto. 3. §. 14.* Armilla *verbo.* Excommunicatio *n. 30.* Rosella *verbo.* Excommunicatio 7. *n. 3. & 7.* Sà *verbo.* Excommunicatio *n. 12.* Maior. *in 4. dist. 15. q. 3.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure cap. 2. dub. 8.* Sayrus *lib. 7. Clauis Reg. cap. 3. n. 11.* Petrus Ledesma *quæst. 45. de Matrimonio ar. 5. punc. 3. dub. vlt.* Sanchez *lib. 3. de Matrimonio disp. 18. num. 18.* Suarez *in 3. par. tom. 5. de Censur. disp. 9. sect. 4. & 5. & tom. 1. de Relig. tract. 1. lib. 2. c. 14. num. 25 & lib. 3. de Leg. c. 32. num. 3.* Acumna *in 1. par. Decreti in cap.* Illa *n. 5. dist. 12.* Salas *de legib. disp. 14. sect. 5. num. 62.* Fillincius *tom. 2. tr. 27. par. 2. c. 6. n. 108.* Reginal. *tom. 1. Praxis fori pœnit. lib. 4. c. 12. n. 136.* Villalobos *tom. 1. sum. tr. 2. difficul. 34. n. 1.* Granad. *1. 2. controuer 7. par. 1. disp. 6. sect. 4.* Pontius *lib. 5. de Matrim. c. 8. n. 1.* Bonacina *tom. 2. disput. 1. de legib. q. 1. punc. 6. n. 59. ver. Respondeo non teneri* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tr. 4. c. 11. n. 1.* Rebel. *par. 2. lib. 2. qu. 7. sect. 3.* Diana *par. 1. tr. 9. de Ieiunio Resol. 18.* Merolla *tom. 2. Theol. mor. disp. 4. cap. 3. dub. 41. nu. 473. & sequentibus & n. 497.* Facundez *Præcepto 1. Eccles. lib. 1. cap. 7. n. 3.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 1. puncto 24. §. 5. n. 1.* Malderus *1. 2. q. 96. ar. 5. §. De peregrinis vers Vnde infertur.* Bossius *sect. 4. de Iubileo. casu 18. n. 39. 10.* Sanchez *in selectis de sacramen. disp. 54. n. 27.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *num. 21. littera G.* Driedo *de libert. Christ. lib. 1. c. 17. §. Vna est.* & secundum aliam editionem. *c. 2. p. 3. ar. 2. membro vlt. §. vna est.* Gordon. *lib. 6. theol. mor. qu. 18. c. 7. q. 2.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 6. n. 5.* Caspen. *par. 1 curs. theol. tr. 13 de legib. disp. 4. sect. 5. n 41.* Baldel. *tom. 1. theol. moral. lib. 5. disp. 31. n 1. vers neque hic.* Barilis *De lege municip. Disquisit. 2. §. vn. n. 5.* Zipeus *in Analytica iur. lib. 3. tit. de obseruat. ieiun. n. 3.* Roccaful. *in praxi tr. 6 de præcep. Eccl. lib. 3. c. 8. n. 124.* Leander à Murcia *in Cap. 3. Reg. S. Francis. cap. 2. §. 2. n. 27.* Et ex Iuristis Abbas *in c. A nobis 1. n. 11. De sent. excom.* Felin. *ibid. n. 6.* Cardinal. *in Clement. 2. quæst. 5 De celebrat. missar.* Imola *ib. n. 3.* Bonifacius *num. 68.* Roccus Curtius *quæst. 13. De consuetud.* Alexand. *Consil. 111. n. 1. & 2.* Parif. *Consil. 159. lib. 4.* Couarruu *lib. 4. Variar. cap. 20. n. 8.* Bertachim. *lib. 4. de Episcopo par. 2. n. 34.* Item Zabarel. *in Rep. c. Perpendimus num. 20. De sent. excommunicat.* Crotus *in c. Vt animar. §. Statuto. De constitution. 5* Bal. *in l. fin. n. 2. ff. De iurisdict. omnium iud.* Ias. *ibid. n. 3.* & alij apud citatos Doctores, & in materia de legibus, qui omnes docent, aut in vniuersali leges, & statuta non obligare extra territorium, aut in particulari id tradunt de Festis, aut de Censuris, aut de ieiunio.

3 Atque hæc sententia tanquam certa omnino tenenda est, nam habet firmissimum fundamentum in iure, nempe in cap. *Vt animarum. De constitutionibus in 6.* vbi Bonifacius VIII. declarat. Quod subditi non ligantur extra diocesim statuto excommunicationis, & proinde impunè non obediant, sic enim habet textus: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserunt excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius extra eius diocesim existentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium iusdicenti non pareatur impune.* Vnde etiam *in Clement. 1. De foro compet. & l. fin. ff. de iurisdict. om. iudicum, & l. 1. ver. initio. & l. fin. ff. De officio Præfecti vrbis.* habetur, quod nemo potest in alio territorio iurisdictionem exercere. Et in *Clement.*

X Pa-

Pastoralis. §. *Numquid etiam.* De *re iudicata.* habetur, quod citatio Imperatoris extra districtum imperij non arctat citatum. Ex quibus omnibus colligitur, quod actus iurisdictionales, & omnia, quæ in iurisdictione fundantur non habent vim extra territorium illius, cuius est iurisdictio, & proinde leges, & statuta non obligant subditos, quandiu sunt extra territorium, quia non obligant extra ipsum territorium.

4 Et ratio est; quia non plus extenditur obligatio legis, quam extendatur iurisdictio legislatoris, siquidem obligatio fundatur in iurisdictione, & est effectus ipsius; quia lex in tantum obligat, in quantum reperit subiectionem ad iurisdictionem legislatoris; iurisdictio autem non extenditur extra proprium territorium ius dicentis. Vnde nec extendetur obligatio legis ab ipso sancitæ, atque adeo nec ciuis extra territorium ab ipsis obligabitur.

5 Est tamen aduertendum, quod aliquę leges obligant etiam absentes, vt notant Doctores in materia de legibus, & præcipue Salas *Disp.* 14. *De legib. sect.* 5. *num.* 70. vers. *Secundæ opinioni.* Vt sunt illæ, quæ fiunt in ordine ad ciues absentes, & aliæ huiusmodi. Hoc aut prouenit, non quia iurisdictio, & obligatio legis extendatur extra territorium, sed quia proficiscens extra territorium tacito quodam pacto se obligat ad illas seruandas, nam potest superior obligare subditos, vt non egrediantur de territorio, nisi seruatis quibusdam conditionibus, quarum vna est, quod seruent leges, quas bonum commune exigit seruari etiam ab absentibus; & ideo eo ipso, quod fit absens, censetur tacitè consentire in hanc conditionem, atque adeo se obligare ad seruandas huiusmodi leges.

6 Hinc facile soluitur fundamentum primæ sententiæ, nam ciuis absens, licet remaneat pars communitatis, & retineat antiquum domicilium, non tamen subest directioni, qua illa communitas dirigitur, quia tanquam commensurata iurisdictioni nō extenditur extra territorium, & ideo quò ad actum remanet exemptus ab ipsa, & solum ex eo, quod sit pars, & retineat domicilium, sequitur quod debet subesse, quando directio ad ipsum pertingere potest: non autem quando non potest pertingere, vt cum est extra territorium.

7 Nec est inconueniens, quod non subsit aliquibus legibus particularibus, tum quia hæ leges non sunt necessariæ, cum sufficiant communes, tum quia id est per accidens, quatenus scilicet per accidens est extra proprium domicilium, tum quia leges particulares sunt factæ propter bonum particulare talis ciuitatis, atque adeo solum pro ijs, qui tenentur cooperari tali bono, & consequenter qui sunt membra communitatis: qui autem est absens, licet remaneat membrum, quo ad habitum, non tamen quo ad exercitium, quia ratione absentiæ non tenetur se gerere tanquam membrum, nam est membrum separatum ad tempus: respectu autem communitatis, apud quam diuersatur, non est membrum, quia non est ipsi incorporatum.

An existens in loco exempto intra territorium teneatur seruare ieiunia proprij territorij. *Decis.* 212.

SVMMARIVM.

1 *Existens in loco exempto non tenetur ad ieiunia propria territorij.*

2 *Ordinarius non potest in loco exempto, licet intra territorium, exercere iurisdictionem.*

2 *Lex ordinarij non obligat in loco exempto territorij.*

3 *Episcopus potest ex priuilegio exercere aliquos actus iurisdictionis in loco exempto territorij.*

1 RESP. non teneri, ita docent Palud. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *ar.* 2. Gabr. *q.* 2. *ar.* 2. *Concl.* 6. Rosel. *verbo.* Excommunicatio 7. §. 3. Tabiena *Excommunic.* 4. *q.* 3. Syluester *ibid.* Sayr. 1. *de censur. c.* 7. *n.* 9. Filiuc. *tr.* 11. *n.* 149. Baldel. *tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 31. *n.* 15. Armilla *verbo* Excommunicatio. *nu.* 30. Azor. *par.* 1 *lib.* 5. *c.* 25. *q.* 4. Suarez 3. *par. tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 5. & *lib.* 3. *de legib. c.* 3. *n* 9. Salas *disp.* 14. *de legib. sect.* 6. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 1. *de legib. q.* 1. *punc.* 6. *num.* 65. ver. *Ex quo patet, & num.* 66. Merolla *tom.* 2. *Theol. moral. disp.* 4. *c.* 3. *n.* 484. Palaus *par.* 1. *Oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *punc.* 24. §. 5 *nu.* 29. Henr. Botus *par.* 3. *de Synodo ar.* 2. *n.* 9. Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in exemp. par.* 2. *q.* 45 *num.* 2. Triullench. *lib.* 3. *in Decat. c.* 2. *dub.* 6. *nu.* 6. Et ita etiam tenent Canonistæ Glos. *in Cap. fin. De constit. in* 6. vbi etiam Io. Andreas, & Geminian. & alij. Panormitan. *in Cap. A nobis* 1. *De sent. excommunicat.* Ancharan. *Repet. Cap. si propter tua De rescript. in* 6. Iasa. *in l. fin. n.* 3. & 5 *ff.* De *iurisdict. om. iud.* & in Cap. 1 *de priuileg. in* 6. Bartol. *in l. Cunctos populos. C. de sum. Trinit.* Angel. *Consil.* 233 *n.* 2. & per totum Nauar. *Consil.* 50. *n.* 2. De reg. alios citans. Barbosa *de offic. Episcopi allegat.* 88. *n.* 26. & 27. Raynaud. *De monit. par.* 1 *c.* 1. *q.* 9. §. *Quia vero.* Baril. De *lege municip. Disquisit.* 2. §. *vnico. n.* 13. & alij communiter.

2 Et ratio est, quia locus exemptus comparatur alieno territorio, siquidem licet sit in territorio ratione tamen exemptionis se habet vt territorium alienum; nam eximitur à iurisdictione Ordinarij, ita vt non possit in ipso aliquid iurisdictionis exerceri. Vnde delictum commissum in loco exempto est extra iurisdictionem Ordinarij Cap. 1. *Nunquid ergo.* De *priuilegio in* 6. Nec in locis exemptis potest Episcopus exercere iurisdictionem Cap. *Cum Episcopus.* De *Officio ordinar. in* 6. Et ideo cum iurisdictio non se extendat ad locum exemptum, tanquam si esset alieni territorij, nec etiam se extendit obligatio legis, cum se extendat tantum ad subditos, qui subiunt iurisdictioni; & consequenter in tali loco non obligabit lex Diocesana de ieiunio.

3 Hinc est, quod, si Episcopi possunt in his locis exemptis exercere aliquos actus iurisdictionis, id prouenit ex speciali concessione, & priuilegio, vt de iuribus pontificalibus conceditur in *Clement. vlt.* De *priuileg.* Vnde à contrario sensu, non possunt alios actus exercere, qui non sunt specialiter concessi, vt est obligare per legem, vel statutum

An

An existentes intra Monasteria Regularium exemptorum teneantur seruare ieiunia propria dioecesis. Decis. 213.

SVMMARIVM.

1 *Saeculares intra Monasteria tenentur seruare ieiunia territorij propria.*
2 *Probabile valde est non teneri.*
3 *Statutum Episcopi non se extendit ad Ecclesias, & Monasteria Regularium.*
4 *Monasteria sunt exempta à iurisdictione Episcopali, & leges Episcopi in ipsis non habent vigorem.*
4 *Monasteria Regularium plenè exempta.*
5 *Lex non afficit locum, nisi ratione personarum.*
6 *Subditus Episcopi non fert secum obligationem legis Episcopalis.*
7 *Monasteria sunt exempta, etiam quo ad locum.*
8 *Exemptio Regularium non est odiosa respectu iurisdictionis Episcopalis.*

1 AFFIRMATIVE respondebant ij omnes, qui tenent leges Ordinariorum obligare subditos, etiam si intra Monasteria existant, vt docent Suarez 3. *par. tom. 5. de Censuris disp. 5. sect. 4. nu.* 10. Coninch. *disp. 13. de Sacram. dub. 7. n. 63.* Salas *disp. 14. de legib. sect. 6. n. 85.* Alerius *disp. 5. De causa excom. lib. 3. cap.* 5. ver. *Hoc autem* Filliucius *tr. 11. c. 5. q. 9. n. 149.* Palaus *par. 1. Oper. moral. tr. 3. disp. 1. punc. 24. §. 5. n. 30.* Cochier. *De iurisdict. Ordinar. in Exemp. par. 2. q. 45. n. 2. & sequentib.* Merolla *tom. 2. theol. moral. disp. 4. c. 6. n. 489.* Federicus de Senis *Consil.* 2. Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 196.* qui tamen eximit eos, qui degunt inseruientes intra Monasteria. Quorum fundamentum est, quia monasteria non sunt plenè exempta à iurisdictione Ordinarij, sed tantum quo ad casus in iure expressos, & ideo tanquam odiosa, quia derogat iuri Ordinariorum, non est extendenda ad casus non expressos in iure, praesertim quia potius conuenit personis, quam loco.

2 At oppositum, nempe, non teneri ad seruanda talia ieiunia, & alias leges Ordinarij, docet Angel. *Consil. 233. n. 2. & per totum:* Barilis *De lege municip: Disquisit. 2. § vn. n. 14.* Hynoiosa *in Direct. Decis. Reg. verbo. Priuilegium in communi §. Secundo notandum est.* Cespedes *de exempt. c. 14. dub. 227.* Henriquez *lib. 13. Sum. c. 26. n. 2.* & specialiter de Ieiunio Bonacina *tom. 2. disp. 1. De legib. q. 1. punc. 6. n. 66.* Laiman *lib. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 11. n. 5.* ver. *Tertio extenditur.* Et haec sententia mihi videtur probabilior.

3 Et colligitur ex Concil. Trident. *sess. 25. c. 12. De Reformat. Regul.* vbi praecipit Regularibus, quod seruent interdicta Ordinariorum, & festa: ergo secluso precepto non tenerentur seruare, atque adeo statutum Episcopi non se extenderet ad Monasteria, & Ecclesias Regularium, & proinde modo non se extendent illa statuta, de quibus non decernitur quod extendantur, vt est statutum de ieiunio, vnde existentes intra monasteria non tenebuntur ieiunare.

4 Praeterea. Extra territorium ius dicenti non paretur impunè Cap. *Vt animarum. De constitutionibus. in 6.* Non alia ratione, nisi quia iurisdictio non extenditur ad alienum territorium, & proinde non potest obligare subditum existentem in alieno territorio, vt habetur ibid. Vnde cum Monasteria ita sint exempta, vt in ijs leges Episcopales non obligent, nec subsint iurisdictioni Episcopi, qui neque Ecclesias Regularium visitare potest, nec Monasteria, iurisdictio non se extendet ad Monasteria, & proinde non poterit exercere actus iurisdictionis, nisi specialiter ex priuilegio, & vt delegato Sedis Apostolicae concedantur; & consequenter existentes in ipso, erunt extra terminos iurisdictionis Episcopalis, & non tenebuntur ad ieiunia ab ipso indicta. Quod autem Monasteri Regularium sint plenè exempta habetur ex Bulla *Maris magni, pro Praedicatoribus* Sixti IV. quae est I. *apud Confectum.* Ibi *Et ne praetextu Constitutionis Innocent. IV. praedecessoris nostri, quae incipit, Volentes. locorum Dioecesani, & alij Ordinarij, ac alij quicunque in personas, & loca fratrum Praedicatorum contra eiusdem Gregorij praedecessoris in ordinationem sibi quamcumque iurisdictionem, & superioritatem vendicare praesumant districtius inhibemus, ne quispiam absque dictae Sedis speciali commissione, & auctoritate in personas, domos, & loca dicti ordinis Praedicatorum, vtpote prorsus exempta, aliquos excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, & huiusmodi aliquam praeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere praesumant etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contra ipsos ageretur, vbicunque ineatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat.* vbi notanda sunt verba. *Prorsus exempta*

5 Rursus leges, & statuta Episcopi, & consuetudines ciuitatis, de quibus est eadem ratio, non obligant intra Monasteria Regularium exemptorum, quia talis obligatio non afficit locum, cũ locus de se non sit capax obligationis, sed tantum ratione personarum, quia solae personae sunt capaces obligationis: ergo quando personae non sunt capaces obligationis ratione exemptionis, nec etiam locus erit capax, cum obligatio non se extendat ad locum, nisi ratione personarum. Et ideo cum Regulares nõ sint capaces obligationis impositae ab Episcopo, nec etiam eorum Monasteria erunt capacia, vnde erunt exempta, non secùs, ac quilibet alius locus exẽptus.

6 Quod etiam ex eo confirmatur. Quia subditus Episcopi non fert secum obligationem legum, & statutorũ Episcopalium, cum huiusmodi obligatio non sit personalis singularis, sed communitatis, vt est quoddam corpus ciuile, ratione cuius redundat in singulares personas, vt in membra: vnde semper manet affixa communitati, nec sequitur membra, quando se separant à cõmunitate, & loco, intra quẽ clauditur cõmunitas, vt constat, quando subditi proficiscuntur in alienum territorium, aut in locũ exemptũ territorij. Vnde cum intra Monasteria non habeat locũ obligatio legũ, & statutorũ Episcopalium, quia non transit ad locũ, nisi adsint personae, quae possint eã recipere, nec subditi eã secũ deferãt, non tebũtur intra Monasteria seruare leges, & statuta Episcop.

7 Hinc solutum manet fundamentum in oppositum; falsum est enim, quod Monasteria non sint plenè exempta à iurisdictione Episcopali, quod si in aliquib. casib. in iure expressis potest Episcopus

exercere aliquam iurisdictionem, id habet ex speciali concessione, & tanquam Apostolicæ Sedis delegatus; Vnde in Tridentino, quæ committuntur Episcopis circa Regulares, & ipsorum Monasteria, committuntur vt delegatis Apostolicæ Sedis, quia nimirum Concilium noluit derogare exemptioni Regularium. Et satis ex eo patet, quod Monasteria sint exempta, quia non possunt visitari ab Ordinario. Et Cap. *Luminoso* 18. *q.* 2. Et Cap. vn. *De statu Regul. in* 6. vbi Glos. verbo. *Nota* absoluté, & indixtinctè loquuntur de exemptione, & monasteriorum. Quod autem generaliter dictum est, debet generaliter intelligi Cap. *solutæ De maior. & obedien. & l.* 1. §. *Generaliter. ff. de legat. præst.*

8 Neque valet, quod talis exemptio, vt odiosa tanquam derogans iuri Episcopali, non sit extendenda ad casus non expressos, quia cum sit exemptio à iurisdictione de se ipsa extenditur ad omnes actus iurisdictionales. Et cum in iure exprimantur ea, in quibus potest Episcopus exercere iurisdictionem supra Regulares, & ipsorum Monasteria, & singula in speciali concedantur, signum est, quod noluerint Pontifices, quod in cœteris exercerent, quæ non sunt in speciali expressa. Et ideo è contra iurisdictio Episcoporum in hoc non est extendenda ad casus non expressos tanquam odiosa, vtpote derogans exemptioni Regularium stabilitæ per leges insertas in corpore iuris, atque adeo vt derogans legibus.

9 Neque exemptio Regularium potest dici odiosa respectu iurisdictionis Episcopalis, quia Episcopali statui non conuenit iurisdictio supra Regulares, neque accipiendo Episcopatum, accipiunt talem iurisdictionem, siquidem accipiunt solum illam iurisdictionem, quam ipsis concedunt Canones.

An possit quis, vt non ieiunet, quando in proprio loco vrget præceptum ieiunij, transire ad locum vicinum, vbi non vrget tale præceptum.

Decis. 214.

SVMMARIVM.

1 *Non potest quis discedere à loco, vbi est præceptum ieiunij, & ire ad locum, vbi non est, vt non ieiunet secundum aliquos.*

2 *Fraus nemini patrocinatur.*

3 *Secundum alios potest.*

4 *Non fit fraus in legem, si per mutationem loci fugiatur obligatio legis.*

4 *Iure suo vtens non facit fraudem.*

5 *Aliud est nolle seruare legem, quando obligat, & aliud velle se subtrahere ab obligatione legis.*

6 *Quando intentio se subtrahendi ab obligatione legis non sit mala.*

7 *Potest quis procurare proprium commodum, licet inde sequatur damnum alterius.*

8 *Leges Ecclesiasticæ non habent annexam conditionem, quod non liceat sine causa subterfugere obligationem.*

1 NEGATIVE respondent, ij omnes, qui putant, non licere ob fugiendam obligationem legis transire ad locum, vbi lex non obligat. Ita Ledesma *quæst.* 45. *de Matrimonio ar.* 5. *punc.* 3. *dub. vlt. conclus.* 1. Rodriq. *tom.* 1. *sum. cap.* 122. *num.* 1. Rebellius *de Iust. & iure par.* 2. *lib.* 2. *qu.* 7. *sect.* 3. *num.* 16. Syluester *verbo* Ieiunium, *q.* 2. *in fine* Sayrus *lib.* 7. *Clauis Reg. cap.* 7. *n.* 12. *in fine.* vbi dicit, id non licere ad fugiendam obligationem, sed tantum ex aliqua causa, Laiman. *lib.* 1. *theol. moral. tract.* 4 *cap.* 11. *num.* 9. ver. *Secundo dixi.* Et videtur inclinare Salas *disp.* 14 *de legib. sect.* 5. *num.* 63. *in fine.* Insuper Lessius *lib.* 4. *De iust. & iure cap.* 2. *dub.* 8. *n.* 60. *in fine.*

2 Horum motiuum est, quia, quando fit ex intentione non seruandi ieiunium, fit fraus legi; fraus autem nemini patrocinatur Cap. *Sedes*, & Cap. *Ex tenore. De rescriptis.* Deinde hic interuenit intentio nocendi legi; animus autem nocendi alteri est illicitus. *ex l.* 1. §. *Idem.* ver. *Denique ff. De aqua pluuia arcenda.* Denique quia leges Ecclesiasticæ cum promulgentur ob subditorum spiritualem vtilitatem, habent annexam conditionem, quod non liceat subterfugere obligationem sine iusta causa.

3 At opposita sententia tenenda est, quam tradunt Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 18. *num.* 29. ver. *Cæterum displicet, & lib.* 1. *in Decal. c.* 12. *n.* 35. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *c.* 13. *num.* 4. Bonacina *tom.* 2. *disput.* 1. *de legib. q.* 1. *punc.* 6. *n.* 64. ver. *Addo, peccare.* Pontius *lib.* 5. *de Matrim. c.* 9. *n.* 4. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 1. *puncto* 24. §. 5. *n.* 3. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 19. Facundez *Præcepto* 1. *Eccles lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 7. Io. Sancius *in Selectis de Sacramentis disp.* 54. *n.* 20. Gaspar. Hurtadus *De Sacram. disp.* 5. *de Matrim. difficul.* 5. *in fine.* Villalobos *par.* 1. *sum. tr.* 2. *difficul.* 34. *n.* 2. Merolla *tom.* 2. *Theol. mor. disp.* 4. *cap.* 3. *nu.* 503. Guilinus *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 21. *littera F.* & alij. Baldel. *tom.* 1. *theol. moral. lib.* 5. *disp.* 31. *n.* 1. *in fine.* Filiuc. *tract.* 11. *c.* 5. *n* 110. *&* 113. Barilis *De lege municip. Disquisit.* 2. §. *vn. n.* 8. Remigius *tr.* 3. *sum. cap* 4. §. 3. *n.* 12 ver. *El vezino.*

4 Ratio est; quia præceptum, vt vidimus in superioribus, non obligat extra locum eo quod iurisdictio non se extendit extra territorium ius dicenti non paretur impune Cap. *Vt animarum. De constitut. in* 6. Et insuper intra locum non obligat, nisi ad id, quod per se ipsum præcipitur; vnde, si præcipit ieiunium non obligat nisi ad ieiunium intra locum non obligat autem, quod quis non exeat à loco. Quare, quando quis exit à loco in die ieiunij, vtitur iure suo, quod habet, vt possit exire, & se subtrahere obligationi. Qui autem vtitur iure suo, non facit fraudem legi, etiam si se subtrahat ab obligatione ipsius, quia *Nullus videtur dolo facere, qui suo iure vtitur.* Reg. *Nullus ff. De regulis iuris, & l. Quod & lex* §: *Is tamen.* ibi. *Dolo malo non videtur habere, qui suo iure vtitur. ff De homine libero exhibendo.*

5 Vnde valde diuersum est, nolle seruare legem, quando obligat, & velle se subtrahere ab obligatione legis; nam primum importat intentionem tendentem contra legem, & subtrahentem debitam obedientiam, quod est infringere legem. Secundum verum non subtrahit obedientiam, quæ sit debita legi, neque importat intentionem contra legem sed solum dicit subtrahere personam obligationi legis

gis iuxta ius, quod habet ad subtrahendum. Quod non est violarem legem, sed ab illa se subtrahere. Et sicut potest quis petere dispensationem in lege, & per ipsam se subtrahere ab obligatione legis: ita etiam potest se subtrahere transeundo ad locum vbi non adest obligatio, quia non habet minus ius ad mutandum locum, quam ad petendam dispensationem.

6 Ex quibus constat, non subsistere motiuum oppositæ opinionis; siquidem non adest fraus; sed vsus proprij iuris, vt constat ex dictis: nec adest intentio non seruandi ieiunium, quando adest obligatio, sed intentio se subtrahendi ab obligatione, quæ non est mala, quando non fit in odium legis, sed ob proprium commodum: solum enim est malum nolle seruare legem, quando obligat. Quare cum iure suo vtatur, non committit fraudem iuxta Reg. *Nullus videtur. De regul iur. in 6. & l 3. ver. Is tamen ff. De lib. homil. exhib. ibi. Dolo malo non videtur facere, qui iure suo vtitur.*

7 Neque verum est, quod interueniat intentio nocendi legi, nam tunc solum interuenit, quando stante obligatione legis non vult quis illam seruare, & tex. *l. 1. § ijdem ver. Denique ff De aqua pluuia arcend.* confirmat nostram opinionem, nam ibi habetur. *Marcellus scripsit cum eo, qui in suo fundo fodiens vicini fontem auerterit, nihil posse agi, nec de dolo actionem, & saue non debet habere, si non animo vicino nocendi. sed suum agrum meliorem faciendi fecit.* Vnde quando non interuenit malus animus, sed intentio proprij commodi non interuenit dolus, seu fraus, vt contingit in casu nostro; nam agitur de commodo, quod prouenit ex fuga obligationis præcepti.

8 Quod autem leges Ecclesiasticæ habeant annexam illam conditionem, quod non liceat effugere obligationem absque iusta causa, gratis dicitur absque vllo fundamento; nam non promulgantur cum tali conditione, neque talis conditio est ipsis annexa ex natura sua, quia lex non obligat vltra id, quod præcipit; non præcipit autem, quod non liceat effugere obligationem. Neque lex ecclesiastica hoc præcipit, quia etiam ipsa sistit in solo actu, quem intendit. Imo si adesset talis conditio esset necessaria specialis lex, quia non fugere obligationem est specialis actus, qui indigeret speciali præcepto.

An discedens à loco proprij domicilij, vbi obligat ieiunium, si peruenturus sit eodem die ad locum, vbi non adest præceptum de ieiunio, possit ibi antequam discedat comedere.

Decis. 215.

SVMMARIVM.

1 *Discedens à loco ieiunij, & perueniens ad locum, vbi non est ieiunium, potest ibi soluere ieiunium.*
2 *Non tamen potest soluere, antequam discedat secundum aliquos.*
3 *Potest soluere etiam antequam discedat.*
4 *Liberatus ab abstinentia plurium comestionum, est liberatus à ieiunio pro toto die.*
5 *Præceptum ieiunij respicit totum diem indiuisibiliter.*
6 *Quando præceptum ieiunij non potest poni pro toto die pro nulla parte ponitur.*
7 *Præceptum abstinentiæ à carnibus est negatiuum respiciens tempus diuisibiliter sicut etiam præceptum abstinendi à seruilibus in festo.*
8 *Priuilegio loci non potest quis vti, nisi existat in loco.*
9 *Manens maiori parte diei in loco, vbi est ieiunium non tenetur ieiunare, si sit peruenturus ad locum eadem die, vbi non est ieiunium.*
10 *Quid requiratur, vt pars maior trahat ad se minorem.*

1 QVOD possit soluere ieiunium, & cœnare, etiamsi prandium sumpserit, sequitur ex dictis in superioribus, cum communi sententia. Quod nimirum leges proprij domicilij non obligent ciues in alieno territorio, & inter alios hoc specialiter notant Sanchez, & Merolla infra citandi pro secunda opinione. An autem possit soluere ieiunium sumendo ientaculum antequam discedat à loco, vbi adest præceptum ieiunij.

2 Negatiue resp. Connich. *De Sacram. q. 74. ar. 4. disp. 3. n. 103.* Granad. *1. 2. Controuer. 7. tr. 3. disp. 6. sect. 4. num. 31.* Pontius *lib. 5. de Matrimon. cap. 8. nu 3.* Palaus *par. 1. oper moral. tract. 3. disp. 1. punc. 24. §. 5. n. 10* Quorum fundamentum est, quia antequam discedat, vrget præceptum, & nondum adest solutio obligationis, vnde, si comedat, faciet contra præceptum, non enim sufficit, quod sit superuentura deobligatio, sicut non sufficit moralis certitudo dispensationis, vt quis faciat contra præceptum, quia non spes dispensationis, sed dispensatio tollit obligationem; alioquin posset etiam comedere carnes, quod tamen omnes negant. Confir: Spes, aut voluntas existendi in loco priuilegiato non dat priuilegium, sed ipsa existentia: ergo nec voluntas essendi in loco exempto à ieiunio soluet obligationem ieiunandi, sed solum ipsa existentia.

3 Quod tamen possit soluere ieiunium antequã discedat, est sententia communior, & ita tradunt Sanchez *lib. 3. de matrimonio disp. 18. n. 22. & lib. 1. Sum. c. 12. nu. 34.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure cap. 2. dub. 8. n. 88* Fillincius *tr. 27. par. 2. c. 6. n. 100.* Salas *Disp. 14. de legib. sect. 5. n. 68.* Couarru. *lib. 4. Variar. cap. 20. n. 8.* Nauar. *cap. 23. Manual. n. 120.* Ledesma *de matrimon. q. 45. ar. 5. parte. 2. dub. vlt. conclus. 3.* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tr. 4. c. 11. n. 7* Qui tamen limitat, si extra locum ieiunij sit futurus per maiorem diei partem, secus autem si per minorem, quia maior pars trahit ad se minorem. Molfesius *tom. 1. Sum. tr. 10. c. 4. n. 21.* Villalob. *tom. 1. sum. tr. 2. difficul. 34. n 3.* Diana *par. 1. tr. 9. de Ieiunio Resol. 3. ver. At his non obstantibus.* Merolla *tom. 2. Theol. mor. disp. 4. c. 3. n. 501. ver. Sed probabilius.* Portel. *in dub Regul. verbo* Ieiunium *in Addit. num. 2.* Gordon. *lib. 6. theol. mor. q. 18. c. 7. ver. Sed quæstio est.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2 dub. 6 n. 6.* Tamburin. *tom. 2. de Iure Abbat. disp. 12. q. 3 n. 5.* Io. Sanchez *in selectis de sacramen. disp. 54 n. 27. in fine.* Caspen. *par. 1 curs. theol. disp. 4. de legib. sect. 5. n. 41.* Barilis *Disquisit 2. De lege municip. §. vnico n. 9.* Baldel. *tom. 1. theol mor. lib. 5. disp. 3. n. 12.* Barbosa *lib. 1 de iure Eccl. c. 21. n. 5.* Amic. *tom. 5. curs. theol. disp. 5. sect. 16. n. 360.* Leander de Murcia *in Reg. S. Francis. cap. 2. n. 28. super cap. 3.* Martin à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 10. de ieiun. n 5.*

4 Et

4 Et hæc posterior sententia mihi probabilior videtur. Quia, cum præceptum de ieiunio sit de abstinentia à carnibus, & à pluribus comestionibus eo ipso, quod quis absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, absoluitur etiam à præcepto ieiunandi, & hoc est omnino certum apud omnes; vnde potest pro illo die quacunque hora libuerit comedere, & repetere comestionem: Rursus etiam certum est, quod qui egreditur à loco ieiunij, & peruenit vespere ad locum, vbi non est præceptum de ieunio, absoluitur ab abstinentia à pluribus comestionibus, nam in loco, vbi est ieiunium, potest prandere, & vespere cœnare: ergo pro illo die est absolutus à præcepto ieiunii, & consequenter poterit quacunque hora comedere, antequam exeat à loco, vbi est præceptum de ieiunio.

5 Et hoc est, quod dicunt Auctores posterioris sententiæ. Quod præceptum ieiunij est indiuisibile respiciens integrum diem. Quod ita debet intelligi vt respiciat totum diem integrum indiuisibiliter à media nocte in mediam noctem; ita vt non respiciat partem, & partem diei, sed totum integrum per modum vnius termini indiuisibiliter. Quia enim coarctat substentationem corporis ad vnicam refectionem pro vnico die, ita vt pro toto illo die non habeat locum altera refectio, ideo sibi assumit totum integrum diem pro vnico termino temporali afflictionis, & ipsi assignat vnicam refectionem. Hinc quando intra talem terminum habet locum multiplex refectio, non habet locum præceptum de ieiunio defectu materiæ, quam præcipit, nam non præcipit quomodocunque abstinentiam, sed cum tali modo, & mensura; nempe abstinentiam à carnibus, & à multiplici refectione pro tanto tempore, scilicet pro integro die, quia à tali termino durationis habet abstinentia præcepta, quod sit afflictiua corporis. Vnde, si abstinentia, quæ in ieiunio præcipitur, non potest extendi ad tempus, ad quod per præceptum ieiunij extenditur, cessat materia præcepta, quia cessat abstinentia sub ratione illius abstinentiæ afflictiuæ, quæ in ieiunio intenditur; quam enim afflictionem sentiret, qui per dimidium diei abstineret à carnibus, & à multiplici refectione?

6 Hinc solutum manet fundamentum oppositæ sent. Neque enim est verum, quod antequam discedat, vrgeat præceptum ieiunandi, quia tale præceptum respicit integrum diem, quem si non potest sibi integrè vindicare, pro nulla parte ipsius obligat. Vnde non est eadem ratio de dispensatione, quia quando agitur de dispensatione, supponitur, quod lex obliget, & ideo non tollitur obligatio, quandiu adueniat dispensatio, at in casu nostro non ponitur pro ipso die obligatio ieiunandi, stante morali certitudine, quod sit peruenturus ad locum, vbi non adest præceptum de ieiunio.

7 Nec est eadem ratio de carne, quia præceptum non comedendi carnes, tanquam negatiuum, est in ordine ad tempus, seu diem diuisibiliter, & obligat pro singulis partibus: vnde si non potest obligare pro toto die, obligat pro illa parte, pro qua potest: non sic autem præceptum de ieiunio, vt constat ex dictis. Nec eadem est ratio de præcepto abstinendi ab opere seruili in diebus festis, quia similiter hoc præceptum obligat diuisibiliter pro qualibet parte diei tanquam præceptum negatiuum: non autem indiuisibiliter ad totum diem, sicut præceptum ieiunij.

8 Atque etiam est diuersa ratio de priuilegio ratione loci, quia, cum sit affixum loco, requirit existentiam actualem in loco, vt quis illo fruatur. At in casu nostro non agitur de fruitione priuilegij, sed de obligatione præcepti, quod desinit obligare defectu materiæ, quæ præcipitur quod est commune cuicumque legi, & præcepto.

9 Ex his constat, esse reijciendam illam distinctionem, quam ponit Laiman *supracitatus*, quam reijcit Merolla *supracitatus*. ver. *Nec obstat*, in fine. Nam, etiam si moretur in loco, vbi est præceptum de ieiunio per maiorem diei partem, adhuc tamen eodem die fit extra locum, in quo obligat præceptum & idcirco potest cœnare: vnde adhuc illo die absoluitur ab abstinentia plurium refectionum, nec præceptum ieiunij habet illum terminum durationis abstinentiæ, quem per se requirit, atque adeo nec illam abstinentiam, quam præcipit, & ideo absolutè cessat.

10 Vt autem maior pars trahat ad se minorem, inter alia requiritur, quod res habeat partes, quarum vni aliquid conueniat, quod non conueniat alteri, ad quod participandum ipsam trahat; vnde etiam debet interuenire aliquod fundamentum, ratione cuius fiat huiusmodi tractio. In casu autem nostro non interuenit vna pars diei, quæ obliget ad ieiunium, & alia, quæ non obliget, ita vt pars, quæ obligat trahat aliam partem ad participandum in obligatione: quia, vt dictum est, obligatio *ieiunandi* se extendit ad totum diem indiuisibiliter, ita vt aut totus participet obligationem, aut nulla pars participet. Ex dictis autem soluta manent, quæ contra prædicta obijcit Leander *par.3. in præcep. Eccl. tr. 5. disp.2.q.27.* Et quando adhuc obijcit, quod quando quis manè discedit à loco, vbi vrget præceptum audiendi missam tenetur prius audire, aliquid æquè controuersum assumit, & æquè probabile est, non teneri, quia si non audit vsque ad tempus discessionis, non peccat, quia remanet tempus in quo posset satisfacere, si ibi moraretur, dum autem fit extra territorium, subtrahitur præcepto.

An discedens è loco, vbi adest ieiunij præceptum & tendens ad locum, vbi non adest, teneatur ieiunare, si vespere sit rediturus ad proprium locum domicilij, vnde discessit, & an possit antequam discedat, sumere ientaculum.

Decis. 216.

SVMMARIVM.

1 *Discedens à proprio domicilio, & eadem die reuertens, si pergat ad locum, vbi non est præceptum de ieiunio non tenetur ieiunare.*

2 *Præceptum ieiunij non obligat, quando non potest præcipere abstinentiam sub consueta mensura.*

3 *Etiam si per breue tempus maneat extra proprium domicilium, non tenetur ieiunare.*

4 *Etiam si, dum manet extra domicilium, non comedat.*

5 *An-*

5 *Aucupes, & Venatores, dum pergunt extra fines territorij, vbi ieiunium non obligat, non tenentur ieiunare.*
6 *Breui reuersurus, quomodo censeatur non recessisse.*

1 RESP. non teneri ad ieiunium, sed posse sumere ientaculum, antequam discedat à proprio domicilio, vbi ieiunium obligat, etiam si rediturus sit vespere ad idem proprium domicilium. Ita docent Io: Sanchez *in Selectis de Sacramentis disp.54 n.28.* Diana *par.1.tr.9. de ieiunio Resol.3. ver. At his non obstantibus in fine* Sanchez *lib.1.in Decal.c.12 n.27.* Suarez *tom.1.de Relig.lib.2 de sac.dier.obser.c.14.n.25.* Lessius *lib.4. De iust. & iure c.2 n.55.* Bonac.*disp.1.de gib.q.1 punc.6 n.6.* Baldel. *tom.1. theol.moral.lib.5 disp.31.n.6.* Trullench. *lib.3 in Decal c.2.dub.6.nu.6.* Tamburin. *tom.2.de Iure Abbat. disp.12.q.3.n.5.in vlt. edit.* Merol. *tom.2.theol.mor.disp.4.c.3.n.501. ver. Nec obstat in fine.*

2 Militat enim eadem ratio; quia nimirum pro aliquo tempore diei potest sumere plures refectiones, eo tempore nimirum, quo manet extra domicilium: vnde pro illo die absoluitur ab abstinentia à pluribus refectionibus; & proinde præceptum de ieiunio non potest extendi ad totum integrum diem, in quo præcipiat abstinentiam sub propria mensura ieiunij limitando substentationem corporis ad vnicam refectionem sine carnibus pro toto integro die: & consequenter non habet locum pro illo die respectu talis personæ.

3 Atque hoc verum est, etiam si per breue tempus diei aliquis sit mansurus extra proprium domicilium, vt notat Sanchez *citatus*, quia adhuc pro illo modico tempore non potest præceptum obligare; & consequenter non potest obligare pro toto integro die præfiniendo abstinentiam, quam intendit: vnde defectu materiæ desinit obligare.

4 Insuper valet, etiam si pro illo tempore, quo manet extra proprium domicilium, nihil cibi sumat, licet oppositum doceant Sanchez *lib.1. in Decal. cap.12. n.33.* Lessius *lib.4.de iust. & iure. cap.2. dub.8.n.57.* Pontius *lib.5.de matrim.cap.8. n.3.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2 dub.6.n.6.* qui tamen contrariam sententiam putat probabilem, nam adhuc pro illo tempore potest sumere, & non obligatur præcepto ieiunandi. Vnde adhuc verum est, quod præceptum non potest præfigere abstinentiam, in qua consistit ieiunium, cum non habeat integrum diem, pro quo debet præfigi: & consequenter præceptum non habet locum, vt inter alios tenet Palaus *p.1. oper. mor.tract.3.disp.1.punc.24.§.5.n 11.* Io: Sanchez *in Select. de Sacram.Disp.54.n.4.*

5 Ex quibus sequitur, quod Aucupes, Venatores, & aliæ huiusmodi personæ, quæ suum exercitium prosequendo egrediuntur fines territorij proprij domicilij, & pergunt ad locum, vbi non adest obligatio ieiunandi, non tenentur ieiunare; quia respectu ipsorum præceptum non possidet totum integrum diem, atque adeo non potest ipsis imponere abstinentiam ieiunij cum sua propria mensura, sine qua ieiunium non consistit.

6 Nec obstat, quod recessisse non censeatur breui reuersus. Cap. *Diuortium Dist.1.De pœn. & l.1. §. Qui præsens De verbor. significat.* & quod qui cito abest, non censeatur abesse, vt docet Bar. *in l. Quatum §.fin.ff. De legatis 3* Quia hæc intelliguntur quo ad habitualem recessum, ratione cuius tantum soluuntur iura, quæ conueniunt ratione loci: non autem quò ad actualem præsentiam, quæ necessaria est, vt lex localis actu obliget.

An, qui mane discedit ex loco, vbi non tenetur ieiunare, si eodem die accedat ad domicilium proprium, vbi adest præceptum ieiunandi, teneatur ieiunare.

Decis. 217.

SVMMARIVM.

1 *Discedens à loco, vbi non est ieiunium, si ante discessum soluat, potest etiam in proprio domicilio cœnare, si ibi sit ieiunium.*
2 *At si non soluit ante discessum, secundum aliquos non potest.*
3 *Eadem est ratio de discedente à proprio domicilio ad aliū locum, vbi non est ieiunium, ac de proficiscente a loco vbi non est ieiunium ad proprium domicilium, vbi est ieiunium, quo ad obligationem præcepti.*
4 *Proficiscens a loco vbi non est ieiunium ad proprium domicilium, vbi est, non tenetur ieiunare, etiam si ante discessum non violauerit ieiunium.*
5 *In quorum abstinentia consistat ieiunium.*
6 *Breui reuersurus non tenetur ad ieiunia proprij domicilij.*

1 CONVENIVNT omnes Doctores infra *citandi*. Quod antequam discedat ex loco, vbi non obligatur ad ieiunium, potest comedere, & non seruare ieiunium etiam in proprio domicilio, quando iam extra ipsum soluit ieiunium, quod fieri potest vel si comedat carnes, vel sumendo ientaculum, nam quando semel ieiunium est solutum, non potest amplius redintegrari, & ideo pro illo die cessat præceptum, etiam vbi est, & possunt plures refectiones sumi.

2 At, quando peruenit ad proprium domicilium & in loco, vnde discedit, non est violatum ieiunium, tunc tenetur ieiunare secundum quod docent Sanchez *lib.3.de matrimonio disp 18.n.23.& lib.1. in Decal.cap 12.num.33.* Lessius *lib.4 de Iust.& iure c.2. dub.8.* Facundez *precep.1 Eccl.lib.1.c.7.n.14.* Gordonus *lib.6.Theolog.moral.q.18.cap.7.ver. Sed quæstio est.* Pontius *lib.5.de matrim.c.8.n.3.* Baldel. *p.1.th.mor. lib.5.disp.31. n.13.* Merol. *tom 2.th.mor.disp.4.c.3.dub.41.n.502.* Lainian *lib.1.theol.mor.tr.4.cap.11.num.7.* Qui addit quod si in loco, vbi ieiunium non seruatur maneat breui tempore, v.g. per horam, aut duas horas, si postea peruenturus sit ad proprium domicilium, vbi ieiunium obligat, neque ibi posse sumere ientaculum, antequam discedat, quia maius tempus, quo moratur in domicilio trahit ad se minus, in quo est extra domicilium. Item tenent hanc opinionem Salas *disp.14.de legib.sect.5.n.67.* Molfes. *tom.1.sum.tr.10.c.4.n.22.* Coninch. *q.74. De Sacram. ar.4. dub.3.n.101.* Merolla *tom.2.Theol.mor.disp.4.c.3.n.502.*

3 Sed

3 Sed Doctores, qui ex citatis tenent, quod discedens ex proprio domicilio, vbi est ieiunium, potest ientaculum sumere, quando est peruenturus ad locum, vbi non seruatur ieiunium, non loquuntur consequenter; quia si præceptum non obligat in proprio domicilio, quando est abiturus quis in locum, vbi non est præceptum, & potest ibi antequam discedat, ientaculum sumere, ob eamdem rationem neque obligabit, quando peruenit ad proprium domicilium è loco, vbi non est præceptum, militat enim eadem ratio pro vtroque casu; & semper fit eadem mutatio inter domicilium habens præceptum, & inter locum non habentem præceptum.

4 Itaque consequenter tenendum est, quod, etiam si discedens è loco, vbi non est præceptum de ieiunio, seruarit ieiunium ante discessum, possit nihilominus illud soluere, quando peruenit ad locum domicilij proprij, vbi obligat præceptum de ieiunio, Ita docet Io Sancius *in selectis de Sacram. disp.* 54.*n.*4. Diana *p.*1.*tr.*9.*de Ieiunio Resol.* 50. Palaus *p.*1. *Oper. moral. tr.*3.*disp.*1.*punc.*24.§.5.*n.*11. Andreas Mendus. *in Bullam Cruciatæ disp.*13.*c.*1.*n.*2.

5 Militat enim eadem ratio, quia nimirum præceptum de ieiunio obligat pro toto integro die, ita vt sibi assumat totum integrum diem pro mensura abstinentiæ, quam iniungit; & ideo abstinentia cum mensura tantæ durationis, est illa, in qua ieiunium consistit; quod si abstinentia non potest habere hanc mensuram, non est amplius illa abstinentia, quæ intẽditur in ieiunio. Vnde quãdo ipsa habet locũ nec etiã habet locũ præceptũ de ieiunio. Non habet autem locum, quoties totus integer dies sine interruptione non subest præcepto de ieiunio respectu eiusdem personæ. Illa autem limitatio, quam adhibet Laiman, est iam reiecta in superioribus.

6 Ex dictis colligitur à fortiori contra Suarez *tom.*1. *de Relig. lib.*2.*c.*14.*n.*3. Roccaful. *in Praxi tr.*6. *de præc. Eccl. lib.*3.*c.*8.*n.*125. & alios, quos ipse citat, citò reuersuros ad proprium domicilium, ita vt solum diuertant ad alia loca per modum transitus, non teneri ad ieiunia illius loci, vt inter alios notat Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp.*51.*n.*31. Militat enim eadem ratio, quod lex municipalis non extendatur extra municipium, & proinde neque proprios afficiat extra municipium quocunque modò existentes.

An, qui satisfecit præcepto de ieiunio in vno loco, teneatur rursus ieiunare, si accedat ad locum, vbi nondum est impletum. Decis. 218.

SVMMARIVM.

1 *Qui satisfecit præcepto ieiunij, si accedat ad locum, vbi non sit impletum, tenetur rursus ieiunare secundum aliquos.*

2 *Non tenetur.*

3 *Præceptum iuris communis non obligat in hoc, vel illo loco, sed tantum semel ad actum præceptum.*

4 *Non reuiuiscit obligatio præcepti, si alibi est impletum, quando obligat in certo loco.*

5 *Implens præceptum extra proprium domicilium, non tenetur rursus implere in proprio domicilio.*

6 *Etiam si in proprio domicilio obliget secundum tempus præfixum a iure communi.*

7 *Qui compleuit quadragesimam in vno loco, remanet liber in alio, vbi non est completa.*

8 *Catholicus pergens ad terras hæreticorum non tenetur seruare ieiunia, & quadragesimam, si ibi non sint completa.*

1 CASVS contingit in ieiunio quadragesimæ ob differentiam Kalendarij, & Romæ in vigilia Sancti Bartholomei, vbi vigilia, & festum postponitur. Et affirmatiue respondent Poncius *lib.* 5. *de Matrim. c.*8. *in fine.* quia nimirum ius commune obligat vnumquemque in quocunque loco, dummodo non sit abrogatum. Molfesius *p.*1.*sum. tr.*10 *c.*4.*n.*20.*in fine.*

2 At negatiua sententia tenenda est, quam tradunt Sanchez *lib.*1.*in Decal. c.*12. *n.*22. Salas *disp.* 14. *de Legib. sect.*4.*n.*37. *ver. Domicilium.* Filliucius *tr.* 27. *par.*2.*cap.*6. *n.*107. Bonacina *tom.*2.*disp.*1. *de legib. q.*1 *punc.*6.*num.*57.*ver. Respondeo.* Palaus *tom.*1. *Oper. moral. tract.*3. *disp.*1. *punc.*24. §.5.*nu.*12. Merolla *tom.* 2. *Theol. mor. disp.*4.*c.*3.*n.*574.*ver. At omnino.* Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure c.*2 *dub.*7.*n.*52. Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.* 6. *num.*4. Baldel. *tom.*1. *Theol. moral. lib.*5. *disp.*31.*n.*4. Roccaful. *in Praxi tr.*6. *de præcep. Eccl. lib.* 3.*cap.*8.*n.*122.

3 Et manifesta ratione conuincitur, quia præceptum iuris communis de ieiunio non obligat ad soluẽdum ieiunium in hoc, vel illo loco, sed solum ad actum ieiunij præstandum, nec obligat ad bis ieiunandum; sed tantum semel; & ideo, quando quis satisfecit, si perueniat ad locum, vbi adhuc obliget præceptum, non tenetur vltra satisfacere, quia præceptum ratione illius loci non inducit nouam obligationem, cum non obliget ad satisfaciendum in hoc, vel in illo loco, sed tantum ad actum.

4 Nec dici potest, quod rursus vigeat obligatio iuris communis, quia in illo loco nondum est satisfactum præcepto, nam ex hoc solum fit, quod vigeat obligatio respectu illorum, qui sunt de tali loco, qui nondum satisfecerunt, quia in tantum viget respectu ipsorum, in quantum non impleuerunt præceptum, vnde è contra non vigebit respectu illius, qui iam impleuit.

5 Ex his autem deducitur; quod, si quis discedat ex proprio domicilio, & impleat præceptum de ieiunio alibi, non tenetur illud de nouo implere in proprio domicilio, si reuertatur antequam expiret obligatio; militat enim eadem ratio, quod iam satisfecerit præcepto iuris communis, quod semel tantum obligat. Nec, quia sit de tali domicilio, tenetur illud implere, quando obligat in tali domicilio, quia quod diuerso tempore obliget in diuersis locis, non habetur ex vi præcepti, sed à particulari consuetudine locorum, quæ in tantum obligat ad seruandum præceptum tali tempore, in quantum non sit impletum, quando alibi obligabit alio tempore.

4 Et hoc verum est, nedum quando alibi est impletum præceptum illo tempore, pro quo secundũ

ius

ius commune est positum; sed etiam si sit impletum quando alibi obligabat secundum peculiarem consuetudinem loci: Nam cum possit vnusquisque se conformare consuetudinibus locorum Cap. *Illa. Dist.* 12 potest etiam se conformare in adimplendo præcepto iuris communis. Quo semel adimpleto, non tenetur amplius illud adimplere, quia in proprio domicilio non obligat pro tempore præfixo à iure communi, nisi eos, qui nondum alibi adimpleuerunt, nam non obligat ad adimplendum bis.

7 Hinc qui completa quadragesima, accedit ad locum, vbi non sit completa, non tenetur ibi simul cum alijs ieiunare, vt notant Doctores *n. 2. citati.* Debet tamen cauere à scandalo, quod præstabit notificando, se alibi adimpleuisse quadragesimam.

8 Atque hæc omnia habent locum etiam si Catholicus ad terras hæreticorum proficiscatur, vbi ieiunium, non sit adimpletum, nec quadragesima completa: nam militat eadem ratio, nec adest vlla necessitas se conformandi cum ritu hæreticorum.

An, si quis non completa quadragesima accedat ad locum, vbi sit completa, teneatur ibi eam complere. Decis. 219.

SVMMARIVM.

1 *Qui non compleuit quadragesimam, tenetur complere, si accedat ad locum, vbi est completa secundum aliquos.*
2 *Non tenetur.*
3 *Quando ius commune non obligat amplius in certo loco, nec etiam obligat, qui alias non satisfecit.*
4 *Non tenetur, etiam si accedat cum animo non complendi quadragesimam.*
5 *Locus communicat sua priuilegia, & beneficia accedentibus.*
6 *Præcepta iuris communis ex consuetudine non obligant quemquam, quando non obligant incolas.*

1 AFFIRMATIVE respondet Merolla *tom. 2. theol. mor. disp. 4. cap. 3. n. 577.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 6. num. 4.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de precept. Eccl. lib. 3. cap. 8. n. 123.* Quia sicuti, si quis accedat ad locum, etiam cum animo acquirendi ibi domicilium, non tenetur complere quadragesimam, si iam in alio loco compleuit, ita e contra si non compleuit, tenetur complere, etiam si ibi sit completa. Quia præcepta communia videntur obligare absolute in quocunque loco quisque sit. Et hanc opinionem putat probabilem Lessius *citandus.* Et subdit, quod Ecclesia sic potuerit obligare.

2 At negatiuam sententiam tradunt Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 12. n. 30.* Laiman *lib. 1. theol. mor. tr. 4. c. 11. n. 8.* Filliucius *tr. 27. par. 2. c. 6. n. 109. in fine.* Salas *disp. 14. de leg. sect. 5. n. 69.* Bonacina *tom. 2. Disp. 1. De legib. q. 1. punc. 6. n. 64.* Baldel. *tom. 1. theol. mor. lib. 5. disp. 31. n. 14.* Barbosa *De lege municip. disquisit. 1. §. 5. n. 5.* Et hanc sententiam probabilem, & tutam putat Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 8. n. 60.* Gordon *lib. 6. th. mor. q. 18. c. 6.* ver. *Sed quæstio est.*

3 Et hanc sententiam tenendam puto. Nam in tali loco iam cessauit obligatio quadragesimæ, & ideo potest vti beneficio loci, & se conformare cum illo populo. Sicuti quando est alicubi abrogatum ius commune, non tenetur, accedens ad talem locum ipsum seruare; ita etiam quando expirauit obligatio pro illo anno, non tenetur ipse eam suscipere.

4 Atque hoc verum est, etiam si accedat ad talem locum ea intentione, vt non compleat quadragesimam, quia hoc non est vti fraude contra legem, sed vti iure suo, & se subtrahere obligationi legis, non autem facere contra legem, vt cum pluribus Doctoribus dictum est supra *Decis. 214. n. 3.*

5 Neque est eadem ratio de eo, qui compleuit quadragesimam, qui non tenetur se conformare loco, vbi non est completa, ac de eo, qui non completa quadragesima accedit ad locum, vbi est completa; siquidem primus non suscipit nouam obligationem ex accessu ad talem locum, quia à præcepto non imponitur: at secundus sortitur relaxationem obligationis, quia hoc conuenit loco, vt volentibus participare communicet priuilegia, & beneficia localia. Imo sicuti primus potest completa quadragesima adhuc illam continuare conformando se populo loci. Ita etiam secundus potest non continuare conformando se similiter moribus loci Cap. *Illa Dist.* 12.

6 Et licet Ecclesia potuerit imponere talem obligationem, quod nimirum compleatur quadragesima in loco, etiam vbi est completa, non tamen imposuit. Imo consuetudine interpretante legem constat, quod precepta non obligant aduenas, quando non obligant incolas. Sic aduenæ non ieiunant Mediolani primis quattuor diebus quadragesimæ.

An Catholicus diuertens ad terras hæreticorum, vbi iam est completa quadragesima, possit ipse eam intermittere, si nondum compleuit. Decis. 220.

SVMMARIVM.

1 *Catholicus in terris hæreticorum, si ibi adsint etiam Catholici potest non complere quadragesimam, si ibi iam completa sit.*
2 *Secus autem, si ibi sint tantum hæretici secundum Laiman.*
3 *Non recepisse nouum Kalendarium, an illegitima consuetudo.*
4 *Non est malum se conformare cum hæreticis in ijs, quæ non sunt mala.*
5 *Quando apud hæreticos esset completa quadragesima, si ad illa non compleret, quando in proprio loco non compleuit daret occasionem scandali, secreto tamen posset non complere.*

1 SI inter hæreticos reperiantur etiam Catholici, qui similiter sequantur Kalendarium quem sequuntur hæretici, poterit intermittere quadragesimam ex dictis in præcedenti Decis. quia se conformat ritui Catholicorum, nec in hoc fauet aliquo pacto hæreticis. Et ita docet etiam Laiman *lib. 1. theol. mor. tr. 4. c. 11. n. 8.* ver. *Loquor autem.* in fine,

2 Quod, si ibi non sint Catholici, saltem distincti ab Hæreticis. Resp. idem Laiman. citans Rebellium *lib.1. De præludijs iust. quæst.5.n.14.* teneri prosequi quadragesimam, & in ieiunijs se conformare Kalendario nouo; quia esset in contemptum Ecclesiæ Catholicæ, & præberet occasionem scandali, si peregrinus Catholicus relicto legitimo more suæ Ecclesiæ, se conformaret illegitimę consuetudini ab hæreticis pertinaciter retentæ, ac defensæ.

3 Sed mihi non probatur, quod talis consuetudo sit illegitima, quia est consuetudo antiqua Ecclesiæ, & in tantum ab ipsis retinetur, in quantum non acceptauerunt correctionem Kalendarij Gregorianam, quod si esset illegitima, nec Catholici, qui sunt in ijsdem terris hæreticorum possent illam sequi, cuius tamen oppositum docet ipse Laiman. Neque hæretici in hoc hæretici sunt, quod non receperint correctionem Gregorianam Kalendarij siquidem neque etiam in pluribus locis Catholicorum recepta est, qui tamen non dicuntur habere illegitimam consuetudinem.

4 Deinde, in rigore loquendo, videtur Catholicus posse se conformare in terris hæreticorum Kalendario veteri, quia in hoc non se conformat, nisi in eo, in quo hæretici conueniunt cum aliquibus Catholicis, & in eo, in quo non sunt hæretici. Non est autem malum se conformare cum hæreticis etiã in ipsorum regionibus in ijs, in quibus non malè agunt, & de facto nos in pluribus cum ipsis conuenimus.

5 Solum videretur habere quandam turpem apparentiam, quæ posset esse occasio scandali, quando non concurrerent circumstantiæ, quę scandalum tollere possent, quia nimirum argueret, quod libenter communicaret cum hæreticis, & indicaret quamdam indebitam propensionem erga ipsos, & ideo ex hoc capite est abstinendum, secreto tamen absque periculo generandi scandalum, posset non complere quadragesimam, aut non incipere, si ibi non incepta sit, quia re vera ibi tunc ius commune non obligat, cum non recepta sit correctio noua Kalendarij.

DE OBLIGATIONE IEIVNANDI EX VOTO.

An votum de ieiunando in diebus Dominicis sit validum, Decis. 221.

SVMMARIVM.

1 *Votum de ieiunando in diebus Dominicis regulariter non est validum.*
2 *Quomodo id accipiendum.*
3 *Votum de ieiunando diebus Dominicis simul cum alijs diebus est validum.*

1 NEGATIVE resp. Suarez *tom.2. de Relig. lib.3. de Voto cap.6 n.21.* Sanchez *lib.2. Sum. cap.37. nu.16* Loquuntur tamen de ieiunando regulariter in diebus Dominicis, quia est votum de re illicita, cum aduersetur consuetudini Ecclesię. Esse tamen validum, si sit solum de ieiunando in aliquibus Dominicis diebus ob aliquem finem bonum secluso scandalo, ac inani singularitate.

2 Sed hoc intelligi debet, quando eligeretur Dominicus dies præ cæteris pro ieiunio, nedum continuatè, sed etiam solum frequenter; nam hęc esset quędam singularitas se opponens consuetudini Ecclesię, quę à ieiunio excludit diem Dominicum. Vnde D. August. *Epist.86. Ad Casulanum* habet. *Quisquis diem Dominicum cum ieiunio decernendum putauerit, non paruo scandalo erit Ecclesiæ. In his enim rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* His tamen temporibus, licet sit illicitum eligere præ cęteris Dominicos dies pro ieiunio, non tamen erit mortale quia cessauerunt causæ ieiunandi, quæ vrgebant tempore D. Augusti, nempe fauor hæreticorum.

3 Si tamen dies Dominicus non accipiatur seorsim ab alijs pro ieiunio, sed simul cum alijs, tunc sicut ieiunium erit licitum, vt notat August. *in citata Epist.86.* Exemplo Moysis, & Elię, qui etiam sabbata consacrauerunt ieiunio, ita votum quoque erit validum. Nec aderit illa vitiosa singularitas, ob quam reprehenditur.

An vouens ieiunare in vigilia alicuius Sancti debeat sabbato antecedenti ieiunare quando festum incidit in feria secunda. Decis. 222.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare in vigilia alicuius Sancti, debet ieiunare sabbato, si festum incidat in feria secunda.*

2 *Etiam si expresse intenderit ieiunare in die Dominico, potest ieiunare in Sabbato.*
3 *Votum potest in melius commutari propria auctoritate.*

1 RESPONDETVR. Debere ieiunare Sabbato præcedenti; quia vouens tale ieiunium habet proportionaliter illam intentionem, quam habet Ecclesia, quando iniungit ieiunium pro festiuitate alicuius Sancti vnde debet etiam Ecclesiam imitari, quæ anticipat ieiunium in Sabbato, quando Festum incidit in feria secunda. Cap. *Ex parte.* De *obseruat. ieiunior.* Et ita tenent etiam Sanchez *lib.* 2 *in Decal. c.* 37. *n.* 19. Ghilinus *in summa verbo.* Ieiunium *n.* 28. Bonac. *disp.* 4. *de præcep. Eccl. q.* 2. *punc.* 6. *n.* 26. Palaus *par.* 3. *oper. mor. tr.* 15. *disp.* 1. *punc.* 12. *nu.* 11. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *num.* 367.

2 Sed quid dicendum, si expresse intenderit ieiunare etiam in die Dominico, quando Festum incidit in diem sequentem. Resp. Ghilinus citatus, tunc debere ieiunare in die Dominico. Sed puto adhuc posse ieiunare in Sabbato antecedenti, quia substantia voti consistit in ieiunio, & quod fiat in Sabbato, vel in die Dominico, est quædam circumstantia, quæ non variat substantiam ieiunij promissi, quia adhuc si fiat in Sabbato, est pro vigilia secundum consuetudinem Ecclesiæ, & ideo prudentiori modo exhibitum; votum autem non obligat ad circumstantias, quæ non sunt substantiales; imo si fiat cum melioribus circumstantijs, magis placebit Deo, vt si quis voueat orare, & oret genuflexus.

3 Accedit etiam, quod potest quisque auctoritate propria commutare proprium votum in rem meliorem, vt cum communi docet Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 49. *n.* 4. vbi in fine plures allegat. & desumitur ex Cap. *Scriptura.* De Voto. & ex Cap. *Licet de Regular.* Et ideo ieiunans sabbato, quando ex voto tenetur pro die Dominico ratione festi incidentis in feriam secundam, censetur commutare votum in melius, quia melius est seruare ieiunium iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quam contra ipsam.

An, qui vouit ieiunare in aliquo festo, debeat ieiunare in Sabbato, quando festum incidit in die Dominico.

Decis. 223.

SVMMARIVM.

1 *Quando vouens ieiunare in aliquo festo, debeat in Sabbato anticipare, si festum incidat in die Dominico.*
2 *Nunquam tenetur anticipare, licet possit, nisi alias in Sabbato ieiunandum sit cum Sanchez.*
3 *Tale ieiunium potest in Sabbato anticipari.*
4 *Valet de quocunque ieiunio, cum ieiunium ex voto sit ieiunium exultationis.*
5 *Potest anticipari etiam si in Sabbato sit ieiunandum ex alio capite.*
6 *Votum ieiunandi in aliquo festo, non se extendit ad festum, quando incidit in die Dominico.*
7 *Votum de materia partim rationabili partim non, valet de rationabili, si diuisibiliter implenda sit.*
8 *Ieiunans in aliquo Festo B. V. debet Sabbato ieiunare, si Festum incidat in die Dominico.*

1 RESP. Syluester *verbo* Votum 2. *q.* 16. Tabiena *verbo.* Votū 3. *q.* 7. Armilla *verbo.* Votum *n.* 17. D. Antonin. 2. *par. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 10. Io. de Napoli *quodlib.* 1. 8. *q.* 35. apud Sanchez citatum. Regnal. *lib.* 18. *praxis fori pœnit. nu.* 290. Ghilin. *in summa verbo.* Ieiunium *n.* 28. *littera A.* Lublinus *par.* 1. *sum. verbo.* Ieiunium *n.* 18. Bossius *tom.* 3. *moral tit.* 21. *n.* 369. Quod, si assumpsit ieiunium in signum lætitiæ diei festi, debet Dominico die ieiunare; si vero est ieiunium afflictionis debet Sabbato præcedenti ieiunare; sicut etiam, si non cogitauit, quando vouit, de lætitia, aut afflictione. Si vero de vtroque cogitauit, debet ieiunare in Sabbato, quia cæteris paribus debet se conformare consuetudini Ecclesiæ.

2 At Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 37. *n.* 14. docet, quod siue ieiunium sit exultationis, siue afflictionis, potest ieiunare in die Dominico. Quia cum non adsit aliquod præceptum de simili ieiunio, quod sit regula ieiunij soluendi ex voto, & ieiunium in die Dominico sit licitum, potest ipso die ieiunare, potest tamen etiam anticipare in Sabbato, quia potest imitari consuetudinem Ecclesiæ, quæ anticipat in Sabbato ieiunium incidens in Dominico die. Hoc tamen limitat, nisi ex alio capite in sabbato ieiunandum sit.

3 Quod huiusmodi ieiunium possit anticipari in sabbato antecedenti, mihi certum videtur. Quia Ecclesia non anticipat ieiunium vigiliæ, quando Festum incidit in feria secunda, quia sit ieiunium vigiliæ, sed ne ieiunetur in die Dominico; vnde solum intendit excludere ieiunium à tali die & ideo etiam ieiunium assumptum pro ipso die Festo est excludendum à die Dominico, & anticipandum, quia debemus nos conformare consuetudini Ecclesiæ, quæ nobis præscribit, quando ieiunia suscipienda sint, & quando non suscipienda.

4 Et hoc verum est vniuersaliter de quocunque ieiunio assumpto ex voto, quia dum cadit sub obligatione, non potest esse ieiunium exultationis, quia hoc ieiunium vt docet D. Th. 2. 2. q. 147. ar. 5. ad 3. est ex instinctu Spiritus Sancti, & est ieiunium libertatis, & non debet cadere sub præcepto. Et proinde toties, quoties assumitur, debet libere assumi, & non ex aliqua præcedenti obligatione; vnde non est tanquam ieiunium exultationis exercendum in diebus Dominicis.

5 Imo, etiam si incidat in sabbato aliud ieiunium potest adhuc ieiunium votiuum anticipari in eodē sabbato; quia Ecclesia in Cap. *Ex parte De obser. ieiun.* præcipit vniuersaliter, quod ieiunium incidens in Dominico die anticipetur in sabbato. Cum dies Dominicus sit dies lætitiæ, & hoc seruatur, etiam si ex alio capite in sabbato ieiunandum sit. Vnde cum militet eadem ratio etiam in ieiunio votiuo, quod Dominicus dies sit dies lætitiæ, erit anticipandum ieiunium, etiam si in sabbato alias ieiunandum sit.

6 Denique mihi valde probabile videtur, quod vouens ieiunare in aliquo die festo, votum non se extendat ad illud Festum, quando incidit in die Dominico, sed illo anno immunis sit, quod etiam videtur

detur sentire Rodriquez *par.* 3. *Sum. c.* 25. *n.* 8. *in fine.* Ratio est, quia ieiunium, licet de se bonum sit omni tempore, & laudabile, vt tamen determinatum ad diem Dominicum est contra consuetudinem Ecclesiæ, quæ cum rationabilis sit, facit quod ieiunium contra ipsam sit irrationabile, etiam secluso quocunque errore ex eo solum; quod sit contra consuetudinem, quæ pro lege habenda est, vt docet D. Th. 2. 2. *quæst:* 147. *ar.* 5. *ad* 3. cum D. August. *Epist.* 86. *post initium.* Vnde cum votum non se extendet ad id, quod est irrationabile, & contra consuetudinem Ecclesiæ, non se extendit ad ieiunium in tali die. Et consonat cum doctrina illorum, qui docent quod vouens ieiunare in sexta feria, non tenetur, si in ea incidat festum Natiuitatis Domini; quos infra suo loco referemus.

7 Neque sequitur, quod votum sit irritum, quia licet materia sit partim rationabilis, partim irrationabilis, est tamen diuisibilis, & diuisibiliter implenda per diuersos actus, & ideo quandiu materia manet rationabilis, votum subsistit, quando vero fit irrationabilis, non subsistit. Quia vtile per inutile non vitiatur. iuxta Cap. *Vtile. De regulis iu* 6 tanquam enim diuisibilis, & diuerso tempore exequenda non est volita per modum vnius, sed per modum plurium. Et ita docet Sanchez cum pluribus alijs *lib.* 4. *sum. c.* 10. *n.* 3. *& sequentibus.*

8 Ex quibus colligitur, quod, qui ieiunant in Festo aliquo B. Virginis ex deuotione, vt plures solent in Festo Annunciationis, debent ijs annis, in quibus Festum incidit in die Dominico, anticipare ieiunium in Sabbato, quia non debent, dum pietatem exercent, & deuotionem, contrauenire consuetudini Ecclesiæ; quæ nunquam in die Dominico admittit ieiunium.

An, vouens ieiunare toto aliquo tempore continuo, teneatur ieiunare etiam diebus Dominicis incidentibus intra illud tempus.

Decis. 224.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare toto aliquo tempore, non tenetur diebus Dominicis ieiunare.*
2 *Quid si explicite intenderit ieiunare.*
3 *Votum contra consuetudinem Ecclesiæ, aut non valet, aut limitatur, vt non amplectatur materiam contrariam consuetudini.*

1 RESP. negatiuè contra Laiman *lib.* 4. *tr.* 8. *c.* 2. *n.* 9. Et ita docent Armilla. *verbo:* Votum *nu.* 35. Tabiena *verbo* Votum 3. *q.* 7. Sanchez *lib.* 2. *sum. c.* 37. *n.* 20. Azor *par.* 1. *lib.* 2. *c.* 20 *q.* 4. Facundez *Præcepto* 4. *Ecclesi. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 6. Ghilinus *in summa verbo.* Ieiunium *n.* 32. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 7. *n.* 366. Diana *p.* 10. *tr.* 16. *resol.* 50. Ratio est, quia talis obligatio, assũpta per votũ debet censeri assũpta ad exẽplar obligationis, quam de ieiunio imponit Ecclesia, quæ cum semper excipiat dies Dominicos Cap: *Ex parte. De obseruat. ieiunior.* debent censeri excepti etiam in obligatione ex voto ratione voluntatis interpretatiuæ conformandi se cum consuetudine Ecclesiæ.

2 Sed quid, si explicitè intenderit ieiunare etiã in diebus Dominicis? Resp. Sanchez *citatus*, tunc debere ieiunare. Sed probabilius est, tunc non debere ieiunare, quia votum, vt dictum est Decis. *præcedenti n.* 6. non potest se extendere ad dies Dominicos.

3 Deinde quando expressè intendebat ieiunare in diebus Dominicis, vel aduertit consuetudinem Ecclesiæ non admittentis ieiuniũ in illis diebus, vel non aduertit. Si aduertit habuit animũ eundi contra talem consuetudinem, qui continet contemptum quemdam virtualem, & proinde votum; quatenus procedit ex tali animo, inefficax est. Si non aduertit, limitatur votum, & intentio vouentis, vt non se extendant ad dies Dominicos, quia obstat consuetudo Ecclesiæ, cui præsumitur, quod se conformasset, si aduertisset.

An, qui habet votum ieiunandi, aut abstinendi à carnibus in Sabbato, possit vesci carnibus in feria sexta, si in ipsa incidat Natiuitas Domini, aut e contra possit vesci in Sabbato coincidente Natiuitate Domini, si habeat votum abstinendi in feria sexta.

Decis. 225.

SVMMARIVM.

1 *Carnes conceduntur in feria sexta, & Sabbato, si in ijs diebus incidat Festum Natiuitatis Domini, nisi obstet votum, aut regularis obseruantia.*
2 *Regularis obseruantia obstat, quando sub mortali obligat ad abstinendum à carnibus ratione ieiunij, aut vitæ quadragesimalis.*
3 *Si obliget solum votum, aut regularis obseruantia pro feria sexta, carnes sunt licitæ pro Sabbato, & e contra.*
4 *Dispensatus à superioribus in ieiunio ex voto poterit edere carnes in feria sexta Natalis.*

1 IN Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* Pontifex declarat, quod, quando incidit Natiuitas Domini, possint fideles vesci carnibus; excipit tamen eos, qui tenentur abstinere ratione voti, aut regularis obseruantiæ, ait enim *Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari obseruantia sunt adstricti in feria sexta, si festum Natiuitatis Dominica die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.* Hæc autem consuetudo extenditur etiam ad Sabbatum, vt constat ex praxi Ecclesiæ, & proinde declaratio quoque prædicta Pontificis, quia declaratio sequitur legem, & consuetudinem, vnde extenditur ad extensionem legis. Et habetur etiam ex Cap: *Quia dies de consecrat. Dist.* 5.

2 Quod

2 Quod autem spectat ad eos, qui regulari obseruantia adstricti sunt, non debet intelligi de omnibus Regularibus, sed de iis solum, quibus regula speciali modo prohibet carnes in ijs diebus, aut imponit ieiunia; vt notat Sanchez *lib.4. sum.c.11.nu.59.* Imo de ijs solum, quibus regula sub peccato mortali in ijs diebus imponit ieinnia, atque adeo abstinentiam à carnibus. Quia Pontifex intendit relinquere solum speciales obligationes, & declarare quod ius commune non obliget ijs seclusis, & ita docent Hostiens. *in dictum Cap. fin. de obseruat. ieiunior. init.* Cardinal. *notab.2.* Ancharan. *n.2.* Anton. *ibid. & eodem num.* Tabiena *verbo.* Ieiunium *n.8. in fine.* Sylnester *q.10. dicto 1.* Angelus *verbo.* Feriæ *in fine.* D. Antonin. *par.2. tit.6.c.2.§.3. in fine,* quos citat, & sequitur Sanchez *supracit.*

3 Ad difficultaté ergo propositam resp. cũ Sanch. citato *lib.4. Sum.c.11.n.59.* affirmatiué. Quia Pontifex declarat in illo tex. ablatam obligationem iuris communis abstinendi à carnibus in illis diebus, & remanere solam obligationem voti, aut regularis obseruantiæ: ergo cum votum, aut regularis obseruantia obligans pro feria sexta, non obliget pro Sabbato, aut e contra obligans pro Sabbato non obliget pro feria sexta, poterunt adstricti voto, aut regulari obseruantia pro Sabbato edere carnes in Sabbato.

4 Ex dictis autem sequitur, quod si Superiores Regulares dispensare possunt in ieiunio feriæ sextæ, aut Sabbati, quod imponitur à regula, facta dispensatione poterunt Regulares vesci carnibus in die Natalis Domini incidente in illis diebus, quia dispensatio restituit ipsos ad statum communem omnium, & cessat ratio, ob quam excipiuntur à Pontifice, & ideo poterunt se conformare consuetudini vniuersali.

An, qui habet votum ieiunandi, aut abstinendi à carnibus in feria sexta, aut Sabbato, possit carnibus vesci, si in ijs diebus incidat Natalis Domini.

Decis. 226.

SVMMARIVM.

1 *Adstrictus voto non edendi carnes, aut ieiunandi in feria sexta, aut Sabbato, non potest edere, quando in his diebus incidit Natalis Domini secundum plures.*

2 *Secundum alios potest edere.*

3 *Non potest edere, si in voto expresse inclusit Natalem Domini.*

4 *Potest edere, si exclusit.*

5 *Quomodo ampliãda, vel restringenda materia voti.*

6 *Habens votum de perpetua abstinentia a carnibus, non potest edere in Natali Domini.*

7 *De quo voto intelligi debeat* Cap. fin. De obser. ieiunior. *Quod non admittat consuetudinem edendi carnes in Natali Domini coincidente in feria sexta.*

8 *An Regulares, quibus regula prohibet carnes, vesci possint in Natali Domini.*

9 *Clerici Reg. Theatini absque dispensatione in regula vesci possunt carnibus in Natali Domini incidente in feria sexta, aut Sabbato.*

10 *Fratres Minores an possint edere carnes in feria sexta, in qua incidit Natalis Domini.*

1 NEGATIVE respondent Palud. *in 4. Dist.38. q.3. ar.4. n.26.* Corduba *in Sum. qu.169.* Philiarcus *tom.1. de Officio Sacerdotis par.2. lib.3. c.25.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Voto c.20. nu.7.* Sanchez *tom.1. Sum. lib.4. c.11. n.61.* Vasquez *1.2. disp.30. c.4. num.26.* Syluester *verbo.* Ieiunium *num.27.* Llamas *3. par. Methodi cap.5. §.28.* Sayrus *in Claui Regia lib.6. c.8. n.11.* Bonacina *tom.0. disp.4. De legib. q.2. punc.6. n.9.* Portel *in Dubijs Reg. verbo* Ieiunium *in Addit. n.9.* Villalobos *par.1 Sum. tract.23. difficul.2. n.6.* Reginal. *lib.18. Praxis Fori pœnit. c.20. num.290.* Armilla *verbo.* Ieiunium *num.13.* Qui tamen subdit, melius esse recurrere ad intentionem vouentis. Tabiena *verbo* Ieiunium *q.12.* Lopez *2. par. Instruct. c.112.* Sà *verbo* Ieiunium *n.6.* Beia *par.2. Casu 6. ver. Veritas tamen.* Bartholomeus à S. Fausto *tom.1. edit. vlt. Neapol. lib.1. Thesauri Relig. q.149.* Ortiz *c.19. Sum. n.21.* Medina *par.1. sum. c.14. §.10.* Rodriquez *tom.3. q. Regular. q.45. ar.3. tit.* Bizozerus *par.5. sum. c. vlt. memb. vlt. n.12. dub. vlt.* Bordon. *in Consil. Regular. Resol.18. nu.10.* Hieron. Rodriquez *in Compend. Quæst. Reg. Resol.75. n.14.* Homobonus de Bonis *par.1. Exam. Ecclesiast. tr.5. c.9. q.60. in 1. posit.* Molfes. *par.1. sum. tract.11. c.14. n.66.* Qui subdit, Adesse iustam causam dispensandi in voto. Et Canonistæ *in Cap. fin. De obseruat. ieiunior.* cum Glos. *verbo* Nec vom. Cardinal. *ibid.* Abbas *n.3.* & alij. Et fundatur in tex. dicti Cap. *fin.* De *obseruat. ieiunior.* Vbi declarat Pontifex: Omnes posse comedeee carnes in feria sexta, & Sabbato quando in his diebus incidit Natalis Domini, exceptis ijs, qui habent votum abstinendi, aut regulari obseruantia prohibentur.

2 Alij tamen tenent, quod, nisi expressè vouerit in tali die ieiunare, etiam incidente in ipso Natali Domini, non teneatur ieiunare, & abstinere à carnibus. Ita Molina *tom.2. de Iust. & iure disp.272. n.3.* Azor. *par.1. lib.2. c.20. q.3.* Rodriquez *par.3. sum. cap.25. n.8.* Facundez *Præcep.4. Eccl. lib.1. c.6. n.6.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.31.* Et ex Canonistis Io. Andr. *in Cap. fin. nu.4. De obseruat. ieiunior.* Anton. *n. vlt.* Ancharan. *ibid.* Henr. *num.1.* Bossius *tom.3. mor. tit.21. n.361.* Io. Henriquez *in summa sect.16. qu.31. n.31.* Quatenus volunt, aut tex. intelligendum de voto abstinendi è carnibus perpetuo, aut de voto pro ijs diebus, in quibus alias carnes essent licitæ.

3 Ec his constat, certum esse apud omnes, quod quando quis vouit ieiunare, aut abstinere à carnibus in feria sexta, & Sabbato, nullo vnquam excepto, etiam si in ipso Natalis Domini; tenetur ieiunare etiam in die Natalis Domini, aut abstinere à carnibus iuxta qualitatem voti. Votum enim obligat secundum intentionem vouentis, & ideo si intentio complectitur etiam diem Natalis, non potest suffragari consuetudo vniuersalis comedendi carnes in feria sexta, aut Sabbato.

4 Rursus e contra Si vouens exclusit à voto feriam sextam, aut Sabbatum coincidente Natali Domini, neque tenetur abstinere à carnibus, quia votum non obligat plusquam vouens se intendat obligare;

gare; vnde si noluit se obligare in tali casu, poterit se conformare consuetudini vniuersali.

5 Si vero neque exclusit, neque inclusit in voto feriam sextam, aut sabbatum, quando coincidit Natalis Domini, adhuc poterit vesci carnibus iuxta consuetudinem vniuersalem, nec erit necesse recurrere ad voluntatem interpretatiuam, & considerare, quid fecisset, si cogitasset. Ratio est, quia quando agitur de amplianda, vel restringenda materia voti, accipienda est mensura rationis, & secundum ipsam mensuranda, quia reducenda est ad terminos rationabiles; mensura autem optima secundum rationem, est institutio Ecclesiæ, & ideo si materia voti reducatur ad terminos institutionis Ecclesiæ, reducitur ad suos terminos rationabiles. Ecclesia autem ita imponit abstinentiam à carnibus in feria sexta, & Sabbato, vt non includat hos dies quando in ipsis incidit Natalis Domini, & rationabile putat relaxare obligationem Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* & Cap. *Quia dies De consecrat. Dist.* 5. & ideo votum de ieiunio, aut abstinentia à carnibus in Sabbato, aut feria sexta non debet includere hos dies, quando in ipsis incidit Natiuitas Domini. Et quod votum accipiendum sit iuxta morem Ecclesiæ quando aliter non constat de intentione notat etiam Suarez *tom 2 de Relig. lib.4 de voto cap 7. n 9.* & est doctrina communis.

6 Vnde infertur; quod si votum sit de perpetua abstinentia à carnibus, seu de non comedendis vnquam carnibus; non sunt licitæ carnes in die Natiuitatis Domini, nam talis abstinentia suscipitur, vt insignis, & heroicus actus in genere abstinentiæ, atque adeo sub forma perpetuo continuatæ abstinentiæ, ita vt non admittat aliquam occasionem comedendi, nisi expressa fuerit in voto, aut nisi sit talis, vt votum redderet illicitum: vnde assumitur ipsa continuata perpetuitas tanquam materia voti, qua remanet exclusus quicunque dies ratione cuiuscunque occasionis. Et ita docent Panor. Suarez, & alij citatis locis.

7 Ad tex. autem Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* in quo fundantur Doctores oppositæ sentent. Resp. quod Pontifex ibi declarat, ablatam esse obligationem iuris communis, & remanere obligationem voti, quod si alias obligat ex natura sua etiam pro illo die, non suffragatur consuetudo vniuersalis contra obligationem voti, sed ipsa remanet in suo robore. Non obligat autem votum ex natura sua, nisi aut explicitè includat etiam diem Natiuitatis Domini, aut sit de perpetua abstinentia. Ratio autem est quia Pontifex non tribuit voto nouam vim obligandi, sed relinquit in suo statu, & ideo obligat, prout ex natura sua aptum est obligare.

8 Ex quibus colligitur, quid dicendum sit de Regularibus, qui ratione regulæ tenentur abstinere à carnibus, aut ieiunare. Si enim teneantur perpetuo abstinere, vt Fratres Minimi, aut Carthusiani aut si teneantur ad ieiunium in feria sexta, aut Sabbato, ita vt nullum ex his diebus ex quacunque occasione excludant, & implicitè includant, etiam quando in ipsis coincidit Natalis Domini, tunc nullo pacto poterunt sequi consuetudinem vniuersalem comedendi carnes, quia regula explicite obligat etiam ad hos dies, quando in ipsis incidit Natalis Domini, & contra hanc specialem obligationem non valet consuetudo vniuersalis ex dicto Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* Si autem regula obliget tantum in vniuersali ad omnes hos dies; tunc obligatio non se extendit plusquam se extendat obligatio Ecclesiæ & proinde habet locum vniuersalis consuetudo; quia obligatio ieiunandi in illis diebus non se extendit, plusquam se extendit obligatio abstinendi à carnibus; cum non obliget nisi eo modo quo obligat præceptum Ecclesiæ.

9 Vnde cum nos iuxta nostras constitutiones obligemur ad ieiunium in ferijs sextis, si in tali die incidat Festum Natalis Domini, possumus vesci carnibus absque vlla dispensatione in regula, quia regula non obligat ad omnes ferias sextas sine exceptione, sed tantum ad eas, in quibus non incidit Festum primæ Classis; & ideo in die Natalis Domini relinquimus dispositioni iuris communis.

10 Ex quibus colligitur cum Corduba *in Regul. S. Franc. q. 2.* Leandro à Murcia *in cap. 3. dicta Reg. q. 14. num. 7.* Fratres Minores, quia ex Regula tenentur sub mortali ieiunare singulis sextis ferijs, non posse in die Natiuitatis incidente in feria sexta edere carnes. Oppositum tamen probabile putat idem Leander. Sed ego censerem respiciendum ad consuetudinem, quia hæc declarat ius Cap. *Dilectus De consuetud.* nam ex ipsa constabit, an Regula includat hanc quoque feriam sextam.

An Regulares Episcopi, quibus iuxta regulam interdicitur vsus carnium possint vesci in die Natalis Domini incidente in feria sexta, aut Sabbato.

Decis. 227.

SVMMARIVM.

1 *Regularis Episcopus, cui ex sua regula interdicuntur carnes in feria sexta, aut Sabbato, potest comedere si in ijs diebus incidat Natalis.*

2 *Episcopus regularis, si obligatur ad regulas religionis, non obligatur debito legali, sed morali.*

1 Resp. affirmatiuè cum Rodriq. *2. par. sum. c. 10. n. 4.* Caiet. *in opusc. tom. 1. tr. 25. de obligat. & obseruat. Præcep. qu. 2.* Couarruuia *Cap. 1. De testamentis. n. 18.* Sanchez *lib. 6. sum. c. 6. n. 20.* Facundez *Præcep. 4. Eccles. lib. 1. c. 6. n. 6. in fine.* Soto *lib. 10. De iust. & iure q. 5. ar. 7. Corol. 2. paulo ante resp. ad argum.* Ex canonistis vero Abbate *in Cap. penul. in fine. De vita & honest. Clericor.* Archidiacono *in Cap. De Monachis in fine.* vbi etiam Glos. 16. q. 1. Turrecremat. *in Cap. Carnem. De consecrat. Dist.* 5. Cardinal. *in Clement. 2. nu. n. 7. q. 2.* de censib. Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 364.* Contrarium tamen tenuit idem Caiet. 2. 2. q. 185. ar. 8. *Ad euidentiam. circa finem.* Hæc autem responsio à fortiori sequitur ex ijs, quæ dixi *in Decis. mor. Decis.* 256. & sequentib. vbi ostendi cessare in Episcopis Regularibus omnem obligationem ad onera religionis.

2 Ratio desumitur ex ipso tex. Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* nam Pontifex excludit à beneficio consuetudinis vniuersalis comedendi carnes in feria sexta incidente in ipso Natali Domini obstrictos ad oppo-

oppositum regulari obseruantia, Episcopus autem non est adstrictus, quia licet teneretur morali debito ad regulares obseruantias religionis non incompossibiles cum statu Episcopali, non tamen tenetur legali debito, vnde non est verè adstrictus; imo omnino absolutus declaratur in Cap. *Statuum* 18. q. 1. & ideo relinquitur dispositioni iuris communis.

An posita dispensatione voti, aut alio modo cessante obligatione, etiam regularis obseruantiæ liceat edere carnes in feria sexta, & Sabbato, quando coincidit cum ipsis Natalis Domini. Decis. 228.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus in voto, aut regulari obseruantia, aut alio modo cessante obligatione voti potest edere carnes in die Natalis Domini incidente in feria sexta, aut Sabbato.*
2 *Pontifex excludit solum actu obligatos voto, aut regula ne edant carnes feria sexta, cum coincidit cum ipsa Natalis Domini.*
3 *Solemnitas Festi Natalis sufficit pro dispensatione in voto aut regula de non edendis carnibus.*
4 *Nisi sit de perpetua abstinentia.*
5 *Pontifex non prohibet dispensationem in voto, aut regula de non edenda carne in feria sexta, si in ipsa incidat Natalis.*

1 RESP. affirmatiue cum Lopez 1. p. *Instruct. tr. De pœnit. cap.* 112. Syluestro *verbo.* Dominica *nu.* 2: *& verbo* Ieiunium *q.* 10. *n.* 27. Armilla *n.* 13. Tabiena *q.* 12. *in fine* Sà *n.* 6. Beia *par.* 2. *Casu* 6. *ver. Resp. Disparem esse.* Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 11 *n.* 63. Panormit. *in cap. fin. de obseruat. ieiunior.* Bordonus *in Consil. Regular. Resol.* 18 *n.* 9.

2 Ratio est; quia Pontifex in dicto Cap. *fin.* De *obser. ieiun.* declarat, esse sublatã obligationẽ abstinẽdi à carnib. in die Natalis Dñi incidẽte in feria sexta secundum consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ, & excipit eos, qui ad abstinentiam à carnibus obligantur vel ratione voti, vel ratione regulæ, quibus declarat remanere propriam obligationem voti, aut regulæ. Sublata igitur quocunque modo obligatione voti, aut regulę, remanent & ipsi eiusdem conditionis, cum cœteris, & cessat in ipsis causa, ob quam excluduntur à Pontifice à participatione vniuersalis consuetudinis, & ideo possunt simul cum alijs participare in comestione carnium.

3 Sed dubium est, an in tali voto, aut regulari obseruantia dispensari possint, quando Natalis Domini incidit in illis diebus, Respon. affirmatiuè, quod etiam videntur sentire Doctores *n.* 1 *citati.* Et præterea Molfes. *par.* 1. *sum. tr.* 11. *c.* 14. *nu* 66. Contra Rodriquez *tom.* 3. *q. Regul. q.* 45. *ar.* 3. ver. *Circa supradictam in fine.* Et Hieron. Rodriquez *in Compend. q. Regul. Resol* 75. *n.* 14. Potest enim fieri dispensatio in voto, & regulari obseruantia, quando adest causa rationabilis: solemnitas autem festiuitatis est causa rationabilis; & proinde Ecclesia ad solemnitatem festi dispensat in abstinentia à carnibus Cap *fin.* De *obser. ieiunior.* & Cap. *Quia dies de consecrat. dist.* 5.

4 Excipiendum tamen est votum, & regularis obseruantia obligans sub mortali, quando est de perpetua abstinentia, quia tunc non adest causa sufficiens, nam maius bonum est, nunquam interrumpere talem abstinentiam, quã cum lætitia cibi correspondere solemnitati.

5 Nec dici potest, quod stante exceptione Pontificis non habeat locum dispensatio, quia Pontifex non prohibet dispensationem; & ideo remanet sub dispositione iuris communis, & ideo ex rationabili causa adhuc concedi potest.

An respectu illorum, qui tenentur voto, aut regula abstinere à carnibus in feria sexta, & Sabbato, sit ablatum ius commune de eadem abstinentia, quando in ijs diebus incidit Natalis Domini. Decis. 229.

SVMMARIVM.

1 *Ius commune abstinendi à carnibus in feria sexta, & Sabbato obligat adstrictos voto, aut regula, quando in ijs diebus incidit Natalis Domini secundum aliquos.*
2 *Non obligantur iure communi, sed solo voto, aut regula.*
3 *Consuetudo Ecclesiæ vniuersalis se extendit ad omnes.*
4 *Adstricti voto, aut regula abstinendi à carnibus in feria sexta, aut Sabbato, solo voto, aut regula impediuntur, ne possint edere.*

1 NEGATIVAM sententiam tradit Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Rodriquez *tom.* 3. *q. Regul. q.* 45. *ar.* 3. *ver. Circa supradictam.* Atq; adeo si ederent carnes, peccaturos non solum contra votum, aut regulam, sed etiam contra ius commune. Quia nimirum Pontifex solum dispensat, aut declarat dispensari cum ijs, qui nec voto, nec regulari obseruantia adstringuntur ad talem abstinentiam.

2 At cessare obligationem iuris communis, atque adeo edentes carnes in his diebus in die Natalis Domini non peccare contra ius commune, sed solum contra votum, aut regulam, docent Abbas *in Cap. fin. de obseruat. ieiunior.* Cardinal. *n.* 2. Ancharan. *ibid.* Syluester *verbo.* Ieiunium *q.* 10. *n.* 27. Tabiena *q.* 12. Armilla *n.* 13. Lopez 1. *par. Instru. tr. de pœnit. c.* 112. Beia *p.* 2. *Casu* 6. ver. *Resp. Disparem esse.* Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 64. Bartholom. à S Faust. *tom.* 1. *edit. vlt. Neapol. lib.* 1 *Thesauri Relig. q.* 150.

3 Et colligitur ratio efficax ex ipso tex. Cap. *fin.* De *obseruat. ieiunior.* Nam Pontifex ibi declarat, & confirmat consuetudinem edendi carnes in feria sexta, quando in ea incidit Natalis Domini, esse consuetudinem Ecclesiæ generalis, quilibet autem participat, nisi aliunde impediatur in consuetudine

Ec-

Ecclesiæ generalis, sicut etiam subditur præceptis ipsius: & sicut consuetudo obligans, si est Ecclesiæ generalis, obligat omnes, ita etiam consuetudo priuilegiatiua Ecclesiæ generalis ad omnes se extendit, præsertim quando ratio dispensandi est omnibus communis, vt in casu nostro, nempe Festi excellentia.

4 Deinde Pontifex in dicto cap. assignat pro ratione votum, & regularem obseruantiam, ob quam adstricti non possunt frui consuetudine Ecclesiæ, tanquam illa, quæ inducunt specialem obligationem atque adeo non debent abstinere, non quia non sint dispensati in iure communi, sed quia habent specialem obligationem.

An, qui vouit abstinere ab ouis, & lacticinijs in feria sexta, aut alia die, possit carnibus vesci, aut etiam ouis, & lacticinijs, si in illa die incidat Natalis Domini. Decis. 230.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit non edere lacticinia certa die, potest edere carnes, si in illa die incidat Natalis Domini, & votum non includat abstinentiam a carnibus.*
2 *Quando secundum Rodriquez possit edere carnes in tali casu.*
3 *Quando secundum Syluestrum.*
4 *Secundum alios potest absolute edere.*
5 *Potest edere, etiam si votum traheret in consequentiam abstinentiam a carnibus.*
6 *Potest etiam edere oua, & lacticinia.*

1 DVBIVM procedit supposito, quod votum abstinendi ab onis & lacticinijs includat abstinentiam à carnibus, quod tamen non includere dicetur infra suo loco. Quia, si non includit, erunt carnes licitæ etiam in feria sexta, & sabbato, quia Pontifex in Cap. *fin.* De *obseruat. ieiunior.* excludit illos solum à beneficio vniuersalis consuetudinis, qui ad abstinentiam à carnibus obstricti sunt voto, aut regula.

2 Rodriquez *tom. 3. q. Regul. q. 45. ar. 3. ver. Mihi in hac parte.* Asserit, quod, si vouens in die, pro quo vouit, non poterat comedere carnes, sed tantum oua, & lacticinia, tunc quia votum relinquit obligationem abstinendi à carnibus in suo statu, & superaddit abstinentiam ab ouis, & lacticinijs potest comedere, quia cessat obligatio iuris communis, & votum ad abstinentiam à carnibus, non obligat. Si vero vouit abstinere ab ouis, & lacticinijs pro die, in quo alias tenebatur abstinere, vt nimirum prior obligatio voto firmaretur, non poterit manducare carnes, quia recederet à fine voti, qui erat macerare carnem, & in quo includebatur abstinentia à carnibus, quia quando à iure prohibentur oua, prohibentur etiam carnes. Sequitur alter Rodriquez in *Compend. q. Reg. Resol. 75. n. 15.*

3 At Syluester *verbo* Ieiunium *nu. 27.* docet quod, si non intendebat se priuare carnibus in illo voto, potest comedere secus autem, si intendebat. Si vero non scit discernere, sed est dubius, debet abstinere, quia in dubijs securior pars est eligenda.

4 Alij vero absolutè tenent, quod obstrictus tali voto potest edere carnes in quocunque die incidat Natalis Domini. Ita Sanchez *lib. 4. sum. c. 11. n. 46.* Facundez *Præcep. 4. Eccles. lib. 1. c. 6. n. 7.* Diana *par. 1. tr. 9. de Ieiunio Resol. 22. in fine.* Bossius *tom. 3 moral. tit. 21. n. 363* & addit Sanchez citatus, quod potest etiam edere oua, & lacticinia; quia obligatio voti tollitur per quandam consequentiam.

5 Hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem, nam vniuersalis consuetudo Ecclesiæ, vt declaratur in Cap. *fin.* De *obseruat. ieiun.* concedit omnibus vniuersaliter facultatem edendi carnes in Natali Domini ob Festi excellentiam, exceptis ijs solum, qui ad abstinentiam ab ipsis obligantur voto, aut regulari obseruantia; qui autem obligantur voto ad abstinentiam ouorum, & lacticiniorum non obligantur ad abstinentiam à carnibus, per se primo, sed si obligantur, ideo obligantur, quia talis abstinentia trahitur in consequentiam. Pontifex autem excludit eos solum, qui explicite vouerunt abstinentiam à carnibus, quia odiosa restringenda sunt Cap. *Odia. De regulis iuris in 6.* & ideò non debet intelligi tex. nisi de voto, quod immediatè habet pro materia abstinentiam à carnibus.

6 Ex hoc autem sequitur, quod neque teneatur abstinere ab ouis, & lacticinijs, nam consuetudo in Natali Domini concedit carnes, etiam si alias prohibitæ sint, & proinde etiam concedit, quod minus est, nempe oua, & lacticinia; nam intendit relaxare omne genus abstinentiæ, & non excludit à participatione in hac consuetudine adstrictos voto ad abstinentiam ouorum, & lacticiniorum, & ideo hi possunt gaudere beneficio consuetudinis, & relaxare omne genus abstinentiæ. Quod præsertim verum est, quia, nisi explicitè intendat abstinere etiam in Natali Domini, debet votum accipi iuxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ in tali die excludit omne genus abstinentiæ.

An, qui vouit ieiunare per aliquot menses, aut annos, siue continuo, siue certis diebus, teneatur ieiunare, quando cum die ieiunij coincidit Magna solemnitas. Decis. 231.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare per aliquot menses, aut annos, aut certis diebus, tenetur ieiunare etiam in maioribus solemnitatibus, id si expresse intendit.*
2 *Secus autem, si id expresse non intendit.*
3 *Quaenam sint Festiuitates maiores.*

1 SI quando vouit, habuit explicitam intentionem ieiunandi quocunque die determinato per votum, nullo vnquam excepto ex quacunque occasione, tenetur ieiunare, etiam si in illo concurrat aliquando quæcunque solemnitas, quia votum tantum obligat, quan-

quantum intendit vouens se obligare. Vnde in Cap. *fin. De obseruat. ieiunior.* excipiuntur ab vniuersali consuetudine edendi carnes in Natali Domini incidente in feria sexta, qui tali voto sunt adstricti, & proinde neque in cœteris solemnitatibus eximi possunt ab abstinentia promissa.

2 At, si votum non sit explicitum de non interrumpendo, aut omittendo ieiunium ex quacunque occasione, sed solum de ieiunando per tantum tempus siue quotidie, siue certis diebus, tunc si dies ieiunij coincidat cum festiuitate maiori, immunis erit à ieiunio pro illo die: Festi enim excellentia facit, vt omittenda sit abstinentia cap. *Quia dies de consecrat. Dist.* 5. Vbi Gregor. VII. *in Synodo Romana* decernit abstinendum à carnibus in Sabbato; nisi maior festiuitas interueniat: vnde si festiuitas maior secundum ius debet excludere abstinentiam à carnibus, debet etiam excludere ieiunium ex voto, quia materia voti, vt dictum est in superioribus, restringenda est secundum consuetudinem Ecclesiæ.

3 Sed dubium remanet, quænam sint festiuitates maiores. Resp. hoc facile desumi posse ex concessione facultatum celebrandi in priuatis oratorijs, in ijs enim Pontifex excipit festiuitates maiores, in quibus non concedit dictam facultatem. Nominat autem pro festiuitatibus maioribus Natalem Domini, Pascha, Pentecostem; & quia subdit. *Nec non alijs solemnioribus festis*, ideo S. Rituum Congregatio 17. *Nouembris* 1607. declarauit, illa solemniora festa esse Epiphaniam Domini, Annunciationem, & Assumptionem B. Mariæ Virginis, festum Sanctorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum.

An vouens ieiunare indefinitè satisfaciat vnico ieiunio. Decis. 232.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare indefinite satisfacit vnico ieiunio.*
2 *Nisi votum importet quandam continuationem.*
3 *Quando Materia voti est indeterminata, à quo debeat determinari.*
4 *Qui vouit ieiunare indefinite potest postea determinare ieiunium continuatum, vel interruptum.*
5 *Quando materia voti indefinita determinatur, non est respiciendum, quid uouens determinaßet, quando primo uouit.*

1 RESp. satisfacere vnico ieiunio. Ita docent Sanchez *lib* 4. *sum. c.* 13. *nu.* 15. *circa finem.* Bonacina *disp.* 4. *de legib. q.* 2. *punc* 6. *n.* 13. Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.* 36. Materia enim voti indefinita saluatur per quamcunque portionem ipsius; & promissio verificatur, & impletur per quancunque solutionem, in qua res promissa exhibeatur.

2 Limitanda est tamen præsens doctrina cum Bonacina citato. Quod valeat, quando valeat, quando promissio ieiunij facta per votum non importaret aliquam continuationem in ieiunando, nam tunc necesse esset per aliquod tempus ieiunare.

3 Sed in hoc casu adest maius dubium; quando tempore videlicet ieiunandum sit, quando votum ieiunij importat quandam continuationem, nec tempus est definitum à vouente. Resp. quod in hoc casu materia voti remanet indeterminata, atque adeo votum incompletum, quia sicut non potest haberi votum absq; materia, ita nec completum votum sine materia voti completa, & determinata. Quia autem votum, & eius obligatio debet prouenire à voluntate vouentis, quia est obligatio voluntariè suscepta ideo etiam complementum ipsius debet ab eadem causa prouenire, nam causa, quæ incipit, debet etiam complere, & ideo pertinet ad ipsum vouentem determinare tempus; in quo erit ieiunandum. Hæc autem determinatio debet fieri secundum regulas prudentiæ habita ratione circumstantiarum; & huic doctrinæ consonat Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *punc.* 4. *q.* 3. *ver. Vnde bene* Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 2. *n.* 6. *&* c. 11. *n.* 5. *&* c. 13. *n.* 13.

4 Hinc ad ipsum quoque spectabit determinare de continuatione, & interruptione ieiunij, an nimirum debeat esse continuum, an vero solum certis diebus in hebdomada, aut in mense. Et quia si quando primo votum emisit, habuisset rationem propriæ complexionis, quia hoc exigitur à regulis prudentiæ, ideo etiam quando postea determinabit, ad eamdem complexionem respicere debebit, sicut etiam ad cœteras circumstantias. Quod, si ipse non valeat determinare adhibebit consilium prudentis viri.

5 Quia autem votum sic in confuso emissum suspendit ex natura sua determinationem materiæ in alio tempore faciendam; ideo relinquitur vouenti plena potestas determinandi, vt libuerit, dummodo tamen prudenter determinet. Vnde non est opus, vt respiciat, quam determinationem fecisset, si tunc determinasset, quia iam talis determinatio non est facta, sed est conditionalis, neque vllo pacto cadit sub obligatione, sed potest facere quam determinationem libuerit, quia habet eamdem potestatem ad determinandum, quam habebat, quando primo vouit.

An qui vouit pluries ieiunare, satisfaciat, si bis ieiunet. Decis. 233.

SVMMARIVM.

1 *Vouens pluries ieiunare, quando satisfaciat, si bis ieiunet.*
2 *Numerus pluralis in duobus saluatur.*

1 RESp. affirmatiue cum Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 13. *n.* 15. *in fine.* Chilino *in sum. verbo.* Ieiunium *n.* 30. Quod tamen ita accipi debet, vt solum valeat, quando in voto intendit præcisam pluralitatem secus autem si intendebat aliquam notabilem pluralitatem, nam tunc requiritur etiam notabilis numerus ieiuniorum.

2 Ratio est, quia iuxta regulam *Pluralis. De regulis iuris in* 6. pluralis numerus saluatur in duobus; vnde per duplex ieiuniũ exhibitum saluatur veritas materiæ promissæ in voto, præsertim quia votum

est stricte interpretandum, cum sit quid onerosum, vt docent Panor. *in Cap. Ex parte n.4. De censibus* Sanchez *lib.4 sum.c.11.n.3.* Azor. *p.1. lib.11. c.20. quæst.1* Suarez *tom.2 de Relig. lib.4. De voto c.7.n.16. & 18.*

Quando teneatur ieiunare, qui vouit ieiunare aliquo determinato die v. g. in feria sexta, aut in vigilia talis Sancti.

Decis. 234.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare determinato die, tenetur ieiunare in proximiori ex determinatis.*

2 *Transacto tempore determinato votum non obligat, si materia sit promissa, vt affixa tali tempori.*

3 *Secus, si sit affixa post votum ex determinatione vouentis.*

1 RESP. debere ieiunare die determinato proximiori, vt docent etiã Sanchez *lib.4. sum.c.14.n.40.* Bonacina *disp. 4. de Præcep. Decal. q.2. punc.5.§.1. n.5.* Promissio enim facta pro aliquo determinato tempore intelligitur de illo tempore determinato proximiori *l. Eum qui Calendis ff. De verborum obligatione.* Quod debet intelligi, nisi aliud exprimatur. Ratio est, quia talis dies est terminus præscriptus, & ideo, quando primo occurrit terminat, & finit tempus intentum, & determinatum per votum.

2 Hinc transacto illo tempore, si votum non fuit impletum, non amplius obligat ad ieiunandum, vt docent Sanchez *citatus n. præcedenti,* Bonacina *disp.4. de legib. seu circa 2. Præceptum Decal. q.2. punc. 5.§1.n.9.* quem sequitur Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n.29* Quæ enim sunt alligata certo tempori, non amplius obligant, vt constat in ieiunijs Ecclesiasticis, in recitatione horarum canonicaru m. Ieiunium autem assumptum pro tali die deter mato, ite affixum in diei.

3 Hoc tamen debet intelligi; quando determinatio diei includitur in materia voti, ita vt promittatur ieiunium talis diei. Secus autem si promitteretur ieiunium, & postea determinaretur dies tanquam aptior ieiunio, aut fini intento per ieiunium, nam tunc non esset ieiunium affixum diei ratione voti, sed solum ab extrinseca determinatione vouentis quæ iam supponeret contractam obligationem voti. Et ita docent Azor. *par.1 lib.11.c.15. q.11.* Nauar. *c.12. Manual. n. 54.* Valent. *tom.3. disp.6. q.6. punc.4.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. De voto c.13.n.3.* Reginal. *lib.4.* Praxis *fori pœnit. n.228.* Contra Syluestrum *verbo* Votum *2.q 4.* Angelum *verbo.* Votum *3.n.3.* Tabienam *n.7.* Panor. *in Cap. Per tuas n.1. De voto.*

An vouens ieiunare semel, aut bis, aut pluries in hebdomada, teneatur supplere omissa ieiunia.

Decis. 235.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare semel, aut pluries in hebdomada non tenetur supplere omissa ieiunia.*

2 *Si ieiunia sint promissa absque determinatione dierum, debent suppleri durante hebdomada.*

3 *Si ieiunia sint promissa absolute, & postea distributa per hebdomadas, tunc debent suppleri.*

1 NEGATIVE respondendum est, vt docent Vasquez *1.2. disp.146 c.2. in fine.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Voto c.13. n.6.* Sanchez *lib.4. sum.c.14.n.34.* Ghilinus *in sum. verbo.* Ieiunium *n.33.* Bonacina *disp.4. de præcep. Dec. q.2. punc.5 §.1. n.10.* Quia ieiunia illa sunt promissa intra terminos hebdomadæ atque adeo vt affixa illi tempori, vnde transit obligatio simul cum tempore. Oppositum docent Sotus *lib.7. de iust. & iure q.2. ar.1.* Azor. *par.1 lib.14.c.15 q.11.*

2 Hinc, si tot ieiunia sint promissa in hebdomada absque determinatione dierum, quousque durat hebdomada, durat etiam obligatio, etiam si transeant illi dies, in quibus solet ieiunare. Si vero ieiunia sint promissa cũ determinatione dierũ, tũc trãsactis singulis diebus, trãsit obligatio ieiuniorũ correspondentium, quia tunc ieiunia sunt affixa diei.

3 Si tamen sint promissa in voto tot ieiunia, & postea ob commoditatem distribuantur in plures hebdomadas, tunc, transacta hebdomada, non cessat obligatio ieiuniorum omissorum, quia non sunt ex vi voti determinata in tali hebdomada, sed ex libito vouentis, nam votum est de ieiunijs independenter à tempore. Et hoc est, quod de obligatione soluendi decernunt leges; vt *l. Celsus §.1. ff. de receptis arbitris,* & *l. Traiectitia §. de illo. ff. De action. & obligat.* Nam tunc obligatio rei soluendę est diuersa ab obligatione temporis in quo est soluendum.

An, qui vouit ieiunare toto aliquo integro anno, aut mense, teneatur, si omittat aliqua ieiunia, de nouo inchoare, aut saltem omissa supplere.

Decis. 236.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare toto aliquo tempore, si omittat aliqua ieiunia, non tenetur de nouo incipere.*

2 *Quando teneatur omissa ieiunia supplere.*

3 *Resoluitur dubium cum distinctione.*

4 *Quid censeant Doctores, quando dubium est, an tempus sit electum pro ieiunio, an e contra.*

5 *Vouens ieiunare per certum tempus, non tenetur omissa ieiunia supplere.*

6 *Neque peccat, si omittat ex iusta causa.*

1 RESPONDENT D. Antonin *2. par. tit.11. c.1.§.2. ver. Secũdo est reddẽdum* Sanchez *lib.4. sum. c.14. num. 39.* Suarez *tom.2. de Relig. lib.4. de Voto c. 13. in fine.* Bonacina *tom.2. disp.4 de Præcep. Decal. q.2. punc.5.§.1. num. 12.* Ghilinus *in summa verbo.* Ieiunium *num. 34* Non teneri de nouo incipere ieiunium promissum.

sum. Quod mihi certum videtur. Quia renouatio talis ieiunij est onus graue, quod non includitur in materia voti, & proinde non est debita ratione voti; imo si repeteretur ieiunium, solueretur plusquam promissum est in voto. Sic qui promisit centum, & soluit nonaginta, non tenetur rursus soluere centum. Quod præsertim verum est, quia in voto non promittitur renouatio ieiunij, si ex aliquo accidenti contingat interrumpi, sed præcisè ieiunium vnius anni, aut vnius mensis, & ideo talis renouatio non est debita ratione voti.

2 An vero supplenda sint ieiunia omissa. Resp. Sanchez *num. 37. si præuari capitis.* Suarez *num. 3. eiusdem. Cap.* Bonacina, Ghilinus *ijsdem locis.* Quod si vouit ieiunium affixum illi tempori, non tenetur omissa ieiunia supplere, vt si vouisset per annum singulis sextis ferijs ieiunare in honorem passionis Christi, si vero vouit ieiunium in tali tempore, ita vt tempus sit solum terminus ad soluendum ieiunium, tunc tenetur ieiunia omissa supplere.

3 Mihi tamen dicendum videtur, quod si elegit in voto ieiunium pro tempore, tunc quia intentio primario fertur in tot ieiunia; tenetur soluere tot ieiunia, & tunc tempus se habet solum, vt mensura, in qua est facienda solutio, & ideo omittendo aliqua ieiunia, tenetur supplere, vnde hic habet locum *l. Celsus §. 1. ff. De recept. arbit.* Quia tunc res de se promittitur, & tempus eligitur pro solutione, Si vero elegit tempus pro ieiunio, tunc non tenetur supplere, quia ex vi voti tenetur tantum soluere tot ieiunia, quot capit illud tempus, & ideo, si aliqua omittantur, non debent suppleri, quia non possunt esse ieiunia talis temporis. Per votum namque tempus consecratur ieiunio, & ideo si non ieiunatur in aliquo die, extinguitur obligatio ieiunandi, sicut extinguitur in Quadragesima, quia est tempus consecratum ieiunio.

4 At si dubium sit, an tempus sit electum pro ieiunio, an vero solum vt terminus, in quo soluenda sit obligatio. Resp. Azor. *par. 1. lib. 11. c. 15. q. 11. in fine.* Sanchez *lib. 4. sum. c. 14. n. 38.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. de voto c. 13. n. 6. in fine.* Censendum esse tempus electum pro termino, & manere adhuc obligationem transacto tempore. Quia obligatio voti est certa, & ideo est in possessione; vnde nisi oppositum ostendatur, debet transacto tempore adhuc impleri.

5 Mihi tamen dicendum videtur, quod nisi expressè votum obliget ad tot numero ieiunia, quot sunt dies in tempore præscripto, sed sit solum de ieiunando per hebdomadam, mensem, aut annum, transacto tempore, transeat etiam obligatio, quia in tali voto censetur consecrari tempus, ieiunio, & solum consequenter elig[illegible] tot ieiunia, quot capere potest, & si ex aliquo accidenti omittantur non sunt supplenda, quia iam cessat tempus à voto præscriptū ieiunio, & pro quo promissum est inseruire Deo in ieiunio. Et eodē pacto res se habet, ac in Quadrag. nam præceptum præscribit ieiunium per tot hebdomadas, quibus transactis, non sunt supplenda omissa ieiunia; votum autem ieiunandi per annum, hebdomadam, aut mensem debet accipi eodem modo, quia debet interpretari, vt etiam interpretamur præceptum Ecclesiæ, vt etiam in superioribus ostensum est.

6 Hinc, si omittat aliqua ieiunia ex iusta tamen causa, neque etiam peccabit, quia in tali casu votum desinit obligare; nam censetur emissum sub tacita conditione, quod vouens possit ieiunare; vnde si superuenit noua causa, ob quam non possit ieiunare, vt esset infirmitas, tunc votum non obligat.

An votum non bibendi vinum violetur per potum ceruisiæ. Decis. 237.

SVMMARIVM.

1 *Votum abstinendi à vino violatur secundum Caiet. per potum ceruisiæ.*
2 *Non violatur.*
3 *Neque etiam si votum sit in finem non se inebriandi.*
4 *Votum non se inebriandi, & proinde non bibendi vinum includit etiam abstinentiam à ceruisia.*

1 AFFIRMATIVE resp. Caiet. 2. 2 q. 150. ar. 1. *initio.* Quia nomine vini intelligitur omne inebriantium, ceruisia autem inebriat non secus ac vinum.

2 At negatiua sententia tenenda est, quam tradunt Sanchez *lib. 4. sum. c. 11. n. 44.* Bartholomeus à S. Faustо *lib. 1. Thesauri* Religios. *q. 132. iuxta edit. vlt. Neapolitanam* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 35.* Sequuntur Palaus *par. 3. oper moral. tr. 15. disp. 1. punc. 12. n. 21.* Diana *par. 1. tr. 9. resol. 4.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. num. 358.* Ratio est: quia licet ceruisia substituatur loco vini, non est tamen vinum, & ideo non includitur in materia voti, quæ cum proprietate accipienda est, cum votū sit strictè interpretandum, vt docent communiter, præsertim Abbas *in Cap. Ex parte n. 4. de censib. 3. citati cap.*

3 Imo, etiam si voueret abstinentiam à vino in eum finem, vt vitaret ebrietatem, neque adhuc teneretur abstinere à ceruisia, etiam si inebriet, vt notat idem Sanchez *citato n. 44.* Quia finis præcepti non cadit sub præcepto, & proinde teneretur abstinere solum à vino tanquam à materia voti. Quidquid dicat Bossius *citat.* nam dum sibi subtraxit vinum in ordine ad vitandam ebrietatem, habuit intentionem coarctatam ad talem ebrietatem.

4 Si tamen absolute voueret vitare ebrietatem & proinde voueret abstinere à vino, tunc votum se extenderet etiam ad abstinentiam à ceruisia, quia esset de vitanda ebrietate, & proinde de abstinentia ab omnibus inebriatiuis, vt notat idem Sanchez, & Bossius.

An qui habet votum abstinendi à vino, possit vino vti post sumptionem sanguinis si sit Sacerdos, in prima, & secunda ablutione. Decis. 238.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, qui vouit abstinentiam à vino, potest in Missa vti vino in ablutionibus.*

2 *Cur votum de abstinentia à vino non se extendat ad has ablutiones.*

3 *Non obstante voto de abstinentia à vino, sumpta Eucharistia potest os ablui vino.*

1 RESP. affirmatiuè. Quod etiam docent Paludan. *in 4. dist. 38. q. 3. ar. 4. n. 27.* Palatius *disp. 1. dub. 4. post 5. conclus. §. Hac intelligas.* Sanchez *lib. 4. sum. c. 11. nu. 43.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 10. q. 7.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 358.* Votum enim accipitur tanq; cõforme consuetudini Ecclesiæ, nec potest contrariari præcepto ipsius, alioquin esset inualidum, vtpote de re illicita. Adest autem præceptum Ecclesiæ de infundendo vino in calicem pro prima ablutione, vt habetur in Cap. *Ex parte* De celebrat. *Missar.* Et in secunda ex consuetudine Ecclesiæ adhibetur prius vinum & postea aqua.

2 Accedit etiam, quod votum de abstinentia à vino extenditur tantum ad potum vsualem, qui vsualem comestionem comitatur, nam qui sic vouet, tantum intendit se mortificare in potu communi. Ablutio autem pertinet ad potum sacramentalem, quia est necessaria pro reuerentia potus sanguinis Christi. Hinc qui ieiunant ex deuotione in pane, & acqua, non abstinent ab ablutione vini in Missa, quia putant, quod hoc non cadat sub intentione abstinentiæ à vino in illa die.

3 Imo habens tale votum potest post sumptam Eucharistiam adhibere vinum pro abluendo ore, quia neque ad hanc ablutionem se extendit votum; nam intelligitur tantum de potu ordinario assumpto pro siti extinguenda, & in adiutorium alimentationis. Non debet tamen in hoc fieri fraus voto, ita vt plus vini assumatur cum excessu notabili, quã sit necessarium pro abluendo ore.

An, qui vouit ieiunare cum pane, & aqua toties peccet in illa die, quoties bibit vinum. Decis. 239.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit ieiunare in pane, & aqua toties peccat, quoties bibit vinum secundum aliquos.*

2 *Semel tantum peccat, nempe prima vice.*

3 *In tali voto quomodo abstinentia à vino sit promissa.*

4 *Qui vouit ieiunare cum abstinentia a tali cibo, prima tantum vice peccat si de illo comedat.*

5 *Qui vouit ieiunare in pane, & aqua, si absque causa bibat vinum in modica quantitate, peccat venialiter.*

1 AFFIRMATIVE respondet Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n. 35.* & citat Sanchez Portel. Faustum, sed male, quia in locis citatis oppositum docent. Et sequitur Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 359.* Ratio ipsius est, quia quoties bibit, toties violat votum negatiuum de non bibendo vino.

2 Negatiua tamen sententia tenenda est, atq; adeo peccare tantum prima vice, qua bibit in tanta quantitate, vt soluat ieiunium sic qualificatum in voto. Ita docent Sanchez *lib. 4. sum. c. 11. n. 45.* Portel. *in Dub. Regul. verbo.* Ieiunium *in Addit. n. 4.* Faustus *lib. 1. Thesauri Relig. q. 136. iuxta vlt. edit. Neapolitanam.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio. Resol. 4.* Ratio est, quia votum habet pro materia ieiunium, seu abstinentiam sic modificatam, seu talem mensuram abstinentiæ, & ideo si destruitur per potum vini, non potest amplius reparari, atque adeo pro illo die fit impossibilis, & consequenter cessat obligatio voti, cum non amplius habeat propriam materiam possibilem.

3 Nec valet ratio in oppositum, quia abstinentia non est secundum se promissa, & per modum negationis, sed solum consecutiuè, seu vt includitur in tali ieiunio, & proinde non obligat, nisi quatenus potest seruari tale ieiunium.

4 Quod autem dictum est de ieiunio cum abstinentia à vino, debet intelligi etiam de ieiunio cum abstinentia ab aliqua specie cibi. Vt notat etiam Faustus *citatus*. Vnde, si de ipso sumatur in notabili quantitate, non peccabit amplius sumendo de illo cibo, quia iam non potest ieiunium amplius seruari cum illa qualitate præscripta in voto.

5 Quæres, an peccet, qui non obstante voto de ieiunio in pane, & aqua, bibit vinum in parua quantitate. Resp. peccare venialiter, qui non obstante paruitate materiæ ille potus contrariatur voto. Si tamen adesset causa rationabilis, neque etiam esset peccatum veniale, quia honestaretur, & fieret licitus, vt si medicinæ causa sumeretur. illa autem est parua quantitas, quæ esset parua quantitas in cibo in ordine ad violandum ieiunium, vt dictum est in superioribus.

An, qui vouit ieiunium in pane, & aqua, & bibat vinum in notabili quantitate, teneatur seruare ieiunium secundum formam Ecclesiæ. Decis. 240.

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunium in pane, & aqua, si bibat vinum in notabili quantitate, tenetur ieiunare communi modo, secundum Sanchez.*

2 *Non tenetur, cum pereat forma ieiunij præscripta.*

3 *Si sumat secundam refectionem, non tenetur amplius abstinere a vino.*

4 *Si sumat de alijs cibis, peccat tunc solum, & remanet liber a ieiunio.*

1 CVM non possit ieiunare secundum formam præscriptam in voto, quia est iam violata per primam potationem. Resp. Sanchez *lib. 4. sum. c. 11. n. 45.* teneri, seruare ieiunium secundum formam institutam ab Ecclesia, quia abstinentia à vino est promissa in voto, vt accessoria, & non per modum vnius, sed per modum diuersi, & ideo votum adhuc obligat ad substantiam ieiunij, licet non possit seruari cum illa qualitate. Sequitur Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 359*

2 Sed licet hoc verum sit, quando ex alio capite adest obligatio de ieiunando, vt docet Portel. *in Dub.*

Re-

Regular. verbo Ieiunium *in Addit.n.*4. Et votum addit obligationem de tali abstinentia; quando tamen votum inducit totalem obligationem, oppositum mihi videtur tenendum, & proinde cessare totam obligationem ieiunandi. Ratio, quæ me mouet, est quia votum præscribit nouam formam ieiunij, ita vt vouens non se obliget ad ieiunium quomodocunque, sed ad ieiunium constitutum per talem formam vnde quando forma ieiunij violatur, quia est impossibile seruari amplius ieiunium cum tali forma, cessat etiam obligatio ieiunandi, cum non respiciat nisi ieiunium cum tali forma. Et ita deberent sentire ij omnes, qui tenent, quod dispensatus ad carnes edendas, est dispensatus à ieiunio, quia abstinentia à carnibus est essentialis ieiunio, & pertinet ad formam.

3 Hinc à fortiori, si habens tale votum, sumat secundam refectionem; non tenetur amplius abstinere à vino, quod est verum, etiam in sententia Sanchez. Quia iam non potest amplius pro illa die seruare ieiunium, cum iam sit violatum, siue abstinentia à vino pertineat ad formam ieiunij, siue consecutiuè se habeat, nam cessante obligatione ad ieiunandum, cessat quicquid pertinet ad ipsam.

4 Rursus sequitur etiam, quod, si quis sumat de aliquo alio cibo, quam de pane in notabili quantitate, non teneatur amplius abstinere à vino, aut ieiunare. Perit enim forma ieiunij præscripta, & non potest amplius pro illa die reparari, & ideo cessat etiam obligatio voti, quia fit impossibilis materia, nempe ieiunium cum tali forma.

An, qui vouit pro aliqua die comedere solum panem, & solam aquam bibere, peccet toties, quoties aliud comedit, aut bibit. *Decis.* 241.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit comedere solum panem, & bibere aquam toties peccat, quoties aliud comedit, &c.*
2 *Sed oppositum est probabilius, ita vt peccet sola prima vice.*
3 *Tale votum non assimilatur præcepto negatiuo.*
4 *Quando obligatio sit positiua, licet negatiuo modo exprimatur.*
5 *Ceruisia excluditur per hoc votum.*

1 AFFIRMATIVE respondet Sanchez *lib.4.sum.c.11.n.45.* Portel. *in Dub. Regul. verbo* Ieiunium *in Addit.n.*4. Quia votum est directè de tali abstinentia, & ideo quoties bibitur vinum, aut aliud sumitur, quam panis, fit directè contra votum. Nam ita obligat ad talem potum, & cibum positiuum, vt excludat quemcunque alium.

2 Mihi tamen oppositum tenendum videtur, vt nimirum sola prima vice peccet; nam votum promittit abstinentiam, vt est actus virtutis secundum talem mensuram, nempe panis, & aquæ: & ideo habet pro materia certam mensuram potus, & cibi quæ se habet tanquam forma abstinentiæ; vnde si semel talis mensura violatur, cum non possit amplius redintegrari, sicut perit materia voti, ita neq; vrget obligatio ad manutenendam, aut redintegrandam talem materiam.

3 Nec est eadem ratio de præcepto negatiuo, & hoc voto, nam præceptum negatiuum prohibet directè aliquid, & ideo quoties ponitur, quod prohibetur, fit contra ipsum; at tale votum obligat ad aliquid faciendum, & impletur per aliquid positiuum, nempe per talem mensuram cibi, & potus; & ideo, si semel præscripta mensura violatur, non potest amplius seruari pro illo die. Pro quo est aduertendum, quod aliud est votum de ieiunando cum solo pane, & acqua, & aliud votum de non bibendo vino. Primum habet pro materia positiuam comestionem cum tali cibo, & tali potu, & ideo si semel violatur, non potest amplius seruari, quia est sublata forma talis ieiunij, sicut qui tenetur ieiunare, quia obligatur semel tanquam in die comedere, si bis comedat, non peccat postea comedendo tertio vt docent Doctores sicuti *Decis.*358.*n.*2. Quia iam est violata forma ieiunij. Secundum habet pro obiecto abstinentiam à vino, & ideo toties violatur, quoties bibitur, quia obiectum est directè talis abstinentia.

4 Et hoc generaliter est verum, quod obligatio sit positiua, & non negatiua, quotiescunque est aliquid faciendum, ex quo resultat aliquid negatiuum quia hoc negatiuum est indirectè intentum, vt consequitur ad positiuum. Imo, etiam si votum directè promitteret non bibere vinum, & non manducare aliud præter panem, adhuc esset de materia positiua, licet per negationes circumscripta, nempe de tali mensura in cibo, & potu, & illæ negationes consecutiuæ se haberent, & explicarent aliquid positiuum, sicut etiam quando spiritualitas explicatur per negationem materialitatis, & aliæ perfectiones positiuæ per alias negationes. Et ratio est clara quia non potest haberi non bibere vinum, & non manducare aliud præter panem, nisi ex tali forma alimentationis, qua substentetur natura: tam, nisi ex tali forma consequerentur, essent materia illicita, quia prouenirent ex absoluta voluntate non manducandi aliquid, aut bibendi, quod non est licitum.

5 Ex dictis colligitur contra Dianam *par.* 1. *tr.* 9.*resol.*4. hoc votum violari per potum ceruisiæ, nam ex vi voti coarctatur ad solam aquam; vnde cum ceruisia non sit aqua, remanet exclusa ex vi voti. Et ita etiam notat Bossius *tom.*3.*moral.tit.*21.*n.*360.

An, qui vouit ieiunare in pane, & aqua, si non possit, nisi sumat aliquid obsonij, & vini, teneatur ieiunare. *Decis.* 242.

SVMMARIVM.

1 *Qui vouit ieiunare in pane, & aqua, si non potest, nisi sumat aliquid obsonij aut vini, non tenetur ieiunare.*
2 *Si tamen obsonium, & vinum sit in paruitate materia, tenetur.*
3 *Idem valet de ieiunio iniuncto ex pœnitentia.*

RES-

1 RESPONDETVR non teneri. Ita Sanchez *lib.1.sum.c.19.n.5* Io: Sanchez *in Selectis de Sacrament. disp.15.n.3.* Diana *par. 3. tr.5. Miscel.Resolut.61.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2.dub.2. nu. 13.in fine.* Quando enim obligatio est de aliquo indiuisibili sub aliqua certa forma, qui non potest illud ipsum adimplere sub illa certa forma, non tenetur ad aliquid aliud, seu ad partem ipsius, nam tunc non solueret, quod deberet, sed aliquid aliud. Et ideo, qui tenetur ad ieiunium in pane, & aqua, & non potest, non obligatur ad illud ieiunium cum alia forma; impotentia enim soluit obligationem, non tamen illam commutat.

2 Est tamen hoc limitandum cum ijsdem Doctoribus, vt solum valeat, quando necessarium esset vinum, & obsonium in notabili quantitate, quia si esset in parua quantitate, non cessaret obligatio ieiunandi, si quidem paruitas materiæ non solueret formam ieiunij necessariam, quia adhuc cibus, & potus ordinati ad sustentationem pro illo die, essent panis, & aqua, nam obsonium, & vinum non computaretur ratione paruitatis.

3 Idem etiam dicendum cum ijsdem Auctoribus de ieiunio in pane, & aqua iniuncto pro pœnitentia, quia si non potest seruari, nisi sumatur obsonium, aut vinum in notabili quantitate, cessat obligatio. Secus autem si sumerentur in paruitate materiæ. Oppositum tenet Bossius *tom.3. moral. tit.21. n. 359.* Quia etiam vouens ieiunare per totum annum debet ieiunare illis diebus, quibus potest, si non potest omnia ieiunia implere. Sed est diuersa ratio, nam hoc votum est de materia diuidua, quæ per partes est implenda, & ideo votum obligat quoad partes possibiles. At votum ieiunandi in pane, & aqua est de ieiunio cum tali forma, quæ si fiat impossibilis fit etiam impossibile ieiunium promissum.

Ad quid teneatur, qui vouit in vigilia alicuius Sancti non comedere panem, si talis vigilia incidat in die, pro qua vouit comedere solum panem.

Decis. 243.

SVMMARIVM.

1 *Si votum de ieiunio cum solo pane concurrat cum voto de non comedendo pane, debet vtrumque, si potest secundum aliquos seruari.*

2 *Non adest obligatio seruandi vtrumque.*

2 *Mutata materia, an seruandum votum promissio, & iuramentum.*

3 *Quodnam seruandum sit secundum Doctores.*

4 *Concurrente voto de duplici abstinentia, est seruandum illud, quod est de maiori abstinentia.*

4 *Concurrentibus varijs votis, non debet præferri, quod imperatum est ab excellentiori virtute, sed quod habet perfectiorem materiam.*

1 DIuus Antoninus *2.par.tit. 11. cap. 2.§.vlt.* docet, teneri ad seruandum vtrumque votum, si potest. Quod etiam docent Rosella *verbo* Ieiunium *n.3.* Syluester *verbo.* Votum 2. *qu.17.* Sanchez *lib 4.sum.c.5.n.3.* Bartholomæus à S. Fausto *lib.1. Thesauri Relig. q.166.* Qui tamen addit, id valere, quando emittens posterius votum recordatus est prioris, quia si non est recordatus, tenetur solum ad prius, nam si recordatus esset, prius excepisset.

2 Hoc tamen mihi non probatur, sed puto, siue recordatus sit prioris voti, siue non recordatus, non teneri ad vtrumque, etiam si possit. Ratio est, quia, dum concurrunt hæc duo vota, mutatur materia, nam longe diuersum est, nihil comedere per totum aliquem diem; & comedere solum panem, aut non comedere panem. Hæc autem materia est longe onerosior, nec est promissa in aliquo ex illis votis, nemo autem tenetur ad id, quod non promisit, & proinde quando mutatur materia voti, desinit obligatio voti, vt cum pluribus docet Sanchez *lib.4. sum. c.11.n.18.& sequentib.* & de promissione docet D. Th. *2.2.q.110.ar.3.ad 5.* & valet, etiam si sit iuramento firmata, vt ex Cap. *Quemadmodum.* De iureiurando, cum alijs Doctoribus tenet Gutierez *par. 1. De iuram.cap. 29.n.6.& c.71 n.6.*

3. Est ergo difficultas; quodnam ex illis votis seruandum prius. Quod etiam tenent Syluester *verbo.* Votum 2 *q.17.* Azor. *lib.11 c 20.q.5* Sanchez *lib.4.sum. c.5. n.30.* Quod tamen limitant. Si vtrumque votum sit æquale. Si vero inæquale Azor. & Sanchez volunt seruandum esse dignius, Syluester vero, vult esse respiciendum ad intentionem vouentis, & quid decreuisset, si de hoc cogitasset. At Bartholomeus à S. Fausto *lib.1. Thesauri Relig. q.166. iuxta vlt. edit. Neapol.* docet, si vtrumque sit æquale, liberum esse vouenti seruare, quod voluerit, secus autem, seruandum esse præstantius, quod est imperatum ab excellentiori virtute.

4 Verum cum vtrumque votum sit in eodem genere abstinentiæ, & vtrumque reddat debitam abstinentiam pollicitam seruandum erit illud, quod est de maiori abstinentia, etiam si alterum à virtute excellentiori imperatum sit. Ratio est, quia in votis finis non cadit sub præcepto, sed tantum res promissa quia facit contrahere debitum, quando autem adsunt plura debita respectu eiusdem, & non possunt solui omnia, debet solui illud maius, quod potest: vnde si quis deberet centum ex vna parte, & decem ex alia, & posset tantum vnum ex his debitis soluere; teneretur soluere centum. In casu ergo nostro concurrit duplex abstinentia, vtraque debita ex voto; vnde cum vna tantum sit soluenda, maior soluenda erit, nempe abstinentia ab omnibus alijs cibis præterquam à pane, quia hæc est rigidior.

An

An causæ, quæ excusant à ieiunio ex præcepto, excusent etiam à ieiunio ex voto.
Decis. 244.

SVMMARIVM.

1 *Votum obligat instar præcepti Ecclesiastici.*
2 *Sed cum discrimine in modo obligandi, & quodnam illud sit.*
3 *Non omnes causæ, quæ excusant à ieiunio ex præcepto, excusant à ieiunio ex voto. Et quænam sint, quæ non excusant.*

1 QVI docent, quod votum obligat instar præcepti Ecclesiastici, quando aliter non constat de intentione vouentis, vt docent communiter Sotus *lib. 7. de iust. & iure, qu. 2. ar. 1. in dub. post conclus.* ver. *Nihil in conclus.* Corduba *in Sum. q.* 88. *punc.* 1. Nauar. *c.* 12. *Manualis n.* 65. Arragon. 2. 2. *q.* 88. *art.* 3. *in prob.* 3. *concl.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 6. *punc.* 4. *q.* 2. *ver. Secundo. nam votum.* Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 54 Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *num.* 1. in terminis de ætate, Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *n.* 374. & alij, quia nimirum votum est quædam lex priuata, quam quisque sibi imponit; fortasse dicerent vniuersaliter quod causæ excusantes à ieiunio ex præcepto, excusent etiam à ieiunio ex voto, quia est eadem obligatio, & proinde locum habent etiam eædem causæ excusantes.

2 Sed adnotandum est discrimen inter obligationem ex voto, & inter obligationem præcepti positiui humani, & præsertim de ieiunio. Obligatio enim præcepti prouenit ab extrinseco, nempe ab extrinseca potestate: obligatio vero voti prouenit ab intrinseco, nempe à propria voluntate liberè suscipiente tale debitum. Hinc autem fit, quod præceptum, cum ex natura sua obliget solum potentes, inducat obligationem tantum super eos, quos reperit potentes, quando currit tempus implendi. Et non imponat obligationem conseruandi se ipsum potentem ad illud exequendum; imo licet vnicuique se subtrahere per media licita tali obligationi, vnde si lex obligat in vno loco, potest accedere ad locum in quo non obligat. At votum dicit obligationem personalem iam contractam, vnde nec quis potest ab illa se subtrahere, nec se reddere impotentem voluntarie suscipiendo aliquid incompossibile; imo tenetur se continuare potentem, quia iam habet obligationem ab intrinseco prouenientem.

3 Ex his autem sequitur, quod non omnes causæ, quæ excusant à ieiunio ex præcepto, excusare possint à ieiunio ex voto: sed illæ tantum, quæ ab extrinseco proueniunt, aut inuoluntariæ sunt, aut si voluntariæ, sint coniunctæ cum aliqua morali necessitate; non autem quæ voluntariæ sunt, & absq; necessitate. Vnde labor potens excusare à ieiunio ex præcepto, non excusabit à ieiunio ex voto, si sit voluntarius, & absque necessitate. Nam quando causa absque necessitate voluntariè apponitur, non impedit, ne votum hic, & nunc non liget, sicut impedit præceptum de ieiunio, quia iam ligauit, cum obligatio sit intrinseca. Vnde appo nere talia impedimenta, est nolle seruare votum actu obligans, & proinde peccatur contra ipsum. Quænam autem sint causæ excusantes à ieiunio, explicabitur infra suo loco.

An cesset obligatio voti de ieiunio alias debito ex præcepto, aut consuetudine, si derogetur præcepto, aut consuetudini.
Decis. 245.

SVMMARIVM.

1 *Cessat obligatio voti de ieiunio alias debito, si cesset tale debitum.*
2 *Obligatio voti de ieiunio alias debito, quando non cesset, cessante priori obligatione.*

1 AFFIRMATIVE respondetur cum Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 11. *n.* 66. Quia tale votum censetur emissum de ieiunio, vt iam cadente sub obligatione, non de ieiunio absolute, nimirum ad magis cõfirmandam obligationem existentem, & ponendum fortius motiuum ad illam exequendam. Nam, si vouens voluisset promittere absolute ieiunium, alium diem elegisset.

2 Est tamen aduertendum cum eodem Sanchez *ibid.* Quod, si votum non esset præcisè de illa die, in quo incidit ieiunium alias obligans, sed de pluribus alijs diebus simul cum ipso, tunc si ieiunio obliganti derogaretur, non cessaret obligatio voti, vt si votum esset de ieiunando toto aduentu, si vigiliæ coincidentes abrogarentur, non cessaret obligatio voti, quia votum non respicit præcisè ieiunium vigiliæ, sed ieiunium temporis, nam est consecratiuum illius temporis pro ieiunio.

An Pontifex possit irritare vota de ieiunijs, & cæteris abstinentijs. Decis. 246.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex non potest irritare vota de ieiunijs, & cæteris abstinentijs.*
2 *Quæ potestas requiratur ad vota irritanda.*

1 RESPONDETVR negatiuè. Ita etiam Lessius *lib.* 2. *de iust. & iure c.* 40. *dub.* 13. *n.* 81. Ghilinus *verbo.* Ieiunium *n.* 39. & desumitur ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 88 *ar.* 8. *in corpore.* & Caiet. *ibid.* §. *Ad cuius euidentiam.*

2 Ratio est; quia ad irritandum votum requiritur potestas dominatiua supra materiam voti, ita vt sit sub dominio irritantis, quia irritare votum est prohibere, ne materia promissa exhibeatur. Põtifex autem non habet talem potestatem supra ieiunia, & abstinentias, quia non sunt ipsis subditæ cœterorum voluntates, quo ad suas operationes, nam subdit sibi homines, tanquam pastor, atque adeo solum quantum necesse est, vt ipsos perducat ad pascua salutis, seu ad finem supernaturalem.

DE

DE IIS QVI TENENTVR AVT NON TENENTVR IEIVNARE.

Quando praeceptum ieiunij incipiat obligare. Decis. 247.

SVMMARIVM.

1 *Praeceptum ieiunij secundum aliquos obligat ante annum vigesimum primum.*
2 *Non obligat.*
3 *Ieiunia Ecclesiae ante vigesimum primum sunt nimis onerosa.*
4 *Ex speciali causa possunt adolescentes ante dictam aetatem obligari ad aliquod ieiunium.*
5 *Possunt etiam obligari ex voto, ex poenitentia, & ratione iubilei.*
6 *An confessarius possit imponere adolescenti, vt ieiunet toto anno diebus ab Ecclesia praescriptis.*
9 *An teneat votum adolescentis ieiunandi omnibus diebus ab Ecclesia praescriptis, aut etiam pluribus.*
8 *Foeminae non tenentur ad ieiunandum nisi in anno vigesimo primo.*
9 *Non est expectandus annus vigesimus quintus, vt quis teneatur ieiunare.*

1 PRaeceptum ieiunij obligare ante annum vigesimum primum atque adeo pueros, & adolescentes obligari lege ieiunij tenent Angelus *verbo* Ieiunium *n.* 13. *&* 15. Supplementum *eodem verbo*. Innocent. *in Rubrica De obseruat. ieiunior.* Qui velle videtur, pueros statim ac peccare, possunt obligari hoc praecepto. Alij vero obligari expleto decimo sexto anno, quia nimirum tunc motus carnis incipiunt, quibus per ieiunium occurrendum est.

2 At communissima omnium sententia est. Hoc praeceptum non obligare, nisi expleto anno vigesimo primo: & ita vniuersalis consuetudo ipsum interpratatur. Et traditur à D. Th. 2. 2. *qu.* 147. *ar.* 4. *ad* 2. Caiet. *ibid. §. Ad hoc dicitur, quod ratio litterae.* Durando *in* 4. *dist.* 15. *q.* 10. D. Antonino 2. *par. tit* 6. *c.* 2. §. 4. Syluestro *verbo* Ieiunium *q.* 6. vbi citat etiam Paludan Rosel. *eodem verbo n.* 14. Sà *n.* 9. Armilla *num.* 3. Tabiena *n.* 16. Astensi *tit.* 28. *ar.* 3. Ariostis *in Enchirid. par.* 2. *de Ieiunio.* Io: de Friburgo *in summa Confessor. lib.* 1. *q.* 17. Lodouico à S. Io. *par.* 1. *sum. ar.* 6. *tr. de ieiunio.* Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 16. Tolet. *lib.* 6. *sum. c.* 4. *nu.* 2. vbi etiam Victorellus *in Addition. ver.* Cum nondum Lopez 2. *par. Instruct. c.* 109. Nieua *in sum. tit.* 17. Villalobos 1. *par. sum. tr.* 23. *difficul.* 4. Ledesma 2. *par. sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 1. *post* 5. *conclus.* Cantarel. *in Praecep. Decal. lib.* 1. *c.* 48. *n.* 234. Ortiz. *c.* 19. *sum. n.* 11. Alens. 4. *par. q.* 102. *ar.* 3. Riccar. *in* 4. *dist.* 15. *ar.* 2. *q.* 54. Angles *in Florib. q.* 6. *de ieiunio. difficul.* 3. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 24. *n.* 23. Lessio *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2. *dub.* 6. *n.* 40. Fernandez *par.* 2. *Exam. Theol. mor. c.* 8. §. 2. *n.* 20. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscient. praecep.* 3. *ar.* 4. *n* 6. Azor. *par.* 1. *lib.* 7 *c.* 17. *q.* 2. Filliucio *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 6. *n.* 110. Sanchez *in Select. de Sacram. disp.* 54. *n.* 1. Philiar. *tom.* 1. *De offic. Sacer. par.* 2. *lib.* 3 *c.* 23. §. *Causae ob quas*. Graph. 1. *par. Decis. aurear. lib.* 2 *c.* 31. *n.* 40. Facundez *praecep.* 4 *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 2. Ledesma 2. *par.* 4. *quaest.* 17. *ar.* 3. *init.* Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *notab.* 4. Reginal. *tom.* 1. *Praxis Fori poenit. lib.* 4 *c.* 17. *n.* 205. Bonacina *disp. vlt. de praecep. Eccl q.* 1. *punc.* 6. *n.* 1. Lublino *par.* 1. *sum: verbo* Ieiunium *n* 5. Portel. *in Dub. Reg. verbo* Ieiunium *in Addit. n.* 1. Rodriquez *in Compend. q. Regular. Resol.* 75. *n.* 8. Rodriq. altero 1. *par. sum. c.* 24. Ghilino *in sum. verbo* Ieiunium *n.* 24. *init.* Llamas *par.* 3. *Meth. c* 5. §. 20. *init.* Hieronimo Perez *par.* 1. *sum. Theol. praecep.* 3. *tit.* de *Ieiunio.* Medina C. *de Ieiunio q.* 6. Basseo *in Florib. theol. mor. verbo.* Ieiunium 2. *n.* 1. Rursus Sanchez *lib.* 5. *Consil. mor. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4. Vega 1 *par. sum. c.* 14. *casu* 10. Ludouico à Cruce *in Bul. Cruciatae disp.* 1. *c.* 5. *dub.* 19. *n* 2. Syluio 2. 2. *q.* 147. *ar.* 3. *ver. Primus est.* Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3. *n.* 1. Tamburin. *tom.* 2. *De iure Abbat. disp.* 12. *q.* 4. *num.* 1. *in vlt. edit.* Bizozer. *par.* 4. *sum. c. vlt. memb. vlt. n.* 1. Trullench. *lib.* 3. *in Decal c.* 2. *dub.* 6. *n.* 1. Lezana *verbo* Ieiunium *n.* 6. Gregor. Lopez *l.* 4. *tit.* 23. *par.* 3 *glos* 3. Marcell. fortunat. *De verit. & errore par.* 2. *n.* 158. Perez de Lara *in Compen. Vitae homin. c.* 31. *n.* 47. Zeual. *Commun. contra commun q.* 131. Didacus de Narbona *in Annal. iur. anno* 21. *q.* 2. *n.* 2. *Martin. à S. Ioseph. tom.* 1. *moral lib.* 2. *tr.* 8. *de ieiun. n.* 1. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de praecep. Eccles. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 89.

5 Ratio auté est; quia vsque ad annum vigesimum primum durat incrementum corporis, & dum est in tali statu natura indiget plurimo, & continuo nutrimento, praecipuè ob abundantiam caloris: vnde ieiunium esset ipsis nimis onerosum, quia opprimeret naturam tendentem ad augmentum, & complexio debilitaretur, & ad incongruum statum reduceretur. Vnde Ecclesia non intendit eos obligare, quia non obligat ad ea, quae nimis onerosa sunt, & excedunt moralem potentiam, etiam si alioquin futura sint vtilia, vt esset ieiunium pro motibus carnis coercendis etiam ante vigesimum primum annum, quia non intendit omne, quod vtile est, sed vult etiam quod non sit nimis onerosum.

4 Possunt tamen pueri ante vigesimum primum annum ex aliqua speciali causa obligari ad ieiunandum, per aliquot dies, vt ob placandam iram Dei, ob

ob gratias agendas pro aliquo insigni beneficio, ob implorandum diuinum auxilium in aliqua graui necessitate, vt notant plures ex supracitatis Doctoribus, præsertim Sanchez *n.6.citati dub.2.c.1.lib.5.Consil.moral.* In his enim casibus vrget specialis ratio, ob quam non debet excludi illa ætas.

5 Hinc etiam possunt adolescentes obligari ad ieiunandum ante dictum tempus ex voluntaria obligatione per votum, quia possunt cedere iuri suo, & assumere obligationes quascunque: sic etiam ijs imponi potest onus ieiunandi ob satisfactionem peccatorum, quia cum teneantur ad opus pœnale, potest determinari, quod sit ieiunium, quia, quod aliquibus vicibus ieiunent, non est oppressiuum naturæ. Vnde à fortiori potest imponi onus ieiunandi sub aliqua conditione, nempe lucrandi iubileum, quia tunc nulla ijs fit iniuria, cum sit in ipsorum potestate tale onus non acceptare. Ita Azor.*par.1.lib.7.c.17 q.3.* Ludouicus à S.Io.*p.1.sum.ar.6.de ieiun.* Cantarel. *lib.1.in Decal.c.48.n.234.* Sanchez *in Select.de sacram. disp.54.n.6.* Diana *p.1.tr.9.resol.16.in fine.* Didacus de Narbona *in Annal.iur.ann.21.q.2.n.10.* Bossius *sect.4. de iubileo casu 18.n.77.* Facundez *prac.4. Eccl.lib.1.c.8.n.6.* Sanchez *lib.4.sum.c.11.n.55.* Leander *in prac. Eccl.tr.5.disp.8.q.5.*

6 Sed quæres; An possit aliquis confessarius imponere adolescenti pœnitentiam ieiunandi per totum annum in ijs diebus, in quibus Ecclesia indicit ieiunium. Resp. non posse, quia esset pœnitentia nimis indiscreta, & supra vires morales pœnitentis vnde peccaret grauiter talis confessarius, & faceret contra intentionem Ecclesiæ, quæ censet, non esse illam ætatem ad tot ieiunia obligandam, & proinde abuteretur potestate sibi tradita.

7 An autem, si quis voueret ante vigesimum primum annum ieiunare omnibus diebus, quibus Ecclesia cœteris præcipit ieiunandum, aut alia numerosiora ieiunia, votum teneret. Videtur negatiue respondendum, nam votum esset de re moraliter impossibili, & indiscreta: vnde, vt dicunt Doctores *supracitati*, Ecclesia non obligat in illa ætate, quia tot ieiunia sunt moraliter impossibilia, & indiscreta secundum regulas prudentiæ, & ob hanc causam ab Ecclesia non obligantur. Votum autem de abstinentijs indiscretis est irritum, quia non sunt amplius opus virtutis, vt docent D. Th.*2.2.q.88.ar.2. ad 3.* Syluester *verbo* Votum *1.q.4.dicto 3.& verbo* Votum *2.q.14.* Sotus *lib.7. de iust. & iure q.1 art.3.ad vlt.* Sanchez *lib.4.in Decal.c.6.n.4.* Hoc tamen locum non habet, quando complexio esset adeo robusta vt posset sustinere onus illorum ieiuniorum; aut quando quis moueretur ex speciali impulsu Spiritus Sancti, nam tunc præualeret motio diuina regulis prudentiæ humanæ.

8 Et quod dictum est, habet locum etiam in fœminis, vt notant Io. Alphonsus à Runcibus *in Medicina medicor. incipientium luminari 2.* Sanchez *in select. de sacram. disp.44.n.8.* Didacus de Narbona *in Annal. iur.anno 21.q.2. n.13.* Quia licet fœminæ citius pubescant, atque adeo citius perueniant ad consistentiam, vt docent Arist. *lib.4. de Gene. animal c.7.* & Hippocrat.*lib.de septismestri partu* consuetudo tamen ita interpretatur præceptum, vt non obliget fœminas ante annum vigesimum primum.

9 Ex dictis reijciendi sunt Panormit. & alij apud Angelum *verbo.* Ieiunium *n.15.* Salas *disp.14. de leg. sect.13.* dum volunt, qui non expleuerunt annum vigesimum quintum non teneri ieiunare totam Quadragesimam, & vigilias, sed partem. Quia praxis vniuersalis Ecclesiæ ita interpretatur præceptum ieiunij, & sentit, quod ætas anni vigesimi primi sit sufficiens, vt quisque supponatur huic præcepto. Lex autem obligat iuxta obseruantiam subsequutam Cap. Dilectus De *consuetud.* Et Clement. *Exiui.* §. *Item quia. De verb. significat.*

An adolescentes ante annum vigesimum primum teneantur ad ieiunia votiua communitatis, aut imposita ex synodali decreto. Decis. 248.

SVMMARIVM.

1 *Adolescentes non tenentur ad ieiunia votiua communitatis, aut synodalia.*

2 *Adolescentes, vt exempti ab onere ieiunij per Ecclesiam, non possunt ad ipsum obligari ab inferiori.*

1 Resp. non teneri ad huiusmodi ieiunia, vt docent Angles *in Florib.q.6.de ieiunio, diffic.3. Append.1.* Sanch. *lib.5. Cons. mor. c.1.dub.2.n.7.* Trullech. *lib.3.in Decal. c.2. dub.6.n.1.* Lez. *verbo* Ieiun.*n.6.* Bos. *to.3. mor.tit.21.§.2.n.23* Lean. *in pr. Eccl.tr.5.disp.8.q.6.* Martin à s.Ioseph. *tom.1. mor.lib.2.tr.8. de ieiun.n.1.* Quia nimirum leges vniuersales debent esse regula particularium, ita vt hæ non habeant maiorem vim obligandi, quam habeant vniuersales, vnde cum præceptum Ecclesiæ vniuersale non obliget adolescentes, nec etiam obligabit præceptum particulare,

2 At obstare videtur, quia Ecclesiæ præceptum vniuersale non obligat adolescentes ad ieiunium ex eo, quod cum sit de pluribus ieiunijs in quolibet anno, esset nimis onerosum, quod non habet locum in ieiunijs votiuis, aut synodalibus, quæ sunt vnum, aut alterum in anno. Resp. quod licet talia ieiunia non sint onerosa adolescentibus, adhuc tamen in ipsis militat ratio, ob quam ab Ecclesia eximuntur à præcepto ieiunij, nempe ætas tenera, & ideo ob eamdem rationem eximuntur etiam à prædictis ieiunijs. Cum enim præceptum ieiunij sit ab Ecclesia impositum taxatiuè pro ijs, qui vigesimum primum annum expleuerunt, idem est, ac si adesset lex eximens adolescentes à ieiunio; & ideo non potest inferior contra intentionem, & virtualem legem superioris obligare per statutum, aut votum, quod æquiualet statuto, exemptos à tali onere.

An, qui ante vigesimum primum annum valde robustus est, teneatur ieiunare, quando ieiunium præcipitur ab Ecclesia. Dec. 249.

SVMMARIVM.

1 *Adolescentes, robusti tenentur ieiunare ante annum vigesimum primum secundum Durand.*

2 *Non tenetur.*
3 *Ratio, ob quam etiam robusti adolescentes eximuntur à ieiunijs.*

1 AFFIRMATIVE respond. Durād. in 4. *Dist.* 15. *q.* 10. *n.* 4. Quia nimirum robur complexionis supplet ætatem, & tunc cessat causa, ob quam Ecclesia non subijcit præcepto ieiunij adolescentes.

2 At oppositum tenent communiter, & specialiter id notat Sanchez *lib.* 5. *Consil. mor. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *§.* 2. *n.* 23. Valent. *tom.* 3. *sum. disp.* 9 *punc.* 5. *verb. Impotentia.* Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 3. Machad. *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 4. *tr.* 3. *docum.* 9. *n.* 3. Quia Ecclesia attendit, quod regulariter contingit, non autem, quod in vno, aut in altero, & ideo accomodat suas leges pro eo, quod vt plurimum contingit; adolescentes autem vt plurimum ieiunare non possunt, nisi cum notabili damno.

3 Accedit etiam, quod licet complexio valde robusta sit, adhuc tamen status adolescentiæ est satis infirmus, quia nondum complexio est firmata & natura adhuc est in suo augmento, vnde totum illud robur, & totus ille vigor, per quem veluti natura ebullit, facile opprimi potest, aut in malum habitum declinari; & si illa naturæ ebullitio, non foueatur cibo sufficienti, veluti extinguitur, nec potest natura peruenire ad suum debitum augmentum, & ad debitam consistentiam, quod est maximum incommodum, & præiudicium complexionis; & idcirco etiam in robustis militat ratio, ob quam Ecclesia eximit à ieiunio adolescentes.

An adolescentes ante vigesimum primum annum teneantur ieiunare saltem aliquibus diebus. Decis. 250.

SVMMARIVM.

1 *Adolescentes tenentur ieiunare secundum aliquos aliquibus diebus ex assignatis ieiunio.*
2 *Non tenetur.*
3 *Cur adolescentes vniuersaliter eximantur à ieiunio.*
4 *Ratio vniuersalis precepti ieiunij cessat in adolescentibus*

1 ALiqui videntur sentire, quod teneantur ieiunare aliquibus diebus, nempe duobus, aut tribus diebus in singulis hebdomadis quadragesimæ, & in cœteris vigilijs infra annum. Quia nimirum ieiunium sic moderatum non potest nocere. Ita Syluester *verbo.* Ieiunium *q.* 6. Angel. *eodem tit.* Corduba *in sum. q.* 60. Rodriquez 1. *par. sum. c.* 23. *n.* 1. Maior. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. Durand. *q.* 10. *n.* 4. Palud. *disp.* 4. *ar.* 2. *conclus.* 1. Abulens. *q.* 139 *in cap.* 6. *Matth.* Angles *q.* 9. *de ieiun. diffic.* 3. *conclus.* 2.

2 Oppositum tamen tenent communiter Doctores, præsertim quos *Decis.* 247. *n.* 2. citauimus, & specialiter D.Th. 22. *q.* 147. *ar.* 4. Summa Corona *par.* 1. *c.* 1. Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 7. Facundez *prec.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 4. Sanchez *lib.* 5. *Opuscul. mor. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4. Didacus de Narbona *in Annalib. Iur. anno* 21. *q.* 2. *nu.* 4. Machadus *lib.* 2. *de perfect. Confess. par.* 4. *tr.* 3. *docum.* 9 *n.* 3. Leander *in prae. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 4. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de prac. Eccl. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 96. Quod etiam obseruat consuetudo, nam licet parentes faciant aliquando ieiunare filios, id tamen non præstant, quia censeant, teneri præcepto ieiunij, sed vt assuescant ieiunio, & exerceant opus virtutis.

3 Ratio est, quia Ieiunium ex natura sua est incongruum illi ætati, vt diximus in superioribus, & licet non sit adeo damnosum, si sit rarum, adhuc tamen contrariatur exigentiæ naturæ, & ideo Ecclesia eximit vniuersaliter à ieiunijs indictis adolescentes.

4 Deinde licet singula ieiunia præcipiantur per singula præcepta, omnia tamen præcepta integrant vnicum præceptum ordinatum ad mortificandam carnem per plura ieiunia: vnde mortificatio carnis est ratio vniuersalis in singulis præceptis adunans illa in vnum integrum præceptum. Respectu autem adolescentum cessat ratio vniuersalis præcepti, quia mortificatio carnis esset contraria ætati, & naturæ conatui, quo nititur perficere complexionem, & corpus, & ideo cessat etiam præceptum vniuersaliter in omnibus suis partialibus præceptis.

An, si quis compleat annum vigesimum primum initio quadragesimæ, aut circa medium ipsius, teneatur ad ieiunium in sequentibus diebus quadragesimæ. Decis. 251.

SVMMARIVM.

1 *Qui complet annum vigesimum primum post inceptam quadragesimam, non tenetur sequentibus diebus ieiunare secundum aliquos.*
2 *Tenetur ieiunare.*
3 *Præceptum ieiunandi in quadragesima est diuisibile.*

1 QVidam, vt refert Sanchez citandus, senserunt, quod non teneantur ieiunare, sequentibus diebus, quia præceptum est impositum de tota quadragesima, quia quando non potest seruari totum præceptum, nec etiam adest obligatio seruandi in parte.

2 Sed hoc cum nulla probabilitate dicitur, ideo merito oppositum tradunt Caiet. *verbo* Ieiunium *c.* 4. *in fine.* Sanchez *lib.* 5. *Consil. moral. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 8 Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 111. Ludouicus à Cruce *in Bul. Cruciata disp.* 1. *c.* 5 *dub.* 19 *n.* 3. *in fine.* Trullench. *lib.* 3 *in Decal. c.* 2. *dub.* 6. *n.* 1. *illatione* 3. Lezana *verbo* Ieiunium *n.* 6. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 2. *n.* 34. Leander *in pracep. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 11. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2. *tr.* 8. *de ieiun. num.* 7. Roccaful. *in praxi tract.* 6. *de Precept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 6. *nu.* 90. Quia

Quia præceptum de ieiunando in tota quadragesima non est vnum indiuisibile, sed vnum integrale constans ex pluribus præceptis affixis singulis diebus vnde etiam in singulis diebus exercentur singula completa ieiunia, quorum vnumquodque est sufficiens, vt satisfaciat vnico præcepto de ieiunio Ecclesiastico. Vnde etiam diuisibiliter seruandum est, & per suas partes, & ideo, quando non potest secundum omnes suas partes obligare, obligabit secundum illas, secundum quas potest; alioquin sequeretur, quod, qui prima die quadragesimæ frangeret ieiunium, non teneretur amplius per totam quadragesimam ieiunare, sicut qui semel frangit in aliquo die, non tenetur amplius illo die ieiunare, quod absurdum esset, & contra dictamen conscientiæ vniuscuiusque.

An, si quis in die ieiunij compleat vigesimum primum annum post aliquot horas, teneatur ieiunare, si nondum fregit ieiunium. Decis. 252.

SVMMARIVM.

1 *Quando annus vigesimus primus attingit partem diei ieiunij, si in hac parte non frangatur ieiunium. vrget postea obligatio ieiunandi secundum aliquos.*

2 *Non vrget quia præceptum ieiunij afficit totum diem:*

3 *Incipiens possidere diem exemptum à ieiunio, non potest postea obligari ad ipsum.*

4 *Si per exiguum tempus post mediam noctem annus vigesimus primus compleatur, non vrget illa die obligatio ieiunandi.*

5 *In tali casu nox media computari potest ex quolibet horologio.*

1 Complet quis annum vigesimum primum postquam iam incepit dies, in quo est ieiunandum ita vt pars illius diei pertineat ad annum vigesimum primũ, & pars ad annum vigesimum secundum, & non frangit ieiunium in illa parte diei, quæ pertinet ad annum vigesimum primum, dubitatur ergo, an teneatur in illo die ieiunare. Et affirmatiuè respond. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 24. n. 23.* Lezana *verbo* Aetas *nu. 8.* Portel. *in Dubijs Regular. verbo* Ieiunium. *in Addit. n. 1.* Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2. dub. 6. illatione 5.* Pontius *lib. 9. de Matrim. c. 8. n. 3.* Bossius *tom. 3. moral. tr. 21. §. 2. n. 23.* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n. 24. littera A.* qui tamen *littera* B. *sequenti* tenet *oppositum.* Quia tunc incipit obligare præceptum de ieiunio, & alias seruari potest.

2 At non obligare pro illa die præceptum de ieiunio tenent Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 54. n. 4.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 49.* Fillincius *tr. 27. par. 2. c. 6. n. 111.* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 7.* Naldus *verbo* Aetas *n. 3.* Didacus de Narbona *in Annalib. iur. anno 21. q. 2. n. 14.* Palaus *par. 1. tr. 3. disput. 1. punc. 24. §. 1. n. 11.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 12.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 8. de ieiun. n. 6.* Quia ieiunij præceptum respicit totum diem vt obiectum indiuiduum, non autem partem, & ideo, qui per aliquam diei partem exemptus fuit, liberatur totaliter pro illa die ab onere ieiunij, Quæ sententia est probabilior, & tenenda.

3 Pro cuius confirmatione addo, quod quando annus vigesimus primus attingit partem diei constituitur quilibet in iusta possessione non ieiunandi in illa die, siquidem incipit possidere illum diem, vt exemptum ab onere ieiunij: ergo non potest superuenire præceptum inducens obligationem, quia tunc tale præceptũ spoliaret iusta possessione, quod dici non potest, alioquin contineret iniustitiam, nam spoliare iusta possessione, iniustitia est. Et hoc locum habet etiam si antequam compleatur annus non sit sumptum ientaculum, nam & in hoc casu militat ratio allata, & ita docet Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput. 54. n. 4.* Io. Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 54. n. 4.* Roccaful. *in praxi tr. 6. De prec. Eccl. lib. 3. c. 6. n. 93.*

4 Ex quibus deducitur, quod, si quis in die ieiunij compleat annum vigesimum primum etiam paruo tempore post mediam noctem præcedentem diem ieiunij, non tenetur illa die ieiunare. Quia adhuc præceptum non afficit totam diem, & ipse ratione illius exigui temporis accipit illum diem, vt exemptum à ieiunio, & constituitur in possessione.

5 Sequitur etiam; quod quando compleat annum vigesimum primum circa mediam noctem potest ipsam mensurare, quo magis libuerit horologio, cum quodlibet horologium faciat indicium probabile mediæ noctis, & ideo poterit secundum ipsum iudicare, an complementum anni vigesimi primi incidat ante, vel post mediam noctem: & consequenter poterit decernere de obligatione ad ieiunium iuxta prædicta.

An Regulares professi teneantur ante expletum annum vigesimum primum ad ieiunia Ecclesiastica. Decis. 253.

SVMMARIVM.

1 *Adolescentes Regulares professi ante annum vigesimum primum non tenentur ad ieiunia Ecclesiæ.*

2 *Neque tenentur, etiam si talia ieiunia ab ipsis in communi mensa soleant seruari.*

3 *Quid, si regula præcipiat, ea seruari.*

1 RESP. non teneri, vt docent Gabr. *in 4. dist. 16. q. 5. ar. 1.* Tabiena *verbo* Ieiunium *n. 16.* Rosel. *nu. 14.* Azor *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 2 in fine.* Rodriquez. *tom. 2. q. Regul. q. 100. ar. 6.* Portel. *in Dub. Regular. verbo* Ieiunium *n. 2.* Sanchez *in Select. de Sacram. disp. 54. n. 2.* Facundez *præcep. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 6.* Diana *par. 1. tr. 9. de Ieiunio, Res. 16. ver. Verum.* Didac. de Narbona *in Annalib. Iur. anno 21. q. 2. n. 8.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 8. quæst. 7.* Quia nimirum non adest obligatio ad talia ieiunia, nisi ratione præcepti Ecclesiæ, hoc autem præceptum non obligat magis Regulares, quam sæculares vnde neque Regulares obligat, nisi expleto anno vigesimo primo.

2 Atque hoc etiam locum habet, quando ieiunia Ecclesiæ communiter obseruantur in communi mensa, etiam ab adolescentibus, quia hoc fit ob vniformitatem omnium in comedendo; non autem, quia adolescentes obligentur. Vnde neque ex consuetudine introducitur obligatio, quia non est consuetudo cum animo se obligandi, sed solum vt diximus, ob vniformitatem seruandam.

3 Maior difficultas est, an obligentur dicti adolescentes professi ad ieiunia Ecclesiastica, si regula præcipiat, ea in communi seruari; Affirmat Lezana *verbo*. Aetas. *n*.8. Ludouicus à S. Io. *par.1.sum.q.de Ieiun. ar.7.diffic.3.dub.2.* Leander de Murcia *in Cap. 3.Regular, S.Francis. c.2.* §.1.*n*.5. Sed videndum est, quomodo in regula præcipiantur, quia si expresse ponit aliquod præceptum, quod inducat aliquam specialem obligationem grauem supra obligationem, quam ponit Ecclesia tunc dicendum est, quod etiam adolescentes obligentur, quia voluntariè suscipiunt talem obligationem, siue sit ratione voti, qua voueant talia ieiunia: siue ratione specialis præcepti. Si vero solum regula simplici constitutione præcipiat seruari ieiunia; tunc dicendum est, quod adolescentes professi non obligentur, quia censendum est, quod regula in tali constitutione non ponat nouam obligationem, sed solum proponat obligationem Ecclesiæ, quæ non afficit adolescentes ante vigesimum primum annum. Et cum his concidie Leander *in præcep. Eccl. tr.5.disp.*8. *q*.8. licèt putet se alio modo distinguere.

An Regulares professi ante annum vigesimum primum teneantur ad ieiunia suæ Regulæ. Decis. 254.

SVMMARIVM.

1 *Professi Religiosi ante annum vigesimum primum non obligantur ad ieiunia regulæ secundum aliquos.*
2 *Secundum alios obligantur.*
3 *Profitentes aliquam regulam suscipiunt obligationem illius eo modo, quo intendit obligare.*
4 *Quando regula non ostendit specialem intentionem obligandi adolescentes ad ieiunia, non obligat.*
5 *Lex habet locum, vbi habet locum ratio legis; & sic etiam interpretatio legis.*
6 *Prælati locales possunt, & debent dispensare in ieiunio adolescentes professos.*
7 *Regula obligat instar voti.*
7 *Statuta recipiunt interpretationem a iure communi.*

1 NON obligari ad ieiunia, quæ imponuntur à regula, docent Graff. 1.*par.lib.2.c.37.num.*42. Medina *lib.1.sum.c.14.§.* 10. Tamburin *tom.2.de iure Abbat. disp.* 12.*q.* 4. *num.* 4. *in vlt.edit.* Pelizz. *tom.1. manual. tr.5.cap.5.num.31.* & quidam alij, vt asserit Sancius *in Selectis de Sacram. loco infra citando.* Quia regula non magis obligat, quam præceptum Ecclesiæ: hoc autem non obligat ante annum vigesimum primum.

2 At obligari docét Gab. *in 4.dist.16.q.3.ar.1.* Rosella *verbo*. Ieiunium *n*.14. Syluester *q*.6. Sà *n*. 3. Tabiena *q.16.n.17.* Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffícul.* 5. Corduba *in Exposit. Regul. Francis. c.3.q.2.* Ledesma 2. *par.4. q.17.ar.3.ver. Præterea* De pueris Azor. *par.1.lib.7.c.17.q.3.* Alter Ledesma *tom.2.sum.tr.27. c.2.dub.2.post conclus.*5, Rodriquez *tom.1.sum.c.24.n.1 & tom.2.q.Regul.q.100.ar.4.* Lopez 2. *par. Instruct.c.* 111. Sanchez *in sum.lib.4.c.11.n.56.* Filliucius *tom.2. tr.27.par.2 c.6.n.111.* Cantarel. *lib.1.in Decal. c.48. n.234.* Vega *tom.1.sum.c.14.casu 6.* Facundez *Præc. 4.Eccl.lib.1.c.8.n.6.* Ludouicus à S. Io. 1.*par.sum.ar. 6 tr.de Ieiunio.* Io. Sanchez *in Selectis de Sacram. disput.* 54.*n*.3. Llamas 3.*p.Meth c.5.§.20.* Syluius 2.2.*q*.147 *ar.4.ver. Verum vero.* Homobonus *p.2 Exam.Eccl.tr.8. c.7.q.23.* ver. *Secundam pariter.* Bartho1. à S. Fausto *lib.1. Thesauri Religiosor.q.145.vlt.edit. Neapol.* Bordonus *in Consil.Regul. Resol.18.n.6.* Trullench. *lib. 3. in Decal.c.2.dub.2.n.1.* Lezana *verbo* Ieiunium *nu.5. & tom.1 q.Reg.c.7.n.26.* Villalobos 1.*p.sum. tr.23 diffic.* 4.*n*.5. Reginal. *tom.1.Praxis Fori Pœnit.lib.4.c.17.nu.* 207. Ortiz. *c.19.sum.n.21.* Portel. *in Dub. Reg. verbo* Ieiunium *n*. 2. Diana *par.1.tr.9. Resol.16.ver. Nota etiam* Didacus de Narbona *in Annalib.Iur.anno 21.q. 2. n.9.* Petrus Marchant. *in Tribun Sacramen. tom.2. tr.12.tit. 3.q.4 §.1.* Remig. *tr.3.sum.c.4.* § 3.*n*.2. Leander *in præcep.Eccl.tr.5.disp.8.q 9.* Martin. à s. Ioseph. *tom.1. mor.lib.2. tr.8. de ieiun.n.4.* Quorum fundamentum est, quia Regula obligat ad hæc ieiunia, & apud aliquos Religiosos obligat ad mortale, vt de Minorum Regula declarauerunt Nicolaus III. & *Clemens* V. & habetur in Extrau. *Exiji, qui seminat.* & in Clement. *Exiui de Paradiso. De verbor.significat.* & adolescentes profitentes possunt se obligare, & profitendo suscipiunt in se obligationem Regulæ, & proinde manent obligati ad seruanda ieiunia.

3 Sed hoc fundamentum non est satis firmum, quia licet adolescentes profitentes possint in se suscipere obligationem, & actu illam suscipiant, illam tamen suscipiunt, prout intendit obligare: vnde deberet constare, quod regula intendat obligare etiam adolescentes. Sic etiam, si quis adolescens conuertatur ad fidem suscipit in se obligationem seruandi præcepta Ecclesiæ: & Ecclesiæ præceptum de ieiunio ponitur indifferenter absque exclusione alicuius, non tenetur tamen ante annum vigesimum primum ieiunare, quia non est intentio Ecclesiæ obligare ante illam ætatem.

4 Itaque examinanda est regula, & si aliquid continet, per quod ostendat specialem intentionem obligandi etiam adolescentes, tunc procul dubio obligabuntur, & militabit ratio *num.præced.* allata At si non ostendat talem specialem intentionem, sed tantum in generali obliget omnes, tunc censerem adolescentes non obligari, quia militat eadem ratio, ob quam possimus ipsam interpretari, sicut interpretamur præceptum Ecclesiæ. Ideo enim ipsum interpretamur, quod non obligat adolescentes, quamuis absolutè positum, & sine alicuius exclusione, quia illa ætas est impar ieiunio, eo quod noceat operationi naturæ, qua intendit perficere corpus, & perducere ad debitum augmentum: vnde ex hoc colligimus, non esse intentionem Ecclesiæ obligare adolescentes. Hæc autem ratio militat etiam in Religiosis. Et sicuti lex habet locum, vbi locum habet ratio legis Glos. *in Cap. Cupientes.* §. *Demque.* De elect.

elect. in 6. & in cap. 1. De elect. in Clem. Bal. *in l. fin. C. De her. instit.* Gemin. *Consil. 39.* Crau. *Consil. 227. nu. 6. vol 2.* Ita etiam habet locum eadem interpretatio legis, quando militat eadem ratio interpretationis.

6 Est tamen aduertendum, quod sequendo opinionem asserentem, adolescentes professos obligari ad ieiunia religionis, possunt ipsorum Prælati illos dispensare in his ieiunijs, & bene faciunt dispensando, & non cogendo ad omnia ieiunia, vt conseruatis viribus melius seruiant Religioni, vt notat Martinus Ledesma *2 par. 4 q. 17. ar. 3. ver. Praeterea. De pueris.* Et sequitur Leander *in prae. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 10.* Atque hoc verum est, etiam si alias Prælati locales non possint dispensare super Constitutionibus Religionis. Quia talis facultas ijs conuenit tanquam ordinarijs, qui sicut ex rationabili causa possunt dispensare in lege Pontificia ieiunij, eo quod lex censetur posita cum tali conditione: ita etiam ordinarij Regularium possunt dispensare in lege ieiunij, quam ponunt Constitutiones, licet sit lex superioris, concurrente debilitate ætatis, vt rationabili causa. Quia vt lex non sit nimis onerosa, sed rationabilis, admittit in ipsis facultatem dispensandi ex causa rationabili cum non sit semper possibilis recursus ad legislatorem.

7 Contra supradicta insurgit Bossius *tom. 3 mor. tit. 21. §. 2. n. 30.* asserens, quod dicere, quod Regula non magis obligat, quam præceptum, caret omni fundamento. Verum si consideretur, quod Regula obligat ratione voti, quatenus per ipsum assumitur seruanda, statim constat fundamentum sic asserendi, nam regula obligat in virtute voti, & votum obligat iuxta mensuram legis, vt concedit etiam ipse Bossius *eodem §. n. 23.* quia obligatio legis vniuersalis est mensura obligationis legis particularis, qualis est lex voti. Imo sicuti Statuta recipiunt interpretationem à iure communi *l. 1. §. Si quis proximior. ff. Vnde cogn. & §. Proximus* Instit. *De leg. t. agn. success.* & tradunt Salicetus *in l. Si serui vestri C. de noxal. act.* Crot. *Consil. 131. n. 1. lib. 1.* Ruin. *consil. 29. n. 5. lib. 3.* Socin. Iun. *Consil. 75. n. 4. lib. 2.* Paris. *consil. 98. n. 43. lib. 1.* Menoch. *consil. 826. n. 7.* Bertr. *consil. 78. n. 2.* Socin. Sen. *consil. 152. n. 14. lib. 2.* Brun. *tract. Quod stant. mascul. ar. 13. n. 83.* Ita etiam leges, seu statuta Religionum tanquam particularia iura debent recipere interpretationem à iure communi, itaut obligent ad mensuram iuris communis.

An, qui dubitat, an expleuerit annum vigesimum primum, teneatur ieiunare.

Decis. 255.

SVMMARIVM.

1 *Dubius an compleuerit annum vigesimum primum, non tenetur ieiunare.*
2 *Ius incertum non præualet contra certum.*
2 *Vltima dispositio introducens obligationem ieiunij.*
3 *Tunc solum obligat præceptum ieiunij, quando formatur iudicium, quod annus vigesimus primus sit completus.*
4 *Quid, si probabile sit, quod sit completus, & etiam quod non sit completus.*
5 *Quid ei agendum, qui est incertus, quem annum ætatis agat.*

1 Resp. non teneri ad ieiunium, quousque remanet dubius de complemento anni vigesimi primi. Ita Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 38.* Alter Sanch. *in select. de sacram. disp. 54. n. 5.* Naldus *in sum. verbo* Dubium *n. 23.* Laiman. *lib. 1. theol. mor. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 33.* Alphonsus de Leone *par. 1. de offic. & potest. Confess. Recollect. 35. n. 22.* Palaus *par. 1. disp. 3. punc. 8. n. 7.* Basseus *in Florib. Theol. mor. pract. verbo* Ieiunium. *2. in fine.* Trullench. *lib 3. in Decal. c. 2. dub. 6. n. 1.* Facundez *Prae. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 7.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 49. ver. Notandum est,* & *par. 4. tr. 3. Resol. 21.* Didacus de Narbona *in Ann. lib. Iur. anno 21. q. 2. n. 15.* Bonacin. *disp. 1. de iust. q. 2. punc. 2. §. 5. incid. n. 11.* Gordon. *lib. 3. th. mor. q. 3. n. 10.* Ariaga *1. 2. disp. 25. n. 53.* Bossius *tom. 1. mor. tit. 1. § 45. n. 1699.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4 §. 3. n. 13.* Leander *in prae. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 13.* Io Henriquez *in sum. sect. 16. q. 29.* Bossius *tom. 1. moral. tit. 1. n. 1699.* Martin à s. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 8. de ieiun. n. 5.* Roccaful. *in Praxi n. 6. De prae. Eccl. l. b. 3. c. 9. n. 94.* & desumitur etiam ex Henriquez *lib. 8. sum. c. 45. n. 2. in Gloss. littera* P. necesse est tamen, quod adhibuerit sufficientem diligentiam.

2 Ratio est, quia ius incertum non potest præualere contra maius: stante autem dubio de complemento anni vigesimi primi, adest ius certum possidendi propria libertatem, & ius præcepti obligantis ad ieiunium est incertum, quia cum præceptum non obliget, nisi expleto anno vigesimo primo, dum est dubium tale complementum, remanet etiam dubia obligatio, quia remanet dubium fundamentum, seu materia, circa quam versatur talis obligatio. Deinde cum complementum anni vigesimi primi ponat vltimam veluti dispositionem, qua vltimo fidelis constituitur subiectus præcepto ieiunij, & sine qua non constituitur, quousque non constat de tali dispositione, nec etiam censenda est introduci obligatio.

3 Ex quo fit, quod, quando quis nescit tempus præcisum, quo complet annum vigesimum primum, non teneatur ieiunare, nisi quando potest formare determinatum iudicium, quod talis annus iam completus sit. Antequam enim tale iudicium formare possit, remanet dubius, & ideo non subijcitur obligationi ieiunij.

4 Sed quid, si probabile sit ex vno capite, quod annus vigesimus primus sit expletus, & ex alio capite sit etiam probabile, quod non sit expletus Resp. quod si vtrumque æque probabile sit, tunc sequi potest vtrumlibet: quia non est maior ratio de vna parte, quam de alia, & ideo ex libertate sua potest se determinare; si vero magis probabile sit, quod non expleuerit, non tenetur ieiunare, quia iuxta maiorem probabilitatem potest iudicare, quod non expleuerit. At, si magis probabile sit, quod expleuerit, quia hæc est probabilitas facti, non iuris, ideo tenetur ipsam sequi, & conscientia tanquam iudex de ipso facto tenetur iudicare, quod sit expletus, & talem sententiam sequi.

5 At

5 At rursus dubitatur, quid ei agendum, qui nedum ignorat diem, aut mensem, in quo complet annum vigesimum primum, sed etiam annum vt non raro contingit in rudibus, qui nesciunt, quem ætatis annum agant, an vigesimum primum, an decimum nonum, an vigesimum quartum, nec habent media, ex quibus certificeutur, vel quia non recordantur, vbi baptizati, vel ex aliquo alio capite. Resp. seruandum esse, quod moraliter possibile est: vnde quadam morali æstimatione determinanda est ætas habita ratione eorum omnium, ex quibus colligi potest; & si ipsi hoc præstare non possunt debent se remittere iudicio prudentis viri, aut confessarij, si sit prudens: & tunc tenebitur ieiunare, quando iuxta moralem æstimationem statuatur, esse completum annum vigesimum primum: antequam autem hoc statuatur, non tenebitur, nam nondum erit subiectum aptum ad suscipiendam obligationé. Et me citato sequitur Leander *in præcep. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 14.*

An, & quæ ætas excuset senes à ieiunio. Decis. 256.

SVMMARIVM.

1 *Senes non tenentur ad ieiunium.*
2 *Nulla datur ætas determinata excusans à ieiunio secundum aliquos, sed semper debent attendi vires.*
3 *Aetas septuagesima eximit à ieiunio, nisi alioquin robusta sit, secundum alios.*
4 *Septuagenarij senes excusantur ab oneribus ciuilibus:*
5 *Aetas sexagenaria eximit ab onere ieiunij, nisi alioquin robusta sit secundum alios.*
6 *Aetas sexagenaria absolute liberat a ieiunio, etiam robustos.*
7 *In ætate sexagenaria, etiam in robustis, decrescunt vires, & robur naturale.*
8 *Ante ætatem sexagenariam aliqui liberantur a ieiunio, quia citius senescunt.*
9 *Infirmitas relinquens dispositionem complexionis similem senili, eximit a ieiunio.*
10 *Senex liber a ieiunio non potest edere cibos prohibitos, nisi alias indigeat.*
11 *An senes facile inediam ferant.*

1 SEnes excusari à ieiunio, docent omnes præsertim infra citandi. Cum enim in senectute debilitetur natura, ita vt facile cadere possit, & proinde senectus æquiparetur infirmitati, adstringere senes ad ieiunandum, esset ipsis imponere onus intolerabile, & quod moraliter saltem substineri non posset. Dubitatur tamen, quanam ætate desinant obligari præcepto. Neque enim circa hoc Ecclesia aliquid determinauit, neque stante varietate complexionum senectus semper eodem tempore incipit in omnibus, cum alij citius, alij tardius incipiant pati diminutionem virtutis, & caloris naturalis.

2 Primo igitur aliqui asserunt, quod nulla detur ætas determinata, in qua quis excusetur à ieiunio, sed habendam esse rationem roboris corporis, & complexionis, & proinde remittendam hanc determinationem iudicio prudentis viri. Ita D. Antonin. *par. 6. tit. 6. c. 2. §. 7.* Palud. *in 4. dist. 15. disp. 8. conclus. 4.* Graff. *par. 1. lib. 2. c. 17. n. 43.* Summa Corona *par. 1. c. 1. n. 80.* Medina C. *De ieiunio q. 9.* ver. *Deinde senibus.* Rodriquez *in Bullam Cruciatæ §. 6. dub. 2.* Vega *in sum. tom. 1. c. 14. Casu 15.* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 3.* ver. *Præterea De pueris.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 4.* ver. *De senibus.* Facundez *Præcep. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 9.* Caiet. *2. 2. q. 147. ar. 5. Quoad primum de senibus, & in sum. verbo.* Ieiunium *c. 2.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8. conclus. 4.* Alphonsus à Ruicibus *in medicina medicorum incipient. lumin. 2.* Quorum fundamentum est; quia non datur certus terminus ætatis, in quo semper senes sint debiles, sicut in adolescentibus datur terminus augmenti, sed dantur senes sexagenarij, qui sunt magis robusti, quam quadragenarij.

3 Secunda autem opinio docet, ætatem septuagenariam esse terminum, in quo cessat obligatio ieiunij. Ita Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. notat. 4.* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 6. dicto* 2. Rosel. *n. 15.* Tabiena *q. 17. n. 18.* Lopez *2. par. Instruct. tr. de pœnit. c. in.* & alij, qui tamen addunt, posse senes septuagenarios esse ita robustos, vt possint ieiunare, & contra ante septuagesimum annum esse ita viribus debilitatos, vt excusentur à ieiunio: vnde solum est verum, quod septuagenarij regulariter à ieiunio excusentur.

4 Quia sicuti excusantur in iure ciuili ab oneribus personalibus. *l. vnica C. Qui ætate lib.* 10. Ita etiam excusantur à ieiunio, cum leges Canonicæ non sint minus mites, quam ciuiles.

5 Tertio. Alij asserunt, quod annus sexagesimus vt plurimum eximit ab obligatione ieiunij: attendendas tamen esse vires, & robur complexionis, quia si vires satis firmæ sint, & complexio robusta, non eximuntur. Ita Nauer. *in Manual. c. 21. n. 16.* in lat. *& n. 15.* in Hisp. Viguer. *c. 7. Instit. th. § 3. ver. 1.* Medina *lib. 1. sum: c. 14. §. 10.* Pedraza *Præc. 3. §. 13.* Philiar. *tom. 1. De offic. Sacer. p. 2. lib. 3. c. 25. §. Causæ ob quas. et. Causa 2.* Rodriquez *tom. 1. sum. c. 24. n. 1.* Armilla *verbo* Ieiunium *n. 3.* Valent. *2. 2. disp. 9. q. 2. punc. 5.* ver. *Impotentia ad ieiunium.* Insuper Adamus Tannerus *disp. 3. q. 3. dub. 5. n. 91.* Vgolin. *De potest. Episcopi c. 9. n. 6.* Campanil. *in* Diuer. Iuris *Canonici Rubr. 7. c. 6. n. 151.* Laiman *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 1. & 2.* Less. De iust. *& iure lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 41.* Filliucius *tom. 2. tr. 27. par. 2. c. 6. n. 112.* Reginal. *lib. 4. Praxis Fori pœnit. c. 17: sect: 1. n. 209.* Azor. *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 4.* Tolet. *lib. 6. sum. c. 4. n. 1.* vbi etiam Victorel. *in Adnot.* Villalob. *tom. 1. sum. tr: 23. diffic. 4. n. 6.* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 4.* Ledesma *tom. 2. sum. tr. 27. c: 2 dub. 3. post 5. concl.* Io: à Cruce *par. 1.* Direct. *præc. 3. ar. 4. dub. 9. concl. 2.* Fernandez *par. 2. Exam. th. mor. c. 8. §: 2. n. 20.* Hieron. Rodriquez *in Compend. q. Regul.* Resol. *75. n. 10.* Basseus *in Florib. th. mor. verbo* Ieiunium *2. n. 5:* Bizozer. *par. 4. sum. præc. 3. c. vlt. memb. vlt. n. 2.* Mach. *tom. 1. lib. 1. p. 4. tr. 3. docum. 9. n. 4.* & alij communiter.

6 Denique alij absolutè docent, sexagenarios etiam robustos excusari ab obligatione ieiunandi. Ita Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 32. n. 17. & lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 4. n. 7.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 9.* Ortiz. *c. 19. sum. n. 11.* Portel. *in dub. Reg. verbo.* Ieiunium *num. 5.* Molfes. *tom. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 37.* Granad. *1. 2. Controuer. 7. tr. 3. par. 1. disp. 6. sect. 5. num. 39.* Io. Fran-

Franciscus Suarez *lib.7.Enchir. Casuum conscient. verbo* Ieiunium. §. *Alij tamen.* Llamas *par.3.Methodi c.5.§.* 20. vbi asserit Pium V. viua voce ita respondisse Dianã *par.1 tr.9.de ieiunio.Resol.*20. ver. *Attamen.* Io. Sanchez *in select.de Sacram. disp.*54.*n.*8. Ludouicus à S.Io. *p.1.sum.tr. de ieiun.ar.6.* Hieron. Perez *p. 1. sum. Theol.prac.*3.§.*De ieiunio.* Ghilinus *in sum.verbo.* Ieiunium *n.*21, *littera S.* Naldus *verbo.* Tempus *num.*20. Tamburin. *tom.2.De iure Abbat.disp.* 12.*q.*5.*n.*7.Trullench.*lib.3.in Decal. c.2. dub.7.n.3.* Gratian. *in Discept.forens.cap.* 805.*n.*22. Perez de Lara *in Compend. Vitæ hominis.c.*31.*n.*50.Velascus *de Privileg.miserab.q.*18 *n.*72.Didacus de Narbona *in Annal.iur.anno* 60.*q.*2.*n.* 5. Gordon. *lib.6.Theol.moral.q.*18.*n.*11. Bossius *tom.* 3.*moral.tit.*21.§.2.*n.*38.Leander *in prac.Eccl.tr.*5.*disp.* 8.*q.*17.Io.Henriquez *in sum.sect.*16.*q.*23. Martin.à S.Ioseph. *tom.1.moral.lib.2.tr.*10 *de ieiun.n* 2. Andreas Mendus *in Bull.Cr. disput.*13.*c.*1.*n.*2. Roccaful. *in praxi tr.*6 *de prac.Eccl.lib* 3.*c.*6.*n.*97.

7 Quæ sententia tenenda est tanquam probabilissima,& quam Doctissimi Recentiores passim amplectuntur, & in praxi consulunt: vnde non rectè parum tuta dicitur à Facundez *n. 2. citato.* Ratio autem est,quia ætas sexaginta annorum est ætas senilis, in qua calor naturalis incipit debilitari, & spiritus minui: ætas autem senilis est debilis, & facile corruit, aut labitur in morbum, vt docet Gallen. *lib.5.de sanitate tuenda:* & experientia patet,quia natura non potest substinere in illa ætate labores,quos antea sustinebat,& tunc ea nocent, quæ iuuenibus & viris non nocebant.& habet suas, actiones inualidas, & sanitatem quærimonijs plenam, vt ait idem Gallenus *lib.6. eiusdem operis.* Vnde de se exigit solui à lege ieiunij,alioquin esset nimis onerosum, & moraliter intolerabile,quia cadentem naturam magis impelleret ad casum, & hoc habet locum etiam in senibus, quantumuis robustis, nam adhuc in ipsis robur declinat,& natura à statu consistentiæ conuertitur ad statum declinationis;quod satis ex eo patet, quia nec ipsi resistunt ijs, quibus antea poterant resistere,nec quædam possunt præstare,quę antea commode præstabant.Cum igitur in ipsis quoque militet ratio, ob quam senes excusantur à ieiunio, cur non excusabuntur etiam robusti? Et sicuti adolescentes,quantumuis fortes, excusantur à ieiunio,quia earum ætas est in incremento: ita etiam senes,licet robusti,excusabuntur,quia,dum agunt annum sexagesimum, eorum ætas est in decremento.

8 Ex quibus colligitur, aliquos liberari posse à ieiunio ante annum sexagesimum, quia nimirum in aliquibus aliquot annis ante pluribus, vel paucioribus incipit senectus: vnde tunc ipsi quoque incipient liberari à ieiunio. Vt autem cognoscatur,quando incipient liberari, attendendum est, quando vires,& robur naturale incipit decrescere, quod facile colligi poterit ex eo, quo natura, & complexio non potest amplius resistere ijs, quibus resistebat; tunc enim incipit senectus liberans à ieiunio, quia incipit causa,nempe diminutio virium, & roboris, naturalis, quæ liberat. Sequuntur Narbona *n.6. citata quæstionis.* Leander *citat.disp.q.* 18.

9 Colligitur quoque;quod si quis ex aliqua infirmitate ita debilitaretur, vt remaneret in statu simili senectuti, ita vt fieret in ipso continua diminutio virium, & roboris naturalis, liber esset ab onere ieiunij; nam sicut ex morbo anticiparet status senectutis, ita etiam anticiparet exemptio à ieiunio.

10 Est tamen aduertendum;quod licet ratione ætatis excusentur à ieiunio, tenentur tamen abstinere à cibis prohibitis in ieiunio, nisi ex alio capite ijs indigeant, vt docent communiter, præsertim Nauar. *in Manual.c.*21.*n.*13. Azor. *par.1. lib.7.c.7.q.4.* Filliucius *tr.*27. *par.2.c.3.n.63.* Syluester *verbo* Ieiunium *n.*7. Tabiena *n.*10. Trullench. *in Bullam Cruciatæ lib.1.§.4 dub.4 n.4.& lib.3.in Decal.c.2. dub.2.n.* 16. Quia cibi prohibentur distincto præcepto.

11 Neq; obstat id quod docet Hippocrates *sect.* 1. *aphoris* 13.quod senes facillimè ieiunium ferant.nam vt explicant Sorapan. *in medicina hispan.par.*1. *Aphoris* 13. Rodigin.*lib.*27.*lect.antiq. c.* 20. Alexan.Massaria *lib.*5.*pract. medicin.c.*15. Intelligitur de senibus in prima senectute, nempe à quinquagesimo ad sexagesimum annum. Deinde licet ob caloris defectum non sentiant stimulos famis, nocet tamen ipsis plurimum inedia, quia ob humidi exsiccationem indigent frequenti alimento, & non multo itaut aggrauentur.

An fœminæ citius eximantur ab onere ieiunij, quam viri. *Decis.* 257.

SVMMARIVM.

1 *Fœminæ non eximuntur citius, quam viri ab onere ieiunij.*

2 *Probabile est, fœminas quinquagenarias eximi ab onere ieiunij, sed oppositum est probabilius.*

3 *Facilius dispensandum est in ieiunio cum fœminis quinquagenarijs, quam cum viris.*

1 NON citius eximi, sed solum quando sexagenariæ, sunt docent Facund. *prac.4.Ecc.lib.1.c.*8 *n.*11. Laiman. *lib 4. theol.mor. c.1. nu. 2. ver. Illud vero.* Sanchez *in select.de sacrã. disp.*54.*n.* 11. alter Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.*32. *n.*17. Alphonsus de Leon.*de Censur. Recollect.*46.*n* 471. Trullench. *in Bullam Cruciatæ* §. 4. *dub.*4.*n.*4. Roccaful.*in praxi tr.* 6. *lib* 3.*c.*6. *n.*98. Qui tamen addit,probabile esse, quod quinquagenariæ eximantur ab onere ieiunij, sed speculatiue loquendo: nam in praxi hæc opinio non est tuta, sed alter Sanchez *loco citato* notat, non loqui consequenter, dum admittunt opinionem probabilem speculatiuè, & non tutam in praxi, quod nos etiam ostendimus in Decis. moral. *Decis.* 362. Et etiam notat Didacus de Narbona *in Annalib. iur. anno* 60.*q.*2.*n.*14.

2 Itaque satis probabile existimo,quod fœminæ quinquagenariæ liberentur ab onere ieiunij, quia ex natura sua sunt debilioris complexionis,quam viri, quod satis experientia patet: vnde consequenter citius incipit in ipsis senectus, & declinatio virtutis naturalis: & ideo cum citius ponatur in ipsis causa, quæ liberat viros ab onere ieiunij,citius quoque debet poni effectus liberationis. Oppositum ta-

tamen est probabilius. Sed hoc quoque esse tutum in Praxi tenet Narbona *num. prac. citato* Zoesius *lib. 3 Decret. tit. 46. n. 10.* Machad. *tom. 1. lib. 2. par. 4. tr. 3. docum. 9. n. 4.* Pellizar. *de Monial. c. 6. n. 25.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 5. ver. Es tambien.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 19.* qui plura affert vt ostendat muliebrem senectutem incipere anno quinquagesimo.

3 Ex hoc tamen sequitur, quod facilius dispensandum sit vrgente aliqua causa cum fœminis quinquagenarijs, quã cũ iuris quia, cum stante earũdẽ debilitate probabile sit, nõ teneri ad ieiunium, facilius habet locum dispensatio, quia coniungitur motiuum dispensandi cum probabilitate, quod exemptæ sint à ieiunio.

An ad liberandum ab onere ieiunij sufficiat annus sexagesimus inceptus, an vero debeat esse completus.
Decis. 258.

SVMMARIVM.

1 *Vt quis liberetur à ieiunio, sufficit annus sexagesimus inceptus.*
2 *Annus inceptus in fauorabilibus habetur pro completo, etiam quando terminus statuitur prudentum iudicio.*
3 *Sexagenarij non eximuntur a ieiunio ex priuilegio, sed ex incapacitate obligationis.*
4 *Quando annus sexagesimus incipit aliquo die, hic dies non subijcitur oneri ieiunandi.*

1 RESp. sufficere, si sit inceptus, vt docet Sanchez *in selectis de sacramen. disp. 54. n. 10.* Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2. dub. 4. n 3.* Velascius *de priuileg. Miserabil. q. 18. n. 74.* Didacus de Narbona *in Annal. iur anno 60. q. 2. n. 15.* Alphonsus de Leone *de Censur. Recollect. 5. n. 472.* Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimon. disp. 104. n. 2.* Medina C. *de ieiunio q. 2.* *De his qui tenentur, &c.* Flamin. *de resignat. Beneficior. lib. 12. q. 8. nu. 19.* Naldns *verbo.* Ieiunium *n. 2.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. § 2.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 17 in fine:* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 10. de ieiun. n. 2.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. c. 4. num. 100.* Quia in fauorabilibus annus inceptus habetur pro completo. *l. Qua ætate ff. De testam.* & Glos. *l. 3. §. Minorem.* verbo *Momentum ff. De minorib.* vbi Bar. *n. 2.* Bald. *in fine.* & communiter. & constat ex praxi in susceptione ordinum, nam sufficit attigisse annum præfixum à iure pro singulis ordinibus.

2 Sed forte quis occurret, quod hoc valet, quando terminus est præfixus à iure, nam tunc ius assignat illum terminum secundum totam suam latitudinem, & ideo potest accipi in quacunque parte ipsius: secus autem, quando terminus præfigitur à communi prudentum iudicio, quia tunc terminus pariter secundum communem æstimationem accipitur, quæ non computat annos inceptos, sed completos, vt patet, quando assignatur etiam annus vigesimus primus pro inceptione obligationis ad ieiunandum. Resp. prudentum quoque iudicium, & terminos per ipsos assignatos debere accipi iuxta regulas iuris, quia debet accipi secundum mensuram rationis, quæ est in regulis, quibus ius mensuratur Et in casu nostro, quia anno sexagesimo incipit notabiliter diminutio virium: ideo totus ille annus habendus est pro initio decrementi, & ideo totus etiã secundum ipsius initium erit terminus finiens obligationem ieiunij.

3 Nec obstat, quod priuilegium exorbitans à iure sit strictè interpritandum ex regula. *Quæ a iure De regulis iuris in 6.* Nam in præsenti, non sumus in priuilegio, nam sexagenarij non eximuntur à præcepto ieiunij ex fauore legislatoris, sed ex incapacitate obligationis: atque adeo quia lex ad ipsos non extenditur: ideo eximuntur non vt priuilegiati, sed vt non comprehensi sub lege.

4 Ex his colligitur, quod quando quis aliquo die ieiunij ingreditur annum sexagesimum, non tenetur illa die ieiunare, quia cum intra terminum illius diei liberetur ab onere ieiunij, iam illa dies non subijcitur tali oneri, quia, vt alibi diximus, onus ieiunandi respicit integrum diem, &, si non potest integrum respicere, non afficit illum: vnde etiam quando semel frangitur ieiunium, cessat obligatio ieiunandi, quia non potest amplius ieiunium seruari toto integro die.

An Religiosi sexagenorij teneantur ad ieiunia suæ regulæ.
Decis. 259.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi sexagenarij non tenentur ad ieiunia Ecclesiastica.*
2 *Tenentur ad ieiunia regulæ secundum aliquos.*
3 *Sed neque ad ipsa tenentur.*
4 *Lex religiosis debet proportionari cum lege Ecclesiastica*
5 *Distinctio Leandri reijcitur.*

1 COn teneri ad ieiunia ecclesiastica Religiosos sexagenarios, aut saltem septuagenarios, seu senes debiles, docent communiter, quia præceptum Ecclesiæ omnes æqualiter obligat, & ab ipso omnes æqualiter eximuntur. Vnde, nisi regula aliquid speciale statuat, eadem est conditio de ipsis, ac de cœteris.

2 Quod autem spectat ad ieiunia indicta per regulam. Non liberari senes sexagenarios docet Laim. *lib. 4. tr. 8. c. 3. n. 2* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21 n. 44* Leander à Murcia *in c. 3. Regul. S. Francis. c. 2. §. 2 in. 19.* Ludouicus à S. Io *1. par. sum. tr. de ieiun ar. 6.* Bordonus *in Consil. Reg. Resol. 18. n. 6.* Quia nimirum obligatio regulæ est voluntarie suscepta.

3 Sed est tenendum oppositum cum Io: Sanchez *in select de sacram. disp. 54. n. 8 in fine.* Hieronimo Rodriquez *in Compendio q. Reg. Resol. 75 n. 10* Tamburino *tom. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 5. n 7. in vlt. edit.* Didacus de Narbona *in Annal. iur. anno 60. q. 2. n. 8.* Petro Marchant. *in Tribun Sacram. tr. 12. tit. 3. q. 4. § 1.* Caramuel. *in Reg. S. Benedicti disp. 128. n. 1613.* Roccaful. *in*

in Praxi tr.6. lib.3. c.6. n.99. Quia præceptum regulæ obligat instar præcepti Ecclesiastici, & proinde ob eandem rationem, ob quam cessat lex ecclesiastica, debet etiam cessare lex religionis. Cum enim lex religionis debeat ipsa quoque permanere in sua iustitia, vt habeat vim obligandi, alioquin non esset lex, non debet pro statu religioso habita ratione instituti ipsius esse nimis onerosa. Est autem nimis onerosum, quod sexagenarij religiosi iam laboribus regularibus confecti, & continuo regularis obseruantiæ pondus portantes, subijciantur etiam ieiunijs, siquidem stante declinatione ætatis nimis opprimerentur cum periculo damni notabilis, & inhabilitatis ad obeunda munera religionis. Adde quod lex Regulæ vt potè specialis recipit interpretationem à iure communi, iuxta dicta *Decis.254. num.7.*

5 Nec quid nouum affert Leander *in prac. Eccl. tr.5. disp.8. quæst.20.* dum distinguit, quod tenentur per se ratione susceptæ obligationis, licet non teneantur per accidens ratione nimiæ senectutis, & debilitatis. Nàm quod quæritur est an excusentur ratione senectutis: sic etiam lex ieiunij omnes afficit absolutè, senectus verò liberat ab obligatione. Quæ cum superueniat vnicuique saltem regulariter, non censetur suscipi obligatio, nisi secundum mensuram ætatis potentis portare onus.

An vouens, se ieiunaturum certis diebus toto vitæ suæ tempore, teneatur ieiunare etiam post annum sexagesimum. *Decis. 260.*

SVMMARIVM.

1 *Vouens ieiunare certis diebus per totam vitam, tenetur ieiunare etiam in senectute.*
2 *Non tenetur ieiunare.*
3 *Vota obligant ad instar præcepti ecclesiastici.*
4 *Votum emissum pro toto vitæ spatio quomodo debeat accipi.*
5 *Exprimens conditionem perpetuitatis in voto ieiunandi, non se obligat in senectute.*
6 *Quid si expresse vellet se obligare in senectute.*
7 *An ieiunium ex pœnitentia obliget post annum sexagesimum.*

1 Teneri adhuc ieiunare post annum sexagesimum, docet Laiman *lib.4. Theol.mor. tr.8. cap.2. n.3.* Diana *par.1. tr.9. resol.20. in fine.* Leander à Murcia *in Regul. S. Francis. c.2. in cap.3. §.2. num.19.* Quia cum votum sit perpetuum, & emissum pro toto tempore vitæ, debet eiusdem obligatio durare toto tempore vitæ.

2 At obligationem talis voti cessare in anno sexagesimo, tradunt Sanchez *lib.4. in Decal. c.11. n.54.* Bonacina *Disp. vlt. de Præcep. Eccl. q.1. punc. vlt. nu.4. in fine.* Diana *par.1. tr.9. de ieiunio Resol.20. in fine.* Tamburin. *De iure Abbat. tom.2. disp.12. q.5 num.7. in vlt. edit.* Didacus de Narbona *in Annalib. Iur. anno 60. q.2. n.8.* Escobar. *tr.1. theol. mor. Exam. 13. c.3. num.104.* Remigius *tr.3. sum. c.4. §.3. num.1. init.* Bossius *tom.3. moral. tit.21. num.373.* Quæ sententia probabilior est.

3 Vota enim obligant iuxta mensuram præceptorum ecclesiasticorum, nisi aliter ex intentione vouentis constet; quia sicut præcepta ecclesiastica intendunt obligare, quantum possunt, dummodo tamen rationabiliter obligent habita etiam ratione cuiusdam suauitatis, quæ debet esse in lege. Ita etiam in voto censendus est vnusquisque se obligare, quantum potest rationabiliter, & cum quadam suauitate obligationis: Et sicuti præceptum ecclesiæ cessat obligare, quando obligatio esset nimis dura, ita etiam votum, quia non plus vouens censendus est se obligare, quam soleat obligare legislator habens potestatem obligandi, nam legislator intendit obligare, quantum subditus rationabiliter obligari potest.

4 Nec obstat, quod votum sit emissum pro toto tempore vitæ, quia intelligitur de toto illo tempore, in quo vouens est capax rationabiliter talis obligationis, atque adeo iuxta mensuram obligationis præcepti Ecclesiastici.

5 Quod etiam verum est, vt notat Sanchez *citatus.* Si quis voueret ieiunare toto vitæ tempore cum expressa conditione perpetuitatis. Quia sicut votum ieiunandi absolute v.g. bis singulis hebdomadis ex natura sua est perpetuum, & tamen non obligat, quando desinit obligare præceptum ecclesiasticum, quia ad saluandam perpetuitatem ipsius sufficit, si duret, quandiu durat subiectum capax obligationis, qua ratione etiam est perpetuum ipsum præceptum; ita etiam si expresse ponatur conditio perpetuitatis; nam tunc expressio talis conditionis nihil operabitur, quia quando conditio est tacitè intellecta eius expressio nihil operatur Cap. *Significasti. De electione. & l. Conditiones, quæ extrinsecus ff. De condit. & demonst.*

6 Quæres. An, si quis voueret ieiunaturum certis diebus toto vitæ suæ tempore etiam in senectute expresse post annum sexagesimum, adhuc votum obligaret in senectute. Resp. votum ex natura sua obligare, quia obligat, quantum se extendit intentio vouentis. Et hoc est quod postea docuit Leander *in prac. Eccl. tr.5. disp.8. q.21.* quamuis putet se aliquid de nouo proferre. Potest tamen non obligare ex alio capite, si nimirum senectus sit adeo debilis, vt non possit sine graui damno sustinere tale onus; censetur enim tale votum emissum ex suppositione quod senectus sit futura satis robusta, & proinde potens resistere oneri: vnde si est diuersa, ac expectabatur, censetur variatum subiectum obligationis, atque adeo nec inducta obligatio pro illo statu.

7 Et hoc ipsum extenditur etiam à Didaco de Narbona *in Annalib. Iur. anno 60. q.2. n.8.* ad ieiunium iniunctum ex pœnitentia, quod probabile est, si intelligatur de ieiunio iniuncto per plures annos ante sexagesimum, nàm tunc censetur impositum eo modo, quo est impositum ieiunium Ecclesiasticum. Secus autem si propè annum sexagesimum imponatur, aut post ipsum.

An, & quales infirmi excusentur à ieiunio. *Decis. 261.*

SVMMARIVM.

1 *Infirmi excusantur a ieiunio; atque etiam conualescentes.*

1 *Ecclesia non intendit in ieiunio detrimentum corporis.*
2 *Infirmitas ex propria culpa adhuc excusat a ieiunio.*
3 *Quando ieiunium causat aliquem morbum, non obligat.*
4 *Quanta debeat esse infirmitas, vt cesset obligatio ieiunandi.*
5 *Quãdo debilitas ex ieiunio excuset, ne teneamur ieiunare.*
6 *Valetudinarij excusantur à ieiunio.*
7 *Habentes debilem stomacum excusantur à ieiunio.*
8 *Solitus sumere solam sufficientem substentationem in duplici refectione, si non potest augere prandium, non tenetur ieiunare.*
9 *Missio sanguinis de se excusat a ieiunio, & concedit oua, &c.*
10 *Carentes dentibus an teneantur ad ieiunium.*

1 Communiter docent; Infirmos excusari à ieiunio, & sub nomine infirmorum comprehenduntur etiam conualescentes, qui nondum recuperauerunt pristinas vires deperditas ex præcedenti morbo. Ita D.Th. *in 4. dist.* 15.*q.*3.*ar.*2.*q.*4. Gabr. *dist.* 16.*q.*3. *ar.*1.*not.*4. Palud. *dist.*15.*q.*4.*ar.*2.*concl.*5. Maior *q.*3. Abulens. *q.* 148.*in c* 6.*Matth.* D. Antonin. 2.*par.tit.*6.*c.*11.§.6. Caiet. 2.2.*q.*147.*ar.*4. Rosella *verbo* Ieiunium *n.*2. Angelus *n.* 15. Tabiena *n.*12. Syluester *q.*9. Nauar. *c.*21. *Manual.n.*16. Azor. *tom.*1.*lib.*7.*c.*17.*q.*5. Reginal. *lib.*4 *Praxis Fori Pœnit.c.*17.*n.*209.*ver. Tertio loco.* Filliucius *tr.*27.*p.*2.*c.*6.*n.*13. Facundez *Prac.*4 *Eccl.lib.*1.*c.*8.*n.*13 Lessius *lib.*4.*d. iust.& iure c.*2. *dub.*6. *nu.*10. Villalob. *tom.*1.*sum.tr.*23.*diffic.*4.*n.*2. Laiman. *lib.*4.*theol.mor.tr.*8 *c.*3.*n.*3. Bonacina *Disp.vlt.de prac.Eccl q.*1 *punc.vlt.n.*2. Ledesma 2.*par.*4.*q.*17.*ar.*3.*ver. Secunda propositio in fine* Syluius 2.2.*q.*147.*ar.*4.*ver. Secundus impotentiæ modus.* Ledesma 2.*par. sum.tr.*27.*c.*2. *dub.*3. *post* 5. *concl.ver. La segunda causa, in fine.* Io. à Cruce *p.*1. *Direct.conscient. pr.*3.*ar* 4.*n.*7. Sanchez *lib.*5, *opusc mor. c.*1.*dub,*14 *nu.*1. Angles *in Floribus q.*6.*de Ieiunio diffic.* 8. Basseus *in Flor. Theol.mor.verbo.* Ieiunium 2.*n.*6. Valent. *tom.*3.*disp.*9.*q.* 2.*punc.*5. *ver, Impotentia.* Tamburin. *tom.*2.*de iure Abbat.disp.*12.*q.*5.*n.*3.& 8. Bizozer. *par.*4, *sum.de* 3.*pracep. c.vlt. memb.vlt. n.*4. Trullench. *lib.*3. *in Decal.c.*2. *dub.*7.*n.*4. Lezana *verbo* Ieiunium *n.*8. Megal. *tom.*2. *Variar. Resol.*153. *n.*2. Et desumitur ex Cap.2. *De obseruat. Ieiunior.*

2 Ratio potissima est, quia communis sensus ita interpretatur legem, vt noluerit Ecclesia obligare infirmos, nec conualescentes. Et interpretatio fundatur in ea ratione, quia talis obligatio esset nimis onerosa, & quia Ecclesia ita vult bonum animæ vt tamen nolit detrimentum corporis, sed solum debitam castigationem. Ieiunium autem afferret maximum detrimentum infirmis, quia tam ratione qualitatis ciborum, quam ratione modi sumendi refectionem est valde debilitatiuum, quod proinde indicitur vt medium valde aptum ad macerandum corpus: vnde cum infirmi debiles sint ratione morbi, ieiunium superadderet nouam debilitatem, & opprimeret naturam.

3 Notant autem prædicti Doctores, id habere locum, etiam si infirmitas ex propria culpa contigerit. Ita præsertim Maior, Paul. Rosella, Facundez, Sanchez, & Trullench. Machad. *lib.*2. *de Perfect. confess. par.*4.*tr.*4.*docum.*2. Leander *in prac. Eccl. tr.*5.*disp.* 8.*q.*23. Roccaful. *in Praxi tr* 6. *De prac. Eccl.lib.*3.*c.*9 *num.*149. quacunque enim causa proueniat infirmitas, semper corpus est tale, vt castigatio ipsius per ieiunium semper euadat indiscreta, & irrationabilis.

4 Insuper notant, quod, si ieiunium ipsum causaret aliquem morbum, nempe capitis vertigines, stomachi ventositates affligentes, aut quid simile, cessaret obligatio ieiunandi: quia adhuc ieiunium esset præter intentionem Ecclesiæ, qua intendit quidem castigare corpus: non tamen statum ipsius naturalem offendere, & reddere inhabile ad proprias functiones. ita etiam Roccaful. *in Praxi tr.*6. *de prac. Eccl. lib.*3.*c.*9.*n.*151.

5 Sed dubium est, quanta debeat esse infirmitas, vt censeatur cessare obligatio ieiunandi. Communiter id remittunt iudicio prudentis viri: qui in hoc non debet esse nimis indulgens, nec nimis rigidus. Vt autem tradatur aliqua regula, secundum quam omnes possint iudicare. Tunc morbus, aut debilitas ex conualescentia eximet ab onere ieiunandi, quando impedit consuetas functiones: tunc enim morbus, aut debilitas sunt alicuius considerationis: & ideo est habenda ratio ipsorum, nec corpus vlteriori afflictione debilitandum. Hoc autem impedimentum non debet necessario esse tale, vt absolutè impediat, sed sufficit quomodocunque impediat, ne possint commode exerceri: vt esset dolor capitis, aut quid simile.

6 Quod idem dicendum est de infirmitate, seu debilitate causata à ieiunio. Vnde debilitas capitis, quæ non sineret lectores, concionatores, aut scholasticos consuetis studijs vacare, excusaret à ieiunio, quia impediret consuetam functionem.

7 Sub nomine autem infirmorum comprehenduntur etiam valetudinarij, qui nimirum non habent aliquẽ actualẽ morbũ: sed sunt complexionis male affectæ, & proni ad actualẽ morbũ: tunc n. isti excusantur à ieiunio, non solũ quia debent specialem curam corporis habere, vt præcaueant morbos: sed etiam quia parua illa affectio complexionis æquiparatur continuo morbo, nam reddit corpus debile, & non potens resistere maceratione ieiunij.

8 Similiter comprehenduntur etiam sub nomine infirmorum, vt notant Doctores cum præsertim Syluester, Sanchez, Angles, Nauar. *c.*21. *Manual.n.*16. Ludouic. à S. Io. *par.*1 *sum.q. de ieiun.ar.*7. *diffic.*7. Leander *in prac. Eccl.tr.*5.*disp.* 8. *q.*25. qui habent stomacum debilem, & non possunt in vnica comestione tantum cibi sumere, quantum sufficiat ad commode nutriendum corpus, quia videlicet illa quantitate stomacus nimis grauatur, & difficile concoquere potest. In tali enim casu ieiunium euadit nimis onerosum, & afflictiuum corporis extra terminos rationis: nam aut ieiunans se deberet exponere periculo morborum, aut se fraudere necessario alimento ad commodam nutritionem, quæ necessaria est, vt possit proprias functiones exercere.

9 Ex quibus deducitur, quod si quis extra ieiunium sit solitus in duplici refectione sumere illam solam quantitatem cibi, quæ sufficiat pro congrua substentatione, nec possit ob debilitatem stomachi sumere in prandio ieiunij maiorem quantitatem,

non

non tenebitur ad ieiunium. Nam si ieiunaret, non haberet sufficientem substentationem, siquidem, & cibi ieiunij sunt minus nutritiui, & quantitas adhuc esset minor; vnde si consueta quantitas non excedit terminos sufficientis substentationis, quæ sumeretur in ieiunio, esset insufficiens.

10 Deducitur etiam, quod missio sanguinis pro illo die excusat etiam si non adsit infirmitas, sed fiat vel ob mitigandum feruorem sanguinis, vel ex aliquo alio fine. Solet enim ex natura sua valde debilitare, & plusquam debilitet labor, qui sufficit ad soluendam obligationem ieiunij. Imo si is, cui sanguis mittitur, non sit complexionis robustæ, censerem posse illo die comedere oua, & lacticinia, licet alias prohibita, quia censentur necessaria, vt subueniatur corpori debilitato.

11 An autem qui caret dentibus liber sit à ieiunio. resp. Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8 q. 25.* Remig. *tr. 3. sum c. 4. §. 3 n. 8.* per accidens posse esse liberum defectu ciborum proportionatorum, Quod tamen non ita facile admitterem, nam si alias nutritioni ipsius cibi accomodati sunt, facile occurri potest defectui dentium, si nimium cibi conterantur, aut minutatim concidantur, aut consuetis iusculis, seu vino imbuatur.

An, quando infirmo conduceret ieiunare ob dietam seruandam, tunc excusetur à ieiunio. Decis. 262.

SVMMARIVM.

1 *Infirmi non tenentur ieiunare, etiam si ieiunium conducat infirmitati.*
2 *Possunt tamen peccare contra præceptum temperantiæ.*
3 *Si medicus subtrahat cœnam laborantibus tertiana, aut quartana, non violant ieiunium, si cœnent.*
4 *An faciant contra naturale præceptum temperantiæ.*

1 RESP. Riccar. *in 4. dist. 15. ar. 3. qu. 4.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de prac. Eccl lib. 3. c. 7. n. 111.* cum Sanch. *lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub 14 nu. 2.* Asserente ita sentire etiam doctos Iuniores, adhuc excusari à ieiunio, quia status infirmitatis ex intentione Ecclesiæ extinguit obligationem ieiunandi ex eo, quod ponit corpus in tali statu, vt indigeat subleuamento, atque adeo maceratio sit ipsi notabiliter damnosa. per accidens autem est, quod dieta, atque adeo ieiunium prosit. Quod autem per accidés se habet, nón officit ijs, quę conueniunt per se, Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 26.*

2 At, vt notat Sanchez *citatus*, licet non peccent contra præceptum ieiunij, possunt tamen peccare contra præceptum naturale temperantiæ, atque adeo aut venialiter, aut mortaliter iuxta quantitatem damni, quod inde sequitur.

3 Hinc vt notat idem Sanchez *n. 3.* sequenti qui laborant febri tertiana, vel quartana, præcipiente medico, ne cœnent, vt dieta morbum vincant, non peccant contra præceptum ieiunij, si cœnent quia morbus est talis, vt de se liberet à ieiunio, affligit enim, & debilitat corpus, & consequenter incapax efficitur obligationis ieiunandi. Sequuntur Leander citatus, & Leander de Murcia *in c. 3. Regul. D. Francis. c. 2. §. 2.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2. tr. 12. de ieiun n. 2.*

4 An autem tales infirmi peccent contra naturale præceptum temperantiæ. Resp. negatiue quia subtractio cœnæ pręcipitur à medico tanquam medicina ad vincendum morbum: non tenetur autem infirmus adhibere talem medicinam, neque præceptum temperantiæ ad illam obligat. Oppositum autem esset dicendum, si cœna esset nimia, & aggrauaret infirmum, ita vt inde pateretur aliquod damnum nam tunc peccaret aut grauiter, aut leuiter iuxta quantitatem damni.

An, qui nocte dormire non potest, nisi cœnet, teneatur ieiunare. Decis. 263.

SVMMARIVM.

1 *Qui non possunt nocte dormire, non tenentur ieiunare.*
2 *Subtractio somni valde nocet.*
3 *Quantum debeat somnus impediri, vt cesset obligatio ieiunandi.*

1 RESP. non teneri ad ieiunium ita Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. art. 1. notab. 3.* Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium *c. 3.* Nauar. *cap. 21. Manual. n. 16. ver. Prima scilicet. in fine.* Angles *q. 6. De ieiunio. diffic. 8. ver. Hinc excusantur.* Reginal *lib. 4. Praxis fori pœnit. c. 17. n. 209. ver. tertio loco. circa finem.* Bonacina *Disp. vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 2. in fine.* Villalobus *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 2.* Sanchez *lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 14. n. 10.* Syluius *2. 2. q. 147. ar 4. ver. Secundus impotentia.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 6. n. 130.* Lopez *q. 2. instruct. c. 111.* Facundez *prac. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 13.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 2. in fine.* Llamas *3. par. Meth. c. 5. §. 21.* Sanchez *in select. de sacram. disp. 54. n. 13.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. c. 3. n. 3. init.* Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2. dub. 7. n. 4. & 15.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 2. 1. § 2. n. 47.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 5* Machad. *lib. 2. de perfect Confess. p. 4. tr. 4. docum. 2. n. 4.* Leander de Murcia *in c. 3. Regul. D. Francis. c. 2. §. 2. n. 30.* alter Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp 8. q. 27.* Io: Henriquez *in sum. sect. 16. q. 24.* Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 1. tr. 11. de ieiun. n. 3.* Mendus *in Bull. Cruc. disp. 23. c. 1. n. 2.*

2 Ratio est, quia subtractio somni valde nocet corpori, impedit concoctionem cibi, & disponit ad infirmitates, & proinde censetur damnum notabile: præceptum autem ieiunij non obligat cum damno notabili corporis.

3 Sed dubium est; quantum debeat somnus impediri, vt cesset obligatio ieiunandi. Resp. Non sufficere, quod parum impediatur, nec etiam requiri, quod totaliter impediatur, sed solum, quod notabiliter impediatur per maiorem partem temporis, quo quilibet consueuit dormire, nam tunc

corpus valde patitur, nec percipit debitam instaurationem, pro qua somnus est institutus; vnde notabiliter læditur. Ita etiam Ludouicus à S. Io. *in sum. q. de ieiun. 7. art. 7. diffic. 7. in Append.* Leander *in prae. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 28.*

An, si quis noctu calefieri non possit, nisi cœnet, teneatur ieiunare. Decis. 264.

SVMMARIVM.

1 *Qui noctu calefieri non possunt, nisi cœnent, excusantur à ieiunio.*
2 *Quam noceat calefactionem nocturnam impediri.*
3 *Solum quando nocturna calefactio notabiliter impeditur excusat à ieiunio.*
4 *An, quando impeditur ob defectum tegumentorum liceat cœnare in die ieiunij.*

1 RESP. non teneri, sed eximi ab obligatione ieiunandi. Ita Gabriel. *in 4. dist. 15. q. 3. ar. 1. notab. 5.* Palud. *dist. 5. q. 4. ar. 2. in fine.* Nauar. *c. 21. Manual. nu. 16. ver. Prima scilicet, in fine.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. c. 17. n. 209. ver. Tertio loco in fine.* Villalob. *par. 1. sum. tr. 2. 5. diffic. 4. n. 2.* Sanchez *lib. 5. Consil moral. c. 1. dub. 14. n. 10.* Llamas *3. par. Meth. c. 5. §. 21.* Facundez *Prae. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 13.* Bossius *tom 3. moral. tit. 21. §. 2. n. 47.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 5.* Leander *in prae. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 29.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de prae. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 155.*

2 Quando enim impeditur nocturna calefactio, non solum corpus patitur illud præsentaneum incommodum, sed etiam impeditur transpiratio, quæ necessaria est ad conseruandam sanitatem; & cum corpus non percipiat debitam restaurationem à nocturna calefactione, male disponitur ob prauos humores, qui per calorem non soluuntur; & proinde consurgit notabile damnum, cum quo preceptum ieiunij non obligat.

3 Sed dubitatur, quantum debeat impediri nocturna calefactio, vt cesset obligatio ieiunandi. Resp. non esse necesse, quod totaliter impediatur, nec sufficere, quod minimum impediatur; sed requiri, quod impediatur notabiliter, quia nisi notabiliter impediatur, non sequitur inde notabile damnum. Tunc autem est censendum notabile impedimentum, quando tale frigus percipitur, quod censeatur constituere corpus in tali statu, vt indigeat subleuamento. ita-ut non possit dormiri per maiorem partem temporis quod somno solet occupari.

4 An autem hæc doctrina habeat locum, quando nocturna calefactio impeditur ob defectum sufficientium tegumentorum, quibus corpus foueatur an etiam tunc liceat cœnare ad euitandum tale nocumentum. Resp. Si nullo modo comparari possint tegumenta sufficientia ad fouendam nocturnam calefactionem, tunc cœna per accidens erit necessaria ad fouendum calorem, & ad auertendum damnum, quod alioquin proueniret; vnde etiam per accidens cessabit obligatio ieiunandi, quia lex nec per se, nec per accidens obligat cum graui incommodo. Sequitur Leander *n. 1.* citatus.

An, quando quis non potest noctu dormire, aut calefieri, nisi cœnet, teneatur mane sumere collactiuneulam, & differre refectionem ad horam cœnæ. Decis. 265.

SVMMARIVM.

1 *Qui noctu dormire non potest, aut calefieri, non tenetur differre prandium ad vesperam, seu noctem.*
2 *Nō tenetur, quis ex aliqua causa priuare se iure prandendi in meridie, quando ieiunat.*
3 *Quinam oppositum sentiant.*

1 RESP. non teneri, sed absolui à ieiunio. Ita ij omnes, quos proximis Decis. *praecedentibus* citauimus, quia cum censeant in tali casu absolui à ieiunio, consequenter tenentur fateri non adesse obligationem transferendi refectionem ad horam cœnæ, alioquin adesset obligatio *ieiunandi* tali pacto, & specialiter Ludouicus à S. *Io. par. 1. sum. tr. de ieiunio ar. 6.* Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 51.* Sanchez *in select. de Sacram. disp. 54. n. 13.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 21. littera A.* Facundez *Pracep. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 19. in fine.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 7. n. 15.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 5.* Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 26.* Leander *in prae. Eccles. tr. 5. disp. 8. q. 30.* Mendus *in Bull. Cruc. disp. 13. cap. 1. n. 2.* Roccaful. *in praxi tr. 6. lib. 3. c. 9. n. 156.*

2 Ratio est, quia in ieiunio quilibet habet ius ad sumendam principalem refectionem in meridie nec tenetur quis se priuare hoc iure, vt ieiunet. Et cum iam sit constitutus ordo refectionis, & refectiunculæ pro ieiunio, non tenetur instituere alium ordinem, sed eo ipso, quod non potest se cum hoc conformare, liberatur à ieiunio, quia iam non est capax ieiunij secundum consuetam formam.

3 Oppositum autem tenent Sanchez *lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 27. n. 4.* Filliucius *tr. 27. c. 2. n. 24.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. n. 47.* Quia cum sumendo mane vespertinum ientaculum seruetur substantia ieiunij tenetur ieiunare, si possit absque notabili incommodo. Verum licet hoc consulendum sit, non videtur tamen necessarium; quia non tenetur quis ad extraordinariam diligentiam, vt possit seruare præcepta, nec extraordinarium modum ieiunandi, vt possit ieiunare.

An, qui habet duo, aut plura cauteria subdatur præcepto ieiunandi.
Decis. 266.

SVMMARIVM.

1 *Qui habet plura cauteria non obligatur ad ieiunium secundum Sanchez.*
2 *Sed hoc improbabiliter dicitur.*

1 NON subdi præcepto ieiunandi, docet Sanchez *in selectis de Sacramentis disp.54.n.17.* ver. *Et lege ieiunij.* Quia, ait ipse, maxime debiles redduntur, & illis cœnare est opus,& subdit,ita aliquos esse expertos, quos consuluit.

2 Sed hæc opinio nimis laxa est;nec video, quā probabilitatem habeat,nisi aliunde concurrant aliæ circunstantiæ, aut debilitatis personæ, aut laboris quæ inducunt exemptionem à ieiunio. Per cauteria namque sola eiectione naturæ absque violentia purgantur excrementij humores ad subleuandam naturam, & ad conseruandam sanitatem. Et si aliquando causant aliquam debilitatem, id per accidens est,& admodum rarum, & debilitas non est considerabilis,nisi habeat etiam alias causas; vnde non video quomodo sint causa regulariter excusans à ieiunio, & ita sentiunt plures viri docti, qui talibus cauterijs affecti sunt, cum quibus de hoc sum loqutus,& mirati sunt,quod Sanchez talem tradiderit opinionem: in quibus cum concurrat experientia,& doctrina,magni faciendus est ipsorum sensus. Et sequuti sunt Leander *tr.5. in prac.Eccl. disp.8. q.31.* Bossius *tom.3.moral.tit.21.§.2.n.48.*

An, qui ratione infirmitatis comedat carnes teneatur ad ieiunium.
Decis. 267.

SVMMARIVM.

1 *Comedens carnes ex dispensatione secundum aliquos tenetur ad ieiunium.*
3 *Secundum alios tenetur, nisi concedantur ob præsentem infirmitatem,seu debilitatem.*
3 *Priuilegium est strictè interpretandum, & quando exorbitat a iure non trahitur in consequentiam.*
4 *Quando a maiori ad minus non fiat extensio.*
5 *Vnica comestio in ieiunio videtur magis principalis.*
6 *Duo præcepta in ieiunio secundum aliquos.*
7 *Dispensatio sine causa inualida, si non sit a Papa.*
8 *Cur multiplex comestio non concessa concessis carnibus secundum aliquos.*
9 *Dispensatus ad carnes est etiam dispensatus ad plures comestiones.*
10 *Destructa forma perit etiam dispositio,& lex de ipsa.*
11 *Cessat obligatio legis, quando forma cum qua actus præcipitur,non est possibilis.*
12 *Forma ieiunij substantialis quænam sit.*
13 *Quomodo vnica refectio pertineat ad ieiunium. Forma consistit in indiuisibili.*
14 *Corruit actus,si forma substantialis in parte minima auferatur.*
15 *Cur dispensatus ad plures refectiones non sit dispensatus ad carnes.*
16 *Quando præceptum debeat seruari vno, aut altero modo si pluribus potest seruari.*
17 *An dispensatio ad carnes sit priuilegium. Strictè acceptum non excludit plures comestiones.*
18 *Dispensatio ad carnes est dispensatio in totali obligatione ieiunij.*
19 *Cur dispensatus ad plures comestiones non sit dispensatus ad carnes.*
20 *Præceptum ieiunij est vnicum.*
21 *Dispensatus ad carnes,quomodo cum causa sit etiam dispensatus ad plures comestiones.*
22 *Cum concessione carnium conceditur etiam comestio.*

1 TEneri adhuc ad ieiunium docent Grassius *par.1.Decis.lib.2.c.37.n.58.* Pedrazza *in sum. præc.3.§.14.* Medina *Cod. de ieiunio q.9. §.De infirmis.* Valentia *2.2.disp.9.q.2.punc.5. ver. Qui autem.* Ledesma *2.par.q.17.ar.3.proposit.2.circa finem.* Fernandez *par. 2. Exam.theol. mor. c.8.§.2.n.24.* Nider *prae. 6. c.8.n.4.* Ludouicus à S.Io. *par.1.sum.tr.de ieiunio ar. 11.* Nauar. *in Manual.c.21.n.22.* Horum fundamentum est,quia quando præceptum Ecclesiæ vno modo seruari non potest,debet seruari eo modo, quo potest, quando pluribus modis seruari potest; vt tradunt Couaruuias *lib.4.variar.c.20.n.13.* Caiet.*2.2.q.147.ar.7.* D. Antonin.*par.2.tit.7.c.2.§.7.* Vnde etiam in casu nostro cum possit seruari ieiunium quo ad vnicam refectionem, erit tali pacto seruandum, licet non seruetur quo ad abstinentiam à carnibus.

2 Alij tamen procedunt cum distinctione, sed fere coincidunt cum recitata opinione, & volunt, quod, quando carnes conceduntur ob præseruationem, aut quia pisces noceant stomaco, aut nauseent, aut ex alio simili capite, adhuc teneantur ieiunare. Si vero concedantur ob præsentem infirmitatem, seu debilitatem, vt in conualescentibus,qui opus habent recuperandi vires, tunc totaliter dispensatur ieiunium. Vnde secundum hanc sententiam non dispensatur ieiunium quò ad vnicam refectionem, nisi interueniat specialis causa requirens hanc dispensationem,& proinde ex præcisa concessione carnium non censetur concessa multiplex refectio, vt volebat prima opinio. Ita Angles *in Florib. par.2.in 4.q.9.De ieiunio ar.1. diffic.9.* Laiman. *lib. 4. Theol.mor. tr.8.c.3. n.8.* Candelabrum aureum. *Append.ad 3.par.c.15.de ieiunio n. 30. ver. Et si.* Corduba *in summa q.143.* Cenedo *in q. Canonicis q. 40.n.6.* Lessius *lib.4.de iust.& iure c.2.dub.6. n.45.* Bonacina *Disp. vlt. de prac. Eccl.q.1. punc.2.n.3.* Reginal. *tom.1. Praxis fori pœnit.lib.4.c.14.n.168.* Ortiz *c.19.sum.n.20* Lopez *2.par.instruct.c.121.§.* His tamen non obstantibus. Gomez *in Bullam Cruciata Clausula 7.n.5.* Rodriquez *in Bullam Cruciata §.6.n.4.& tom.1 sum.c.24. conclus.7.* Co-

Comitolus *lib.4. Resp. moral.q.46.* Conrad. *Casu* 250 Ludouicus à Cruce *in Bullam Cruciata disp.1. c 5 dub. 11.n.1.* Vega *par.1. sum.c.14. Casu* 3. Victorellus *in Addit. ad Tolet.lib.6.c* 3.vbi latè de hac re. Gordonius *lib 6 Theol.mor.q.18.c.6.* ver. *Sed in hac q.* Villalob. *par.1.sum.tr.24. diffic. 8. n 8.* Syluius 2.2.*q.147.ar.4.* ver.*Sed quaeritur.* Basseus *in Flor.ib.Theol.practica verbo.* Ieiunium 1. *n* 4 Lezana *tom.3.sum.verbo.* Ieiunium *n.* 11. Lauor. *pat. 1. de iubileo c.20. n.* 25. Naldus *verbo.* Ieiunium *n.*3.

3 Ratio horum Doctorum est, quia comedere carnes est priuilegiũ;priuilegiũ autẽ,cũ sit cõtra ius commune, est strictè interpretandum ex Cap. 1. *De Filijs Presbyterorum in 6.* Et quae exorbitant à iure, non sunt trahenda in consequentiam Cap. *Ea, quae.* De *regulis iuris in 6.* Item Odiosa sunt restringenda Cap. *Odia* De *regulis iuris in 6.*

4 Rursus à maiori ad minus non fit extensio dispensationis, quando sunt in diuerso genere. Vnde dispẽsatus ad Archiepiscopatũ nõ cẽsetur dispẽsatus ad Episcopatũ Cap.*fin.* De *translatione Episcopi.* Et dispensatio voti iuramento firmati, si fiat tantum mentio de voto, & non de iuramento, non extenditur ad vtrumq; Et notat Sanchez *lib.8.de matrim.disp.1. n.20. & 24.*& *disp2.n.9.*

5 Tertio. Dispensatus, vt in die ieiunij pluries comedat, non censetur dispensatus ad carnes, ergo neque dispensatus ad carnes censendus est dispensatus ad plures comestiones, siquidem tam vnica comestio, quam abstinentia à carnibus est de substantia ieiunij. Imo vnica comestio videtur magis principalis, vnde Cap. *Placuit de consecrat. Dist.* 3 Nomen ieiunij tribuitur vnicae comestioni, & verè ieiunat, qui comedendo carnes, semel tantum comedit, vt notat Nauar. *Consil.6.de obser. ieiunij.* Vnde in lege veteri ieiunium cõsistebat in vnica comestione absq; abstinentia à carnib. vt notat Cai.2.2. *q.147 ar.6 & 7*

6 Quarto. In ieiunio duo praecepta distincta includuntur, vnum negatiuum de non comedendo carnes, & aliud positiuum de vnica comestione, ergo dispensatus quo ad vnum praeceptum non erit dispensatus quo ad aliud.

7 Quinto. Dispensatio sine causa, si Papa non dispenset, non est tuta in conscientia, vt notat Sylnester *verbo* Dispensatio *n.* 5. & requirit causae cognitionem Cap. *Requisitis* 1.*q.7,* ergo, cum in aliquibus adsit iusta causa comedendi carnes, & non plurium refectionum, dispensati tunc ad carnes, non erunt dispensati ad plures refectiones; quia ieiunia non sunt soluenda, nisi grandis necessitas fuerit Cap. *Ieiunia.* De *consecrat. dist.*3.

8 Sexto. Quia ieiunium, cum sit institutum ad cohibendam concupiscentiam, quando iterata comestio non est alicui necessaria, non est censenda concessa, etiam si concedatur vsus carnium, nam concederetur, quod non est necessarium, & est contra intentionem Ecclesiae. Alia plura congerit Victorellus *citatus,* sed quae non faciunt ad rem; vnde nec Ludouicus à Cruce *citatus* ea transcripit pro sua sententia confirmanda, sicut transcripsit alia.

9 Tertia autem opinio absolutè docet, quod dispensatus ad carnes edendas est etiam dispensatus ad plures comestiones, quia cum non possit stare ieiunium cum carnibus, quando conceduntur carnes, tollitur totaliter ieiunium. Ita Caiet. 2.2. *qu.* 147. *ar.8.§. Ad hoc dicitur, quod quia* Gabr. *in 4. dist.* 16.*q.3. ar.3. dub.1. §. De secundo, quo frangitur ieiunium.* Palat. *dist.15. disp.8. concl.6.* Medina *lib. 1. instruct. Confess. c.14.§.10.* Suarez *tom.2.de relig. lib.4 cap.* 28. Azor. *par.1.lib. 7. c 10.q.3.* Tolet. *lib. 6.c.3.num.4* Beia *par.1. Casuum conscient Casu* 45. ver. *Ante huius.* Ledesma 2.*par.sum.tr.27.c.2. dub.4.post 5.concl.* ver. *A esta difficultad.* Nauar. *in Manuali hispano c. 21. n.*35. Henriquez *lib. 7.sum.c.*13. *n.*13. vbi alios citat Filliucius *tom. 2.tr.27.par.2. c. 3. n.25.* Diana *par. 1. tr.9. Resol.* 25. Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. prac. 3. ar.4 n.3.* Molfes. *par.1.sum.tr.10. c.4.n.31.* Sanchez *lib 1.in Decal.c.19.n.6.& lib 4 c.11.n.53. & lib.5 Consil. mor.c.1.dub. 29.n.3.* Quarti. *in 4.dist. 16.§. 26* Hieronimus Perez *par.1 sum.Theol. praecepto 3. §. De ieiunio* Llamas 3.*par.Method. c. 5. §. 21. & §. 26.* vbi dicit, hoc esse luce clarius, & fuisse ita declaratum à Pio V. Trullench: *lib.3. in Decal. c.2. dub.2.n.7.* Megal. *tom.2. Variar. Resol.* 153.*n.6.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp.*51.*n.4.* Bartholomeus à S.Fausto.*lib.4. De indulg. q* 28. Facundez *prac. 4. Eccl.lib.1.c* 2.*num.*5 Remigius *tr.3.sum.c.4.§.3.n.4.* Leander *in prac. Eccl. tr.5.disp.8.q.33.* Io. Henriquez *in sum. sect.16. q.12.* Machad. *tom.1.lib.2. par.4.tr.3. n.3.* Martin. à S. Ioseph *tom.1. moral.lib.2.tr.9. de ieiun.n* 3. Leander à Murcia *in cap. 3. Regul.S.Francisc.c.2. §. n.44.* Et hanc opinionem probabilem simul cum secunda *n.* 2. recitata putat Sà *verbo* ieiunium *n.* 11. & Vega, atque Villalobos *n* 2. citati non solum eam vocant probabilem sed etiam tutam in praxi. Et habet fundamentum in Bullis Cruciatae *Pij V. & Gregorij* XIII. in quibus concedebatur, vt qui carnibus vescebantur ex dispensatione Bullae censerentur ieiunare, & implere praeceptum; si in reliquis seruassent formam ieiunij. Ex quo elicitur, quod non seruetur ieiunium cum carnibus, atque adeo, quod ad illas dispensatus sit totaliter liber à praecepto ieiunij, siquidem non stat ieiunium cum carnibus, nisi ex speciali concessione & gratia Pontificis.

10 Haec sententia, quamuis videatur laxare habenas gulae conuincitur tamen ex duplici principio quod in moralibus est certum. Et primum est, quod quando destruitur forma, in qua res aliqua consistit perit etiam dispositio facta de illa re, siue causa illius rei. Ita habetur ex *l. Seia: in fine. ff. De auro, & argento leg.* vbi dicitur, quod extincta re legata, vel si non permaneat in sua specie, & forma, non debetur res illa, nec eius pretium, & ex *l. Quid tamen* §. *vlt. ff. Quibus modis vsusfruct.amit. & l. Peculium §. quadrigae.* De *legib.*2. Legatum quadrigae non subsistit mortuo vno ex quattuor equis quadrigae, quia forma ex illis quattuor equis consistebat.

11 Quare, quando lex praecipit actum cum certa forma, si illa forma est impossibilis, aut ex aliquo capite cesset obligatio ponendi illam formam, cessat totaliter obligatio legis, quia respicit actum, vt stat sub illa forma, & proinde non potest permanere, nisi permanente forma, actus, alioquin non esset amplius illa obligatio, sed diuersa, & proinde etiam lex diuersa, sicuti esset diuersa res praecepta. Sic quia praeceptum de audienda missa in die festo praecipit assistentiam illi cultui diuino, vt stat sub forma sacrificij, cessat talis obligatio in festo Annunciationis B. Virginis, quando incidit in Feria sexta Parasceues vt declarauit Sacra Congregatio *Concilij Trident.* quia in illa die non adest cultus diuinus coniunctus cum forma sacrificij. Vnde etiam qui non potest assi-

assistere missæ tempore consecrationis, non tenetur ob eandem causam assistere parti præcedenti, vt notant Laiman *lib. 1. tr. 4. c. 19. nu. 7.* Sanchez *lib. 1. in Decal. c. 19. n. 5.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 28. n. 25.* Rodriquez *in q. Reg. tom. 1. q. 42. ar. 10.* Et qui præcepto aut voto teneretur ire ad certum aliquem locum, quando non posset ingredi talem locum, etiam si posset maiorem partem itineris conficere, imo propè peruenire, non teneretur ad tale iter, quia iter non cadit sub obligatione, nisi vt est sub determinatione talis loci, vt notant Suarez modo *citatus* Azor. *par. 1. lib. 10. c. 13. q. 4.* Bonacina *disp. 2. de peccatis q. 8. punc. 1. n. 5.*

12 Alterum autem principium est, quod ieiunium, quod ab Ecclesia præcipitur, constituitur tanquam per formam substantialem per abstinentiam à carnibus, & à pluribus refectionibus, vt docent communiter Theologi, & Canonistæ etiam ij, quos pro opposita sententia citauimus. Et quod spectat ad abstinentiam à carnibus habetur ex Cap. *Statuimus dist. 4.* & Cap. *Non oportet. De consecrat. dist. 3.* & ex Canone 56. *Trullensi.* Et quo ad vnicam refectionem colligitur ex ijs tex. in quibus dicitur, in ieiunio non esse comedendum, nisi post Vesperas, vt præcipuè ex Cap. *Solent. De consecrat. dist. 1.* & ex Cap. *Placuit eodem tit. dist. 3.* Et constat ex consuetudine fidelium iuncta simul traditione, & tradunt communiter cum D. Th. 2. 2. *q. 147. ar. 6.* & de vtraq; abstinentia notat Caiet. 2. 2. *q. 147. ar. 7. §. Ad hoc breuiter,* Ex his autem deducitur, quod sine abstinentia à carnibus non potest consistere ieiunium ecclesiasticum secundum hodiernam institutionem Ecclesiæ, quia iam tollitur forma substantialis ipsius. Et proinde quando non habet locum abstinentia à carnibus, nec etiam habet locum obligatio præcepti de ieiunio; quia non habet locum actus cum propria forma, cum qua præcipitur, atque adeo dispensatio, quo ad carnes erit simpliciter dispensatio quò ad ieiunium, quia est dispensatio quo ad formam ieiunij.

13 Nec obstat, quod cum comestione carnium possit stare vnica refectio, quæ est pars ieiunij, nam non est pars ieiunij, nisi coniuncta cum abstinentia à carnibus; vt nimirum sit vnica refectio cum talibus cibis; cum enim forma substantialis ieiunij sit abstinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus, & forma consistat in indiuisibili iuxta *l. Si ueritas. C. De fideicom.* & notant communiter Doctores, præsertim Molina *lib. 1. de iure primogen. c. 9. n. 17.* Escobar. *c. 11, De ratiocinijs n. 19.* Paris. *De resignat. q. 8. nu. 84.* Rota *par. 1. Recent. apud Farinac. Decis. 30. n. 3.*

14 Hinc fit, quod quando forma est de substantia actus, si in parte etiam minima auferatur, corruit totus actus, vt habetur ex *l. Qui Romæ §. Flauius §. De verborum obligat.* & docent Bar. *in l. 1. §. Ait prætor ff. Ne quid in flum. pub.* Dec. *Consil. 552. n. 4. & 5.* Alexan. *Consil. 137. n. 5. vol. 1. 5.* Calder. *consil. 314. ver. Ad eius declarationem* Rolan. *consil. 30. nu. 5.* Gutierez *lib. 3. pract. q. 15. n. 5.* Suarez *lib. 5. de legib. c. 32. n. 8.* Parisius *lib. 5. de Resignat. q. 6. nu. 227.* Marius Antonin. *lib. 11. Resol. Variar. Resol. 11. n. 4. & Resol. 92. n. 4.* Rota *par. 1. Recent. apud Farinac. Decis. 671. n. 15.* & alios plures allegans Barbosa *in Axiom. 100. n. 15.* Et ideo cum facta dispensatione carnium pereat forma ieiunij quo ad hanc partem abstinentiæ, perit totum quoque ieiunium, si quidem talis abstinentia est de forma substantiali.

15 Dices. Ergo dispensatus quo ad plures refectiones, erit etiam dispensatus quò ad carnes, cum sit eadem ratio, quod tamen est falsum. Resp. dispensatum quo ad plures refectiones esse totaliter dispensatum ab obligatione præcepti, de ieiunio quia tamen præter præceptum de ieiunio adest, etiã præceptum speciale de abstinentia à carnibus ex Cap. *Denique dist. 4.* quod est vniuersalius nam comprehendit etiam adolescentes ab vsu rationis vsque ad annum vigesimum primum, & senes quoad vsque vires patiuntur, ideo dispensatus quo ad plures refectiones non est ratione talis præcepti dispensatus quo ad carnes.

16 Hinc solutum manet fundamentum primæ sententiæ. Quando enim præceptum potest seruari pluribus modis, debet seruari eo modo, quo potest ad summum, si in quolibet modo, saluatur substantia, & forma actus præcepti; secus autem, si non saluatur; quia tunc sicut cessat quo ad substantiam actus, qui præcipitur, ita etiam obligatio ad ipsum. Deinde vt præceptum debeat seruari, quocunque modo seruari potest, oportet, quod ipsum præceptum non determidet modum, sed relinquat determinandum, aut quod plures determinet, ita vt quando non est possibilis vnus, locum habeat alter. Secus autem, si cum substantia præcepti vnicum tantum modum proponit, quia tunc talis modus tanquam præscriptus pertinet ad formam, & ideo si non potest talis modus seruari, non potest in totum seruari forma, quæ corruit, vtpote indiuisibilis, vt supra *n. 13.* dicebamus, atque adeo totus actus.

17 Ad primum autem secundæ sententiæ resp. Quod dispensatio quo ad carnes non est proprie priuilegium, quia priuilegium tunc habet locum, quando alioquin lex obligat, in casu autem nostro lex non obligat, & ideo dispensatio est declaratio, quod lex non obliget. Deinde licet esset priuilegium, & strictè interpretaretur, & restringeretur, adhuc non remanet obligatio ad vnicam tantum refectionem, quia adhuc per ipsum tolleretur forma ieiunij ecclesiastici, vnde non posset subsistere obligatio ad ipsum.

18 Ad secundum. Non fieri in casu nostro extensionem à maiori ad minus; neque enim inferimus ex eo, quod quis est dispensatus ad carnes, debere etiam esse dispensatum quo ad plures refectiones tanquam ad aliquid minus; sed dicimus, quod dispensatio ad carnes est dispensatio in ieiunio, vtpote quia est dispensatio in ipsa forma substantiali ieiunij, atque adeo in omni obligatione, quam importat præceptum de ieiunio: corruente enim forma substantiali etiam quo ad partem, corruit totus actus, vt vidimus *num. 14.* Vnde non trahimus aliquid in consequentiam, sed dicimus in ipsa dispensatione quo ad carnes inuolui totalem dispensationem ieiunij.

19 Ad tertium. Consequentiam non rectè inferri. Ideo enim dispensatus ad plures comestiones non est dispensatus ad carnes, quia remanet distinctum præceptum de non comedendis carnibus, quod obligat etiam eos, qui non sunt capaces obligationis ieiunandi, vt diximus *num. 15.* at facta dispensatione quo ad carnes, non remanet speciale præceptum de vnica comestione, quia vnica comestio non præcipitur seorsim ab abstinentia carnium, sed simul cum ipsa, & per idem præceptum de ieiunio. Et parum refert, quod vnica comestio sit magis, vel minus prin-

principalis, nam sufficit, quod etiam abstinentia à carnibus quocunque modo pertineat ad formam substantialem ieiunij, vt ipsa sublata corruat totum ieiunium. Nec verum est, quod allegatur ex Cap. *Placuit*. De *Consecrat. dist.* 3. Nam ibi tantum præcipitur, quod ieiunium in tota quadragesima seruetur diebus Dominicis exceptis, & sermo est de ieiunio secundum formam, secundum quam solebat seruari. Quod autem in lege veteri ieiunium seruaretur sine delectu ciborum, parum refert, quia modo ex institutione Ecclesiæ habet aliam formam, qua sublata secundum quamcunque partem corruit totum ieiunium.

20 Ad quartum. Præceptum ieiunij esse vnicum tantum præcipiens actum virtutis abstinentiæ cum tali forma; nam præceptum de non comedendis carnibus non pertinet ad præceptum de ieiunio, sed est distinctum ab ipso, nam est vniuersalius, & est præceptum negatiuum. Præceptum autem ieiunij, etiam vt includit abstinentiam à carnibus, est positiuum, quia præcipit tanquam actum virtutis talem abstinentiá. Ex dispensatione autem talis præcepti, sequitur etiam dispensatio in præcepto negatiuo, quia motiuum dispensationis se extendit ad vtrumque, & ideo vna dispensatio includitur in alia. Quod si præceptum ieiunij esset duplex vnum negatiuum de non comedendis carnibus, & alterum positiuum de vnica refectione, negatiuum esset fundamentum positiui, quo corruente etiam positiuum corrueret.

21 Ad quintum. Negatur consequentia, quia licet dispensatio non debeat concedi sine causa, quando conceditur ab ijs, qui sunt Papa inferiores, non tamen fit, quod dispensatus ad carnes non sit dispensatus ad plures refectiones, etiam si ijs non indigeat, nam hoc solum sequeretur, quando dispensatio ad plures comestiones esset diuersa à dispensatione ad carnes, sed cum sit vna, & eadem; quia dispensat in actu substantiali ieiunij, habet eamdem causam, quam habet dispensatio ad carnes. Et sicuti extra ieiunium plures non indigent secunda refectione, & tamen possunt eam sumere, ita etiam facta dispensatione quo ad carnes possunt dispensati sumere secundam refectionem, etiam si non indigeant, quia non adest amplius obligatio de vnica, cum sit sublatum præceptum ieiunij, à quo imponebatur ex eo, quod est subiatus actus, cum illa forma, cum qua ab ipso præcipiebatur.

22 Ad sextum resp. Cum concessione carnium concedi iteratam comestionem, non quia sit necessaria, sed quia tollitur obligatio ieiunandi; vnde res reducitur ad illum statum, in quo non abest præceptum de ieiunio, & tantum adest, quod hoc sit contra intentionem Ecclesiæ, quod potius sit secundum ipsam; nam cum præcipiat ieiunium cum tali forma, intendit, quod non seruetur, quando non potest seruari cum tali forma; hoc enim est secundum rerum naturas, atque adeo secundum prudentem intentionem, quæ debet conformari rerum naturis, vt destructa forma cesset res: Quod si vellet seruari ieiunium cum comestione carnium, & vnica refectione, oporteret, quod præciperet ieiunium duplicis formæ, seu speciei, ita vt quando vnum locum ō haberet, succederet alterum quod tamen non facit, nec apparet præceptum de ieiunio cum carnibus. Hinc ieiunium est institutum ad cohibendam concupiscentiam cum tali forma: vnde quando non habet locum cum forma, cessat intentio Ecclesiæ cohibendi concupiscentias.

An dispensatus ad carnes teneatur ieiunare ijs diebus, quibus ex libito suo vult abstinere à carnibus.

Decis. 268.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus ad carnes intuitu infirmitatis, aut debilitatis, non tenetur ieiunare, si non comedat carnes aliquo die.*
2 *Secus secundum Sanchez, si dispensatio sit ad præseruationem.*
3 *Etiam si sit ad præseruationem non tenetur ieiunare.*
4 *Ex eo, quod dispensatus ad carnes in prandio sine ipsis sufficienter reficiatur, non tenetur ieiunare.*
5 *Quæ voluntaria sunt, possunt diuidi etiam si alias fuerint ex obligatione.*
6 *Faciens contra partem Priuilegij non amittit aliam.*
7 *Dispensatus ad carnes potest in cœna ijs vti, etiam si in prandio non sit vsus ex intentione ieiunij.*
8 *Si dispensatus ad carnes ijs non vtatur, cur talis abstinentia non trahat debitum ieiunandi.*
9 *Si dispensatus abstineat à carnibus durat causa dispensationis, etiam si aliquo die abstineat.*
10 *Quando non sit facienda illatio a diuersis, & separatis.*
11 *Finis adæquatus dispensationis ad carnes in ieiunio.*
12 *Dispensatus ad carnes quomodo liber a ieiunio.*

1 Vppono dispensationem esse absolutam pro singulis diebus ieiuniorum; & similiter esse validam. Quod autem possit comedere pluries in die, quando ex libito suo non comedit carnes, si dispensatio ad carnes sit facta intuitu præsentis infirmitatis, aut debilitatis, docent Sanchez *lib.* 5 *Consil. mor. c.* 1 *dub* 30. *n.* 3. Diana *par.* 4. *tr.* 4. *Resol.* 189 Trullench *lib.* 3. *in Decal cap.* 2. *dub.* 2. *nu.* 7. & Auctor *Casuum Conscientiæ Bononiens. anni* 1638. *Casu* 2. *mensis Ianuarij* ver. *ad* 1 *quæsitum.* Quod sane est verum, quia existit in ipsis causa excusans à ieiunio, nempe infirmitas, aut debilitas, quæ sicuti potest excusare stante dispensatione ab abstinentia carnium, ita à fortiori potest excusare à ieiunio.

2 Si vero dispensatio ad carnes sit solum ad præseruationem, & adsint vires, & sanitas sufficiens ad ieiunandum, tenebitur ieiunare secundum Sanchez *n.* 2. *dub. citati.* Dianam, Bardum *in Bullam Cruciatæ par.* 2. *tr* 3. *c.* 1 *sect.* 7. *n.* 54. Escobar. *tr.* 1. *theol. mor. examin.* 13. *c.* 3. *n* 104 Pellizar. *tom.* 1. *manual. tr.* 5. *c.* 5. *nu.* 39. Baucius *tom.* 2. *opusc.* 1. *q.* 98. Bossium *tom.* 3. *moral. n.* 183. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2 *tr.* 2 *de ieiun n.* 4. Roccaful. *in Praxi tr* 6. *de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 7 *n.* 110. Trullench. *citatus* Megal. *tom.* 2. *Resol. Variar. Resol.* 153. *n.* 5. Quia in tantum excusatur à ieiunio, in quantum ieiunium non potest stare cum comestione carnium, cum abstinentia à carnibus sit ipsi essentialis, vnde posita tali abstinentia vrget obligatio ieiunandi. Deinde cessat necessitas in illis diebus edendi

edendi carnes, nam abstinet sine magno incommodo, vnde etiam cessat magna dispensatio. Sic etiam, qui excusantur à ieiunio ratione laboris, tenentur ad ieiunium, quando non laborant.

3 At non obligari ad ieiunium ijs diebus, quibus carnes ex libito non comedit, tenet idem Auctor *Casuum conscientiæ Bononiensium citato casu 2. mensis Ianuarij* 1638. ver *Resp. secundo*. Et postea sequutus est Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 35. & anteà Turrian. *p.* 1. *sum. c.* 256. *dub.* 35. *concl.* 6. Andreas etiam Mendus *in tres Bull. in Append. miscell. disp.* 2. *c.* 9 *n.* 40. Qui vocat hanc sententiam tutam in Praxi, & reijcit censuram Bardi, dum eam vocat parum probabilem, & non tutam. Addens quod sicut dispensatus potest edere carnes, & pisces simul, poterit etiam postquam edit pisces qualibet hora diei edere carnes, & proinde ex eo, quod edit pisces, non subijcitur legi de ieiunio. Cur enim non potest mutare animum, & edere carnes? Ex eo autem, quod mutet animum, non consurgit, neque tollitur aliqua obligatio, cum hæc non dependeat ab animo dispensati, sed à voluntate, & iurisdictione dispensantis. Quod mihi probabilius videtur, quia cum dispensatio sit pro singulis diebus, tollit pro singulis diebus obligationem non solum abstinendi à carnibus, sed etiam abstinendi à pluribus refectionibus, quia tollit essentiale ieiunij, quod vt vidimus Decis. *præcedenti*, non potest stare cum comestione carnium. Si igitur aliquo die dispensatus non vult comedere carnes, non tenetur ieiunare, quia non est, à quo ponatur talis obligatio, cum iam sit sublata per dispensationem, quæ cum sit absoluta, & non conditionata, si nimirum vtatur carnibus, non reuiuiscit ex eo, quod non vtatur. Nec obstat, quod tunc ieiunium posset habere locum, quia hoc non sufficit, vt quis teneatur ieiunare, alioquin semper teneretur, quando non comedit carnes, sed insuper requiritur obligatio.

4 Resp. Sanchez sufficienter refici in prandio cum piscibus, & ideo postea teneri ad ieiunium. Sed hoc non rectè procedit. Quia sicuti extra dies ieiunij sufficienter refectus cum piscibus in prandio non tenetur ieiunare; quia non adest obligatio ad ieiunium, quæ non consurgit ex hac sufficienti refectione, ita neque in dispensato consurget in diebus ieiunij ex hac sufficienti refectione, quia talis refectio non est potens ad eam inducendam, & si non adest ex hoc capite, ex nullo aderit, quia obligatio præcepti iam sublata est per dispensationem.

5 Deinde, quando aliqua libere fiunt, & absque obligatione, quæ alias erant de necessitate, & obligatione, possunt inuicem separari, & vnum fieri sine alio, quia ex eo, quod circa ipsa adest libertas, potest eligi vnum sine alio. Sic quando primò quis confitetur mortalia, tenetur singula confiteri, si autem denuo illa confiteatur, potest vnum sine alio confiteri, quia sunt facta materia voluntaria. Cum ergo dispensatus non habeat obligationem ieiunandi, sed ei liberum sit ieiunare, & non ieiunare, poterit eligere vnum ex ijs, quibus ieiunium constat, nempe abstinentiam à carnibus, & non eligere alterum, nempe vnicam refectionem.

6 Dices obligationem ieiunandi esse tantum sublatam dependenter à comestione carnium, & non esse directè intentam, sed tantum indirectè. Contra. Quamuis obligatio ieiunandi sit tantum sublata dependenter à comestione carnium, & non directè, sed quia non potest stare cum comestione carnium, adhuc tamen est sublata, itaut dispensatio à ieiunio includatur in dispensatione ad carnes, & vtrumque sit concessum dispensato, & ad vtrumque acquisierit ius, quamuis vnum tantum potuisset concedi, nempe carnes cum vnica comestione, quia hæc sunt diuisibilia. Ergo est in potestate dispensati vti tantum vnica parte priuilegij, & non alia cum sit priuilegium facultatiuum, & sicut potest toto priuilegio non vti; ita nec vti alia parte. Qui enim facit contra vnam partem priuilegij, non amittit aliam, vt tradunt communiter Doctores Panorm. *in cap. cum accessissent. De constit.* Bosslius *tit. de Principe n.* 20. Mandos. *de priuileg. ad instar. glos.* 15. *n.* 24.

7 Ex quibus colligitur contra Sanchez *citatum*, quod dispensatus ad carnes, etiam si in prandio vsus sit piscibus, poterit in cœna vti carnibus, quia abstinentia à carnibus est ipsi omnino voluntaria, & quia potest vti dispensatione ad libitum, & eo modo, quo voluerit, nam dispensatio non cogit dispensatum, vt illa vtatur, & si est diuisibilis, potest illa vti quo ad vnam partem, & non quo ad aliam quia statim ac est facta, remanet sub eius potestate. Quod valet, etiam si habuerit propositum non comedendi, imo etiam ieiunandi, quia tale propositum est ipsi liberum, & ideo potest mutari, & redire ad dispensationem, quæ adhuc durat pro illo die, cum sit contra præceptum, quod pro toto die diuisibiliter tollit obligationem.

8 Ad id, quod affert Sanchez respondetur, quod excusatur à ieiunio, non quia comedat carnes, alioquin comedens carnes etiam sine dispensatione, excusaretur, sed quia est dispensatus ab ipso, & quia durat dispensatio siue comedat carnes, siue non comedat; ideo siue comedat, siue non comedat, non tenetur ieiunare. Et quamuis comestio carnium videatur trahere in consequentiam absolutionem à ieiunio, vt ab illo, quod non potest stare cum carnibus; non tamen sequitur, quod reuiuiscat obligatio ieiunij, quando reuertitur abstinentia à carnibus ex libito abstinentis, quia, cum sit iam sublata talis obligatio, non adest causa, quæ ipsam inducat, nam abstinentia non reuertitur cum obligatione, quam habebat ante dispensationem, ratione cuius habebat annexam abstinentiam à pluribus comestionibus.

9 Quod autem secundo loco affert, falsum est, nam cum dispensatio sit continua pro omnibus diebus ieiunij, oportet, vt habeat etiam causam continuam, seu necessitatem; hæc autem non tollitur, si quis à carnibus abstineat pro aliquo die ex libito, quod etiam si contingat absque multo incommodo, non per hoc fit, quod non perseueret causa dispensationis, atque adeo quod non remaneat sublata obligatio ieiunandi. Vnde non est eadem ratio de eo, qui non laborat, nam tunc in ipso cessat causa excusans à ieiunio.

10 Quod si instes. Quod à diuersis non est facienda illatio *l. Papinianus exul. ff. De minorib.* nisi militet

eadem ratio, & ideo cum præceptum abstinendi à carnibus sit præceptum diuersum à præcepto ieiunij; nec ratio, quæ exigit dispensationem in carnibus, exigat, in ieiunio, non est censendus quis dispensatus in ieiunio, nisi quatenus est dispensatus in carnibus, & quando non edit carnes, non poterit vti dispensatione. Resp. id esse verum, quando illa diuersa non se continent ad inuicem: dispensatio autem in carnibus continet dispensationem in ieiunio, & ideo est sublata per dispensationem obligatio ieiunandi: vnde potest partialiter vti dispensatione quo ad ieiunium, & non quo ad carnes: quia vsus dispensationis pendet ex libito dispensati, & se gerere potest dispensatus, ac si nulla pro ipso sit posita obligatio ieiunandi; siquidem est iam sublata.

11 Obijcit Bardus. finis dispensationis est bonum nutrimentũ; ergò cum in eo, qui non comedit carnes, cesset finis, cessabit etiam dispensatio quia dispẽsatio non potest adhiberi, nisi ad finem, pro quo conceditur. Resp. Non esse finem adæquatum, quia cum dispensatio non solum sit ad carnes, sed etiam à ieiunio, quia vna includitur in alia, finis adæquatus est totum id, cui contrariatur negatio carnis, & plurium comestionum: atque adeò erit etiam commoda refectio per duplicem comestionem moderatam nam sic corpus commodiùs nutritur.

12 Obijcit 2. In tantum dispensatus est liber à ieiunio, in quantum ponit conditionem incompossibilem cum ipso. Ergò quando non ponit, non erit liber. Resp. Antecedens esset verum, si dispensatio esset conditionata; sed non est conditionata, quia dispensatio ad carnes, in qua includitur dispensatio à ieiunio, est absoluta: vndè negari debet; quia non liberatur à ieiunio ratione conditionis, sed ratione dispensationis, nam liberatur ex intentione dispensationis.

An adstrictus voto ad ieiunium, si valide dispensetur ad carnes edendas, teneatur ieiunare, si aliquo die ex deputatis ad ieiunium ex libito abstineat à carnibus. Decis. 269.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus in voto ieiunandi, vt edat carnes, tenetur secundum Sanchez ieiunare, si non vtatur carnibus.*
2 *Non tenetur ieiunare.*
3 *Discrimen inter obligationem præcepti, & voti, & inter vtriusque dispensationem.*

1 Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 30. n. 4.* eodem modo respondet, nimirum si sit dispensatus ob præsentem infirmitatem, vel debilitatem non tenetur ieiunare. At si sit dispensatus ob præseruationem obligatus erit ad ieiunium; quia votum obligat instar præcepti.

2 Sed ob hanc rationem, quia nimirum votum obligat instar præcepti, vt tradit idem Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 11. n. 31.* tenendum est cum Auctore. *Casuum Conscientiæ Bononiensium anni 1638. Casu 3. Mensis Ianuarij ver. Ad secundum quæsitum.* Quod non teneatur ieiunare, quando voluntarie abstinet à carnibus; quia sicut non tenetur, quando est dispensatus in præcepto, ita nec quando est dispensatus in voto. Sic etiam postea sequutus est Leander *in prac. Eccles. 5. disp. 8. q. 35 in fine.*

3 Imo est specialis ratio de dispensatione in voto, quia votum est personale, & inducit solum particularem, & personalem obligationem, quæ non excedit limites personæ; vnde semel facta dispensatione ita extinguitur obligatio, vt nullibi amplius reperiatur, & ideo non potest persona de nouo ipsi subijci, quandiu durat dispensatio. At præceptum est commune omnibus, & inducit generalem obligationem, quæ semper viget, & solum per dispensationem extinguitur in aliqua persona, vnde cessante causa dispensationis subditur eidem obligationi, quia iam in communi est in suo vigore, quod non contingit in voto: vnde dispensatus in voto religionis, quia non poterat se continere, si postea crescente ætate possit se continere, & sit liber à vinculo matrimonij, non subditur eidem obligationi, ita vt teneatur ingredi religionem.

An dispensatus ad carnes pro aliquibus tantum diebus teneatur ieiunare cæteris diebus. Decis. 270.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus ad carnes pro aliquibus diebus, non potest in cæteris ijs vti.*
2 *Dispensatus ad carnes pro aliquibus diebus, tenetur in cæteris ieiunare.*
3 *Nisi infirmitas, aut debilitas excuset.*
4 *Dispensatus ad carnes, pro aliquibus diebus, non potest eligere dies Veneris, & Sabbati.*
5 *Dispensatus ad carnes pro vnica refectione, non potest pluries carnes comedere.*

1 NON posse comedere carnes ijs diebus, pro quibus non dispensatur, certum omninò est, vt notat etiam Io. Sanch. mox citandus. Quia præceptum semper viget, quando non obstat dispensatio, vnde cum dispensatio sit coarctata ad certos dies, cæteris diebus vrgebit præceptum.

2 Quod autem spectat ad ieiunium, tenendum quoque est cum Beia *par. 1. Casuum Conscientiæ Casu 45. ver Tum quia veluti*; Io. Sanchez *in selectis de Sacramentis disp. 51. num. 14.* Quod obligetur ad ieiunium. Dispensatio namque cum sit coarctata ad tempus, non excedit limites temporis præscripti, & proinde extra illud tempus non parit aliquem effectum, & ideo non tollit obligationem, quæ alioquin adest pro cæteris diebus.

3 Hoc autem accipiendum est, nisi adsit causa, quæ pro cæteris diebus excuset saltem à ieiunio,

vt esset debilitas, quod vt plurimum puto habere locum, quando dispensatio fit ob debilitatem, vel præsentem infirmitatem, quia, quando debilitas, aut infirmitas requirit dispensationem quo ad carnes, regulariter est tanta, vt pro singulis diebus valeat excusare à ieiunio.

4 Quæres. An dispensatus ad carnes pro tribus, aut quattuor diebus in hebdomada, possit sibi eligere, quos voluerit. Resp. posse eligere exceptis tamen diebus Veneris, & Sabbati, qui nunquam possunt eligi, quando adsunt alij dies, pro quibus potest inseruire dispensatio. Hoc enim prouenit ex peculiari Ecclesiæ præcepto de abstinentia à carnibus in illis duobus diebus; quod aut coniungitur cum præcepto ieiunij, atque adeo abstinentiæ à carnibus in diebus quadragesimalibus, aut saltem cessante præcepto de ieiunio quadragesimali subintrat in locum ipsius pro illis diebus, quia est vniuersale complectens omnes tales dies pro toto anno.

5 Ex dictis colligitur, quod si quis dispensatus ad edendas carnes, vnica vice pro singulis diebus siue in prandio, siue in cœna, non poterit altera vice comedere carnes, vt notat etiam Io: Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 51. n 15.* Quia præceptum abstinendi à carnibus est negatiuum obligans pro singulis momentis vnde cum dispensatio sit coarctata ad vnicam vicem, remanet præceptum obligans ad abstinentiam pro cæteris vicibus.

An, qui edit carnes, ex dispensatione, si etiam dispensetur, vt edendo carnes, & semel tantum in die comedendo ieiunet, teneatur ieiunare. Decis. 271.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo ieiunium possit stare cum comestione carnium.*
2 *Dispensatus ad carnes, & etiam quod cum carnibus possit ieiunare, tenetur ieiunare.*
3 *Nemo tenetur vti priuilegio, quando nullum damnum sequitur.*
4 *Quando sic dispensatus teneatur ieiunare.*
5 *Ablata obligatione non reuiuiscit per priuilegium.*
6 *An priuilegiatus, vt tempore interdicti possit audire Missam, teneatur audire.*

1 CVM forma ieiunij Ecclesiastici sit præscripta ab Ecclesia, potest à summo Pontifice determinari alia forma ieiunij, vnde potest etiam dispensare cum aliquo, vt vescendo carnibus ieiunet, ita vt forma ieiunij consistat tantum in vnica comestione absque delectu ciborum: vnde etiam in lege veteri ieiunabatur absque abstinentia à carnibus cum vnica sola comestione, quæ vespere sumebatur, vt notat Caiet. 2. 2. *q. 147. ar. 7. circa finem* & Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8.*

2 Nauar. *consil. 6. de obseruat. ieiunior.* & *consil. 9. in nouis,* vult, quod dispensatus ad carnes, & simul etiam dispensatus, quod ieiunare possit ijs vtendo, si semel tantum comedat, teneatur ieiunare, quia vrget præceptum ieiunij, quando potest seruari: vnde cum possit seruari cum comestione carnium, erit seruandum. Et sicuti, qui habet priuilegium, vt tempore interdicti possit audire Missam, tenetur audire, ita etiam, qui habet priuilegium, vt edendo carnes ieiunet, tenetur ieiunare.

3 E contra autem sentit Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 31. n. 2.* Quod non teneatur ieiunare, quia priuilegium, quod est in fauorem priuilegiati, non obligat ipsum, & proinde non tenetur eo vti. Quam doctrinam veram esse puto, si posse seruare ieiunium cum comestione carnium sit per modum priuilegij. Quia tunc id habet ex gratia, quæ non debet esse onerosa iuxta regulam. *Quod ob gratiam. De regulis iuris in 6.*

4 Si vero non sit per modum priuilegij, sed per modum præscriptionis nouæ formæ in ieiunio, tunc tenetur ieiunare; quia comestio carnium in tantum impediret ieiunium, in quantum excluderet formam substantialem ieiunij, atque adeo dispensatio quo ad carnes esset etiam dispensatio quo ad ieiunium; at quando cum tali dispensatione quo ad carnes præscribitur noua forma ieiunij, quæ stet simul cum comestione carnium, non sit dispensatio simul quo ad ieiunium, sed relinquitur obligatio quo ad illam nouam formam ieiunij, & ideo sic dispensatus tenetur ieiunare.

5 Et in hoc casu verum est, quod vrgeat præceptum de ieiunio: non autem, quando concessio, quod cum carnibus possit seruari ieiunium, se habet per modum priuilegij, quia tunc priuilegium superadditur dispensationi, per quam cum sit ablata obligatio ieiunandi, & non inducatur per priuilegium, ideo dispensatus remanet in libertate ad ieiunandum, vel non ieiunandum.

6 Quod aut dicitur, quod habens priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, teneatur audire, non admittitur ab omnibus; plures enim negant vt Auila *par 5. de Censur. disp. 4. sect. 2. dub. 6.* Coninch. *disp 17. de Sacram. n. 28.* Alterius *tom 2. de Censur. disp. 2. de Interdict. c 3. in fine.* Llamas *3. par. Meth. c. 5. §. 11.* citans Bartholomeum Medinam *in Summa*, & alij ob eamdem rationem, quod nemo tenetur vti priuilegio. Et est etiam dispar ratio, quia interdictum ponit tantum impedimentum ad audiendam Missam, non autem facit cessare obligationem præcepti, ideo si per priuilegium tollitur impedimentum manet in suo robore præceptum, & obligatio audiendi Missam. Verum cum in iure prohibeatur auditio Missæ, talis prohibitio videtur destruere obligationem audiendi Missam, quæ cum non inducatur per priuilegium, adhuc priuilegiatus non tenebitur audire Missam.

Potest quis in quadragesima ieiunare comedendo oua, & lacticinia, non potest si non comedat, quia ex alijs cibis non potest in vnica vice sumere quantum sufficiat, quæritur, an teneatur ad ieiunium. Decis. 272.

SVMMARIVM.

1 *Potens ieiunare cum ouis, & non cum cibis quadragesimalibus, tenetur ieiunare secundum Sanchez.*

2 *Non tenetur.*
3 *Præceptum minus vniuersale cedit vniuersaliori, si sint in eodem genere.*
4 *Non habens sufficientem refectionem de cibis quadragesimalibus, & habens de ouis, & lacticinijs, non tenetur hæc comedere, vt ieiunet.*

1 MOVET hoc dubium Sanchez *lib. 5 Consil. moral. cap. 1. dub. 32.* & resp. quod licet probabile sit, quod non teneatur ieiunare, probabilius tamen sit, quod teneatur; præceptum namque ieiunij est principale, & ideo, quando non potest aliter seruari, debet seruari cum vsu ouium, & lacticiniorum. Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. quæst. 36*

2 At si adest præceptum de non edendis ouis, & lacticinijs in ieiunio quadragesimæ, vt diximus in superioribus adesse ex Cap. *Denique Dist.* 4. Mihi videtur dicendum. Non teneri comedere oua, & lacticinia, vt possit ieiunare. In hoc enim casu concurrunt duo præcepta alterum de ieiunio, alterum de abstinentia à lacticinijs, & ouis. Hoc autē de abstinentia à lacticinijs, & ouis est vniuersalius, quia obligat etiam adolescentes, & cœteros, qui ex aliqua legitima causa non possunt ieiunare, quando alias non requirunt 3 vsum ouorum, & lacticiniorum. Vnde huic debet cedere præceptum de ieiunio, supposito quod vtrumque obliget ad mortale, quia in concurrentia præceptum minus vniuersale cedit vniuersaliori, quando sunt eiusdem generis, nam hoc est de intentione Ecclesiæ, quæ vult primo loco obligare præceptum vniuersalius, deinde minus vniuersale, si habet locum, & ideo extendit ad plures præceptum magis vniuersale tanquam illud, quod primo loco intendit seruari. Et ratio est, quia præceptum minus vniuersale superaddit vniuersaliori, quando sunt in eodem genere: vnde obligatio quoque ipsius est posterior natura obligatione præcepti vniuersalioris, & ideo prior cessare debet, & cedere, quando non potest stare simul cum ipso. Hoc autem dicendum est, si præceptum de non comedendis ouis, & lacticinijs obligat ad mortale, quia si obligaret tantum ad veniale, vt putat Facundez, vt vidimus suo loco, oppositum dicendum esset, quia tunc esset tale præceptum inferioris ordinis, cum obligaret tantum ad veniale, & ideo deberet ipsum cessare.

4 Atque ob eamdem rationem, si quis non haberet sufficientem substentationem quo ad modum suum, & conditionem de cibis quadragesimalibus. haberet autem de ouis, & lacticinijs, atque adeo cum his posset ieiunare, non teneretur comedere oua, & lacticinia, vt ieiunaret, sed absolueretur à ieiunio ex defectu debitæ, & congruentis refectionis, quæ est causa sufficiens, vt dicemus suo loco. Quamuis oppositum sentiat Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 8.* In tali enim casu ex defectu debitæ refectionis cessat obligatio ieiunandi, & præceptum de abstinentia ab ouis, & lacticinijs stat in sua possessione, à qua non debet deturbari, vt seruetur aliud præceptum, quod iam cecidit à possessione sua. Atque in hoc sensu loquitur Sanchez in casu proposito loco supracitato.

An dispensatus in quadragesima ratione infirmitatis ad oua, & lacticinia, sit absolutus à ieiunio. Decis. 273.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus in quadragesima ad oua, & lacticinia non est dispensatus a ieiunio.*
1 *Oua, & lacticinia non soluunt substantiam ieiunij.*

1 NEgatiue respondetur, vt communiter docent, præsertim Filliucius *tr. 27. par. 2. c. 3. n. 59.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. nu. 170. & 171.* Abulens. *quæst. 171. in cap. 6. Matth.* Molfes. *par. 1 sum. c. 4. num. 26.* Rodriquez *par. 1. sum. c. 24. n. 2.* Ledesma *2. par. sum. tr. 27. c. 2. dub. 3. post 3. conclus.* Angles *in Florib. q. 9. de ieiunio ar. 1 difficul. 7 dub 4.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. pracep. 3. ar 4. num. 5.* Bizozerus *par. 4 sum. De pracep. cap. vlt. memb. vlt. n. 11.* Azor. *par. 1. lib. 7. cap. 10. q. 3. in fine.* Syluius 2 2. *q. 147. ar. 4. ver. Sed quæritur, an dispensatus* Sanchez *lib. 5 in Decal. c. 11. n. 49* Trullench. *lib. 3. in Decal. dub. 2 nu. 6.* Llamas *3. par. Meth. c 5. §. 26.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 37.* Martin à S. Ioseph *tom. 1 mor. lib. 2. tr. 3 de ieiun. n 2.*

2 Ratio est, quia comestio ouorum, & lacticiniorum non soluit substantiam, & formam *ieiunij* Ecclesiastici, vt constat in ieiunijs extra quadragesimam, in quibus lacticinia non sunt prohibita. Sed in quadragesima prohibentur ob specialem abstinentiam. Vnde Pius V. *in Bulla Cruciatæ* declarauit, quod ieiunium stat cum ouis, & lacticinijs. Et ideo dispensatus ad oua, & lacticinia est solum dispensatus à speciali abstinentia, non autem à ieiunio.

An, qui in die Ieiunij non habet nisi carnes ad vescendum, teneatur ieiunare. Decis. 274.

SVMMARIVM.

1 *Qui in die ieiunij non habet nisi carnes ad vescendum secundum aliquos tenetur ieiunare.*
2 *Non tenetur ad ieiunium.*
3 *Cessat obligatio ad actum, quando non potest poni forma, cum qua præcipitur.*
4 *Cessat obligatio ad actum, etiam si adsit potentia ad ipsū quando non adest materia necessaria.*

1 AFfirmatiue respondent Abulens. *q. 171 in cap. 6. Matthei,* & Henriquez *lib. 7. sum. c. 13 n. 17.* Quia, etiam si abstinentia à carnibus sit de substantia ieiunij, in tali tamen casu non adhibentur carnes tanquam carnes, sed vt instrumentum substentationis: & ideo cum non adsit indigentia carnium, sed per accidens se habeat, quod adhibeantur, obligatio ad ieiunandum remanet in suo robore.

2 Op-

2 Oppositum tamen tenet Sanchez *lib. 5. Consil. moral. c. 1. dub. 29. num 4.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 2 n. 7.* Auctor *Casuum conscientiæ Bononiensium ann.* 1638. *Casu 2. Mensis Ianuarij* ver. *Respondetur secundo*, Remigius *tr. 3. sum. c. 4. § 3. num. 9.* Facundez *præcep. 4. Eccl. lib. 1. c. 8 n. 12* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 8. qu 38.* quæ opinio mihi probabilior videtur.

5 Quando enim lex præcipit aliquem actum cum certa forma, quæ sit de substantia actus, quotiescunque talis forma euadit impossibilis, siue per se, siue ex accidenti, siue tollitur ex dispensatione, eodem pacto cessat etiam obligatio legis, quia intendit actum cum tali forma, vnde ex cessatione formæ cessat intentio legis, atque adeo obligatio, vt dicebamus. *Decis. 267. num. 10. & sequentib.* In casu autem nostro licet per accidens, redditur tamen impossibilis forma substantialis ieiunij, vt præcipitur ab Ecclesia, quæ consistit in abstinentia à carnibus, & à pluribus refectionibus, vt dicebamus eadem Decis. *n. 12.* Vnde etiam per accidens cessat obligatio præcepti de ieiunio.

4 Nec obstat, quod non adsit indigentia carnium, atque adeo quod natura non sit debilis, sed possit sustinere ieiunium, quia non sufficit potentia ad actum implendum, quando præcipitur, sed requiritur etiam materia necessaria pro tali actu, quæ si desit, cessat obligatio; Sic qui non habet Breuiarium non tenetur recitare horas canonicas, licet alioquin non habeat impedimentum aliud; sed posset, si haberet Breuiarium; qui non habet peccata, non tenetur confiteri, licet possit confiteri peccata, alias confessa. Vnde licet in casu nostro comedens carnes habeat potentiam ad ieiunandum, non tamen tenetur ieiunare, quia non habet materiam necessariam pro ieiunio, nempe cibos, qui sunt de substantia ieiunij.

An pauperes sint exempti à præcepto ieiunij. Decis. 275.

SVMMARIVM.

1 *Pauperes, qui non habent congruentem refectionem, non tenentur ieiunare.*

2 *Pauperes mendicantes regulariter sunt exempti à ieiunio.*

3 *Quænam sit congruens refectio.*

4 *Pauperes sibi victum manibus quærentes quando sint exempti à ieiunio, etiam si artes non sint laboriosæ.*

5 *An, qui non habet vinum, aut quod adhibetur loco vini teneatur ieiunare.*

6 *Pauperes eo die, quo habent sufficientem refectionem, tenentur ieiunare.*

1 COmmuniter affirmatiuè resp. dummodo tamen non habeant sufficientem cibum pro vnica refectione. Ita D. Th. 2. 2. *qu.* 147. *ar. 4. ad 4* & *in 4. dist. 15. q. 3. ar. 2. quæstiuncul. 4. ad 2.* Riccar. *ar. 3. q. 4.* Durand. *q. 10. num. 6.* Gabr. *dist. 14. q. 3. ar. 1. notab. 4. §. Secunda causa* Alens. *par. 4. q. 102. ar. 4.* Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. ar. 2. conclus. 3.* Nauar. *in Manuali c. 21. nu. 16. ver. Primus scilicet.* Caiet *in sum verbo* Ieiunium *c. 3* ver. *excusantur infirmi.* Syluester *n. 24.* Angelus *n. 15.* Rosel. *n. 20.* Armilla *n. 3.* Tolet. *lib. 6, c. 4. n. 2.* Azor. *par. 1 lib. 7. c. 17. q. 7.* Angles *in Florib par. 2. in 4. q. 6. De ieiunio. difficul. 9.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure. c. 2. n. 40.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. n. 211.* Molfes. *par 1 sum. tr. 10. c. 4 n 39.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 6. n. 115.* Viguer. *c. 7. Instit theol § 3. ver. 2.* Syluius 2. 2. *q 147. ar 4.* ver. *Tertius modus* Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl q. 1 punc. vlt. tom 5.* Sanch. *lib. 5. cons mor. c. 1. dub 15. n. 1.* Facund. *præc 3 Eccl. lib. 1. c. 8 n. 12* Villalob. *p. 1 sum. tr. 23. diffic 4 n 2.* Lezana *verbo* Ieiunium *nu 8.* Ghetius *eodem verbo c. 2. n. 8.* Med. *C. de ieiunio q. 9. initio.* Laiman *lib. 4. The. mor. tr 8. c. 3 n 3.* ver. *Tertia est.* Val. *tom. 3. disp. 9 q. 2. punc 5.* ver. *Item excusantur.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 9.* Hieronimus Perez *p. 1. sum. præc. 3. §. De ieiunio.* Llamas *3. par. Meth. c. 5. §. 21.* Funes *in Speculo mor. par. 3. c. 2. n. 6.* Fernandez *par. 2. Exam theol. mor. c 8. § 2 n 12.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. præc 3. ar. 4. nu. 7.* Lublinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 5.* Basseus *in Florib. theol pract. verbo* Ieiunium 2. *n. 6.* Bizozer *par 4 sum de 3. præc.* Decal. *c. vlt. memb. vlt. nu. 5.* Trullench. *lib. 3 in Decal. c 2. dub. 7 n. 6.* Ratio est, quia, quando non adest sufficiens refectio, ieiunium esset nimis onerosum, & præter intentionem Ecclesiæ, quæ non intendit, quod subtrahatur corpori debitum alimentum, sed solum, quod maceretur per subtractionem multiplicis refectionis, & qualitatis ciborum.

2 Hinc pauperes mendicantes, vt notant plures ex citatis Doctoribus præsertim D. Th. Bossius *tom 3 tit. 21. §. 2. n. 53.* Leander *in præc Eccl. tr 5. disp. 8. q 40* Andreas Mendus *in Bull. Cruc. disp 13 c 1. n. 3.* sunt regulariter excepti à ieiunio, quia fere nunquam habent congruentem refectionem, cum ipsis deficiat, aut quantitas, aut qualitas ciborum. Si tamen contingat in sua mendicitate esse diuites, vt de aliquibus audiui, & colligant notabilem quantitatem pecuniæ, non erunt exempti à præcepto ieiunij, quia sibi prouidere poterunt de congruenti substentatione; nisi forte indigeant illa pecunia ad alios vsus, vt ad substentandam familiam, ad collocandas filias, aut ad alios similes.

3 Sed difficultas est, quænam sit congruens refectio. Resp. pro congruenti refectione non sufficere panem in quantauis quantitate, sicut nec etiam fructus, & olera, sed requiri cibos, qui sint maioris nutritionis, vt cum Gabr. citato notant Angles *in Florib. q 6 de ieiunio diffic. 9 append 3.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 15. n. 3.* Remigius *tr. 3. sum c. 4. § 3 n. 9.* Murcia *in cap. 3 Regul S. Francis. c. 2. § 2 n. 38.* Nam cibi prædicti moraliter censentur incongrui, & insufficientes ad completam substentationem, & quod natura indigeat meliori cibo. Quod postea impugnauit Leander *in præc Eccl tr. 5. disp. 8. q. 42.* quia in pluribus Regionibus tota refectio fit ex pane, fructibus, & oleribus, nec est alius cibus, quo incolæ vti possint. Sed saltat extra Chorum, cum difficultas procedat de assuetis melioribus cibis, & aliàs non exemptis à ieiunio. Et ideo hanc sententiam sequuti sunt Ludouicus à S. Io. *in sum q. de ieiun ar. 7. diffic. 7. dub. 3. conclus. 2. append. 3.* Murcia *q. 11 n 4 in cap 3 Reg S. Francis.* Diana *p. 10. tr. 12 res. 4. 5. ver. verum.*

4 Hinc pauperes, qui sibi manibus victum quærunt, & parum lucrantur, aut lucrum pro aliorum

quoque

quoque sustentatione debent impendere, atque adeo coguntur parcè viuere, & vti cibis exiguæ nutritionis, non tenentur ieiunare, quia non habent congruentem refectionem,& nimis macerarentur, si superadderent ieiunium. Et hoc verum est, etiam si artes, quas exercent, sint leuis laboris.

5 Similiter, qui non haberet vinum, aut quod solet loco vini adhiberi in regionibus, vbi adest penuria vini, neque teneretur ieiunare; quia eo subtracto, subtrahitur magna refocillatio, & quæ plurimum roboris afferat, vnde subtracto etiam cibo; nimis complexio maceraretur,& ieiunium fieret nimis onerosum. Oppositum tenent Leander *in prac. Eccl.tr.5.disp.8.q.41* Baucius *in casib. singular. casu* 286. *q.2.* Diana *par.10.tr.11.resol.45.* Quia sine vino potest haberi congrua sustentatio; alioquin vbi non sunt vites, & vinum non tenerentur ieiunare: quæ tamen ratio nihil habet momenti, nam dixi, qui non haberet vinum, aut quod solet loco vini adhiberi, vbi adest penuria: sed libido impugnandi non permisit Leandrum omnia considerare. Cœterum quando quæritur, an qui non habet vinum teneatur ieiunare, intelligitur de eo, qui assuetus est vino. Quod vt experientia patet, si desit per aliquot dies, & nihil loco ipsius substituatur, nisi aqua, non potest assuetus resistere, sed valde debilitatur: Et proinde etiam carentia pro vno die est notabilis incommodi.

6 Est tamen aduertendum, quod si pauperes pro aliquo die habent congruentem sustentationem, tenentur illo die ieiunare, vt notant plures ex Doctoribus *citatis*, quia cessante causa soluente obligationem præcepti, incipit ligare præceptum: cessat autem, quando adest congrua refectio.

An, qui non habent parantes necessaria ad ieiunium pro congrua refectione, sint immunes à ieiunio. Decis. 276.

S V M M A R I V M.

1 *Qui non habent parantes necessaria pro congrua refectione, non tenentur ieiunare.*
2 *Quando infirmitas parantis cibos excuset à ieiunio.*
3 *Quando artifices defectu parantis congruam refectionem excusentur à ieiunio.*
4 *Regularis non potens sumere congruo tempore refectiunculam an teneatur ieiunare.*

1 RESP. affirmatiuè cum Tabiena *verbo* Ieiunium *q.9.* Syluestro *nu.* 24.*ver. Quartum excusantur*, qui pro hoc citat etiam Archidiacon. Sanchez *lib.5 consil. mor. c.1. dub.15.n.2.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7.n.6.* Graf. *par.1. Decis.1 lib.2.c.36.n.40.* Bossius *tom.3. mor. tit.21 nu.55.* Leander *in prac. Eccl. tr.5 disp.8.q.43.* Hi enim comparantur pauperibus: quia deficit ipsis congrua refectio defectu eorum, qui eam parent.

2 Vnde, si contingat alicui, infirmari famulum, seu ancillam, quæ ipsi consueuit parare cibos, nec habeat, qui pro ipsis suppleat, excusabitur à ieiunio, si contingat in ijs locis, vbi non solent vendi cibi iam parati, vt si esset ruri, aut etiam si in ciuitate non haberet, quos mitteret ad emendum.

3 Rursus artifices, quamuis non exerceant artes laboriosas, si nesciant sibi parare cibos, aut nequeant vacare, quia opus habeant vacare exercitio continuè, vt lucrentur, quod illis opus est, nec artis lucrum patiatur; vt cibos coctos emant, excusabuntur à ieiunio ob eamdem rationem, quia non possunt habere congruam refectionem.

4 Ex quibus colligitur, quid dicendum de Regulari, qui sine refectiuncula non potest ieiunare, & mane ita tarde prandet, vt hora refectiunculæ non concoxerit cibum,& si aliquid comedat, noceat stomaco, nec possit differre refectiunculam vltra tempus assignatum, tum quia clauditur refectorium, tum quia non haberet postea tempus sufficiens ad dormiendum, cum noctu ad matutinum surgendum sit. Respondeo. Non teneri ad ieiunium, siquidem non potest habere congruam sustentationem congruo modo, & congruo tempore, & proinde cum non possit ieiunare, nisi cum notabili damno, non tenetur ieiunare. More suo Leander, & etiam parum modestè *in prac. Eccl. tr.5.disp 8.q.45* reijcit hunc casum tanquam non practicabilem. Concludit tamen, quod ego dixi. nempè non obligari ad ieiunium, si absque refectiuncula non possit ieiunare, & simul non posset illam sumere congruo tempore sine notabili damno salutis. Quod autem casus sit practicabilis, testata est ipsa experientia.

An famuli, quibus à Dominis tenuis portio exhibetur, sint liberi à ieiunio. Decis. 277.

S V M M A R I V M.

1 *Famuli, qui obtinent à Dominis tenuem portionem, sunt liberi à ieiunio.*
2 *Congruitas refectionis æstimatur ex quantitate, & qualitate.*
3 *Domini non tenentur augere portionem famulis, vt possint ieiunare.*

1 RESP. affirmatiuè cum Angles *in Florib q 6. De ieiunio diff.9. append.2.* Sanchez *lib 5. consil. mor.c.1.dub 15.n.2.* Trullench. *lib 3. in Decal. c.2. dub 7.n 6.* Bossius *tom 3.mor. tit.21.§ 2.n. 54.* Remigius *tr.3 sum c 4. §.3.n 9.* Leander *in prac. Eccl. tr.5.disp.8.q 46.* Martin à s Ioseph *tom.1. mor. lib.2. tt 12. de ieiun.n.17.* Roccaful. *in praxi tr.6. de prec Eccl. lib.3.c.9.n.155.* Comparantur enim pauperibus, qui non habent congruentem refectionem.

2 Congruitas autem refectionis non solum debet æstimari secundum quantitatem, sed etiam secundum qualitatem: vnde si haberent cibos, quo ad quantitatem sufficientes pro congrua refectione, sed non quo ad qualitatem, vt panem fructus, olera, non tenerentur ieiunare. Sicuti si haberent quo ad qualitatem debitam, quia nimirum, vt præceptum ieiunij obliget, oportet, vt sumi possit vnica refectio con-

congrua, & sufficiens pro substentatione. Vnde si famuli obtinerent aliquid obsonij, sed in exigua quantitate ex reliquijs dominorum, non tenerentur ieiunare; quia illa modica quantitas obsonij non censetur sufficiens pro vna integra refectione.

3 Non assentior tamen Angles citato, quod teneantur Domini, si possunt, augere prandium famulis. Quia ex iustitia non tenentur, nisi ad id, in quo conuenerunt; sed neque ex charitate, cum non sint constituti in aliqua necessitate; neque obligentur reddere potentes ad ieiunandum, qui ex aliquo capite sunt impotentes. Et ita tenent Vega *par. 1. sum. c. 14 casu 26.* Remig. *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 9. in fine.* Leander *in prac Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 47.*

An, quando itinerantes non inueniunt hora prandij congruam refectionem, teneantur ieiunare. Decis. 278.

SVMMARIM.

1 *Quando itinerantes non inueniunt hora prandij congruentem refectionem, non tenentur ieiunare.*
2 *An in tali casu teneantur differre refectionem ad vesperam.*
3 *Quid si inuenirent congruam refectionem de se, sed non sibi proportionatam.*
4 *An in tali casu, qui consueuit differre refectionem ad vesperam, possit omni meliori modo prandere, vt effugiat obligationem ieiunij:*

1 LOquimur de itinerantibus, qui alioquin tenentur ad ieiunium, vel quia lectica, aut curru iter habeant. Et resp negatiuè cum Angles *in Florib. qu. 6. de ieiunio. diffic. 9. Append. 3.* Sanchez *lib 5. consil. mor c. 1. dub. 15. nu. 2.* vbi asserit, etiam doctos Recentiores ita sentire. Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2 dub. 7 n. 6.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 54.* Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. mor lib. 2 tr. 12. de ieiun. n. 17.* Mendus *in Bull. Cruc disp. 13. c. 1. nu. 3.* Leander à Murcia *in c. 3. Reg. s. Francisc. c. 2. §. 2. n. 37.* Et ratio est, quia præceptum ieiunij non obligat quando non potest haberi vnica congrua refectio ex quacunque causa id proueniat.

2 Sed dubium remanet, quia in tali casu possent hora prandij sumere refectiunculam, & vespere cœnare; nam tunc reperire possent congruam refectionem. Resp. tamen, quod cum in ieiunio præscribatur vnica refectio circa meridiem, & vespere concedatur refectiuncula, non tenentur transferre plenam refectionem ad vesperam, vt possint ieiunare, vt dictum est etiam in superioribus *Decis. 245.* Et ideo si non habent congruentem refectionem pro hora prandij, non tenentur ieiunare, sed poterunt comedere de eo, quod habent quantum pro tunc iudicauerint sibi sufficere, & postea cœnare.

3 Hinc deducitur, quod etiam si inuenirent congruam refectionem, quantum est de se, sed non sibi proportionatam, vel quia illud obsonium esset nociuum, vel quia inferret nauseam, aut ex alio capite non posset commode adhiberi, neque adhuc tenerentur ieiunare: siquidem adhuc carerent congruenti refectione, nam obsonium improportionatum importat tale incommodum, ad quod non obligat præceptum ieiunij, vt seruetur.

4 Sed quid, si iter habens esset solitus ob commoditatem itineris mane sumere refectiunculam, & vespere cœnare; & mane non inueniret sufficiens prandium, posset ne tunc prandere eo meliori modo quo posset, vt effugeret obligationem ieiunandi? *Resp.* affirmatiuè, nam in hoc potest vti iure suo: habet. n. ius seruandi ieiunium secundum communem modum, & ex libertate sua transfert refectionem ad vesperam: & ideo, quando adest impedimentum, ne possit ieiunare secundum communem modum, si vult tenere communem modum, absoluitur ab obligatione ieiunandi. Sic etiam existens in loco, vbi adest præceptum de ieiunio, potest transire ad locum, vbi non adest ob fugiendam obligationem; & potest in die ieiunij, vt se similiter subtrahat obligationi, assumere laborem incompatibilem cum ieiunio. Vnde omnes Doctores, qui hæc docent, debent consequenter tenere hanc nostram responsionem. Hos autem retulimus supra *Decis. 214. n 3. & 215. n. 3. & 216. n. 1.*

5 Notant Sanchez *lib. 5. consil c. 1. dub. 19 n 6.* Remig. *tr. 3. sum. c. 4. §. 3 n. 12 ver. Et tambien.* Quod si itinerantes in diebus ieiunij non inueniant pisces possunt comedere oua, & lacticinia sine bulla, quia Ecclesia non censetur hæc prohibere deficientibus piscibus. Verum hoc ad summum admitti posset in locis, vbi locum habet Bulla Cruciatæ, nam in cœteris pareret scandalum, sed neque in ijs ita facilè admitterem, sed solum quando deficeret congrua substentatio aliorum ciborum.

An, qui ex consuetudine vescitur solo pane cum allio, cepis, aut fructibus, &c. teneatur ieiunare, si non habeat nisi cibos huiusmodi. Decis. 279.

SVMMARIVM.

1 *Vescens ex consuetudine pane cum allio, cepis, & alijs huiusmodi cibis non tenetur ieiunare.*
2 *Etiam si vescatur his cibis, vt seponat aliquid ob suas, vel suorum necessitates.*
3 *Congrua refectio dicitur respectiuè.*
4 *Consueta refectio non semper congrua.*
5 *Refectio aliquando solum congrua ex quantitate.*

1 REsp. non teneri Ita Sanchez *lib. 5. consil. mor. 1. dub. 5. n. 3.* qui citat Angles, Leander à Murcia *in c 3. Regul s Francisc. c 2. §. 2. n. 38.* Quia non habet congruum alimentum pro vnica refectione; quamuis enim solitus sit vti solum tali alimento, non tenetur tamen ob præceptum ieiunij sibi subtrahere etiam de tali cibo, nam præceptum obligat quidem ad sibi subtrahendam multiplicem refectionem, sed quando potest haberi vnica refectio congrua, & commoda tam quo ad qualitatem, quam quo ad quantitatem. Accedit etiam quod plus maceratur iste cum multiplici refectione comedendo solum tales cibos, quam cum vni-

vnica refectione, & vtendo cibis commodis, & congruentibus.

2 Sed dubitatur, an adhuc excusaretur à ieiunio, si quis non vteretur prædictis cibis, non ob necessitatem, sed vt seponeret aliquid pecuniæ, vel ob suas necessitates, vel familiæ, vel ob dotandas filias, vel ob alium huiusmodi finem. Resp. adhuc excusari quia licet posset sibi prouidere de cibo congruenti, id tamen non fieret sine notabili incommodo, quia sibi subtraheret illud commodum, quod perciperet ex sepositione pecuniæ, quod est certè notabile, quia ordinatur ad subueniendum necessitatibus proprijs, & suorum. Deinde huiusmodi sepositio pecuniæ imperatur à charitate, vel erga seipsum, vel erga suos, vnde est actus virtutis excellentioris, quam sit ieiunium, & ideo non debet impediri, quia ieiunium non debet esse impeditiuum maioris boni, & præcipue charitatis Capit. *Non mediocriter*. De *Consecrat. Dist.* 5.

3 Contra supradictam resolutionem opinatur Leander *in prae. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 43. Primo. Quia congrua refectio non dicitur, quia in se sit talis, sed quia sit talis respectu personæ. Eo ipso autem quod refectio sit ordinaria, censetur etiam congrua. Vndè allia, cepæ, fabæ, &c. veniunt appellatione cibi Rusticorum iuxta Glos. in *l. seruis vrbanis* verbo. *Cibarij ff.* De *legat.* 3. Secundò plus affliguntur diuites ex ieiunio, qui splendidè epulantur, quam vescentes prædictis cibis. Tertiò. Quia perpauci tenerentur ad ieiunia, cum valde pauci melioribus cibis vtantur.

4 Non est tamen recedendum à tradita resolutione. Quia licet refectio ex talibus cibis sit ipsis consueta, est tamen talis qualitatis, vt vix sufficiat ad necessariam substentationem: Vndè si subtraheretur multiplex comestio, subtraheretur de necessaria substentatione, & valdè debilitarentur.

5 Vnde ad 1. resp. Quod quamuis refectio sit consueta, est tamen incongrua etiam in tali persona pro substentatione debita, quia cibi de se sunt parum admodum nutritiui, & solum fit aliqualiter congrua ex multiplicitate refectionum, quæ si substrahatur, remanet omninò incongrua. Ad 2. nego assumptum, quia quisque affligitur plus ex subtractione debitæ quantitatis alimenti, quam ex qualitate inferiori: imò vt constat ex ipso adspectu, maiorem macerationem ostendunt vescentes his cibis, licèt non ieiunent, quam ieiunantes cum melioribus cibis. Ad 3. nego sequel. quia pauci admodum sunt saltem in nostris regionibus, qui vescantur huiusmodi cibis, nàm pauperes quoque vtuntur iusculentis, &c. Quod si alicubi essent plures, quàm cœteri, quid mirum, si defectu congruæ substentationis eximerentur à ieiunio, cum possit eximi tota integra Communitas, vt potest contingere in aliqua obsidione Vrbis.

An coniuges excusentur, si non ieiunent, quando impedirentur, ne sibi inuicem possent reddere debitum.

Decis. 280.

SVMMARIVM.

1 *Coniuges non tenentur ieiunare, quando ieiunium impediret, ne sibi inuicem redderent debitum.*

2 *Præceptum reddendi debitum coniugale præualet præcepto de ieiunio.*

3 *Coniux non tenetur remouere alterum coniugem à petendo debito, vt ieiunet.*

4 *Quando ob reddendum debitum non obliget præceptum ieiunij.*

5 *Quale debitum coniugale teneantur reddere coniuges.*

6 *Periculum incontinentiæ in vno obligat alterum coniugem, vt crebrius reddat debitum.*

7 *An quis absoluatur a ieiunio, vt valentior sit in vsu matrimoniali.*

8 *Non tenentur coniuges, vt possint ieiunare, esse minus frequentes in vsu matrimoniali.*

9 *An vsus matrimonialis sit licitus propter solam delectationem.*

10 *An absoluantur coniuges à ieiunio ob frequentem vsum matrimonialem, si fit ob solam delectationem.*

11 *Coniuges ob debilitatem possunt vesci carnibus in quadragesima, quando aliter non possunt reddere debitum.*

12 *Vxor peccat, si se per ieiunia inhabilitet ad reddendum debitum.*

1 Communiter affirmatiue respondent. Ita Caiet. *verbo* Ieiunium *c.* 3 ver. *Excusantur infirmi. in fin.* Armilla *n.* 4. Medina G. *De ieiunio quæst* 9. ver. *Ad hanc causam.* Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 15. *Hisp.* 17. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 3 ver. *Præterea in hoc ar.* Valent 2. 2. *disp.* 9. *punc.* 5. *ver. Necessitas excusans.* Angles *in Florib. p.* 2 *in* 4 *q.* 6. *de ieiunio. diffic.* 12. *append* 2. Philiar. *de Offic. Sacerd tom.* 1. *p* 2 *lib.* 3. *c.* 25. §. *Causa, ob quas.* Sà *verbo* Ieiunium *nu.* 9. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 3 *n.* 10. *& lib* 5 *consil. mor: c.* 1 *dub.* 15. *n.* 5. Lessius *lib* 4. *de Iust & iure c* 2. *nu.* 44. Molfes. *p.* 1 *sum. tr* 10. *c.* 4. *n.* 44 Tolet *lib* 6. *c.* 4. *nu.* 4. Reginal *lib.* 4. *Praxis fori pœnit. n* 217. Filliucius *tr.* 27 *p* 2. *c.* 6. *n.* 119 *&* 124. Facundez *prae.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 18. Laiman. *lib* 4 *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3. *num* 4. Basseus *in Flor. theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *n.* 10. Syluius 2. 2. *q.* 147 *ar* 4. ver. *Ex his intelligi.* Bonacina *disp. vlt. De prae. Eccl. q.* 1. *punc. vlt. n.* 14. Graf. *par* 1. *Decis. lib.* 2. *c.* 37. *n.* 12. §. *Causæ, ob quas.* Ludouicus à S. Io. *p.* 1. *sum. tr. de ieiunio ar.* 6. Tabiena *verbo.* Ieiunium *n.* 20. Villalobos *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *nu.* 17. Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 23. Lublinus *p.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *n* 9. Io. à Cruce *p* 1. *direct. conscient. prae.* 3. *ar.* 4 *n.* 7. Fernandez *p.* 2 *Exam. theol. mor. c.* 8. §. 2. *n.* 12. Ghilinus *in sum. verbo.* Ieiunium *n,* 22. *litera V.* Auersa *q.* 21. *de Matrimonio sect.* 1, ver. *Inferri tandem.* Llamas *p* 3 *Meth. c.* 5. §. 21. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7 *n* 13. Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *n.* 18. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de prae. Eccl. lib.* 3. *c.* 9 *n.* 168. Bossius *tom.* 3 *mor. tit.* 21. *num.* 93.

2 Hæc sententia pro certa habenda est, quando tamen ieiunium impediret, ne debitum posset reddi. Nam in hoc casu concurrunt duo præcepta, nempe præceptum iustitiæ reddendi debitum, & præceptum Ecclesiæ de ieiunio. Cedit autem in hoc concursu præceptum de ieiunio, tum quia obligatio iustitiæ est strictior, & propter ius alterius præfertur obligationi virtutis, qualis est abstinentia. Tum quia Ecclesia non intendit obligare ad ieiunium, quando impediret obseruantiam aliorum præ-

præceptorum, præsertim quę concernunt iustitiam. Tum quia præceptum reddendi debitum est naturale diuinum, & ideo anteponendum præcepto humano, quale est præceptum ieiunij.

3 Hinc rectè notat Sanchez *citata disp. 3. lib. 9. de Matrim. n. 10.* contra Lopez *2. par. Instruct. c. 111.* circa finem. Non teneri ieiunare, etiam si possit precibus, aut alio modo remouere alterum coniugem à petendo debito. Quia licet possit tali pacto remouere, non tamen tenetur; & potest semper reddere, quod debet ex iustitia, etiam si non possit ieiunium seruare, quia semper præceptum iustitiæ seruandum est, & præponendum præcepto humano, nec tenemur, vt seruemus præcepta humana adhibere media, vt nos subtrahamus obligationi ex iustitia. Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 48. in fine.*

4 Sed difficultas est, quando coniux censeatur solutus ab obligatione ieiunandi, vt possit reddere debitum. Resp. tunc esse solutum obligatione ieiunandi, quando non posset sine notabili debilitate reddere illud debitum, quod tenetur reddere ex iustitia. Tenetur autem ex iustitia reddere debitum moderate, vt desumitur ex D. Th. *in 4. dist. 32. q. vnica ar. 1. ad 3.* & cum pluribus notat Sanchez *citato lib. 9. de Matrim. disp. 3. n. 5.* Quia per hoc satisfacit fini matrimonij, & iuri, quod conuenit alteri coniugi. Hæc autem moderata redditio debiti debet considerari attenta qualitate coniugum; nam alia est ratio de iuuenibus, & alia de prouectis in ætate, alia de robustis, & alia de debilibus. Vnde quando aliquis coniugum est debilis complexionis, non tenetur reddere debitum, nisi quantum fert propria complexio, nam in hoc alter censetur consensisse, dum contraxit matrimonium non obstante tali debilitate, nam ratione matrimonij non obligatur quis reddere debitum, nisi quantum fert propria complexio.

5

6 Deinde si stante sola moderata redditione debiti adesset in altero coniuge periculum incontinentiæ; tunc licet cum ieiunio posset moderate reddere debitum, tenetur ex charitate obuiare periculo incontinentię, & relinquere ieiunium, vt notant plures ex Doctoribus *n. 1.* citatis, præsertim Sanchez. Sicuti etiam si inde nasceretur aliqua mala suspitio, aut minueretur amor coniugalis. In his enim casibus vitandum est damnum præsertim spirituale; ita enim lex charitatis obligat, quæ præponenda est præcepto de ieiunio, quia hoc non obligat cum tali damno, nec in concurrentia præcepti charitatis.

7 An autem possit quis non seruare ieiunium, vt valentior sit in vsu matrimonij secluso periculo incontinentiæ alterius coniugis. Negatiuè resp. Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 3. n. 10. in fine.* Et ita tenendum est, quia hoc non est necessarium ad matrimonium, nec ad regularem, & consuetum vsum illius, & ideo non adest ratio, ob quam soluatur obligatio ieiunandi; quæ non soluitur, vt quis sit potentior ad illud, quod non est solitus exercere, si alioquin potest sine tali maiori potentia exercere. Si tamen talis maior potentia esset necessaria ad maiorem vsum matrimonij intra limites honestatis, quia potest quicquid in hoc permittit honestas, exequi, & alioquin talis vsus pertinet ad munus matrimoniale, poterit non seruare ieiunium, ad quod non obligamur, quando non possumus simul cum ipso exercere, quæ pertinent ad nostrum munus, quia possumus vti iure nostro, & augere proprium exercitium, quantum libet. Sic operarij non tenentur moderate laborare, vt possint ieiunare.

8 Rursus. Licet possint coniuges remittere vsum matrimonij, vt possint ieiunare, quando est ieiunandum, non tamen tenentur, sed possunt non ieiunare, vt modo consueto sibi inuicem reddant debitum, vt notat Auersa *q. 21. de matrim. sect. 2. ver. Inferri tandem solet. in fine.* Ratio est, quia & habent ius ad talem vsum, vnde vtendo suo iure se subtrahunt obligationi ieiunandi; & præceptum ieiunij non obligat, vt minuatur consuetum exercitium ob ipsum seruandum, quia non obligat, vt quis se faciat potentem, sed tantum quos reperit potentes.

9 An autem quando quis solum ob delectationem adhibet coniugalem copulam, ita tamen, vt non excludat finem principalem matrimonij, quæ est proles, possit non ieiunare, vt crebrius talem delectationem percipiat, intra tamen terminos honestatis. Resp. supposito, quod talis delectatio possit licitè intendi tanquam finis, vt docent Palat. *in 4 dist. 31. disp. 2:* Almain. *q. 1.* Pontius *lib. 10. de matrim. c. 8. n. 8.* Diana *par. 3. tr. 4. Resol. 216.* Chellison *in 3. par. q. 49. Supplementi in dub. circa articulos. ver. Dico secundo.* Auersa *q. 21. de Matrim. sect. 4. ver. Admitti tamen potest.* Et alij apud ipsos. Quia nimirum talis delectatio consurgit vt connaturalis ex actu licito coniugali, & quando actus est licitus, est etiam licita delectatio ex ipso proueniens, vt etiam notat Arist. *10. Eth. c. 3. & 4.*

10 Hoc igitur supposito resp. Quod potest non ieiunare, vt vacet ob delectationem actui matrimoniali, & crebrius intra honestatis terminos ipsum adhibeat, quando ieiunando non posset. Ratio est, quia habet ius ad talem delectationem, & spectat ad munus matrimoniale, & ideo est in possessione ratione matrimonij, vt possit ipsa frui; vnde præceptum ieiunij non præualet contra ipsum, quia non obligat, vt quis se priuet iure, quod habet ad aliquid incompossibile cum ieiunio, nec possessione alicuius, quod excludat præceptum ieiunij, nec similiter, quod quis se abstineat ab ijs, quæ sunt proprij muneris; sed solum obligat quos reperit potentes retento proprio exercitio, & ijs, ad quæ quisque habet ius.

11 Est etiam notandum, quod coniuges ob reddendum debitum possunt in quadragesima vesci carnibus, nam adhuc obligatio reddendi debitum vtpote naturalis, & diuina præualet præcepto Ecclesiæ. Hoc autem continget, si complexio sit valde debilis, ita vt sine carnibus difficile posit soluere debitum; & idem, quod diximus de ieiunio hic applicari debet.

12 Denique notat Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 1. ver. Ex praedictis colligitur;* quod vxor peccat, si se ita ieiunijs affligat, vt se impotentem faciat ad reddendum debitum. Et ratio clara est, quia voluntarie lædit virum circa dominium sui corporis, quod ipse habet vnde deteriorem facit rem alterius in ordine ad quem ipse habet ius: & ideo peccat contra iustitiam.

An vxor, si ob ieiunium reddatur macilenta, aut pallida, ita vt minus placeat marito exempta sit à ieiunio. Decis. 281.

SVMMARIVM.

1 *Vxor, quando ob ieiunium fit macilenta, & minus placet viro, non tenetur ieiunare.*

2 *Præceptum ieiunij desinit obligare in concursu maioris præcepti.*

3 *Quando censenda sit vxor in statu, vt ob ieiunium minus placeat viro.*

1 Affirmatiue respondent Caiet. *in summa verbo* Ieiunium *c.3.ver. Excusantur infirmi.* Armilla *n.4.* Ledesma *2.p.4.q.17. ar.2. dub.7.* Angles *in Florib.p.2. in 4. q.6. de ieiunio diffic.12. append.4.* Philiar. *De officio Sacer. tom.1.p.2.lib.3.c.25. §.Causæ ob quas.* Sà *verbo* Ieiunium *n.9.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.3. n.11.* Lessius *lib.4. de Iust. & iure c.2.n.44.* Molfes. *par.1.sum.tr.10.c.4.n.45.* Reginal. *lib.4. Praxis fori pœnit.num.217.* Fillincius *tr.27. par.2.c.6.n.124.* Facundez *præc.4. Eccl.lib.1.c.8. nu.18.* Basseus *in Florib.theol.pract. verbo* Ieiunium *2. num.10.* Bonacina *disp. vltima de præc. Eccl.q.1. punc. vlt. num.14.* Ludouicus à S.Io. *par.1. sum. tr. de ieiunio ar.8.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram.disp.54.n.24. ver. Qui optime.* Lublinus *par.1 sum. verbo* Ieiunium *n.9.* Io. à Cruce *par.1. Direct.conscient.præc.3.ar.4. nu.9.* Nauar. *cap.21. Manual.n.16.in fine.* Gaspar. Hurtad. *De Sacram.disp.10. De matrim. diffic.15.in fine.* Trullench. *lib.3. in Decal.c.2.dub.7.nu.13.* Sanchez *lib.9. de matrim. disput.3.* Pontius *lib.10.de matrim.c.2.* Leander *in præc.Eccl. tr.5.disp.8.q.49.* Bossius *tom.3.mor.tit.21. §.2. nu.95.* Remig. *tr.3 sum.c.4. §.3.n.7.* Martin à S.Ioseph. *tom.1.mor.lib.2. tr.12.de ieiun. n.19.* Roccaful. *in Praxi tr.6.de præc.Eccl.lib.3.c.9.n.170.*

2 Et hæc sententia est tenenda, & habet optimum fundamentum, quia nimirum bonum matrimonij exigit, quod conseruetur mutuus amor maritalis: in hoc enim consistit quies status matrimonialis. Bono autem status matrimonialis cedit præceptum Ecclesiæ, quale est præceptum de ieiunio quando per accidens est ipsi contrarium, quia, cum sit tantum propter bonum particulare particulare ieiunantis, non absolute ipsi necessarium; desinit obligare, quando ieiunanti maius malum inde proueniret, imo etiam notabile incommodum, quale esset perturbatio quieti status matrimonialis: vnde ieiunium esset causa, quod coniuges caderent à bona conditione matrimonialis status: præcepta autem Ecclesiæ non obligant cum perturbatione proprij status.

4 Sed difficultas est, quando nam Vxor censenda sit constituta in tali statu, vt ob ieiunium minus placeat viro. Resp. id colligi posse quando vir notat in vxore pallorem, & debilitationem tanquam quid extraordinarium, tunc enim si vxor non cognoscat aliam causam, id potest tribuere ieiunio, & inde arguere, quod ob hoc minus placeat viro, si quidem notat in ipsa pallorem, maciem, debilitatem tanquam sibi displicens, & propterea vt causas etiam displicentiam vxoris, aut saltem minorem amorem erga ipsam, cum in ipsa deficiat aliquod amoris obiectum.

An vxor libera sit à præcepto ieiunij, si vir ei prohibeat ieiunare, & si non obtemperet, oriantur rixæ, & maleuolentiæ inter ipsos. Decis. 282.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum mariti de non ieiunando non liberat vxorem à ieiunio Ecclesiæ.*

2 *Liberat autem à ieiunio voti, & deuotionis.*

3 *Si maritus in contemptum præcipiat vxori, ne seruet ieiunia Ecclesiæ, debet potius mori, quam parere.*

4 *Vxor non tenetur ieiunare, si ex hoc oriantur rixæ.*

5 *Lex non obligat, quando impedit maius bonum, aut per accidens est causa mali.*

6 *Quando per accidens cesset obligatio præceptorum Ecclesiæ.*

7 *Si maritus absque causa nolit, vxorem ieiunare, adhuc est libera ob vitandas rixas.*

8 *An, quando oriuntur rixæ, si vxor contra voluntatem viri ieiunet, sit petenda dispensatio*

1 In hac difficultate hoc primo certum est, quod non sufficit præceptum mariti ad liberandam vxorem à ieiunio, quia non potest vir ei præcipere contra Ecclesiæ præcepta; vnde potius Ecclesiæ, quam viro obediendum est, vt notat Sanchez infra citandus, & habetur ex Cap. *Inhanus* 11. q.3.

4 Deinde certum est etiam, quod circa *ieiunia* ex deuotione, aut ex voto vir habet potestatem supra vxorem, vnde potest illi prohibere, ne ieiunet, Cap. *Manifestum.* Cap. *Noluit.* 35. q.5. Et potest irritare votum de ieiunio, & tunc mulier non tenebitur ieiunare, etiam si alias teneretur. Aut potest votum moderari, aut ita temperare, vt sibi reseruet permissionem ieiunij, quando libuerit.

4 Rursus etiam certum est; vt notant Doctores infra citandi pro principali resolutione, quod quando vir præciperet vxori non ieiunare contra præcepta Ecclesiæ in contemptum eiusdem Ecclesiæ, non teneretur obedire etiam si inde rixæ orirentur, sed potius deberet mortem sustinere, quam obedire. Quia si non ieiunaret cooperaretur contemptui Ecclesiæ, quod est contra confessionem fidei, & in contemptum salutis animæ, & ita specialiter notant Philiarcus, Palat. Sanchez, Io. Sanchez Medina 1.2.q.88.ar.2. Nauar. *in Manuali prælud.9.n.18.* Coriolan. *De casib.reser.p.1.sect.3.n.9.*

4 Resp. ergo ad dubium propositum, quod vxor absoluitur ab obligatione ieiunandi, quando si ieiunaret, orirentur discordiæ inter ipsam, & maritum, & solueretur mutuus amor coniugalis. Ita docent

cent. Innocent. in Rubr. De obseruat. ieiuniorum n. 1. Abbas n. 8. Abulens. q. 149. in c. 6. Matth. Syluester verbo Ieiunium n. 25. Tabiena n. 21 Astensis 2. par. tit 28 ar. 3. q 9. Io. de Fribur. in sum. Confessor. tit. 12. q. 27. Summa Corona p. 1. c. 1 n 27 Nauar. c. 21. Manual n. 19 Medina Cod. de ieiunio. q 9. ver. Ad eumdem casum. Viguerius c. 7 instit. theol. §. 3. ver. 2. in fine Lopez p. 2. instruct. c. 111. in fine. Philiar. De officio Sacer. tom. 1. p. 2. lib. 3 c. 25. §. Quod ieiunia. Graf. p. 1. Decis. c. 37. n. 53. Palatius in 4. dist. 15. disp. 8. post 4. concl. ver. Denique si Angles in Florib. q 6. De ieiunio diffic. 12. append. 4. Ledesma 2. p. 4. q. 17 ar. 3. dub. 8. in fine, & ar. 3 ver. praeterea in hoc ar. in fine. Sanchez lib 9. de Matrim. disp 3. n. 13. Ludouicus à s. Io. par. 1 sum. tr. de ieiunio. ar. 8. Villalobos p 1 sum. tr 2. diffic. 4. n 13. Azor 1. p. lib. 7. c 18. q. 7. Bonacina disp. vlt. de prae. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 14. Fernandez p. 2. Exam th. mor. c 9 § 2. n. 12. in fine. Tolet. lib 6. c. 4. n. 4. Io. Sanchez in sc. ect. de Sacram. disp. 54. n. 26. Molfes. p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n 47. Facundez prae. 4. Eccl. lib. 1. c. 9. n. 9. Homobonus de Bonis p. 2 Exam Eccl, tr 8. c. 7. q. 19. in Resol. ver. De eo autem, Trullench. lib 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 15 Basseus in Florib. theol pract. verbo Ieiunium 2. n. 10 Lublinus in summa verbo Ieiunium. n. 15. Laiman lib. 4 Theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 4. Sylulus 2. 2. q. 147. ar 4. ver. Ex his intelligi. Palud. in 4. dist 15. q. 10. D. Antonin. 2 par. tit. 6 c. 2. § 6. Leander tr 5. in prae. Eccl. disp. 8. qu. 50 Bossius de matr. c. 1. n. 122. & tom. 3. mor tit. 21. § 2. n. 96. Roccaful. in praxi tr. 6. de prae. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 171.

5 Desumitur autem ex Cap. Cum non mediocriter. De consecrat. dist. 5 Vbi habetur, quod ieiunium non est praeferendum charitati, & ideo charitas coniugalis praeferenda est, quando cum ieiunio stare non potest. Rursus Cap. fin. De praescriptionibus. Est derogandum omni constitutioni, & consuetudini, quando absque peccato obseruari non possunt. Et ideo, cum non possit in casu praesenti obseruari ieiunium absque violatione charitatis maritalis, cessat obligatio praecepti. Vnde etiam Cap. Nihil prodest eodem tit. De praescriptionibus. Nihil est cum scandalo faciendum: & potius abstinendum à iure proprio. Et ideo etiam Ecclesia censenda est remittere proprij praecepti obligationem, quando sine scandalo seruari non possunt.

6 Et ratio est, quia praecepta Ecclesiae ordinantur ad bonum spirituale, & ad perficiendum vnumquemque secundum virtutem: vnde quando per accidens sortiuntur effectum contrarium, cessat obligatio ipsorum, cum non sint amplius secundum mensuram intentionis Ecclesiae, vt contingit in casu nostro, in quo obseruatio ieiunij soluit mutuum amorem inter coniuges.

7 Et praesens doctrina habet locum etiam si maritus non haberet causam rationabilem, ob quam vellet vxorem soluere ieiunium; nam adhuc militat eadem ratio, siquidem seruare ieiunium esset causa dissidij, & impediret maius bonum, nempe charitatem coniugalem.

8 An autem in tali casu sit petenda dispensatio. Resp. Negatiue cum Sanchez vtroque supracitato, Quia certum est, quod in tali casu praeceptum non obligat cum ipsi debeat praeferri charitas: Dispensatio autem est petenda, quando adest dubium, an lex obliget; non autem quando clarum est, quod non obliget. Vnde tunc solum esset petenda dispensatio, quando dubium esset, an ex obseruantia ieiunij essent oriendae rixae, aut quando dubium esset, an futurae essent notabiles. aliàs sufficit quod probabiliter timeantur, vt notat etiam Bossius n. 4. citat.

An vxor teneatur non ieiunare, quando adest praeceptum, vt vitet scandalum mariti. Decis. 283.

SVMMARIVM.

1 *Mulier non tenetur omittere ieiunia Ecclesiae ob vitandum scandalum mariti secundum aliquos.*
2 *Mulier non tenetur in die festo abstinere à Missa ob vitandum scandalum alicuius.*
3 *Mulier non tenetur omittere ieiunium ob scandalum mariti, si irrationabiliter velit omittere, secus autem, si rationabiliter.*
4 *Causae, ob quas maritus possit rationabiliter velle vxorem non ieiunare.*
5 *Quando obliget charitas ob vitandum damnum alterius.*

1 Quod possit non ieiunare ad vitandum scandalum mariti, quando inde excandesceret, & suscitaret rixas, constat ex dictis in Decis. praecedenti. An autem teneatur. Negatiue resp. Paludan. in 4. dist. 15. q. 4 ar. 2. Io Sanchez in selectis de Sacram. disp 54. n. 26. Quia scandalum mariti est scandalum Pharisaeorum, quod ipsi, non vxori imputandum est, quae ieiunando facit, quod praecipit Ecclesia.

2. Et haec responsio concordat cum doctrina illorum, qui docent, Mulierem non teneri abstinere ab auditione Missae in die festiuo, ob vitandum scandalum. Vt inter caeteros docet Valent. tom 3. disp. 3. q. 18 puncto 4. ver. Secundo sequitur. Sà verbo Missae auditio. n. 3. in fine. Suarez de Fide, Spe, & Charit. disp. 10. De scandalo. sect. 3. n. 10.

3 Sed mihi distinguendum videtur. Vt nimirum tunc non teneatur omittere ieiunium de praecepto ob scandalum mariti, quando maritus absque rationabili causa vult, vxorem non ieiunare, nam tunc scandalum ipsius est mere passiuum Pharisaicum, & ortum ex malitia ipsius: vnde habet locum, quod Matth. 15. dixit Christus de Iudeis. Sinite illos: caeci sunt & duces caecorum. At si maritus ex rationabili causa nolit, vxorem ieiunare, tunc tenetur vxor non ieiunare ad vitandum scandalum mariti; nam tunc sicut rationabiliter maritus vult, ieiunium omitti, ita vxor rationabiliter resistit, & proinde occasio scandali est irrationabilis, & facit, quod scandalum conuertatur in actiuum. Et sequitur Lander in prae. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 51.

4 Causae autem rationabiles, ex quibus maritus potest nolle, vxorem ieiunare, plures esse possunt, & reducuntur ad omnes illas, quae possunt excusare à ieiunio. Vnde si maritus moueatur ex aliqua ex his causis, rationabiliter procedit, quia exigit non ieiunare, quando potest non ieiunare.

5 Nec obstat, quod vnusquisque teneatur auertere damnum proximi, præsertim spirituale. vnde cum possit vxor non ieiunando impedire peccatum mariti, tenebitur, etiam si non habeat rationabilem causam. Nam respondetur, quod charitas obligat ad auertendum damnum proximi, præsertim spirituale, quando indiget alieno auxilio, & non potest ex se ipso illud impedire; secus autem, quando potest; nam tunc damnum est ipsi omnino voluntarium, & si est spirituale, prouenit mere ex malitia ipsius; atque adeo ipsi soli imputandum est.

An mulier catholica nupta hæretico, immunis sit à ieiunijs, si vir nolit, eam ieiunare, secluso contemptu religionis
Decis. 284.

SVMMARIVM.

1 *Mulier catholica potest non ieiunare, si maritus hæreticus præcipiat secluso contemptu religionis.*
2 *Cessat in hoc casu obligatio ieiunij.*
3 *Valet hoc, si vxor non possit obtinere, quod ieiunet.*
4 *Item si maritus non prohibeat in contemptum talis præcepti.*
5 *An teneatur non ieiunare: & quæ circa hoc adnotanda.*

1 RESP. esse immunem, quando sinit, eam viuere ritu Catholico, & non prohibet ieiunia in contemptum religionis catholicæ. Sed ex aliqua alia causa, vel quia incommodum sit familiæ parare cibos ieiuniorum, vel quia sit dispendiosũ, vel ex alio capite. Et ita docent Abbas *in Rubr. De obseruat. ieiuniorum n.*8. Angel. *verbo* Ieiunium *n.* 17. Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 18. *q* 7. Villalobos *par.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *n.* 13. Lublinus *par.* 1. *sum verbo* Ieiunium *n.* 15. Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 10. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 22. Leander *in præc. Eccl tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 52.

2 Ratio autem est, quia cum maritus id non faciat in odium religionis catholicæ, siquidem sinit, vxorem viuere ritu catholico, non adest alia obligatio, nisi illa, quam secum affert præceptum de ieiunio. Hæc autem cessat, quia agitur de vitanda perturbatione familiæ, & rixis inter coniuges, cum quibus incommodis non obligat præceptum.

3 Est tamen adnotandum, quod præsens doctrina habet locum, quando vxor non posset inducere maritum, vt sibi permittat ieiunare: nam si posset facile inducere, teneretur inducere, & ieiunare: nam signum esset, quod non haberet multam repugnantiam, & proinde quæ non præponderaret obligationi præcepti.

4 Rursus, vt soluatur obligatione ieiunandi, oportet, quod maritus non prohibeat ieiunium in odium præcepti ieiunandi, nam fieri potest, quod concedat vxori, quod viuat ritu catholico, sed tamen habeat speciale odium contra ieiunium, & ex hoc odio ipsum prohibeat vxori. In tali autem casu vrget etiam obligatio profitendi religionem catholicam quo ad hoc præceptum tanquam sanctum, & expediens pro salute assequenda, & ideo non poterit omittere ieiunium.

5 An autem ob vitandam perturbationem familiæ, & rixas teneatur non ieiunare. Resp. sicuti supra Decis. *præcedenti n.* 3. Non teneri, si irrationabiliter vir id, præcipiat, secus autem, si rationabiliter, vt si incommodum familiæ esset notabile, si dispendium considerabile habita ratione facultatis familiæ; militat enim eadem ratio. Est tamen aduertendum, quod in casu præsenti facilius est, quod maritus habeat rationabiles causas, quæ reuera tales sint, aut etiam, quæ tales ab ipso censeantur. Et insuper aduertendum est, quod mulier resistens in hoc voluntati mariti, non sit causa, quod sibi prohibeat viuere ritu catholico, nam si hoc præuideret, teneretur relinquere ieiunium, ne sibi hoc damnum causaret, nam iuxta ordinem charitatis maius bonum præferendum est minori.

An fœmina nubere volens excusetur, si non ieiunat, si ex ieiunio sit passura detrimentum speciositatis.
Decis. 285.

SVMMARIVM.

1 *Fœmina nubere volens excusatur à ieiunio, si sit passura detrimentum formæ.*
2 *Dummodo detrimentum sit notabile, & quodnam sit notabile.*
3 *Non excusabitur in vigilijs, nec in quattuor temporibus.*

1 NON obligari ad ieiunia docent Lopez 2. *par instruct. De ieiun. c.* 131. *in fine* Sanchez *lib.* 9. *de Matrimonio disp.* 3. *n.* 12. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 4. *nu.* 46. Facundez *præc.* 4. *Eccl lib.* 1. *c.* 8. *n.* 18. Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 54. *n.* 25. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 15. Leander *p.* 5. *in præc. Eccl. disp.* 8. *q.* 53. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *§.* 2. *n.* 95. Remig *tr.* 3. *sum. c.* 4. *§.* 3. *n.* 7. Martin. à S. Ioseph *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiun num.* 20. Roccaful. *in Praxi tr.* 6. *de præc. Eccl lib.* 3. *c.* 9. *n.* 173. Quia deperditio formæ in ordine ad nubendum censetur notabile damnum; siquidem hæc valde à viris attenditur. Præceptum autem ieiunij non obligat cum notabili detrimento.

2 Est tamen aduertendum cum Molfesio *citato*, quod non sufficit quæcunque deperditio formæ, sed debet esse notabilis. Eam autem existimo esse notabilem, quæ solet adnotari communiter, vt esset deperditio coloris, macies, quæ statim ab vnoquoque notaretur; cum enim deperditio formæ ab vnoquoque notetur, est censenda pro notabili damno.

3 Ex hoc infertur. Quod non excusabitur à ieiunio in vigilijs, aut quattuor temporibus, quia vnum, aut alterum ieiunium non potest causare notabile detrimentum formæ. Solum ergo poterit excusari in quadragesima, sed non in singulis diebus nam tenebitur saltem bis, aut ter in hebdomada ieiunare; nisi forte complexio sit tam delicata, vt ex his quoque ieiunijs notabiliter offendatur forma mulie-

muliebris. Sequitur Leander *in præcept. Eccles. tr. 5. disp. 8. quæst. 53.*

An prægnantes, & lactantes obligentur præcepto ieiunij. Decis. 286.

SVMMARIVM.

1 *Prægnantes, & lactantes non obligantur præcepto ieiunij.*
2 *Vnica refectio non sufficit prægnantibus, & lactantibus.*
3 *Si prægnantes, & lactantes dubitent de damno infantuli, non tenentur ieiunare.*
4 *Si vero sint robustæ, vt possint sibi, & infantulo vnica comestione satisfacere, tenentur ieiunare secundum aliquos.*
5 *Neque in tali casu tenentur.*
6 *An prægnantes, & lactantes peccent ieiunando.*

1 Resp non obligari præcepto ieiunii, vt docent communiter Caiet. *in sum. verbo* Ieiunium. c.3 ver. *Excusantur infirmi. &* 1. 2 *q.* 147. *ar.*4 ver. *Ad secundum de prægnantibus.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 4. *num.* 1. ver. *Infirmitas conditionis.* Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1 *notab.*4. ver. *Infirmitas conditionis.* Angelus *verbo* Ieiunium *n.* 15. Syluester *n.* 24 Rosel. *n.* 24 Tabiena *n.* 21. Nauar. *in Manuali c.* 21. *num.* 16 ver. *Prima scilicet.* Summa Corona *p.* 1. *c.* 1. *n.* 26. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 6. Summa Confessor *lib.* 1. *tit* 12. *q.* 24. Vega *par* 1. *sum. c.* 12. *de ieiunio casu* 22. Pedrazza *prac.* 3. §. 13 Graf. *par.* 1. *lib.* 2. *c.* 37. *nu.* 44. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9 *q.* 2. *punc.* 5. ver. *Item excusantur.* Astensis 2. *par. tit.* 28. *ar.* 3 *q.* 10. Cantarel. *lib.* 1. *prac. Decal. c.* 48. *n.* 234. Viguer. *c.* 7. *Instit. theol.* §. 3. *ver.* 2. Molfes. *par.* 1. *sum. tr.* 10 *c.*4 *n.* 40. Llamas 3. *par. Meth. c.* 5. §. 21. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver *Tertius modus.* Tannerus 2. 2. *disp.* 3. *sect.* 3. *dub.* 5. *num.* 10. Angles *in Flor. qu.* 6. *de ieiunio diffic.* 7. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2. *dub.* 6. *n.* 40. Filliuc. *tr.* 27. *par.* 2. *c.* 6. *n.* 114. Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pœnit. c.* 17. *num.* 210. Ghetius *in Thesauro animæ verbo* Ieiunium *n.* 6. ver. *Infirmi etiam.* Bizozer. *p.* 4. *sum. de.* 3. *prac. c. vlt. num.* 3. Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 5 Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl q.* 1. *punc. vlt. n.* 3. Sà *verbo* Ieiunium *n.* 9. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscien. prac* 3. *ar.* 4. *dub* 8. *nu.* 7. Hieronim. Perez *p* 1. *sum. prac* 3. §. *de ieiunio.* Gordon. *lib.* 6. *Theol. mor. q.* 18. *c.* 6 ver. *Iam inter eos* Basseus *in Flor Theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *n.* 6. Laiman *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8 *c.* 3. *num.* 3 *init* Villalob. *p.* 1. *sum. tr* 23 *diffic.* 4. *n* 2. Ortiz. *c.* 19 *sum. n.* 15. Ludouicus à s. 10. *par.* 1. *sum. tr.* De ieiunio *ar.* 6. Sanchez *lib.* 5 *consil. mor. c.* 1 *dub.* 14. *n.* 12. Diana *par* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 14 Philiar. *tom.* 1. *De officio Sacer. par.* 1. *lib* 2 *c.* 25. Io Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 54. *n.* 12 Facundez *prac.* 4. *Eccl lib.* 1. *c.* 8. *nu.* 14. Caluus *lib.* 2. *Synaxis curæ animar. q* 120. *n.* 5. Et desumitur etiam ex D. Th. *in* 4. *dist.* 16. *q* 3. *ar.* 2. *qu.* 2. Remigius *tr* 3. *sum. c.* 4 § 3. *num.* 6. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 54. Martin. à s. Ioseph. *tom* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiun. nu.* 1. Andreas Mendes *in Bull. Cruc. disp.* 13. *c.* 1. *n.* 1. Roccaful. *in Praxi tr.* 6. *de prac. Eccl. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 154.

2 Ratio manifesta est, quia non solum habent substentare seipsas, sed etiam infantulum, vnde cibus debet esse sufficiens pro duabus personis. In vnica autem refectione non potest fœmina sumere tantum cibi, quod sibi, & infantulo sufficiat, quia, si vnica refectio habetur tanquam maceratiua pro singulis personis, multo magis erit maceratiua, respectu fœminarum, quæ sibi, & infantulo prouidere debent de alimento. Et in fœminis grauidis militat specialis ratio, quia sæpe vehementissime appetunt aliquos speciales cibos, & si non possunt satisfacere appetitui, imminet periculum proli.

3 Sed difficultas est. An omnes prægnantes, & lactantes absoluantur ab obligatione ieiunandi, quia fieri potest, quod aliquæ sint robustæ, quod possint in vnica refectione sumere, quantum sufficit alimenti. Resp quod in dubio, an in vnica refectione possint sumere sufficiens alimentum, adhuc absoluuntur ab obligatione ieiunandi, vt inter alios notant Caiet. *n.* 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver. *Ad secundum de prægnantibus,* & Facundez *prac.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 14. Et plures alij ex supra citatis. Quia in dubio non debent se exponere periculo nocendi infantulo, ita vt non possint, ipsi subministrare sufficiens alimentum.

4 Si verò prægnantes, & lactantes sint robustæ, ita vt vnica refectione possint seipsas, & infantulum substentare. Resp. Abulens. *q.* 146 *in cap.* 6 *Matth.* Syluester, Graff. Philiarcus, Facundez, & Bizozer. *n.* 1. citati obligari ad ieiunandum, quia in ipsis cessat causa, ob quam censentur aliæ dispensatæ.

5 Sed has quoque esse immunes ab obligatione ieiunandi, docent Angles, Moises. Reginal. Diana, Trullench. *n.* 1. citati, & alij ibidẽ allati, dum absolute docent, quod prægnantes, & lactentes excusantur, nec vllam adhibent limitationem. Leander *tr* 5 *in prac. Eccl. disp.* 8. *q* 55. Bossius *tom.* 3. *moral. tr.* 21. §. 2. *num.* 49. Et rectè, quia sicut lex, non fertur pro ijs, quæ rarò eueniunt, sed quæ vt plurimum accidunt *l. Ex his & l.* sequenti *Nam ad ea ff. De legibus.* Ita etiam interpretatio legis facta per consuetudinem, quod aliquod genus personarum, non compræhendatur sub lege, non respicit, quæ raro eueniunt in illo genere personarum, sed quod vt plurimum fit, & ideo cum vt plurimum prægnantes, & lactentes non possint ieiunare absque præiudicio infantuli ex praxi, & consuetudine interpretante legem, debent omnes censeri immunes. Sic etiam, quia vt plurimum adolescentes ante annum vigesimum primum non possunt ieiunare absque præiudicio complexionis stante in augmento corpore, censentur omnes immunes, licet aliqui possent ieiunare. Accedit etiam quod si robustæ sint, indigent etiam maiori cibo ad se ipsas substentandas, & ideo illam maiorem quantitatem, quam possunt sumere in vnica refectione, est pro ipsis necessaria, & parum prodesse potest pro infantulo.

6 An autem peccent ieiunando. Resp. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver. *Ad secundum de prægnantibus.* Syluester *verbo* Ieiunium *n.* 24. Angles *in Florib. qu.* 6. *De ieiunio, diffic.* 7 *append.* 2. Nauar. *in Manuali c.* 21. *n* 16. ver. *Prima scilicet.* Facundez *præcepto* 4. *Eccl lib.* 1. *c.* 8. *n* 14. Fernandez *par.* 4. *Exam. theol. mor. c.* 12. § 6 *nu.* 11. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 5 Et alij. Peccare, nisi sint ita robustæ, vt vnica come-

me-

meſtione ſatisfacere poſſint,& ſibi,& infantulis.Sed hæc limitatio non placet , quia nunquam poſſunt eſſe ſecuræ, quod ſint talis roboris, vt vnica comeſtione poſſint ſatisfacere etiam infantulis, vnde ſemper timendum eſſet periculum. Et ideo melius diſtinguitur, quod ſi agatur de vno,aut altero ieiunio ad ſummum, & ſint bonæ complexionis, ita vt facile conuertant cibum in alimentum, poſſunt excuſari à peccato,quia ex hoc non videtur ſequi notabile nocumentum infantulo , cum non multum alimenti ſubtrahi poſſit. At ſi ieiunia continuentur ſupra duos dies, non poſſunt excuſari à peccato mortali, & proinde ipſis præcipiendum eſt, ne ieiunent vt docent Roſella *verbo* Ieiunium *n.* 17. Azor. 1. *par. lib.* 7. *c.* 17. *q.* 6. Quia,etiam ſi non ſequeretur damnum notabile infantulo, ſe exponunt tamen periculo valde probabili, quod ſequatur. Hæc limitatio non placet Leandro *in præc. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 8. *q.* 56. qui pro ſe citat Gabr. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *not.* 4. Viguer. *c.* 7. *inſtit. Theol.* §. 3. qui tamen ſolum dicunt quod pregnantes non debent ieiunare. Excludit autem limitationem ob rationem allatam, quæ tamen illam admittit, ſiquidem vnum,aut alterum ieiunium non poteſt ſubtrahere proli notabile alimentum.

An prægnantes, & lactantes tempore ieiuniorum poſſint comedere carnes. Deciſ. 287.

SVMMARIVM.

1 *Prægnantes, & lactantes regulariter non poſſunt edere carnes, quando prohibentur.*
2 *Secundum alios poſſunt edere.*
3 *Poſſunt edere, quando vehementer appetunt.*
4 *Secluſo hoc appetitu etiam in quadrageſima, niſi ſint complexionis valde robuſtæ. Si vero debilis complexionis etiam in cæteris diebus.*
5 *Poteſt cum omnibus diſpenſari, vt edant carnes, quando prohibentur.*

Regulariter non poſſe comedere, docent Tolet *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 1. *in fine.* Qui addit, facile poſſe concedi vſum lacticiniorum. Angles *in Flor. q.* 6 *de ieiunio diffic.* 7. *in fine.* Baſſeus *in Flor. theol. pract. verbo.* Ieiunium 2. *n.* 6. Bonacina *diſp. vlt. de præc. Eccl. q.* 1. *punc. vlt. n.* 3. Rainaud. *de ſect. veteri c.* 11. *n.* 6. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 5. Ludouicus à S. Io. *par.* 1. *ſum. q. de ieiun. art.* 3. *diffic.* 6. *append.* 3. Ghetius *in Theſauro animæ verbo* Ieiunium *n.* 6. ver. *Infirmi etiam,* Quia nimirum poſſunt ſe,& infantulum ſuſtentare cibis in ieiunio permiſſis.

2 At abſolute poſſe comedere carnes , docet Funes *in Speculo morali par.* 3. *c.* 2. *num.* 6. & quando adeſt periculum infantis Ortiz *c.* 19. *ſum. n.* 15.

3 Mihi autem dicendum videtur, quod, quando prægnantes vehementer appetunt carnes, non tenentur in diebus ieiuniorum abſtinere , quia talis appetitus valde periculoſus eſt proli, niſi ſatietur, & poteſt cauſare abortum. Et hoc periculum agnoſcunt Gabr. *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *notab.* 4. ver. *Infirmitas conditionis.* Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 6. Bonacina *diſp. vlt. De præc. Eccl. q.* 1. *punc. vlt. n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 5. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 114. Et conſequenter debent ipſis in tali caſu concedere carnes.

4 Secluſo tamen tali appetitu conſideranda eſt complexio prægnantium,& lactantium. Nam,ſi ſit valde robuſta,non erunt ipſi carnes neceſſariæ,quia robur complexionis facit, vt bene concoquatur cibus , & generetur ſufficiens alimentum pro infantulo. At ſi complexio infirma ſit,aut etiam mediocris: exiſtimo, eſſe immunes à præcepto abſtinendi à carnibus in quadrageſima, quia ſtante illa conditione complexionis longa illa abſtinentia cauſaret alimentum non ſatis congruum pro infantulo , nam cibi in ieiunio conceſſi non ita bene nutriunt. In cæteris autem ieiunijs, & diebus in quibus prohibentur carnes,tenebuntur abſtinere, quia inde cauſari non poteſt notabile damnum : ſicut etiam in quadrageſima feria ſexta,& Sabbato;præſertim quia in his diebus veſci poſſunt ouis, & lacticinijs. Si tamen ſint complexionis debilis , & delicatæ in his quoque diebus veſci poterunt carnibus , nam adhuc ſi non veſcerentur, poſſet infantulus ſubire notabile damnum. Et ita docuerunt poſtea etiam Boſſius *tom.* 3. *moritit.* 21 §. 2 *n.* 51 Remigius *tr.* 3 *ſum. c.* 4 §. 3. *n.* 6 Leander *in præc. Eccl. tr.* 5 *diſp.* 8. *q.* 57.

5 Regulariter autem prægnantes, & lactantes habent rationabilem cauſam, vt cum ipſis diſpenſari poſſit in præcepto abſtinendi à carnibus, quia talis abſtinentia ſemper aliquo pacto eſt præiudicialis infantulo, nam ſi non nocet poſitiuè, nocet ſaltem negatiuè, ſiquidem ſubtrahit illam bonam nutritionem,quam alias acciperet.

Fœmina quædam præcipua , aut abortum patiebatur, aut edebat fœtum breui moriturum, quia ſanguis aqueus erat , nec poterat exhibere fœtui congruum nutrimentum. Quæritur, an ante conceptionem teneretur ieiunare Deciſ. 288.

SVMMARIVM.

1 *Quando fœtus periclitatur ob malam diſpoſitionem ſanguinis in prægnante, non tenetur ieiunare etiam tempore præcedente conceptum.*
2 *Nec etiam abſtinere à carnibus.*
3 *Imo ieiunando,& abſtinendo à carnibus peccat grauiter.*
4 *Confeſſarius tali fœminæ nunquam debet permittere ieiunia,aut abſtinentiam à carnibus.*
5 *Carnes licita ante conceptionem quando proles periclitatur.*

1 De hoc particulari caſu nihil inuenio apud Doctores; inhærendo tamen doctrinæ communi Reſpond. neque , antequam conciperet, fuiſſet obligatam ad ieiunandum, ſed toto tempore abſolutam à ieiunijs Stante enim qualitate ſanguinis, vt teſtabantur medici com.

complexio erat valde debilis, & accedente ieiunio adhuc magis debilitatur, & proinde fiebat magis inhabilis ad conseruandam prolem. Præceptum autem ieiunij non obligat cum periculo prolis, vt docent communiter Doctores, præsertim ij, quos *Decis.* 286. *n.* 1. citaui. Quod autem ieiunium inferret aliquod periculum proli, ex eo constat, quia debilitando naturale robur augebat malam dispositionem complexionis.

2 At neque tenebatur abstinere à carnibus, quando prohibetur, nedũ quãdo prægnans erat, sed neque antequam conciperet. Cibi enim ieiunio congrui non ita bene nutriunt, nec causant sanguinem illius bonitatis, quam habet sanguis ex alimento carnium. Vnde cum totum periculum proueniret proli ex qualitate sanguinis, abstinendo à carnibus augebat periculum, nam augebat malam dispositionem sanguinis, in quã consistebat periculum. Et ideo cum præceptum abstinendi à carnibus non obliget cum tali periculo, non tenebatur vnquam abstinere.

3 Imo nec ieiunare, nec abstinere à carnibus poterat absque graui peccato. Tenebatur enim cooperari fini principali matrimonij, qui est susceptio prolis, & remouere obstacula, quæ erant in ipsius potestate. Vnde cum euidens esset ex ieiunio, & abstinentia à carnibus generari periculum proli, ieiunando, & abstinendo à carnibus cooperabatur periculo, & ideo non poterat excusari à peccato.

4 Ex quo patet, valde imprudenter se gessisse confessarium ipsius, qui antequam ipsa conciperet, nedum permittebat seruare ieiunia ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam plura alia ex deuotione, non attendens, quantum inde periculum proli orietur. Probabile etenim valde est, quod talia ieiunia pluries aut abortum causauerint, aut prolem ita male affectam reddiderint, vt superuiuere non potuerit, Vnde grauiter peccasset, nisi ratione ignorantiæ excusatus fuisset.

5 Post hæc scripta Leander *tr.* 5. *in quinque præc. Eccles. disp.* 8. *q.* 59. Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 41. *§.* 3. *n.* 6. docuerunt, quod mulier, quæ experitur, se non feliciter parere, & prolem, aut mori, aut male nutriri, possit ante conceptum edere carnes ad euitandum proli tam graue periculum.

An fœmina prægnans ob vincendas carnis tentationes possit & teneatur ieiunare cum periculo prolis.

Decis. 289.

SVMMARIVM.

1 *Fœmina grauida tenetur ieiunare ad vincendas carnis tentationes, secundum aliquos.*
2 *Non tenetur, nec debet.*
3 *Tentatio semper vinci potest.*
4 *Ordo charitatis non permittit, vt procuremus nostrum commodum cum damno proximi, cuius cura ad nos spectat.*

1 Affirmatiuam sententiã tradit Fernandez *par.* 4. *Exam. theol. mor. c.* 12. *§.* 6. *n.* 1. Quando nimirum experimento didicit, quod ieiunia illas superant, nec potest alio modo superare. Quia inquit, ordo charitatis docet, spiritualia corporalibus anteferre: non solum nostra, sed etiam aliena; atque in tali casu damnum infantis sequetur per accidens. Et sequitur Naldus *in summa verbo* Ieiunium *n.* 9. ver. *Quid autem* & *verbo* Mulier *n.* 2.

2 Sed negatiuam sententiam docent Homobonus de Bonis *par.* 2. *Exam. Eccl. tr.* 8. *cap.* 7. *q.* 17. paulo post init. Diana *par.* 1. *tr.* 9 *de ieiunio Resol.* 30. ver. *Contra quem.* Ghilin. *in summa verbo* Ieiunium *n.* 21. *littera T.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 5. Pontius *de matr. lib.* 10. *c.* 14. *n.* 19. Raynaud. *de sect. veteri c.* 11. *n.* 7. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *§.* 2. *n.* 50. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 58. Roccaful. *in Praxi tr.* 6. *de prac. Eccl. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 154. & merito. Quia licet non suppeterent alia remedia corporalia, semper tamen suppetunt spiritualia, nempe frequentia sacramentorum, orationes, & alia huiusmodi, quæ apta sunt ad impetrãdam gratiam vberiorem pro vincendis tentationibus.

3 Deinde tentatio, quæcunque sit, nunquam superat nostras vires, quas nobis subministrat gratia diuina, & semper tanta adest gratia, quanta sufficit pro vincenda tentatione, 1. *Corinth.* 10. Fidelis *autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Vnde certa est mulier, quod potest, si vult, resistere tentationibus, etiam sine ieiunio, quia hoc non est medium necessarium, & Deus dat auxilia sufficientia, & media sufficientia possibilia iuxta statum vniuscuiusque. Vnde Trident. *sess.* 24. *can.* 9. Definit, Deum petentibus rectè, concedere donum castitatis, & non pati, nos tentari supra id, quod possumus. Et ieiunium non est possibile fœminæ sine periculo prolis, & proinde non potest esse vnicum remedium ad vincendas tentationes, alioquin Deus sineret ipsam tentari supra id, quod moraliter potest. Et contra, nedum est certa, quod proles non periclitabitur, sed habet quasi euidentem certitudinem, quod periclitabitur. Vnde non potest illam exponere periculo, cum sibi absque ieiunijs prouidere possit.

4 Quare soluta manet ratio oppositæ opinionis: nam ordo charitatis non exigit, quod nobis prouideamus per ea media, quæ sunt noxia proximo, quando non sunt necessaria, sed per alia prouidere possumus. Imo exigit, vt ita nostra disponamus, vt non noceamus ijs, quorum commodum curare debemus, vt contingit in matre grauida, cui incumbit conseruare prolem, & tenetur auertere ea, quæ ipsi nocere possunt. Et ideo non potest procurare proprium commodum, quando inde sequitur aliquod damnum proli: quia cum teneatur auertere, eo ipso, quod præuideretur, non se haberet amplius per accidens, sed censeretur voluntarium, sicuti est voluntaria submersio Nauis nautæ, quando illam præuidet, & negligit impedire: atque adeo illi imputatur.

An

An exercentes artes laboriosas, vt Agricolæ, Fabriferrarij, Lignarij, Murarij, Fossores, & alij huiusmodi sint exempti à ieiunio. Decis. 290.

SVMMARIVM.

1 *Agricolæ, Fabri, Ferrarij, Lignarij, Cementarij, Fossores, & omnes, qui exercent artes laboriosas non obligantur ad ieiunandum.*
2 *Præceptum ieiunij non impedit exercitium necessarium.*
3 *Qualis labor reddat artem laboriosam.*
4 *Qui simul potest exercere artem laboriosam, & ieiunare, an teneatur.*
5 *Exercitium debet esse per maiorem partem diei.*

1 Communiter affirmatiue respondent. Abulens. *q.* 143. *in c.* 6. *Matth.* Maior. *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 3. Riccar. *ar.* 3. *q.* 4. Palud. *ar.* 2. *q.* 4 Gabr. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *notab.* 4. §. *Tertia causa.* Rosella *verbo* Ieiunium *n.* 19. Angelus *n.* 15, Syluester *q.* 9. *n.* 27. Tabiena *n.* 19. Medina C. *De ieiunio q.. De his qui ad ecclesiastica ieiunia tenentur.* Laiman. *lib.* 4. *theol. mor. c.* 3. *n.* 3. ver. *Quarta causa.* Tolet. *lib.* 6. *sum. c.* 4. *n.* 2. ver. *Tertia causa.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 17. *q.* 8. Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 16. Caiet. *in summa verbo* Ieiunium *c.* 3. *&* 2. 2 *q.* 147. *ar.* 4. *circa resp. ad* 2. Syluius *ibid.* ver. *Necessitas à ieiunio.* Molfes. *par.* 1 *sum. tr.* 10. *c.* 4. *n.* 41. Lessius *lib* 4. *de Iust. & iure c.* 2. *n.* 42. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6 *n.* 118. Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pœnit. c.* 16. *n.* 213. Facundez *prac.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 15. Medina *lib* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Ledesma 2. *par.* 4. *q.* 17. *ar.* 3. *n.* 9. Alter Ledesma 2. *par. sum. tr.* 27. *c.* 2. *diffic.* 3. *post* 5. *conclus.* Angles *in Florib. q.* 6. *De ieiunio diffic.* 10. Alensi. 4. *par. q.* 102. *ar.* 5. Llamas 3. *par. Meth. c.* 5. §. 21. Hieronimus Perez *par.* 1 *Sum. theol. prac.* 3. §. *De ieiunio.* Sà *verbo* Ieiunium *n.* 9. Ortiz *in sum. c.* 19. *n.* 15. Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.* 21. *littera* N. Io. à Cruce *par.* 1. *Direct. conscient. prac.* 3. *ar.* 3. *n.* 7. Rodriquez *par.* 1. *sum. c.* 25. *n.* 5. Bonacina *disp. vlt. de legib. q.* 1. *punc. vlt. nu.* 8. Villalobos *par.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *nu.* 7. Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 54 *nu.* 14. ver. *Eximuntur.* Alter Sanchez *lib.* 5 *Consil. mor. c.* 1. *dub.* 7. Basseus *in Flor. th. mor. verbo* Ieiunium 2. *n.* 7. Tamburin. *tom.* 2. *de iure. Abbat. disp.* 12. *q.* 5. *n.* 9. Bizoz. *p.* 4. *sum. de* 3. *prac. c. vlt. mẽb. vlt. n.* 6. Trullench. *lib.* 3. *in Dec. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 9. Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *n.* 8. Cum D. Th. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. *ad* 2. & Rosella *citat.* refert. ita declarasse Eugenium IV. *Anno* 1440. & hæc declaratio refertur in Compendio *priuileg. Fratrum Minorum. verbo* Ieiunium *n.* 2. Et ipsi standum est, prout ibi refertur, quia est desumpta ex veteri Codice manuscripto Religionis minorum, & procedit non de omnibus artificibus, sed solum de ijs, qui exercent artes laboriosas; quod propterea adnotaui, quia Recentiores eam extendunt ad omnes artifices, etiam si ars non sit laboriosa, nimis laxantes præceptum ieiunij, cum in cœteris sint æquo rigidiores.

2 Ratio est, quia præceptum ieiunandi non obligat cum notabili incommodo, nec debet impedire consuetum exercitium, quo quis sibi victum quærit, quia autem exercitium huiusmodi artium, quod fit cum notabili labore, valde affligit corpus, vnde si superadderetur etiam afflictio ieiunij, redderetur corpus minus aptum ad laborem, ideo cessat præceptum ieiunandi, quia Ecclesia non intendit inducere per ieiunium tantum incommodum. Accedit etiam, quod effectus ieiunij nempe maceratio corporis inducitur per exercitium harum artium, vnde cessat ex hoc capite finis ieiunij.

3 Sed difficultas est, quantus debeat esse, vt ars dicatur laboriosa. Resp. hoc esse pensandum iuxta moralem æstimationem; regulariter autem illa est censenda laboriosa, quæ exercetur cum magna agitatione, seu motu manuum, & brachiorum, seu etiam pedum, ita vt motus fiat cum impetu; nam talis motus consumit spiritus, qui applicantur ad ipsum, & generat lassitudinem in corpore, & proinde non est vlterius laxandum cum maceratione ieiunij.

4 Quid autem dicendum sit, quando aliquis est ita robustus, vt non sentiat lassitudinem artis laboriosæ, & proinde ieiunando non fiat inhabilis ad illam exercendam. Respondeo, valde probabile esse, quod non teneatur ieiunare. Quod sequuti sunt postea Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 52. Leander *in præc. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 61., quia hoc est per accidens, & raro contingit: lex autem respicit quod contingit: lex vt plurimum: & quando non est posita pro *aliquo* genere personarum, neminem obligat de *illo* genere, licet adsit aliquis, qui alioquin posset obligari, & obligaretur, si esset de alio genere personarum: Lex autem ieiunij non obligat exercentes artes laboriosas, vt habetur ex declaratione Eugenij IV. de qua *n.* 1. & ex communi Doctorum sensu. Accedit, quod robur corporis requirit maius alimentum; Vnde licet pro aliquo tempore resisteret labori, & ieiunio tandem debilitaretur, fortasse etiam cum maiori periculo quam in cœteris. Oppositum tamen tenet Abulensis *q.* 143. *in cap.* 6. *Matth.* quem videtur sequi Reginal. *lib.* 4. *Praxis for. pœnit. c.* 16. *n.* 216 ver. *Cæterum.*

5 Aduertendum tamen cum Remigio *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *n.* 10. ver. *Aduiertase.* Quod vt exercitium artis laboriosæ excuset à ieiunio, necesse est, quod duret aut per totum diem, aut per maiorem partem, quia intelligitur de exercitio iuxta consuetudinem; nam si breui tempore duraret, sicut non inferret notabilem lassitudinem, ita neque excusaret.

An exercentes artes laboriosas teneantur ieiunare, si diuites sint, & aliunde habeant victum, & consueta commoda familiæ. Decis. 291.

SVMMARIVM.

1 *Diuites exercentes artes laboriosas non excusantur à ieiunio, secundum aliquos.*
2 *Excusantur.*
3 *Declaratio Eugenij IV. quod excusentur.*
4 *Lex respicit quæ frequentia sunt.*
5 *Lex non priuat aliquem proprio iure.*
6 *Quando lucrum spirituale debeat præferri temporali.*

Non

1 NON excusari, sed teneri ieiunare relinquendo exercitium artis pro die ieiunij, aut minuendo laborem, docent D. Th. *2.2.q.147.ar.4.ad 3.& in 4. dist. 15.q.3.ar.2.q.4.ad 3.* D. Antonin. *2.par.tit.6.c 2. §. 6.* Gabr. *in 4.dist.16.q.3.ar.1 notab.4. §. Tertia causa.* Armilla *verbo* ieiunium *n.4.* Angelus *n.15.* Graf *par. 2. Decis. lib.2. c.16. n.16.* Durand. *in 4.dist 15.q.10 n.4.* Quia nimirum exercitium artis ordinatur ad lucrum temporale, & ieiunium ad lucrum spirituale, & lucrum spirituale præferri debet temporali.

2 Nihilominus communis sententia tenet, quod etiam si artes istæ non exerceantur ex indigentia, adhuc exercentes excusentur à ieiunio. Ita Maior *in 4. dist.15.q.3.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.9.n.24.* Rosella *n.19.* Tabiena *ibid.* Nauar. *c.21. Manual. n. 16.* Angles *in Florib. q.6. de ieiunio diffic.* 10. Ledesma *2.p. 4.q.17. ar.3.dub.9. ver. Secunda propositio.* Medina C. *de ieiunio q.6.* Pedrazza *præcep.3.* Tolet. *lib. 6.c.4.n 3.* Facundez *præc. 4. Eccl. lib.1. c.8. n.15.* Lessius *lib. 4. De iust. & iure c.2.n.42.* Molfesius *par.1. sum. tr.10.c.4. n.41.* Fillucius *tr.27.par.2. c.9. n.120.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. c.15. n.213.* Azor. *p.1.lib 7. c.17.q.8.* Laiman. *lib.4. theol. mor. tr.8.c.3.n.3.* Fernandez *p.2. Examinis theol. mor. c.8.§.2.n.21.* Sanchez *lib.5. consil. mor. 1. dub.7 n.4.* Ludouicus à S. Io. *par.1. sum tr.23. diffic.4. n 4.* Sanchez *in select. de Sacram. disp. 54. n. 14. ver. Eximuntur etiam.* Bonacina *disp. vlt. de legib. qu.1. punc. vlt. n.9. ver. Addo* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7. n.8.* Bossius *tom.3. mor. tit. 21. §.2. n. 64.* Quintanadueñ. *de iubil. c.8 in fine.* Leander *in præc. Eccl. tr.5 disp.8. q.62.* Io. Henriquez *in summa sect.16. q.26.* Roccaful. *in praxi tr.6. de præc. Eccl. lib.3. c.9. n.160.*

3 Fundatur hæc sententia in declaratione Eugenij IV. de qua Decis. *præced. n.1.* in fine, nam in ea generaliter habetur, quod lex ieiunij non comprehendat exercentes artes laboriosas, cum expressione etiam si exercentes diuites sint. Quæ declaratio in eo fundatur, quod, qui tales artes exercent, vt plurimum pauperes sunt, & ideo exercent, vt sibi victum quærant. Lex autem ordinatur, & disponitur secundum ea, quæ frequentius accidunt *l. Nam 4. ad ea ff. De legibus.* Et ideo, quod aliqui exerceant non indigentes per accidens se habet, nec lex habet specialem rationem ipsorum, sed computat inter cœteros, qui ex indigentia exercent.

5 Deinde fundatur etiam in eo, quod lex cum iusta sit, non priuat aliquem proprio iure, nisi ex ipso aliquod damnum reipublicæ consequatur, nam tunc ius priuatum cedit iuri communi. Vnde cum quilibet habeat ius ad exercendas artes laboriosas, non debet lex ieiunij priuare aliquem tali iure; quia, quod imponitur per legem, censetur imponi saluo iure vniuscuiusque, alioquin esset nimis onerosum, & saperet iniustitiam, quia tolleret ius priuatarum personarum, quod habent ad alia; vnde stante tali iure, censendum est, quod lex ieiunij, non obliget ad relinquendum exercitium artium laboriosarum, vt ipsa seruari possit.

6 Tunc autem solum lucrum spirituale præferri debet lucro temporali, quando est necessarium pro salute assequenda, quando autem non est necessarium, cum sit lucrum voluntarium, est etiam in nostra libertate, vt præferatur, vel non præferatur. Nec obstat, quod sit lucrum resultans ex obseruantia præcepti, quia cum præceptum non obliget exercentes tales artes, non per hoc euadit lucrum necessarium, sed respectu ipsorum remanet arbitrarium.

An, quando quis non consueuit exercere artes laboriosas excusantes à ieiunio, excusetur, si exerceat in die ieiunij, aut ob magnum commodum, aut ob aliquod damnum vitandum.

Decis. 292.

SVMMARIVM.

1 *Qui non consueuit exercere artes laboriosas, potest exercere in die ieiunij ratione notabilis emolumenti, aut ob damnum vitandum, etiam si non ieiunet.*

2 *Lex ieiunij ita ordinatur ad bonum animæ, vt non contrarietur statui temporali.*

3 *Solitus venari, aut piscari aliquando, potest id facere in die ieiunij ob notabile emolumentum, nec tenetur ieiunare.*

4 *Soluitur a ieiunio laborans, vt restituat:*

1 QVamuis nonnulli non excusent à ieiunio, vt D. Th. *in 4. dist. 15.q.3.q.4.ad 3.* Durād. *q.10.n.4* Gabr. *dist.16.q 3.notab.4. ver. Tertia causa.* Leander à Murcia *in c.3. Regul. S. Francis. c 2. §. 2. n. 20. in fine.* Posse exercere artes laboriosas in die ieiunij, etiam si non consueuerit exercere, & excusari à ieiunio, quando agitur de captando aliquo magno commodo, aut de euitando aliquo notabili damno, vt esset Piscatio, Venatio, & alia huiusmodi, quorum occasio præterit. Ita Lessius *lib.4 de Iustitia, & iure c.2.n.43. ver. Deinde* Reginal. *lib.4. Praxis fori pœnit. c.16. num.218.* Fillucius *tr.27.par.2.c.6. n.120.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.9.n.23.* Rosella *n.19.* Nauar. *c.21. Manual. n.16.* Medina C. *de ieiunio q.6. §. Hoc tamen non obstante.* Tolet. *lib.6.c.4 n.3.* Laiman. *lib.4, Theol. mor. tr.8.c.3.n.3. ver. Quarta causa.* Bizoz. *p.4 sum. de 3. Præcep. cap. vlt. memb. vlt. n 6.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub. 7. n.7. & 8.* Caiet. *2.2.q.147.ar.3.* Sanchez *lib.5. consil. c.1. dub.7. n 2.* Villalob. *p.1. sum. tr.13. diffic.4. nu.12. & 13.* Bossius *tom.3 mor. tit.21. §. 2. nu.69.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp.8 q.63.*

2 Fundamentum est, quia lex ieiunij ordinatur ad bonum animæ, sed sine detrimento temporali, nam intendit eleuare ad opus virtutis, & ideo non contrariatur statui temporali, sed ipsum supponens perficit per exercitium virtutis. Vnde quando per per accidens sequitur, quod contrarietur inferendo aliquod incommodum, aut impediendo aliquod commodum, cessat obligare, quia obligatio annexa cum damno est contra intentionem legis interpretatiuam.

3 Ex quo sequitur, quod, si quis soleat aliquando ire venatum, & in die ieiunij se offerat opportuna occasio venandi, vel quia tempus sit congruum,

vel ex aliquo alio capite, possit in die ieiunij venari, si inde speret notabile emolumentum, etiam si non ieiunet. Et idem dicendum est etiam de piscatione.

4 Ex quibus colligitur cum Bizozero *euato*. Quod, si exerceat artes laboriosas in hunc solum finem, vt restituat, excusetur à ieiunio, quia præceptum restituendi, cum sit præceptum iustitiæ, est altioris ordinis, & præualet præcepto ieiunij.

An, quando quis excusatur à ieiunio ratione proprij exercitij, teneatur ieiunare ijs diebus, in quibus cessat ab exercitio, vt contingit in diebus festis.

Decis. 293.

SVMMARIVM.

1 *Excusatus a proprio exercitio tenetur ieiunare illis diebus, in quibus ab ipso vacat, si potest.*

2 *Absolute non tenetur.*

3 *Ieiunium lassat corpus pro sequenti die.*

1 ID iudicio prudentis viri esse relinquendum, ita vt si sint debiles ex præterito exercitio, aut futuri sint debiles pro subsequenti die, non teneantur ieiunare: secus autem teneri docent Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 9. ver. Addo cum Medina*. Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. c. 16. n. 214.* Filliucius *tr. 27 par. 2. c. 6. n. 121.* Villalobos *par. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. num 9.* Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 10. dub. 1.* Molfes. *par. 1. sum. tr. 10. c. 4 n. 42.* Ledesma *2. par. sum. tr. 17 c. 2. dub. 3. post 5. conclus.* Graff. *par. 1. Decis. lib. 2. c. 37 n. 51.* Rodriquez *1. par. sum. c 24. n. 1. & 2.* Vega *1. par. sum. c. 14. de ieiunio. Casu 38.* Lopez *2. par. instruct. c. 110.* Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 15.* Azor. *par. 1. lib. 7. c. 17. q. 8. ver. Item quæstio est.*

2 Absolute tamen excusari à ieiunio, tenendum est cum Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. præc. 3. ar. 4. dub. 9. concl. 2.* Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 16.* Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 9.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub 7. n. 10.* Basseo *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium *2. n. 7.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 8.* Leandro *tr. 5. in præc. Eccl. disp. 8. q. 54.* Bossio *tom 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 67.* Remigio *tr. 3. sum. c 4. §. 3. n. 10.* Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 28. n. 64.* Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 7.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præc. Eccl. lib. 3. c. 9. nu. 161.* Leandro à Murcia *in Cap. 3. Regul. S. Francis. c. 2 §. 2. num. 20.* Quod tamen ita accipiendum est cum Sanchez, vt id verum sit, quando vno, aut altero die contingit cessare ab exercitio laborioso, quod si cessatio esset longior, tunc diebus intermedijs, excepto primo, & vltimo, obligaret ieiunium.

3 Ratio autem est, quia ieiunium valde debilitat vires corporis pro sequenti etiam die, vnde difficile sustinere posset longum, & continuum laborem, præsertim si non sit assuefactus tali macerationi, & ideo si artifices ieiunarent, male sequenti die exequi possent proprium artificium. Similiter etiam cum à labore antecedentium dierum sint artifices lassati, & corpus assuefactum pinguiori alimento, male possunt sustinere inediam ieiunij absque eo, quod notabiliter debilitentur. Vnde nec primo, nec vltimo die, quo cessant ab artificio tenentur ieiunare.

An adsit obligatio ieiunandi, quando exercitium habet aliqua opera laboriosa, & aliqua non laboriosa.

Decis. 294.

SVMMARIVM.

1 *Quando exercitium continet opera laboriosa, & non laboriosa, adest obligatio ieiunandi, quando exercentur non laboriosa secundum Sanchez.*

2 *Valet, si per plures dies, quam duos, exerceantur.*

3 *Quid dicendum, si eodem die exerceantur opera laboriosa, & non laboriosa.*

1 REsp. Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. n. 9.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 63.* Quod exercentes exercitia huiusmodi eximuntur à ieiunio quando exercent opera laboriosa, quando autem non exercent talia opera, non eximuntur, & asserit ita etiam sentire doctos iuniores.

2 Sed hoc solum potest habere locum, quando in vno die exercent opera laboriosa, & in alio non laboriosa: non autem, quando vtraque exercent in eodem die, quia non possunt eodem die obligari, & non obligari. In priori autem casu loquendum est eodem modo, ac de cessatione ab opere laborioso, vel ratione festi, vel ex alio capite; nam si per vnum, aut alterum diem exerceant non laboriosa, & alijs diebus laboriosa, ita vt plures sint dies, qui insumantur in laboriosis, tunc, etiam quando non exercent laboriosa, erunt exempti ab obligatione ieiunandi, vel ob lassitudinem præcedentis laboris, vel ob vires conseruandas pro labore subsequuturo. Si vero plures dies insumant in non laboriosis, tunc solum primo, & vltimo eximuntur ab obligatione ieiunandi, nam hoc sufficit ad subleuandum præcedentem laborem, & ad conseruandas vires pro sequenti.

3 Quando vero eadem die exercentur, opera partim laboriosa, partim non laboriosa, si laboriosa requirant notabile tempus, videtur cessare obligatio ieiunandi, quia labor magnus per plures horas coniunctus cum labore mediocri per totum diè valde lassat corpus, vnde addita lassitudine ex ieiunio nimis lassaretur, nec commode posset incumbere exercitio, & sustinere laborem. Et quia vt plurimum talia exercitia habent opera, quæ requirunt magnum laborem per plures horas, ideo vt plurimum etiam excusant à ieiunio. Secus autem, si magnus labor sit necessarius solum pro aliquo modico tempore.

An

An Baiuli portantes onera teneantur ieiunare. Decis. 295.

SVMMARIVM.

1 *Baiuli non tenentur ieiunare, quando continuo laborant.*
2 *Sed neque quando laborant per vices interpolatas.*
3 *Quid dicendum, quando otiosè expectant occasionem laborandi.*

1 ADest præcipua difficultas de Baiulis, quia licet exerceant opus valde laboriosum, non tamen laborant tota die, sed interpolatè prout occurrit occasio. Vnde nulla est difficultas, quod, quando laborant tota die, aut saltem per maiorem partem in portandis, aut tractandis oneribus, quod excusantur à ieiunio, quia ipsorum labor valde vires lassat, & spiritus consumit; vnde non quilibet est aptus tali arti. sed debet esse valde robustus.

2 Quando autem non laborant tota die, sed tantum per aliquas vices interpolatas, adhuc existimo, excusari à ieiunio, nam pro illis vicibus requiruntur vires valde robustæ, quas non haberent, si ieiunarent, quia natura ipsorum robusta insumit plures spiritus, & calor vitalis valde resoluit corpus, & ideo necessarium est plurimum nutrimentum, vt reparari possit, quod deperditur, & natura manuteneri in proprio robore: vnde si ieiunarent relaxaretur robur consuetum, & non haberent vires congruentes, quando portanda essent onera, aut alio modo in arte ipsorum laborandum. Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 65.*

3 Imo addo, quod neque tenentur ieiunare, quando otiosi expectant occasiones laborandi, etiã si pro illo die non occurrat laborare. Ratio est, quia præceptum ieiunandi non obligat, quando potest impedire consuetum exercitium, præsertim si per ipsum victus lucrifiat. Et proinde cum Baiulorum exercitium requirat, vt habeant vires paratas vt possint laborare, quando occurrerit occasio, non tenentur per ieiunium vires laxare, quando non laborant, ne adueniente occasiones, sint inhabiles ad laborandum. Et sicuti, qui probabiliter tiiu et infirmari, si ieiunet, non tenetur ieiunare: ita & Baiuli, cum certi sint, quod ieiunando non habebunt robur sufficiens ad laborandum occurrente occasione, non tenentur ieiunare.

An sutores teneantur ieiunare. Decis. 296.

SVMMARIVM.

1 *Sutores tenentur ad ieiunandum secundum aliquos.*
2 *Non tenentur.*
3 *Tenentur ieiunare, quando suunt calceos ex materie molli, & subtili.*
4 *An incidentes calceos teneantur ieiunare.*
5 *Labor non magnus non excusat à ieiunio.*

1 AFfirmant Angles *in Flor. q. 6. de ieiunio difficul. 10. append. 1.* Tolet. *lib. 6. c. 4. n. 2.* ver. *Tertia causa.* Llamas. *par. 3. meth. cap. 5. §. 21.* Ludouicus à S. Io. *in sum. quæst. de ieiun. art. 7. diffic. 8. append. 1.* Turrian. *par. 1. sum. c. 256. dub. 16. conclus. 1.* Quia non videntur multum laborare, cum artem suam exerceant sedendo. Villalobos autem *par. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 4.* ait, id remittendum esse iudicio prudentis viri.

2 At absolutè non obligari lege ieiunij, docent Azor *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 18.* ver. *Quares etiam.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. c. 17. n. 16.* Lessius *lib. 4. de Iust. & iure c. 2. dub. 6. num. 43.* Facundez *prac. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 15.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 3* Bonacina *disp. vlt. de legib. q. 1. punc. vlt. n. 10.* Diana *par. 19. tr. 9. de ieiunio Resol. 7.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1 dub. 7. n. 5.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 21. littera* N. Trullench *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 8.* Et hæc sententia longè probabilior est, quia quamuis sutores sedentes laborent, magnum tamen conatum adhibent, & non solum manus, & brachia applicant labori, sed etiam crura, & pedes, vt contineant calceos, dum vtroque brachio suunt: vnde ex tali labore totum corpus laxatur, & cum continuus sit, valde magnus censendus est.

3 Existimo tamen hanc doctrinam limitandam esse, & non habere locum, quando calcei conficiuntur ex molli materia, & subtili, nam tunc facile consuuntur absque conatu, & vi, nec plus laboris interuenit, quam interueniat in suendis vestibus: vnde sicuti sartores non excusantur secundum opinionem probabilissimam, ita nec ipsi sutores.

4 Quid autem dicendum sit de ijs, qui calceos incidunt, & postea trahunt alijs consuendos. Respondetur. Non excusari à ieiunio, quia incisio corij magis artificiosa est, quam laboriosa, nec requirit multum conatum, sed valde mediocrem. Ita Sanchez *supra cit.* Si tamen tota integra dies in hoc exercitio insumeretur cum magna applicatione, & celeritate, tunc probabile est, quod cesset obligatio ieiunandi, quia tunc labor ratione durationis, & continuationis, atque maximæ incumbentiæ fit magnus, atque generans notabilem lassitudinem.

5 Hanc limitationem non recipit Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 62.* sicut nec etiam præcedentem, quam neque etiam recipit Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 56.* fundatur tamen in illo principio, quod quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis. Vnde si magnus labor excusat à ieiunio, non magnus non excusabit, qualis est in suendis calceis mollibus, & in incidendis.

An Coqui teneantur ieiunare. Decis. 297.

SVMMARIVM.

1 *Coqui assistentes coquinæ non excusantur a ieiunio.*
2 *Nec etiam, si substineant totum laborem, quando pro paucis parant fercula.*
3 *Excusantur, si parent pro magno numero.*
4 *Coqui Religiosorum excusantur a ieiunio, si parent pro numerosa familia.*

5 *Etiam si ieiunia sint de praecepto regulae.*
6 *Regula, licet voluntariè suscepta, non obligat plusquam lex.*
7 *Quod coqui Religiosorum, vt plurimum ieiunent, non arguit, quod commodè possint ieiunare.*

1 RESP. quod si solum sint assistentes exercentibus officia coquinæ, & leuia tantum quædam exerceant, procul dubio tenentur ieiunare, quia labor ipsorum leuis est, nec sufficiens ad excusandum à ieiunio. Hoc tamen non obstante poterunt prægustare cibos, vt etiam diximus in superioribus.

2 Si vero sustineant totum laborem coquinæ, tunc videndum est, quantus sit labor, quia si pro paucis personis habent parare fercula, ita vt solam aliquam partem diei insumant in tali preparatione, tunc neque excusantur à ieiunio, nam labor modicus est, neque inducit notabilem lassitudinem.

3 At si pro pluribus habent parare fercula, ita vt insumant totum diem in tali præparatione, & tractent cacabos, & ollas magnas, existimo excusari à ieiunio, quia talis labor valde notabilis est, præsertim cum sit coniunctus cum motu discurrendi huc, & illuc. Accedit etiam, quod ignis cui per bonam partem diei assistunt, aut saltem frequenter, sicut valde calefacit corpus, ita etiam lassat. Et sequuti sunt Leander *tr. 5. in prac. Eccl. disp. 8. q. 77.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 69.*

4 Hinc coqui Religiosorum, quando habent parare pro numerosa familia, etiam si pauca sint fercula, excusantur à ieiunio, quia quantitas cuiuscunque ferculi parandi æquiualet pluribus ferculis, imo magis laborant in leuandis, & deponendis cacabis, & ollis, vtpote magnis, & magis ab igne torrentur, quia coguntur ipso vti in maiori quantitate. Neque obstat, quod non laborent tota die, cum non habent parare cœnam, nam adhuc post prandium habent parare plura prosequenti die, & deinde sufficit. quod exercitium parandi prandium requirat magnum laborem, nam debent pro ipso conseruare vires. Et sequitur Bossius *num. praeced. cit.* Remig. *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 10. ver. Los criados.*

5 Et hoc probabile est habere locum, etiam quando ieiunia sunt de præcepto regulæ, quia regula non obligat plusquam obliget lex: est enim quædam specialis lex pro speciali communitate; & ideo ipsa quoque cessat obligare, quando propor-
6 tionaliter cessat obligatio legis. Nec obstat, quod sit voluntariè suscepta, quia censetur suscepta secundum mensuram prudentiæ, & secundum mensuram, qua ipsa potest obligare: vnde cum possit obligare solum vt lex, est suscepta tanquam lex, & vt obligans ad modum legis. Et sicut lex, quantumuis voluntariè acceptata, cessat obligare ex rationabili causa, ita etiam Regula.

7 Sed dices. Coqui religiosorum regulariter ieiunant, nec tamen inde patiuntur notabile detrimentum, nec impediuntur à suo exercitio, ergo non est exercitium ex natura sua excusans à ieiunio. Resp. neg. conseq. quia licet aliquando ratione robustæ complexionis id possint facere, vt plurimum tamen valde debilitantur, & sentiunt talem debilitatem, dum ieiunant: quod si volunt eam sustinere, bene faciunt, & hortandi sunt, vt sustineatur, quia tanquam religiosi debent incumbere mortificationi: non tamen tenentur sustinere. Sic plures fabri lignarij, plures cementarij, & alij, qui secundum communem doctrinam non tenentur ieiunare, ieiunant; non tamen hinc fit, quod dicendum sit, omnes teneri ad ieiunium.

An Pistores, seu Furnarij excusentur à ieiunio. Decis. 298.

SVMMARIVM.

1 *Pistores, seu Furnarij excusantur à ieiunio.*
2 *Etiam si non laborant per totum diem.*

1 LOquimur de ijs, qui in conficiendo, & coquendo pane laborant, non autem de ijs, qui solum assistunt furno: & de laborantibus Respond. contra Turrian. *par. 1. sum cap. 256. dub. 16. concl. 2.* excusari à ieiunio cum Azor *1. par. lib. 7. cap. 17. q. 8. ver. Quares etiam.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori Pœnit. c. 16. n. 216.* Molfesio *par. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Facundez *prac. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 15.* Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 10.* Io à Cruce *par. 1. Direct. conscient. prac. 3. ar. 4 num. 7.* Ghilino *in sum. verbo.* Ieiunium *n. 21. littera* N. Basseo *in Flor. theol. pract. verbo* Ieiunium *2. n. 7.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 8.* Facundez *prac. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 16.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. qu. 76.* Et alij, qui aut vniuersaliter excusant omnes artifices, aut eos, qui exercent artes eiusdem laboris.

2 Ratio est, quia ars furnaria est valde laboriosa, & requirit vires robustas, vnde quamuis non laborent pistores tota die, sed per bonam partem noctis, & summo mane, & reliquo diei otientur, quia tamen nisi cœnarent, debiles existerent pro illo labore, ideo adhuc excusantur à ieiunio.

An Textores obligentur ad ieiunandum. Decis. 299.

SVMMARIVM.

1 *Textores non obligantur ad ieiunium.*
2 *De quibus intelligi debeat.*

1 REsp. communiter non obligari. Ita Azor. *par. 1. lib. 7. c. 17. qu. 8. ver. Quares etiam.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. c. 16. nu. 216.* Molfesius *par. 1 sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Facundez *prac. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 15.* Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 10.* Io. à Cruce *par 1. Direct. conscient. prac. 3. ar. 4. n. 7.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 21. littera* N. Basseus *in Flor. theol. pract. verbo* Ieiu-

Ieiunium 2. n.7. Trullench. *lib.3.in Decal.c.2.dub.7. num.8.* Molfes. *par.1.tr.10.cap.4.nu.43.* Quintanaduen. *de iubil.c.8.n.17.* Leander *in prac. Eccl.tr.5. disp.8.q.74.* qui *quaest.75.* non admittit limitationem num. sequentis, sed ex falso fundamento. & alij. Est enim ars textoria valde laboriosa, cum requirat magnam corporis, & continuam agitationem.

2 Hoc tamen debet intelligi, quando texuntur panni siue lanei, siue linei, siue sericei, aut alia huiusmodi, quæ ratione suæ amplitudinis requirant magnum motum, & extensionem bracchiorum, secus autem, si texantur vittæ sericeæ, aut alterius generis, aut alia huiusmodi, quæ fiant cum exiguo motu, & exigua expansione bracchiorum, quia tunc labor quoque est exiguus, nec sufficiens, vt excuset à ieiunio. Oppositum postea tenuit Bosfius *tom.3.mor.tit.21.§.2.num.63.* sed nullo fundamento: imò cum textores excusentur ratione laboris, non excusabuntur, quando ars non est laboriosa; nec ad ipsos se extendet declaratio Eugenij IV., cum procedat solum de exercentibus artes laboriosas.

An Molitores subsint pracepto ieiunandi, Decis. 300.

SVMMARIVM.

1 *Molitores per totum diem molentes excusantur à ieiunio.*
2 *Si semel, aut bis imponant triticum molendino, & colligant farinam, non excusantur.*
3 *Nisi triticum, & farina sint in magna quantitate, ita vt habeant portare onera grauia.*

1 Difficultas procedit de ijs, qui assistunt molendinis, dum molunt, atque adeo portant triticum, & imponunt molendino, colligunt farinam, & asportant, atque alia huiusmodi opera exercent, quæ necessaria sunt pro molitione. Et quidem si quis continuo per totum diem assistat, & exerceat huiusmodi opera, procul dubio excusatur à ieiunio, quia requiritur magnus, & continuus labor, & æquiualens ijs exercitijs, quæ excusant à ieiunio secundum communem sensum Doctorum. Sequitur Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.8.q.79*

2 At si non assistant per totum diem, sed tantum semel, aut bis imponant triticum molendino, & colligant farinam, si sit triticum, atque adeo farina in modica quantitate, non excusabuntur à ieiunio, quia tunc interuenit modicus labor; siue enim triticum vnica vice, aut pluribus imponatur, id fit cum modico labore, & non multum laxante, & idem contingit etiam in asportatione farinæ.

3 Si vero triticum, & farina sint in magna quantitate, ita vt habeant portare onera grauia, aut plura mediocria per multas vices, tunc labor grauis censendus est, quia exercitium illud valde fatigat, atque adeo sufficiens, vt excuset à ieiunio. Quod satis ex eo colligitur, quia aliquis habens debiles vires non sufficeret pro illo labore: quod satis indicat, esse grauem laborem, atque adeo debilitare corpus, & requirere in ipso vbere nutrimentum, vt in suo robore possit conseruari.

An Fullones, Lanarij, Coriarij excusentur à ieiunio. Decis. 301.

SVMMARIVM.

1 *Fullones, Lanarij, Coriarij non sunt obligati ad ieiunandum.*
2 *Ars Lanaria, Coriaria, & Fullonum continentur sub declaratione Eugenij in ordine ad ieiunium.*
3 *Exercentes solum leuia opera harum artium non excusantur à ieiunio.*

1 Communiter dicunt excusari præsertim Azor: *par.1.lib.7. c.17.q.8.* ver. *Quares etiam* Molfesius *par.1.sum.tr.10.c.4.nu.4.* Lessius *lib.4.de iust. & iure c.2.dub.6.num.43.* Reginal. *lib.4. Praxis fori pœnit c.16. num. 216.* Facundez *prac.4.Eccl.lib.1.c.8.nu.15.* Bonacina *disp. vlt. de legib. q.1.punc.vlt.n.10.* Sanchez *lib.5.consil.mor.c.1. dub.7 num.5:* Trullench. *lib.3. in Decal. cap.2.dub.7. num.8.*

4 Hæ namque artes sunt multum laboriosæ, & proinde iuxta declarationem Eugenij IV. quod exercentes artes laboriosas non teneantur ieiunare, immunes sunt à ieiunio.

3 Hoc autem valet, si per se ipsos exerceant omnia opera artis, quia si solum leuia quædam exercerent, & laboriosa facerent exerceri per alios, tunc non excusarentur, nam tunc cessaret labor, qui est causa excusans.

An Argentarij sint exempti à ieiunio: Decis. 302.

SVMMARIVM.

1 *Cudentes monetas, aut quodcunque aliud, si malleo cudant, exempti sunt à ieiunio.*
2 *Argentarij fabricantes suppellectibilem argenteam, aut auream eximuntur a ieiunio.*
3 *Ars argentaria cur laboriosa.*
4 *An quando Argentarij exercent opera cum modico labore, eximantur a ieiunio:*

1 Argentarij, qui cudunt monetas secundum omnes à ieiunio sunt exempti, quia labor ipsorum magnus est, & ars requirit vires robustas: Vnde cæteri quoque qui quocunque modo alias res cudunt, dummodo in cudendo vtantur malleo, ob eamdem rationem eximuntur à ieiunio. Vnde difficultas est de alijs Argentarijs, qui fabricant argenteam supellectibilem, aut etiam auream.

2 Et

2 Et hos quoque exemptos esse à ieiunio docent Azor. 1.*par.lib.7.c.*17.*q.*8. ver. *Quares etiam* Facundez *prac.*4.*Eccl.lib.*1.*c.*8.*n.*15. Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pœnit. c.*16.*num.*216. Molfes. *par.*1. *sum. tr.*10. *c.*4. *num.*43. Bonacina *disp.vlt. de legib. q.*1.*punc. vlt.num.*9. Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n.*21.*litera* N. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium 2.*num.*7. Trullench. *lib.*3.*in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *num.* 8. Leander *in prac. Eccl. tr.*5.*disp.*8 *qu.*73. Et cœteri, qui aut omnes artifices excusant à ieiunio, aut saltem eos, qui similes artes exercent. Quæ sententia tenenda est.

3 Hæc enim ars consistit in vsu mallei, & limæ: vnde requirit laborem plusquam mediocrem, & fit notabilis, & magnus ratione diuturnitatis: & cum accedat attentio quoque mentis necessaria, vt opus conformetur debitis regulis, exercitium euadit valde afflictiuum corporis, & proinde incompatibile cum ieiunio.

4 Neque obstat, quod aliquando exerceant aliqua opera, quæ requirant laborem valde modicum, quia tunc requiritur attentio mentis intensior, nam debent opera disponi iuxta exigentiam artis; vnde defatigatio ex attentione compensat laborem & defatigationem corporalem: & proinde adhuc militat ratio, ob quam excusantur à ieiunio.

An qui circumeunt ciuitatem vendentes aliquas merces teneantur ad ieiunium.

Decis. 303.

SVMMARIVM.

1 *Circumeuntes ciuitatem cum mercibus venalibus liberi sunt à ieiunio.*
2 *Etiam si non circumeant per totum diem, sed tantum per maiorem partem diei.*
3 *Secus, si per modicum tempus.*

1 Resp. quod, si per totam diem circumeant, procul dubio non tenentur ieiunare, & comparantur ijs, qui pedites iter agunt, qui iuxta communem sententiam exempti sunt à lege ieiunij: talis enim circuitio valde defatigat corpus, vnde labor sufficiens est, vt soluat obligationem ieiunandi. Et hoc à fortiori verum est, si ipsi deferant merces, quas vendunt; hoc enim valde aggrauat laborem. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.*5.*disp.*8.*q.*8.

2 Si autem non per totam diem, sed tantum per aliquam partem, quæ tamen sit maior diei pars, circumeant merces deferendo, adhuc probabile est, quod excusentur à ieiunando, nam labor, qui de se est sufficiens, vt soluat obligationem ieiunandi, adhuc soluit, licet non duret per totum diem, sed tantum per notabilem partem diei, nam adhuc remanet labor notabilis tum ratione qualitatis, tum ratione durationis, quia labor de sui natura grauis, non potest censeri leuis in ordine ad solutionem obligationis ieiunandi, nisi ratione breuis durationis.

3 Vnde solum non eximentur à ieiunio ratione talis exercitij, si per modicum tempus ipsum exerceant, vt per vnam, aut alteram horam, quia tunc labor in præsenti materia non habetur pro considerabili ratione breuis durationis: & proinde exercitium ratione talis circumstantiæ non habetur pro laborioso.

An mulieres, quæ lauant suppellectilem lineam, vulgo, fanno la bucata, *teneantur ad ieiunandum.*

Decis. 304.

SVMMARIVM.

1 *Mulieres lauantes lineam suppellectilem eximuntur ab obligatione ieiunandi.*
2 *Etiam complicantes dictam suppellectilem lineam.*
3 *Valet hoc, etiam si exercitium non sit continuum, sed solum pro vna, aut altera die.*
4 *Etiam si non insumant totam diem in hoc exercitio.*

1 Resp. excusari à ieiunandi præcepto. Sequitur Leander si insumant maiorem partem diei, & absolutè in hyeme. Ità *in prac. Eccl. tr.*5. *disp.*8. *q.*81., quia huiusmodi exercitium lauandi est valde laboriosum, & excedit labor ipsius laborem aliarum artium, quæ tollunt obligationem ieiunandi, nam actus ipse lauandi requirit magnum conatum; & quando parantur ea, quæ necessaria sunt pro lauatione, adhuc labor est satis considerabilis, sicut etiam quando post lauationem panni linei portantur, soli expanduntur, & postea colliguntur: vnde totum hoc exercitium inter laboriosa reponendum est.

2 Quando autem linea suppellex iam mundata complicatur, adhuc labor notabilis est, *quia in ea tendenda*, & extendenda, atque *premenda, prout* opus est, requiritur magnus conatus, vnde hoc quoque exercitium tollit obligationem ieiunandi. Sed hoc non approbant Leander *in prac. Eccl. tr.*5.*disp.*8.*q.*82. Diana *par.* 10. *tr.*15. *resol.*37. quia insumitur in tali exercitio breuissima pars diei, & labor est leuis, aliàs excusaret etiam quodlibet aliud domesticum exercitium. Verum quod dixi procedit, quando exercitium durat per totum diem, aut ferè totum. Nec labor est ita leuis, quin requirat maiorem conatum, quam requirat exercitium consuendi vestes; vnde si hi Doctores eximant à ieiunio sartores consuentes vestes, non video, quomodo scrupolosi iure sint quòad complicantes lineam suppellectilem.

3 Quod si contingat, hæc exercitia non esse continua, sed durare solum vna, aut altera die, prout exigit necessitas familiæ, adhuc soluunt obligationem ieiunandi, pro illis diebus, in quibus exercentur; quia sicut obligatio est annexa diei, ita quando eadem dies habet aliquid incompossibile cum ieiunio, excludit obligationem ad ipsum.

4 Et valet doctrina tradita, etiam si in hoc exercitio non insumatur integra dies, sed tantum

bona

bona pars ipsius, nam, cum sit exercitium laboriosum requirit vires integras, & floridas, quod non contingit, quando corpus maceratur per ieiunium.

An Sartores, & Barbitonsores immunes sint à ieiunij lege.
Decis. 305.

SVMMARIVM.

1 *Sartores, & Barbitonsores non obligantur ad ieiunium secundum aliquos.*
2 *Quos artifices Eugenius IV. eximat a ieiunio.*
3 *Paupertas Sartorum, & Barbitonsorum non est talis, vt eos eximat a ieiunio.*
4 *Sartores, & Barbitonsores non eximuntur a ieiunio ratione consuetudinis.*
5 *Sartores, & Barbitonsores ratione artis nullo modo sunt exempti a ieiunio.*
6 *Declaratio Eugenij IV. circa ieiunium artificum ex compen. priuil.*
7 *Declaratio laboris non magni non excusat a ieiunio.*
8 *Exercentes artes non laboriosas excusantur à ieiunio deficiente congrua refectione.*

1 VTrorumque labor eiusdem fere rationis est; imo labor Barbitonsorum minor censeri debet, quia aliquando, & pluries in die solet interpolari. Non teneri autem lege ieiunij, docent Ledesma 2. 2. *par. 4. qu. 17. ar. 3. dub. 9. ver. Secunda propositio.* Facundez *præcep 4 Eccl. lib. 1. c. 8. n. 15.* Quibus videtur assentiri Diana *par. 1. tr. 9. de ieiunio. Resol. 8. ver. At his non obstantibus.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. §. 2. n. 63.* Machadus *tom. 1. lib. 6. par 8. tr. 7. docum. 5. n. 5.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. quæst. 69.* Io. Henriquez *in summa sect. 16. quæst. 27.*

2 Ex duplici autem capite eos eximit à lege ieiunij Facundez. primo quidem, quia Eugenius IV. declarauit omnes artifices indiscriminatim eximi à lege ieiunij; quæ declaratio, siue sit priuilegium, siue iuris interpretatio, comprehendit etiam Sartores, & Barbitores. Sed hoc non valet, quia Pontifex loquitur tantùm de artificibus, qui exercent artes laboriosas, vt testantur Doctores, qui mentionem faciunt de hac declaratione, & de his indiscriminatim loquitur, siue diuites sint, siue pauperes.

3 Secundo eximit ratione paupertatis, nam, qui has artes eligunt, communiter sunt pauperes; neq; enim paupertas tam strictè accipienda est, vt solum comprehendat extremam. Sed neque hoc valet, quia ipsorum paupertas non est illius naturæ, quæ potest excusare à ieiunando: nam hi artifices commodum cibum habent cum satis largo obsonio, & ideo possunt ratione cibi commode ieiunare: tunc enim solum paupertas excusat à ieiunio, quando non permittit, quod habeatur vnica sufficiens refectio.

4 Quod autem addit de consuetudine, quæ eos eximat à lege ieiunij, omnino falsum est, quia talis consuetudo non est apud viros timoratæ conscientiæ: neque potest esse rationabilis, quia tota ratio, ob quam potuisset introduci, esset labor exercitij, qui tamen, cum non sit sufficiens, vt excusset à ieiunio, neque potest reddere consuetudinem rationabilem. Vnde non erit consuetudo, sed abusus.

5 Itaque tenendum est Sartores, & Barbitonsores non eximi à præcepto ieiunij, vt docent Azor. *p. 1. lib. 7. c 17. q. 8 ver. Quæres etiam.* Abulens. *qu. 143. in c. 6. Math.* Reginal. *lib. 4 Praxis fori pœnit c. 16. num. 216.* Filliucius *tr. 27. par 2. c. 6. nu. 17.* Molfes. *tom. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Raguceus *in Vase Eccl. Discipl. præcep. 7. q. 30. num. 9.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 6. num. 43.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor tr. 8. c. 3 n. 3.* Villalob. *tom. 1. sum tr. 23. diffic. 4 num. 7.* Tanner. 2. 2. *disp. 3. q. 3. dub. 5. n. 102.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. præc. 3. ar. 4. dub. 9. conclus. 2.* Bonacina *disp. vlt. de legib. q 1. punc. vlt. n. 12.* Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *num. 8.* Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 10. append. 3.* Sanchez *lib 5 consil. mor. c. 1. dub. 7. n. 7.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *num. 22.* Tolet. *lib. 6. c 4. n. 5.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 9* Zipeus *in Analitica iur. lib. 3. tit. de obseruat. ieiun. num. 4.* Graf. *par 1. Decis. lib. 2. c. 37.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp. 54. n. 16.* Vega *par. 1. sum. cap. 14 casu 36.* Maior *in 4. dist. 15 q. 3.* Llamas *par. 3. meth. c. 5 §. 21.* Ludouicus à S. Io. *in sum. q. de ieiun. art. 7. diffic. 8. append. 1.* Quintanadueñ. *de iubil. c. 8. n. 17.* Martin. à S. Ioseph. *tom 1. mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 8.* Roccaful. *in praxi tr. 6 de præc. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 16.* Et ratio pro hac sententia manifesta est, quia huiusmodi exercitia non exhauriunt vires, cum fiant cum labore valde moderato, & ideo potest corpus optime resistere cum ieiunio, nam tunc est necessaria multiplex comestio, quando per laborem exhauriuntur vires.

6 Obijcit Leander priuilegium, seu declarationem Eugenij IV. declarantis artifices exercentes suas artes non teneri ad ieiunium, & cum non potuerit esse dubium de exercentibus artes laboriosas, debuit dari declaratio de cœteris. Sed miror, quod tam citò oblitus sit, quod q. 60. præcedenti retulerit, hoc priuileg. ex *Compendio priuileg. fratr. minor.* per verba formalia, *verb. Ieiunium n. 2.* & coarctatum ad artifices exercentes artes laboriosas.

7 Obijcit 2. Quod labor Sartorum sit magnus quia est continuus per totum diem cum magna applicatione, & celeritate. Verum hoc non sufficit, vt ars sit laboriosa, quia neque requirit attentionem mentis, & laborem ingenij, neque labor corporalis consumit vires præsertim in assuetis: neque est eadem ratio de incidentibus calceos per totam diem, quia in his labor corporalis est maior.

8 Obijcit 3. Quia non habent commodum cibum ad congruam sustentationem. Hoc tamen non facit ad rem, nam quæritur, an ratione artis excusentur; si vero non habent congruam refectionem ex alio capite excusabuntur.

An

An Pictores, & Sculptores eximantur à lege ieiunij. Decis. 306.

SVMMARIVM.

1 *Pictores, & Sculptores secundum aliquos non eximuntur a lege ieiunij.*
2 *Secundum alios eximuntur.*
3 *Non eximuntur, quando non vacant exercitio per integrum diem.*
4 *Eximuntur autem, quando vacant per integrum diem magna attentione.*

1 EAdem est ratio de vtrisque, quia vtrumque exercitium eodem pacto laboriosum est; non enim Sculptores solent materiam omnino rudem præparare, sed in præparatam debitam formam introducere. Quod autem non eximantur docent communiter. Azor. *par.1.lib.7.c.17.q.8.ver. Quæres etiam.* Angles *in Florib. q.6.de ieiunio diffic.10.append.1.* Molfes. *par.1. sum.tr.10.c.4.num.43.* Graf *par.1.Decis.lib.2.c.37.* Tolet. *lib.6.cap.4.n.5.* Reginal. *tom.1.lib.4.c.17.n.216* Laiman. *lib.4 theol.mor. tr.8.c.3.n.3.* Filliucius *tr.27. par 2.c.6.n.117.* Bonacina *disp.vlt. de legib.q.1.punc. vlt.num.12.* Villalobos *par.1.sum.tr.23.diffic.4.num.7.* Ledesma *2.par.sum.tr.27.c.2.dub.3.post.5.conclus.* Tannerus *2.2.q.3.disp.3.dub.5.n.103.* Sylvius *q.147.ar.4. ver. Necessitas à ieiunio.* Io. à Cruce *par.1.Direct.conscient.præc.3.ar.9.dub.9.conclus.2.* Sanchez *in select. De Sacram.disp.54.n.16.* Alter Sanchez *lib.5.consil.mor.c.1.dub.7.n.7.* Ghilinus *in sum.verbo* Ieiunium *num.22.* Balsens *in Flor.theol.pract.verbo* Ieiunium *num.8.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2.dub.7.n.9.* Martin. à S. Ioseph. *tom.1.mor.lib.2.tr.12.de ieiun.n.8.* Roccaful. *in Praxi tr.6 de præc.Eccl.lib.3.c.9.n.162.* Quia nimirum exiguus admodum est labor in his exercitijs.

2 E contra vero, qui intuitu priuilegij Eugenij IV. eximunt à ieiunio omnes artifices, eximent etiam Pictores, & Sculptores, vt Ledesma *2.par.4.q.17.ar.3.dub.9.* Bossius *tom.3.moral.tit.21.§.2.nu.63.* Leander *in præc.Eccl.tr.5.disp.8.q.71.* si per totũ diem vacent suæ arti Facundez *præc.4.Eccl.lib.1.c.8.n.16.in fine.* Qui specialiter loquitur de Sculptoribus. Et non putat improbabile Trullench. *citat.*

3 Distinguendum existimo. De Pictoribus, & Sculptoribus, qui non per totam diem, sed tantum per aliquam partem, & potius recreationis causa vacant his exercitijs, hi enim non eximuntur à lege ieiunij, quia nulla adest causa excusans, siquidem labor exiguus est, nec corpus fatigatur ex longa, & continua attentione, cum ratione temporis sit moderata:

4 Si vero per totum diem vacent huiusmodi exercitijs, puto eximi ab obligatione ieiunandi, quia labor corporalis, licet per se sit leuis, fit tamen grauis, & notabilis ex fixa attentione, quam requirunt artes huiusmodi. Talis enim attentio valde consumit spiritus, atque adeo relinquit corpus destitutum ipsorum subsidio, vnde ab exiguo labore notabiliter debilitatur, & magis proportione seruata fatigatur, quam fatigaretur exercitio illarum artium, quæ requirunt solum laborem corporalem, etiam si vehemens sit, & notabilis.

An Famuli, & Ancillæ teneantur ieiunare. Decis. 307.

SVMMARIVM.

1 *Quando Famuli, & Ancillæ sint immunes à ieiunio.*
2 *Quanam exercitia reddant famulos, & ancillas immunes a ieiunio.*
3 *Quando mediocris labor faciat famulos, & ancillas immunes a ieiunio.*

1 EX regula generali sequitur, quod non teneantur ieiunare; quod tamen debet intelligi, quando ipsorum exercitia requirunt magnum laborem, quia tunc comparantur cum artibus mechanicis laboriosis. Ita Lessius *lib.4. De iust. & iure c.2.dub.6.n.42.in fine.* Laiman. *lib.4. Theol.mor. tr.8.c.3.n.3. ver. Quarta causa.* Llamas *3.par. Meth.a. 5.§.21.* Villalobos *par.1.sum.tr.23.diffic.4.n.8.* Remigius *tr.3.sum.c.4.§.3.n.10. ver. Los criados.* Angles *q.6.de ieiun.diffic.10.append.2.* Leander *in præc.Eccl.tr.5.disp.8.q.83.* Et debet esse doctrina communis, quia horum labor notabilis est, & æquiualens labori artificum, qui solent communiter excusari a ieiunio. Vnde famuli, & famulæ exercentes seruitia leuis laboris non excusantur.

2 Si autem quis inquirat, quænam sint ista exercitia, quæ excusant famulos, & ancillas à ieiunio. Resp. hoc potius ex praxi iudicandum esse, quam vt possit aliqua regula certa tradi: in singulis enim exercitijs considerandus est labor, diuturnitas, & aliæ huiusmodi circumstantiæ. Vnde neque nere, neque consuere, & alia huiusmodi sufficiunt per se, vt excusent à ieiunio, quia fiunt cum modico labore: possunt tamen excusare ratione aliquarum circumstantiarum, quæ reddant laborem valde onerosum. Regulariter autem inseruire stabulis, haurire aquam e puteo, si longum tempus insumatur; huc, illuc discurrere per maiorem diei partem ob domestica seruitia sufficient, vt ratione laboris excusent à ieiunio. Putat Leander se clarius, & districtius respondere dicendo, id verum esse, si hæc omnia exhibeat per maiorem partem diei; non verò si vnicum tantum etiam si per totum diem Sed est mirabile, quod Sartores eximantur à ieiunio per ipsum, & non haurientes aquam per totum diem, inseruientes stabulis, huc illuc discurrentes ad domestica negocia, & insumentes in his exercitijs totum diem; sedentes vero eximantur.

3 Notandum tamen est; quod si famuli, & ancillæ sint debilis complexionis, aut à Dominis parca, & leuia alimenta percipiant, tunc etiam si in ijs exercitijs adhibeantur, quæ non requirunt laborem multum, adhuc erunt immunes ab obligatione ieiunandi, si talia exercitia per totum diem continua sint, quia labor in comparatione ipsarum nota-

notabilis censetur, nam corpus debile, aut leuiter nutritum magis fatigatur mediocri labore, quam robustum, & probè nutritum fatigetur graui labore.

An famuli comitantes rhedas Dominorum immunes sint à ieiunio.
Decis. 308.

SVMMARIVM.

1 *Famuli comitantes rhedas Dominorum non sunt regulariter immunes a ieiunio.*
2 *Quando possint censeri immunes.*
3 *Necessitas habendi vires præparatas ad laborandum, an eos faciat immunes a ieiunio.*
4 *An teneantur ieiunare, quando coguntur longe differre prandium.*

1 QVod regulariter non sint immunes à ieiunio, existimo probabilissimum, quia labor ipsorum, & modicus est, & intermissus: vnde solum durat per aliquas horas diei, & proinde non ita affligit corpus, quin possit commode resistere ieiunio. Absolute tamen eos excusant Trullencn: *lib.3.in Decal.c.2.dub.7 num.13.*

2 Si tamen per totum diem, aut majorem partem ipsius discurrant per ciuitatem præsertim properantes, tunc quia labor euadit notabilis, excusabuntur, ne teneantur ad ieiunium. Et sequuti sunt Remig. *tr.3.sum.c.* 4.§.3.*n.*10.ver. *Los criados.* Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.8.q.*85. Atque si hoc non singulis diebus contingat, sed tantum aliquibus, tunc in his diebus erunt immunes à ieiunio, si vrgeat præceptum.

3 Possunt etiam excusari ratione aliarum circumstantiarum, vt si in alio tempore vacent alicui exercitio, quod requirat notabilem laborem, etiam si non sit continuum, nam sufficit, quod opus sit viribus præparatis ad inseruiendum Dominis, quia cum teneantur ex officio inseruire, debent se conseruare habiles: vnde si ieiunium hoc impedit, non tenentur ad ipsum:

4 Sed difficultas est, an teneantur ieiunare, quando coguntur valde differre prandium, vt inseruiant Dominis. Resp. non teneri, quia tunc ieiunium nimis affligeret supra mensuram afflictionis, quam intendit Ecclesia, & proinde præceptum tanquam nimis onerosum desinit obligare. Et ita tenet Llamas 3.*p.Meth.c.*5.§.21. Et sequitur Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.8.q.86.* Hortandi tamen sunt, vt ieiunent omni meliori modo, quo possunt, sumendo aliquam modicam quantitatem cibi ipso mane, vt interim possint substinere afflictionem ieiunij & aliquantisper occurrere debilitati.

An Typographi exempti sint à præcepto ieiunij.
Decis. 309.

SVMMARIVM.

1 *Compositores Characterum in ordine ad impressionem non sunt exempti ab onere ieiunij.*
2 *Typographi tractantes prælum sunt exempti ab onere ieiunij.*

1 IN arte Typographica diuersa munera exercentur, quorum tamen duo præcipua sunt, nempe compositio characterum in ordine ad compositionem, & tractatio Torcularis in ordine ad imprimendum. Quod spectat ad primum. Compositores characterum in ordine ad imprimendum non eximuntur à præcepto ieiunandi, vt notant etiam Gordonius *lib.6.Theol.mor.q.*18.*c.*6. §. *Secunda excusans.* Diana *p.*4. *tr.* 4 *Resol.* 134. Trullench. *lib.3.in Decal.c.2. dub.*7.*n.*8. Et ratio manifesta est, quia nullus fere interuenit labor ingenij, & mentis. Labor autem corporalis valde moderatus est, cum fiat absque vlla omnino agitatione corporis. Oppositum tenent Bossius *tom.3.mor.tit.*21.§.21 *n.* 63. Machad. *tom.2 lib.6. p.8.docum. 4.n.2.* qui reducunt excusationem ad consuetudinem, vel quia non habent sufficientem vnicam refectionem. Quæ tamen ratio non valet, quia non fundatur in labore, nec allegari potest consuetudo, quia cum non abroget præceptum, retinet rationem abusus. Nec quia portent formas, quia in hoc non insumunt horæ quadrantem. Hos auctores sequitur etiam Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.8.q.88.*

2 Qui autem Prælum tractant eximendi sunt ab obligatione ieiunandi, vt notat Diana, & Trullench. *citati.* Labor namque ipsorum grauis est, cum debeant ducere, reducere, & premere prælum, & requirit vires robustas, & proinde non potest stare cum ieiunio: præsertim quia corpora robusta difficilius inediæ resistunt. Ita etiam Martin. à s. Ioseph. *tom.1.mor.lib. 2.tr.12.de ieiun. n.11.* vbi eximit etiam Compositores.

An Nautæ subdantur obligationi ieiunandi.
Decis. 310.

SVMMARIVM.

1 *Nautæ remigantes sunt exempti a ieiunio.*
2 *Quid dicendum, quando per plures dies supersedent ab exercitio.*
3 *An Nautæ regentes, & tractantes vela sint exempti a ieiunio.*
4 *Nauta assidens clauo non eximitur a ieiunio, nisi ex accidenti munus fiat laboriosum.*
5 *An Nautæ ducentes Nauiculas Venetas vulgo* Gondole *sint exempti a ieiunio.*

1 QVod spectat ad Nautas remigantes certum est, non subdi, atque adeo non teneri ad ieiunandum, quia tale exercitium est ex illis laboriosis, quæ ex communi Doctorum sententia vt vidimus. *Decis.* 289. soluunt obligationem ieiunandi. Quod locum habet, etiam si non remigent tota die, quia debent habere vires paratas pro tempore, quando erit remigandum. Imo etiam si per aliquem diem integrum cessarent à remigando, neque illo die tenerentur ieiunare, ne debilitentur pro tempore, pro quo est laborandum vt de cœteris Artificibus diximus supra *Decis.* 292. cum pluribus Doctoribus. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q* 89.

2 Quod si contingat per plures dies continuos superdere à remigando, & non exercere alia munera laboriosa, nisi concurrat alia circumstantia excusans, obligabuntur ad ieiunia, quia tunc non habent, vnde excusentur. Credo tamen, facile etiam tunc posse excusari ratione complexionis, quæ cum robusta sit, & assueta labori, facile calor naturalis quemcumque cibum expedit, & consumit; vnde, si non cœnarent, valde debilitarentur, quia non subministraretur necessaria materia ad vires manutenendas.

3 Qui vero tractant vela, eaque regunt, eximuntur & ipsi ab obligatione ieiunandi, nam exercitium laboriosum est, cum debeant portare, suspendere, tendere, & complicare vela, prout occasio tulerit, ancoras parare, iacere, retrahere, & alia munera laboriosa exercere, quæ requirunt vires robustas, vt experientia patet. Vnde licet non occupentur continuo in his exercitijs, quia tamen debent semper esse parati, debent etiam semper habere viras promptas. Sequitur Leander *in prac. Eccles. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 90.

4 Qui tamen assidet clauo, & ipsum regit, nisi laborioso munere occupetur, non soluetur lege ieiunij, nam labor ipsius modicus est, & cum modicis viribus potest exerceri. Quod est verum, nisi accidentaliter tale munus laboriosum fiat, vt solet contingere in tempestatibus.

5 De nautis vulgo *Gondolieri*, qui ducunt Venetas Nauiculas, vulgo *Gondole*, dubium esse potest, an eximantur ab obligatione ieiunandi. Et quidem si in suo exercitio occupentur per maiorem diei partem, credo excusari, quia tunc diuturnitas reddit ipsum laboriosum, vnde requirit vires robustas. Si vero occupentur tantum breui tempore, vt quando ducunt aliquem ad aliquem locum, & reducunt, aut quando solum transuehunt de loco ad locum, vulgo *Traghetano* non erunt exempti à ieiunio, siquidem labor non valde grauis est, præsertim quia intermissus. Vnde à senibus quoque debilibus commode sustinetur.

An milites exempti sint à ieiunio. *Decis.* 311.

SVMMARIVM.

1 *Milites degentes in castris, aut iter habentes sunt exempti a ieiunio.*
2 *Etiam Equites in ijsdem casibus.*
3 *Quando sint exempti milites degentes intra munitiones.*
4 *Quando autem non sint exempti.*
5 *Quando milites exercentur in arte militari, sunt exempti a ieiunio.*
6 *An, qui excubias agunt, sint exempti.*
7 *Ex quo capite possint milites gregarij excusari a ieiunio.*

1 DE hoc casu nihil in particulari expressè reperio apud Doctores, iuxta tamen regulas generales, quas tradunt, vt vidimus in superioribus, quando milites sunt in castris, ita vt, aut iter habeant, aut stent contra hostes, omnino sunt eximendi à ieiunio; tum quia valde laboriosum est, esse continuo sub *armis*, tum quia de momento in momentum superuenire potest occasio pugnandi; vnde debent habere vires integras, & robustas, vt bene puguare possint; tum quia non possunt comedere hora consueta, sed solum quando adest commoditas. Et sequuti sunt postea Remig. *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *num.* 10. vt r. *Muchos* Leander *in prac. Eccl. tr.* 5 *disp.* 8. *q.* 91.

2 Et hoc habet locum, etiam quo ad equites, nam militat eadem ratio. Et licet, quando iter habent, non ita fatigentur, sicut pedites, adhuc tamen labor ipsorum ingens est, quia stant sub armis, soli, & frigori expositi, & continuatio itineris coniuncta cum ieiunio nimis eos maceraret cum *præiudicio* munerum militarium Accedit etiam *quod oportet*, vt se reficiant, quando reperiunt, vnde se reficere possint.

3 Si vero degant intra munitiones, & credant probabiliter, adfuturam occasionem pugnandi, quia nimirum hostes non longe sint, aut quia munitio ad confinia hostium sita sit, ita vt probabiliter timeant de improuisa aggressione. Tum quia debent se conseruare robustos pro pugna, nam agitur de bono communi, cui tenentur inseruire ex iustitia, præualet huiusmodi obligatio obligationi ieiunandi, & ideo non sunt constrigendi ad ieiunium.

4 At si non adsit probabilis opinio *de improuisa* occasione pugnandi, ita vt milites *solum* præstare habeant solita munera necessaria pro custodiendis munitionibus, tunc non possunt ratione exercitij excusari ab obligatione ieiunandi, quia labor ipsorum valde modicus est. Quod à fortiori verum est, quando merè detinentur intra munitiones absque eo, quod agant excubias, & præstent alia munera militaria.

5 Quando tamen exercentur in arte militari, præsertim in fictitijs pugnis, & stant tota die, aut per maiorem partem in armis, tunc excusandi sunt à ieiunio, quia tūc labor est ingens, & valde fatigātur.

6 Similiter, qui tempore hyemis nocte præsertim agunt excubias, possent facile excusari à ieiunio, quia absque cœna noctu vix possent resistere frigori, siquidem corpus absq. cibo facile gelascit; & eamdem difficultatem paterentur etiam mane sequenti ad ieiunium.

7 Vniuersaliter autem, quia milites gregarij habent exiguum stipendium, quo valde incommode alimentari possunt, nisi aliunde habeant, quod commode possint substentari, accedentibus etiam cęteris incommodis præsertim in dormiendo, putarem, quod

quod possent declarari immunes à ieiunio, quia ieiunium non obligat cum tanta incommoditate, quanta est in iis, qui non habent, vnde commodè substententur, vt contingit etiam in pauperibus.

An ornantes templa subdantur præcepto ieiunij.
Decis. 312.

SVMMARIVM.

1 *Ornantes templa eximuntur ab obligatione ieiunandi.*
2 *Religiosi vacantes ornatui templi excusantur à ieiunio.*
3 *Etiam si ieiunium obliget ratione regulæ.*

1 Resp. non subdi cum Molfesio *p. 1. sum tr.10. c.4. n.42.* Bonacina *tom.2 disp. vlt. De præc. Eccl. qu.1. punc. vlt. n.33.* Basseo *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium *num.9.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap.2. dub.7. nu 15.* Gordon. *lib.6. theol. mor. q 18. c.6 in fine.* Bossius *tom.3. mor. tit.21. §. 1. n.86.* Lessius *lib.4. de iust. & iure c.2. dub.6. n 4.* Leander *in præc. Eccl. tr.5, disp.8. q.92.* Labor enim quem subeunt notabilis est, quia huc illuc discurrunt, portant ornamenta, ascendunt scalas, & in alijs huiusmodi fatigantur. Vnde labor ipsorum æquiparari potest labori artificum, qui ratione artificij excusantur à ieiunio.

2 Infert Molfes. *citatus*, quod hoc locum habet etiam in religiosis; vnde etiam ipsi immunes erunt à ieiunio, quod si seruabunt, poterit ipsis concedi largior collatiuncula absque vllo scrupulo.

3 Imo etiam si Religiosi teneantur ieiunare ratione regulæ, idque sub obligatione peccati mortalis, adhuc ita laborantes exempti erunt. Nam, vt diximus supra *Decis.259. n.3 & 4.* cum alijs Doctoribus, ieiunium regulæ obligat instar præcepti Ecclesiastici, & proinde inde retulimus, non obligari ad ieiunia regulæ senes sexegenarios. Vnde cessat obligatio ipsius ex ijs causis, ex quibus cessat obligatio præcepti Ecclesiæ, & proinde etiam ratione laboris.

An iter pedestre sit causa sufficiens ad soluendam obligationem ieiunij.
Decis. 313.

SVMMARIVM.

1 *Iter pedestre sufficit, vt soluat obligationem ieiunij.*
2 *Iter pedestre valde lassat.*
3 *Iter pedestre vnius tantum diei soluit obligationem ieiunij pro illo die.*
4 *Quænam circumstantiæ faciant, vt sufficiat breuis iter.*
6 *Regulares in itinere pedestri non tenentur ad ieiunia neque etiam regulæ.*
7 *Iter pedestre liberat etiam à ieiunio voti.*
8 *Qui pedestres ducunt bestias, aut currus, vt muliones Agasones, non tenentur ad ieiunia.*
9 *Visitantes Ecclesias in anno sancto an immunes à ieiunio.*

1 Affirmatiue respondetur cum communi sententia, quam specialiter tradunt Gabr. *in 4. dist. 15. q.3 ar.1. notab.4. ver. Tertia causa.* Palud. *q.4. n. 20.* Palat. *disp.8.* Vigner. *c.7. Instit. theol. §.3. ver.2. in fine.* D. Anton. *2. par. tit.6. c.2. §.6.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.9. n.24.* Nauar. *in Manual. c.21. n.16. in fine.* Ledesma *2. p.4. q.17 ar.3. proposit.2.* Turrecrem. *Cap. Ieiunia n.9. De consecrat. Dist.5.* Rosella *verbo* Ieiunium *n. 21.* Angles *in Florib. q.6. de ieiunio diffic.10. dub.1. in fine.* Medina *C. De ieiunio q 9. ver. De Mercatoribus.* Tolet. *lib.6 c.4. n.2 ver. Tertia causa.* Pedrazza *præcepto 3 §.13.* Medin. *lib. 1. Instruc. cap.14. §. 10.* Vega *p 1. sum. c.14 De ieiunio, Casu 20.* Summa Confes. *lib.1. tit.12. q.19.* Riccar. *in 4. dist.15. ar.3. q.4.* Durand. *q 10.* Angelus *verbo* Ieiunium *n.15.* Azor. *1. p. lib 7. c.17. q.9.* Filliucius *tr.27 p.2. c 3. nu.119. & 125.* Reginal. *tom. 1. lib. 4. Praxis fori pœnit. n.217.* Molfes. *par. 1. sum. tr.10. c.4. nu.44.* Syluius *2.2. q.147. ar.4. ver. An excusentur.* Villalobos *par.1. sum. tr.23. diffic. 4. n.10.* Lessius *lib.4. de iust. & iure c.2. n.43.* Laiman. *lib.4. Theol mor. tr.8. c.3. num.4. ver. Quarta causa.* Ortiz. *in summa c.19. n.19.* Bonacina *tom. 2. disp. vlt. De præc. Eccl. q.1. punc. vlt. n.11.* Sanchez *lib. 5. Consil. mor. c.1. dub.10. n.1.* Ludouicus à S. Io. *par.1. sum. tr. de ieiunio ar.6.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.51. n.21.* Sà *verbo* Ieiunium *n.9.* Lublinus *par. 1. sum. verbo* Ieiunium *n.5.* Basseus *in Florib. theol. practica verbo* Ieiunium *n 7. in fine.* Rodriquez *par.1. sum. c.22. n.1.* Fernandez *par.2. Exam. theol. mor. c.8. §.2. nu.12. ver. Quarta causa.* Caluus *lib.2. Synaxis curæ animar. q. 120. n.6.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.21. litera L.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7. n.12.* & alij quando agunt de labore excusante à ieiunio, & ita etiam sentire videtur D. Th. *2.2. q.147. ar.4. ad 3.*

2 Ratio huius conclusionis est, quia iter pedestre maximè debilitat, quia continuus motus exigit, quod abundanter spiritus animales subministrentur instrumentis, quibus exercetur, & ideo cum valde spiritus consumantur, sequitur notabilis debilitas, & lassitudo, & ideo opus est maiori cibo ad restaurandum corpus: vnde experiuntur iter pedestre habentes, quod non possunt resistere, nisi crebrius reficiantur.

3 Sed difficultas est; an debeat esse iter longum, an varo breue. Quidam ex Doctoribus citatis volunt, quod sit iter plurium dierum, vt excuset à ieiunio. Alij absolute loquuntur, nec definiunt dies. Sed mihi certum videtur, quod sufficiat iter vnius diei, si in illo die contingat ieiunium, quia attendenda est præsens fatigatio, quæ cum in illo die sit notabilis est sufficiens, vt soluat obligationem ieiunij. Sic etiam qui exercet opus seruile laboriosum excusatur pro illo die à ieiunio, etiam si per illum vnicum diem solum exerceatur. Et ratio est, quia causa sufficiens ad soluendam obligationem præcepti semper soluit, siue diu duret, siue parum. Sequitur Leander *in præc. Eccl. tract. 5. disp.8. quæst.94.*

4 Rursus difficultas est; quantum debeat esse iter pro singulis diebus, vt excuset à ieiunio. Resp. Bonac. Azor citati *n.1.* requiri iter quindecim, aut viginti milliarium. Leander *in præcep. Eccles. tract.5. disp.8. q.95.* requiri iter nouem milliarium. Diana *par.10. tract 4. resol.2.* requiri duodecim milliarium.

Remig. *tr.3. sum.c.4.* §.3. *nu.*12. requiri tres leucas, quamuis vnica sufficiat, si iter habens sit debilis, & duæ, si iter sit difficile, infra dicenda sequutus. Sed præscindendo à quibuscunque alijs circunstantijs, septem, aut octo milliaria sufficiunt, vt cesset obligatio ieiunandi. Ratio est, quia tale iter sufficiens est ad generandam notabilem lassitudinem, & ad consumandum plurimos spiritus; vnde si subtraheretur alimentum, vnde restaurarentur, corpus nimium pateretur.

5 Ratione tamen circumstantiarum possunt sufficere pauciora milliaria, vt nimirum si quis non sit assuetus, tunc enim iste magis fatigabitur per quattuor, aut quinque milliaria, quam alter assuetus per quindecim. Item si sit delicatæ complexionis, quia tunc potest minus labori resistere, vnde tunc iuxta fatigationem, quam experitur comparando ipsam cum fatigatione eorum, qui decem milliaria conficiunt, & sunt robustæ complexionis. Similiter si via sit valde ardua, & montuosa, aut luto valde obsita, vt male ambulantes sustineat; in his enim casibus labor longe magis crescit; vnde videmus, equos quoque minus durare per pauciora milliaria, quam durent, quando via est bona. Ita etiam Leander à murcia *in c.3. Regul. S. Francis. c.2.* §.2.*n.*22. Rursus tempore æstatis sufficient pauciora milliaria, quia itinerantes non solum sentiunt laborem itineris, sed etiam conficiuntur à calore, qui maiorem lassitudinem causat, quam causet labor itineris. Rursus iuxta diuersas Regiones requirerentur plura, aut pauciora milliaria, prout sunt magis, vel minus longa, neque enim sunt eadem apud omnes.

6 Ex his colligitur. Quod Regulares, qui iter pedestre faciunt eximuntur ob obligatione ieiunandi, etiam si ieiunia imposita sint à regula sub mortali peccato, quia non habet regula maiorem vim obligandi, quam habeat præceptum Ecclesiæ; & ideo cessat obligatio ex ijs causis, ex quibus cessat obligatio præcepti Ecclesiastici. Ita etiam Leander à murcia *in c.3. Regul S. Francis. c.2.* §.2. *n.*22.

7 Quod etiam dicendum est de ieiunijs ex voto debitis, quia cum votum obliget instar præcepti Ecclesiastici, vt plures Doctores allegans docet Sanchez *lib.4. in Decal. c.*11. *n.*31. Remigius citat, *n.*4. Leander *in prac. Eccl. tr* 5. *disp.*8. *q.*96. Causa quæ soluit obligationem præcepti, soluit etiam obligationem voti. Vnde, si quando quis iter habet pedestre, occurrat ieiunium soluendum in illa die, cessabit obligatio, quia vouens censetur se obligasse ad ieiunium in illis determinatis diebus, nisi aliter constet de intentione ipsius, quando nimirum poterit ieiunare sine notabili incommodo, nam censetur suscepisse in se illam obligationem, quam circa ieiunium solet imponi ab Ecclesia.

8 Colligitur secundo, Agalones, Muliones, & cœteros, qui in itinere comitantur bestias, aut pedestres comitantur currus, ita vt conficiant iter prædictum, aut per maiorem diei partem huc, & illuc discurrant, esse inmunes à ieiunio, quod à fortiori sequitur, quia præter laborem itineris fatigantur in ducendis bestijs, aut curru.

9 Colligitur 3. quod qui anno sancto Romæ visitant pedestres Ecclesias pro iubileo lucrando iuxta Leandrum, & Remigium citat. immunes erunt à ieiunio incidente in die visitationis. Sunt enim Ecclesiæ S. Petri. S. Pauli. S. Io. Lateranensis. & S. Mariæ maioris: & proinde iter conficiendum excedit decem milliaria. Vt tamen cum maiori deuotione visitent, & melius se disponant ad lucrandam indulgentiam, deberent omnes ieiunare, & quam maxime possent rigorose.

An si iter non sit necessarium, sed possit commode differri, tollat adhuc obligationem ieiunij.

Decis. 314.

SVMMARIVM.

1 *Iter non necessarium secundum plures non excusat à ieiunio.*
2 *Secundum alios excusat, etiam si sit mere voluntarium.*
3 *Præceptum ieiunij est pure affirmatiuum; nec prohibet incompossibilia cum ieiunio.*
4 *Præceptum non obligat, vt quis se conseruet potentem.*
5 *Sanchez non loquitur consequenter.*
6 *Incompatibilia cum ieiunio possunt exerceri in die ieiunij, etiam si commode possent differri iuxta declarationem Eugenij IV.*

1 NEgatiue respondent quamplures, qui volunt, quod vt tollat obligationem ieiunandi, aut necessitate suscipiatur, aut saltem commode differri nō possit. Ita Durand. *in 4. dist.* 15. *q.* 10. *nu.* 6 Gabr. *q.*3. *ar.*1. *notab.* 4 ver. *Tertia causa.* Riccar. *ar.*3. *q.*4. Summa Confess. *tit.*12. *q.*19. Syuester *verbo* Ieiunium *qu.*9. *n.*24. Medina *C. De ieiunio qu.*9. ver. *De Mercatoribus.* Paludanus *in 4. dist.* 15 *q.*4. *n.*19 Palat. *disp.*8. Nauar. *in Manuali c.*21. *n.*16. *in fine.* Angles *in Florib. q.*6. *de ieiunio diffic.* 10. *dub* 1. *in fine.* Tolet. *lib.* 6. *c.*4. *n.*2. ver. *Tertia causa.* Vega *p.*1. *sum. c.*14. *de ieiunio. Casu* 20. Azor. *p.*1. *lib.*7. *c.*17. *q.*9. Molfes. *par.* 1. *sum. tr.* 10. *c.*4. *n.*44 Lessius *lib* 4 *de iust. & iure c.*2. *n.*43. Filliucius *tr.*27. *par.*2. *c.*3. *nu* 119. Reginaldus. *tom.*1. *lib.*4. *Praxis fori pœnit. n.*217. Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.*7. *nu.*13 Syluius 2.2. *qu.*147. *ar.*4. ver. *An excusentur.* Villalobos *p.*1. *sum. tr.*23. *diffic.*4. *n.*10. Laiman. *lib.*4 *Theol. mor. tr.*8. *c.*3. *num.*4. ver. *Quarta causa* Sanchez *lib.*5. *consil. mor. c.*1. *dub.*10. *n.*1. Fernandez *p.*2. *Examinis theol. mor. c.*8. § 2. *nu.*12. ver. *Quarta causa.* Caluus *lib.*2. *Synaxis curæ animar. q.*120. *n.*6. quod etiam videtur sentire D. Th. 2 2. *qu.* 147. *ar.*4. *ad* 3. Quia præceptum præponendum est rebus voluntarijs, quando simul cum ipsis obseruari non potest.

2 Alij vero non adhibent hanc limitationem, sed absolute docent, quod iter pedestre soluit obligationem ieiunandi. Ita Viguer. *c.*7. *Instit. theol.* §.3 *ver.*2. *in fine.* Ledesma 2. *p.*4. *q.*17. *ar.*3. *pro conf.* 2. Sa *verbo* Ieiunium *n.*9. Rodriquez *par.*1. *sum. c.*22. *n*1. Ortiz. *c.*19. *sum. n.*12. Lublinus *par.*1. *sum. verbo* Ieiunium *n.*5. Basseus *in Florib. theol. practica verb.* Ieiunium 2. *n.*7. *in fine.* Zipeus in *Analytica iur. lib.*3 *tit. de obseruat. ieiun. n.*4. Alij vero clare se explicant, quod etiam si iter sit omnino voluntarium, soluit obligationem ieiunandi. Ita Medina *lib.*1. *Instru. confess. c.*14. §.10

Ario-

Ariostis *lib. 2. sum. 5. De ieiunio. initio.* Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 51 num. 21.* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n. 21. littera* L. Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 12.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp 8 q. 98.* Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 29.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de pracep. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 153.*

3 Hæc posterior sententia mihi probabilior videtur, & magis consequenter procedens ad cœtera quæ de ieiunio traduntur. Ratio est, quia præceptum de ieiunio est mere præceptiuum, & nullo pacto prohibitiuum, quia totum consistit in præcipienda abstinentia cum tali modo, & mensura, vltra quam non se extendit obligatio ipsius. Ita autem præcipit talem abstinentiam, vt solum eam intendat, quando sine notabili incommodo haberi potest: & proinde nec pueri, nec senes, nec valetudinarij, nec qui exercent opera laboriosa subduntur ipsius obligationi. Vnde cum iter pedestre importet laborem non admittentem obligationem ieiunij, & præceptum ieiunij non prohibeat iter pedestre, poterit tale iter suscipi, & non obseruari ieiunium.

4 Nec potest dici, quod indirectè prohibeat iter, quando non est necessarium, dum præcipit ieiunium, nam hoc præceptum, vt dicebamus, obligat solum, qui possint sine notabili incommodo ieiunare, nec obligat, vt quis se conseruet potentem pro die ieiunij, alioquin dicendum esset, quod peccarent contra præceptum ieiunij, qui darent causam infirmitati, ratione cuius non possent ieiunare, aut qui sine causa rationabili antecedenter ad ieiunium ita fatigarentur, vt non possent in die ieiunij ieiunare, aut qui sine necessitate in sua arte laboriosa ita fatigarentur, vt non possent seruare ieiunium, cum tamen possent minuendo laborem. Quod tamen nemo admittet. Rursus exercentes laboriosas artes, si sine incommodo possent, tenerentur minuere laborem, vt se conseruarent potentes ad ieiunandum, quod tamen negant quam plures ex Auctoribus oppositæ sententiæ.

5 Nec Sanchez sequens oppositam sententiam consequenter loquitur, siquidem *lib. 5. consil mor. cap. 1. dub. 8. n. 2.* tenet, quod nolentes conducere operarios, nisi cum pacto, quod non ieiunent, etiam si non sit opus festinatione in opere faciendo, & velint operarij absque hoc pacto sibi minui mercedem non peccant, & *Dub. 9. sequenti n. 2.* Non peccare Patres familias compellentes famulos ad laborem incompatibilem cum ieiunio, etiam si in alium diem commode differri posset. Et postea negat, posse in die ieiunij confici iter pedestre, quando commode differri potest; in his enim omnibus militat eadem ratio, quia semper opus est voluntarium, & quod sine incommodo potest differri. Vnde, si præceptum ieiunij obligaret, vt non assumerentur opera incompatibilia cum ieiunio, quando commode possunt differri, obligaret in omnibus casibus.

6 Præterea Eugenius IV *Anno* 1440. vt referunt Rosella *verbo Ieiunium.* Syluester *ibid. n. 24.* Declarauit, quod exercentes artes laboriosas, etiam si diuites sint, & possint consequenter intermittere laborem, aut minuere sine incommodo, non tenentur ieiunare, ex quo optimè colligitur, quod præceptum ieiunij non obligat ad omittenda, quæ cum obseruantia ipsius incompatibilia sunt, etiam si sine incommodo possint omitti. Rursus si non posset sine incommodo iter differri, posset assumi etiam si non posset seruari ieiunium, ergo poterit assumi, etiam si possit commode differri iuxta dictam declarationem Eugenij, quia iam secundum ipsam non debent omitti, quæ sine incommodo omitti possent, vt seruetur ieiunium.

An cursores vulgo, Quelli che corrono alla posta, *teneantur ad ieiunia.* *Decis.* 315.

SVMMARIVM.

1 *Cursores vulgo*, Quelli che corrono alla posta, *non obligantur ad ieiunia.*
2 *Labor cursorum grauis, & valde laxans.*
3 *Currens pro vnico tantum die eximitur ab obligatione ieiunij.*
4 *Qui se locat ad diem ad currendum, non eximitur ab obligatione ieiunij secundum aliquos.*
5 *Probabilius est eximi.*
6 *Postiliones currentes vulgo*, vna posta *tenentur ad ieiunia.*

1 Negatiue respondent Summa Corona *c. 1. n. 26.* Toler. *lib. 6. c. 4. nu. 2. ver. Tertia causa.* Medina *lib. 1. Instruct. Confess. c. 14. §. 10.* Viguer. *c. 7. Instit. theol. §. 3. ver. 2. in fine.* Ortiz. *in Summa c. 19. nu. 12.* Lublinus *p. 1. sum verbo* Ieiunium *nu* 5. Laiman. *lib. 4. theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 3. ver. Quarta causa.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 10. n. 2.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. num. 21.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2. dub. 7. num. 12.*

2 Atque hæc sententia tenenda est ex duplici capite. Primo quidem, quia labor cursorum grauis admodum est, cum magna agitatione corporis, quæ causat notabilem lassitudinem. Deinde quia non possunt in vnica refectione tantum cibi sumere quod sufficiat ad substentationem: cursus enim non permittit ventrem admodum impleri, sed frequenter, & leuiter comedendum est.

3 Quod valet etiam in eo, qui pro vnico solum die curreret, quia adhuc militant eædem rationes, tum laboris, tum quia nec ipse posset in vnica vice sumere sufficientem refectionem pro illo die.

4 Limitant hanc sententiam Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. n. 20.* Syluester *verbo* Ieiunium *q 9 n. 24.* Gabr. *in 4. dist. 15. q 3 ar. 1. notab. 4 ver. Dicunt etiam* Angles *in Florib. q. 6 De ieiunio. diffic. 11 dub. 5. proposit. 2.* Quod non procedat de Cursore, qui ad diem se locat, & habet aliunde, vnde viuat, quia inquiunt ipsi, quod non debet se locare, nisi etiam ieiunare possit.

5 Sed hæc limitatio non est admittenda, & specialiter eam reprobat Sanchez. & Trullench. citati, Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 70.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q 99.* Tum quia etiam per hos Doctores ieiunium non impedit, quæ ex officio exercentur, & cessat obligatio, quando sunt incompatibilia cum ipso; qui autem ad diem se locat pro currendo, ex officio stat in promptu, vt currat, quando aduenit occasio. Tum quia per eosdem ieiunium non

non obligat, vt propter ipsum seruandum prætermittatur occasio lucri extraordinaria: in hoc autem casu, si cursor ob seruandum ieiunium non se locaret, amitteret extraordinarium lucrum. Tum denique quia, vt dicebamus Decis. *præcedenti*, præceptum ieiunij nec etiam impedit opera voluntaria incompatibilia, sed possunt suscipi, quando occasio sese offert.

6 De eo autem, qui currit tantum vnicum cursum, vulgo *vna posta*, & vulgo dicuntur *Postiglioni*: dicendum est, non esse immunes à ieiunio, nisi ex aliqua alia ratione excusentur. Cum enim sint assueti tali officio, & labor sit breuis horam vnicam vix excedens parum, aut nihil fatigantur. Præsertim, quia quando currendum est vna, aut altera vncia panis, aut alterius cibi cum duobus, aut tribus poculis vini, quo plurimum homines isti recreantur, possunt se reficere. Oppositum tenet Leander *q.* 100. Quia labor est intensissimus, & quia debent esse parati ad currendum. Sed resolutio non procedit de ijs, qui ex officio expectant occasionem currendi, sed de eo, qui ex aliqua occasione currit: nec obstat labor magnus, quia cum sit breuis, non laxat notabiliter.

An, qui iter faciunt lectica, curru, aut equo immunes sint à ieiunijs.

Decis. 316.

SVMMARIVM.

1 *Iter in lectica non excusat a ieiunio.*
2 *Equitantes in itinere non sunt immunes a ieiunio secundum aliquos.*
3 *Nisi iter sit plurium dierum.*
4 *Secundum alios eximuntur absolute ab obligatione ieiunandi.*
5 *Iter in Curru non tollit obligationem ieiunandi.*
6 *Quando equitantes in itinere non sint immunes a ieiunio.*
7 *Quando sint immunes.*
8 *Subsistentes aliquo die in longo itinere an teneatur ieiunare.*

1 QVI lectica iter faciunt, nullo modo censendi sunt immunes à ieiunio, vt notant Doctores infra citandi, quia in tali itinere nullus interuenit labor qui possit soluere obligationem ieiunandi. Solum ex aliqua speciali circumstantia personæ contingere potest, quod soluatur obligatio ieiunandi, si nimirum esset capitis valde debilis, ita vt inflexio illa lecticæ hinc inde causaret vertigines ieiunanti, quia nimirum ieiunium augeret debilitatem capitis, tunc enim licite non seruaretur: vnde non video quomodo Trullench. *citandus*, possit eos eximere, quando iter est longum. Quod etiam postea tenuit Leander *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disput.* 8. *quæst.* 104. qui cum se ostendat scrupulosum circa ieiunium in ijs, quæ minoris scrupuli sunt, laxat tamen habenas omnibus itinerantibus, & artificibus. Et certe neminem vidi, qui post plurium dierum iter in lectica, se itinere lassatum sentiret. Et quæ lassitudo contrahi potest ab eo, qui sedens portatur? non enim contrahitur nisi spiritus consumantur, nec consumuntur agitatione corporis. Hinc de eo, qui cum omni commoditate viuit dicitur prouerbialiter, quod vult in lectica in Paradisum ire.

2 Quod autem spectat ad iter in curru, aut equo non tollit obligationem ieiunandi secundum Filliucium *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 122. Tolet. *lib.* 6. *c.* 4. *nu.* 2. ver. *Tertia causa*. Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *num.* 10. Syluium 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver. *An excusentur*. Sanchez *lib.* 5. *Consil. mor. c.* 1. *dub.* 10. *n.* 4. Bonacina *disp. vlt. de præceptis Eccl. q.* 1. *punc. vlt. n.* 11. Bassæum *in Flori. theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *n.* 7. *in fine*. Facundez *præcepto* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 17. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 12. Zipeum *lib.* 3. *Analyt. iur. tit. de obseru. ieiun n.* 4. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiun. n.* 6. Et quoad iter in curru Mend. citand. *n.* 4. Roccatul. *in Praxi tr.* 5. *de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 9. *nu.* 167. Eximit tamen itinerantes in curru per plures dies. Et alios quidam docent, quod iter excusat à ieiunio taxatiue limitant ad pedestre. Addit tamen Sanchez *citatus*, quod, si quis ratione complexionis contrahat magnam lassitudinem equitando, excusabitur, nisi ieiunet.

3 Insuper Filliucius, Bonacina, Trullench. *citati*, Sanchez *n.* 5. *dub. citati* docent, quod post plures dies itineris equitantes excusabuntur, quia tunc incipit superuenire lassitudo ex defatigatione. Imo Filliucius, & Bonacina volunt, ab initio quoque cessare obligationem ieiunandi, quando in itinere plurium dierum timetur superuentura debilitas. Et hoc extendunt ad iter habentes in curru per plures dies Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiun. n.* 6 Trullench. *lib.* 3 *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *nu.* 12. Diana *p.* 10. *tr.* 12. *resol.* 39. Sed hanc opinionem communiter reijciunt tanquam nimis laxam, & destinctam fundamento, cum non interueniat labor excusans à ieiunio, & iter sit valde commodum, vnde per prouerbium dicitur, vult in curru Cœlum ingredi.

4 E contra autem, Equitantes in itinere esse absolute immunes à ieiunio, tenet Ortiz *in sum. c.* 19. *n.* 12. & videtur idem sentire Viguerius *c.* 7. *instit. Theolog.* §. 3. *ver.* 2. *in fine*. Dum vult, excusari equitantes dum esset magnus labor, & difficultas non modica ieiunandi propter alterationem. Et sententiam Ortiz approbat Machad. *tom.* 2. *lib.* 6. *p.* 6. *tr.* 6. *docum.* 3. *n.* 1. & videtur sequi Diana *p.* 8. *tr.* 7. *resol.* 40. & absolute tenet *p.* 10. *tr.* 14. *resol.* 2. *in fine* cum Leandro *tr.* 5. *in præc Eccl. disp.* 8. *q.* 98. Verum Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 2. *n.* 72. ait hanc opinionem esse communem sed sine fundamento; Nam re vera cum iter excuset à ieiunio solum ratione laboris, & lassitudinis, quam causat, secluso labore, & lassitudine, non excusabit. Non apparet autem quæ lassitudo causetur, aut quis labor interueniat in itinere equestri, præsertim cum equo commodo, & à fortiori si iter sit vnius diei. Si tamen sit iter octo, aut decem leucarum excusant Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *n.* 12. & Leander *qu.* 102. Andreas Mendus *in Bull. Cruc. disp.* 13. *c.* 1. *n.* 4.

5 In hac difficultate hoc mihi certum videtur, quod iter habentes in curru non excusentur, nisi ieiunent, regulariter loquendo: non enim, vt experientia constat, interuenit labor considerabilis, cum sedentes trahantur. Nec illa agitatio causat lassi-

lassitudinem, cum non sit necesse eos, qui vehuntur contra ipsam niti. Solum per accidens posset aliquis excusari, si nimirum ex illa agitatione per plures dies continuata debilitaretur, quia nimirum debile caput habeat, nec possit vnica refectione in prandio tantum cibi sumere, quantum sufficiat, & si solum ientaculum pro prandio sumat, nequeat ob debilitatem capitis resistere.

6 Similiter, nec equitantes mihi videntur immunes à ieiunio, quando iter est breuis, & equus placidus, & obtemperans, atque gressu facili, & sine agitatione incedens; licet enim tunc interueniat aliquis labor, non tamen tantus est, vt generet multam lassitudinem, quæ non possit tolerari à ieiunante absque multo incommodo. Si vero iter sit plurium dierum, & præsertim in æstate, quando calor conficit equitantes, tunc equitantes erunt immunes à ieiunio etiam ab initio itineris, vt docent Filliucius, & Bonacina supracitati, quia non est attendendum solum præsens status, sed etiam futurus.

7 Qui vero vtuntur in itinere equis conductis, regulariter immunes mihi videntur à ieiunio, nam regulariter equi lassant plurimum equitantes, illos enim valde concutiunt, præsertim quia citato gressu incedendum est, vt destinatum iter pro illo die conficiatur, & ideo non solum laborandum est in regendo equo, sed etiam in regendo se ipsum ad euitandas ingentes concussiones. Vnde aliquando ipse minus fatigatus sum pedes eundo, quam talibus equis vtendo, & elegissem tota die continuare pedestre iter, quam equitare, si socios sequi potuissem, & conficere totum iter destinatum.

8 Aduertunt etiam Abulens. *q.141. in c.6. Matth.* Reginald. *lib.4 praxis n 214.* Filliuc. *tr.27. c.6 num. 121.* Bossius *tom.3. mor. tit.21. §.2. n.67.* Eum, qui longum iter facit, si aliquo die subsistat, & alias ratione itineris non excusatur à ieiunio, non teneri eo die ieiunare; quod probabile est, quia durat præterita defatigatio, & vires in ordine ad subsequens iter non sint vlterius deprimendæ.

An labor corporalis voluntariè susceptus absque vlla necessitate, vt nimirum ob recreationem, aut ob alium finem eximat ab obligatione ieiunandi, si causet tantam lassitudinem, quæ de se valeat excusare à ieiunio. Decis. 317.

SVMMARIVM.

1 *Labor non necessarius secundum aliquos non extinguit obligationem ieiunandi.*

2 *Secundum alios extinguit, quando assumitur bona fide absque præuisione fatigationis*

3 *Quando aliquid sit peccatum in causa, & debeat vitari.*

4 *Labor non necessarius semper extinguit obligationem ieiunandi, si sit notabilis.*

5 *Praeceptum ieiunij non obligat ad conseruandas vires pro ieiunio.*

6 *Praeceptum positiuum quid indirectè prohibeat.*

7 *Cur proijciens Breuiarium peccet contra præceptum recitandi horas canonicas.*

7 *Cur se inebrians peccet, si inde non possit audire missam.*

1 QVI tenent, quod absque necessitate non liceat operarijs laborare in die ieiunij, similiter qui putant, quod exercitia valde laboriosa non excusant à ieiunio, nisi exerceantur ex officio, & denique qui docent, quod non licet iter facere, quando commode differri potest in die ieiunij, quando est impediturum ieiunium, quos omnes citauimus supra *Decis.291. n.1 & Decis.314. n.1.* Consequenter etiam docebunt, quod labor non necessarius non eximet ab obligatione ieiunandi. Quod etiam tenet Leander à murcia *in c.3. Regul. S. Francis. c.2. §.2. n.20.*

2 Alij vero dicunt, quod si præuideatur, vel debeat præuideri, quod talis labor mediante lassitudine impediet ieiunium, non potest suscipi, & si suscipiatur, peccatur mortaliter in causa contra præceptum ieiunij; Si vero non præuideatur, aut non debeat præuideri, quod impediet ieiunium, tunc potest suscipi, & si inde proueniat notabilis lassitudo, si non ieiunet, non peccabit, quia bona fide processit. Ita docent Villalobos *p.1. sum. tr.23. diffic.4. nu.11.* Io. à Cruce *in Directorio conscientiæ par. 1. præc.3 ar.4. dub.9. n.9.* Qui alios citat, qui tamen non loquuntur in casu nostro, sed quando, quod sequitur ex causa, in qua præuidetur, retinet rationem peccati, quia non ponitur aliquid, quod tollatur obligatio. Ortiz *in sum. c.19. n.17.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c.6. n.123.* Rodriquez *p 1. sum. c.23. concl.6* Homobonus de Bonis *par.2. Exam. Eccl. tract.9. cap.24. q. 74. in fine.*

3 Fundantur hi Doctores in eo, quod peccatum in causa præuisum debet vitari in ipsa causa: vnde supponunt, quod non ieiunare sit peccatum stante notabili fatigatione, si hoc præuideri potuit. Sed non bene applicant hanc doctrinam, quia tunc tenemur vitare causam, quando causa de se infert peccatum; nam tunc, licet aliàs de se licita, fit tamen illicita ob connexionem cum peccato, & proinde oportet, quod connectatur cum peccato, prout habet rationem peccati. Si autem non inferat de se peccatum, sed impedimentum, quo impediatur obseruantia alicuius præcepti, si tale impedimentum de se non sit malum, nec teneamur ipsum remouere, tunc causa non connectitur cum peccato, & ideo nō tenemur in ipsa vitare peccatū quia iā peccatū non continetur in ipsa, nec est causa peccati, sed causa soluens obligationem præcepti.

4 Itaque alij docent, quod potest assumi talis labor, etiam si præuideatur, quod sit superuentura lassitudo reddens impotentem ad ieiunandum. Ita Medina *lib. 1. sum. c.14. §.10.* Ledesma *p.2. sum. tr. 27. c.2. circa finem. ver. Digo lo segundo.* Bonacina *tom.2. disp.2. de peccatis q.8. punc.1. n 16.* Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio Resol 40 & 52.* Sanchez *lib.5 consil. mor. cap.1. dub.7. n.16.* Lublinus *in sum. p. 1. verbo* Ieiunium *nu. 29.* Laiman. *lib.4. Theol. mor. tr.8. c.3. n.5. ver. His quædam.* Trullench. *lib.3 in Decal. c.2. dub.7 num.10.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp 54. nu.14. & 20.* Le-

desma

desma 2. *p*.4.*q*.17.*ar*.3.ver. *Secunda propositio* Leander *in prac.Eccl.tr*.5.*disp*.8.*q*.354. Io. Henriquez *in sum. sect* 16. *q*.29. *n*.65 Martin.à s. Ioseph *tom*.1.*mor.lib*.2. *tr*.12.*de ieiun n*.6. Roccaful. *in Praxi tr*.6.*de prac.Eccl. lib*.3.*c*.9.*n*.165.

5 Et hæc sententia recte procedit, quia præceptum ieiunij obligat tantum eos, quos reperit potentes ad ieiunandum: non autem quos reperit impotentes: vnde quando quis est factus impotens, non amplius subditur obligationi ipsius. Rursus præceptum ieiunij obligat tantum ad abstinentiam secundum talem formam præscriptam, non autem ad conseruandas vires corporales, ita vt valeat ieiunare: vnde cum quisque sit dominus propriarum virium corporalium, potest eas impendere in hoc, vel illud exercitium, prout libuerit: & si ex hoc fiat impotens ad ieiunandum, non facit contra præceptum ieiunij, quia vtitur iure suo, & facit id, quod

6 non prohibetur præcepto ieiunij. Quod præsertim verum est, quia præceptum positiuum præcipiens aliquid, ad summum prohibet indirecte, quæ per se ordinantur ad illud non seruandum: non autem quæ per accidens impediunt obseruantiam, quia cum hæc non sint connexa per se cum non obseruantia, non possunt excludi ab ipso præcepto, nam in tantum aliqua excluduntur, in quantum sunt de se incompossibilia directe cum actu præcepto, & ratione talis incompossibilitatis indirecte censentur prohita. Labor autem corporalis de se non est incompossibilis cum ieiunio, nec ponit obicem obseruantiæ ieiunij, quando præceptum obligat, sed tantum causando lassitudinem extinguit obligationem præcepti: vnde de se non contrariatur præcepto, quatenus obligat, sed impedit, ne obliget, quod est quid longe diuersum.

7 Quare non est eadem ratio de eo, qui se inebriat in die festo, & non potest audire sacrum, aut de eo, qui proijcit Breuiarium in mare, & inde fit impotens ad recitandas horas canonicas, nam in his casibus fit aliquid directe impediens obseruantiam præcepti, & proinde eo ipso, quod est volitum, est volita violatio præcepti tanquam in causa, quæ de se infert talem violationem ob necessariam, & immediatam connexionem cum ipsa; qua connexione stante intentio cadit contra præceptum quatenus obligatiuum: non sic autem in casu nostro: nam non est volitum aliquid directe, & immediate tendens contra præceptum, quatenus obligatiuum; sed solum aliquid, quod de se est volibile, & potest extinguere obligationem præcepti: & ideo intentio non tendit contra præceptum, quatenus obligatiuum, neque violatio ipsius est volita in causa.

An labor non necessarius possit assumi in die ieiunij, quoties libuerit.

Decis. 318.

SVMMARIVM.

1 *Labor non necessarius potest in die ieiunij assumi secundum Sanchez solum semel, aut bis.*

2 *Potest assumi, quoties libuerit.*

3 *Quod semel est licitum, semper est licitum stante eadem ratione.*

3 *Tantum extenditur lex, quantum ratio legis.*

4 *Ratio aliquid honestans, semper honestat in ijsdem circumstantijs.*

5 *Lex stante eadem ratione ex intentione legislatoris semper obligat, aut non obligat.*

6 *Venatio, Piscatio, Aucupatio, hostiliditer; lusus pilæ licent in die ieiunij, etiam si impediant ieiunium.*

7 *Pater familias, potest pedestris absque necessitate mittere operarios licet impediatur, ne ieiunet.*

8 *Scholaris, quando illi vacat à studijs, potest in die ieiunij ea exercitia assumere, quæ impediunt ieiunium.*

1 NEgatiue respondet Sanchez *lib*. 5.*consil.mor.c* 1.*dub*.7.*n*.18 Qui vult, posse tantum assumi semel, atque iterum, quia, inquit ipse, *hęc interpretatio*, & æquitas videtur deduci ex iure naturali, & ex intentione legislatoris quia æquitas naturalis videtur dictare, quod non fuerit intentio legislatoris prohibere honesta exercitia laboriosa ob ieiunium: & eadem dictat, non fuisse intentionem ipsius excusare, si frequenter assumantur talia exercitia. Sequitur Trullench.*lib*.3. *in Decal.c*.2 *dub*.7.*n*.10.& 14.

2 Sed in hoc Sanchez non loquitur consequenter ad ea, quæ supra dixerat nempe *n*. 16. Vnde tenendum est, quod semper, quoties libuerit, *liceat* assumere honestum laborem in die ieiunij, *etiam si* sequatur talis fatigatio, vt impediat ieiunium. Sequitur Leander *in prac.Eccl.tr*.5.*disp*.8.*q*.155.

3 Ratio autem est; quia si semel aliquid est licitum, semper est licitum concurrentibus ijsdem circumstantijs: nec fit illicitum ex eo, quod pluries repetatur, nam militat semper eadem ratio, quæ facit, vt tantum extendatur assertio, qua asseritur aliquid licitum, vel illicitum, quantum extenditur ipsa ratio, Sic etiam tantum extenditur lex, quantum extenditur ipsa ratio legis, vt notat Bal. *in l. fin.C.De hered. instit*. ex *l. fin.C.De indicta viduit.tollen*.& Glos. *in cap. Cupientes*. §. *Denique De Electione, in* 6. Castrensis *in l. Si vero* §. *De viro* ff. *Soluto matrim*. & communiter. Quia cum ratio sit anima legis, trahit legem ad quæcunque ipsa se adaptat, & facit legem vigere, vbicunque ipsa viget Vnde cum in casu nostro ratio ob quam in die ieiunij liceat assumere laborem honestum, non necessarium, sit, vt ait etiam ipse Sanchez *n*.16. citatæ dubitat. quia in toto iure non est præceptum, vt abstineat quis à iustis, & honestis laboribus, vt seruet ieiunium, & quia, vt nos dicebamus, non præcipit præceptum ieiunij, vt quis se conseruet potentem, sed tantum quos reperit potentes, nec priuat aliquem iure, quod habet ad omnes honestos labores; ideo cum hæc ratio militet semper in quolibet die de quolibet honesto labore, semper id erit licitum.

4 Neque fundamentum Sanchez consistit, quia ratio naturalis dictat, quod illud semper sit licitum, quod participat illam rationem, per quam censetur licitum, quia si talis ratio facit aliquid licitum, faciet semper vbicunque reperietur; est enim euidens ex ipsis terminis, quod posita ratione honestatis, semper ponitur illud honestum, quod est tale per participationem illius rationis. Et proinde non potest æquitas naturalis dictare, quod mili-

militante eadem ratione aliquid semel, aut bis sit licitum, & non semper, quando non consurgit ex iteratione vnicus actus integralis cum vnica materia
5 quæ ratione excessus fiat illicita. Nec similiter potest dictare, quod intentio legislatoris sit, quod lex non obliget semel, aut iterum, quia adest ratio, ob quam non debet obligare, & quod velit obligare, & non excusare, si frequenter occurrat eadem ratio, ob quam non debet obligare. Quia intentio legislatoris est conformis rationi, & proinde vniformis, & eadem, quotiescunque habet idem motiuum ex ratione.

6 Ex his colligitur, quod in die ieiunij licet venari, piscari, aucupari, ludere pila, exercere hastiludium, & alia huiusmodi exercitia in die ieiunij, etiam si inde prouideatur talis lassitudo, quæ soluet obligationem ieiunandi: nam in hoc quisque vtitur iure suo.

7 Colligitur secundo cum Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. n. 16.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 10.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 1. n. 22.* Posse Patremfamilias ire pedestrem ad inuisendos operarios laborantes in suis prædijs, etiam si habeat œconomum, seu Castaldum assistentem, & possit etiam vti equo; etiam si prouideat, quod ita lassabitur, quod non poterit ieiunare; nam in hoc vtitur iure suo, quod habet ad illud pedestre exercitium, quod potest ab ipso eligi vel ob valetudinem, vel ob alium finem, non obstante quod sit impediturum ieiunium.

8 Colligitur tertio. Posse scholarem, quando contingit ieiunium in die solitæ vacationis, aut in alio tempore, in quo liber est à studijs, assumere exercitia laboriosa manualia, vel ob recreationem, vel ob alium finem; posse etiam, vt notat Sanchez *n. præcedenti* citatus in *nu. 17.* Trullench. & Bossius *ibid. citati.* Suscipere longum iter, vel ob recreationem, vel ob inuisendos parentes, vel amicos, etiam si impediatur, ne possit ieiunare. Et alij huiusmodi casus particulares eodem modo resoluendi sunt.

An defatigatus ex labore voluntario assumpto ob finem inhonestum excusetur à ieiunio? *Decis. 319.*

SVMMARIVM.

1 *Factus impotens ad ieiunandum ex labore ob turpem finem, aut non prouidens impotentiam, non peccat.*

2 *Si prouideat impotentiam peccat in causa secundum aliquos contra præceptum ieiunij.*

3 *Non peccat in causa contra præceptum ieiunij, sed solum contra præceptum prohibens actum turpem.*

4 *Quid requiratur, vt aliquid sit peccatum in causa.*

5 *Non adest præceptum abstinendi ab eo, quod causat impotentiam ad ieiunandum.*

6 *Labor in actu turpi reddens impotentem ad ieiunandum non potest assumi non ratione præcepti de ieiunio, sed ratione turpitudinis.*

7 *Non ieiunans, quia impotens etiam ex actu turpi, non tenetur in confessione id explicare.*

1 QVod non peccet, quando iam est factus impotens, conueniunt omnes, quia præceptum ieiunij obligat solum potentes. Similiter etiam conueniunt, quod si quis assumat laborem ex inhonesto fine absque eo, quod prouideat, aut debeat prouidere, quod inde sequatur, quod non possit ieiunare, non peccet contra præceptum ieiunij, quia non habet intentionem contra ipsum, sed solum peccet ratione finis inhonesti. Vnde solum dubium remanet, an peccet contra præceptum ieiunij in causa, si prouideat, quod non poterit ieiunare.

2 Et affirmatiuam sententiam tradunt Rodriquez *tom. 1. sum. c. 23. concl. 6.* vbi inuehitur contra Medinam oppositum sentientem. Ortiz. *c. 19. sum. n. 17.* Salas *1. 2. tr. 13. disp. 2. sect. 9. nu. 118.* Homobonus *par. 2. Exam. Eccl. tr. 8. c. 7. q. 23. & tr. 9. c. 4. qu. 74.* Io: à Cruce *p. 1. Direct. conscient. præc. 3. ar. 4. dub. 8. n. 9.* Vega *p. 1. sum. c. 14. de ieiunio Casu 7.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 10.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. num. 15.* Volunt enim, quod assumentes talem laborem, & prouidentes, quod non poterunt ieiunare, peccent in causa contra præceptum ieiunij quia prouident, quod talis labor erit causa non ieiunandi, atque adeo dant causam peccato. Sed hæc doctrina ipsis non fauet, vt vidimus supra *Decis. 316. n. 3.* Nam talis labor non est causa non ieiunandi per se, sed tantum per accidens, neque contrariatur præcepto ieiunij, quatenus obliget, sed potius contrariatur obligationi ipsius, quatenus eam destruit.

3 Quod autem solum peccent assumentes laborem ob finem inhonestum contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhonestus, non autem contra præceptum ieiunij, docuit Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* & ipsum sequuti sunt Ledesma *p. 2. sum. tr. 27. c. 2. in fine. ver. Digo lo segundo,* vbi approbat sententiam Medinæ. Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 40.* Bonacina *tom. 2. disp. 2. de peccatis q. 8. punc. 2. n. 16. ver. Idem non nulli.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp. 54. n. 20.* Llamas *3. par. Meth. c. 5. §. 21.* Filliuc. *tr. 27. cap. 2. in fine.* Villalob. *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 11.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 8. qu. 156.* Io. Henriquez *in summa sect. 16. q. 29. ver. y aundize.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. mor. lib. 2. tract. 12. de ieiun. n. 5.* Montesin. *1. 2. qu. 77. ar. 4. disp. 9. q. 2. n. 40.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præc. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 152.*

4 Ratio, in qua fundatur hæc sententia, est, quia non est volitum aliquid, quod tanquam causa contineat violationem præcepti de ieiunio, quando obligat; sed solum est volitum aliquid, quod causando impotentiam ad ieiunandum soluit obligationem ieiunandi: vnde non est causa inferens violationem ieiunij, quando adest obligatio, sicuti est ebrietas in die festo per se, & directe se opponens cum auditione sacri, & ideo non sequitur, quod violatio ieiunij sit volita in causa. Confir. vt aliquis peccet in causa oportet, quod velit causam peccati, quatenus est causa peccati, atque adeo, quod talis causa connectatur cum ipso peccato, quatenus peccatum est, non autem sufficit, quod connectatur cum ipso actu materiali, quando ex aliqua circumstantia desinit esse peccatum. Nam tunc non dat causam peccati, quia non adest. In casu autem

nostro non est velita causa peccati, sed solum est volitum aliquid, quod causat impotentiam ad ieiunandum, atque adeo quod mediante impotentia soluit obligationem ieiunandi; & cum nemo teneatur se conseruare potentem ad ieiunandum, non peccat contra præceptum ieiunij ex eo, quod se reducit ad talem impotentiam, neque in causa violatur præceptum, quia non dat causam violationi, siquidem non adest violatio, quãdo extinguitur obligatio.

5 Rursus præceptum ieiunij non obligat, vt quis se abstineat à laboribus honestis, vt possit ieiunare quia præcipit abstinentiam ijs tantum, qui possunt ipsam seruare: nec de hoc adest præceptum speciale; ergo neque etiam à laboribus ob finem inhonestum, nam adhuc præceptum ieiunij sistit in præcipienda tantum abstinentia, nec aliud præceptum adest prohibens illos labores, nisi illud, quo prohibetur finis inhonestus, & ideo peccatur tantum contra præceptum ieiunij.

6 Neque obstat, quod non habeat ius ad talem laborem, cum sit iniustus, & proinde iniuste se reddat impotentem, nam ex hoc tantum sequitur, quod peccet nõ cõtra præceptũ ieiunij, sed cõtra præceptũ prohibens illã turpem actionem, nã peccat tantum, quatenus facit aliquid iniustum, non facit autem aliquid iniustum contra præceptum de ieiunio, sed solum contra præceptum prohibens illam malam actionem.

7 Ex his colligitur; quod, qui non ieiunat, quia factus est impotens ob laborem ordinatum ad actum turpem, non tenetur in confessione explicare, quod non ieiunauerit; nam in hoc non peccauit, sed sufficit, si explicet solum illum actum turpem, ex quo causata est impotentia ad ieiunandum quia in hoc tantum consistit peccatum.

An, qui assumit laborem incompatibilem cum ieiunio in hunc finem, vt non ieiunet, peccet.

Decis. 320.

SVMMARIVM.

1 *Assumentes laborem incompatibilem cum ieiunio, vt non ieiunet, non peccat, quando est factus impotens ad ieiunandum.*

2 *Peccat, quando assumit talem laborem cum tali intentione secundum aliquos.*

3 *Secundum alios non peccat.*

4 *Potest quisque per media licita se subtrahere ab obligatione legis.*

5 *Quid requiratur, vt fiat fraus legi.*

6 *Quomodo peccet, qui se reddit impotentem ad ieiunandum per media illicita.*

7 *Cur peccet, qui ob venationem non audit missam in die festo.*

8 *Quando præceptum obliget ad non ponenda impedimenta contra ipsius obseruantiam.*

1 Conueniunt communiter, quod non peccet, quando non ieiunat, quia tunc, cum sit impotens ratione defatigationis, nõ obligatur præcepto ieiunandi, vt inter alios notat Sanchez lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. nu. 13. contra quendam neotericum. Vnde dubium est, an peccet, dum assumit laborem ex intentione non ieiunandi.

2 Et affirmatiue resp. Nauar. *in Manuali c. 21. n. 17. lat. & Hisp.* 8. Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 10. dub. 1. in Append.* Medina *lib. 1. summ. c. 14. §. 10.* Ledesma 2. *p. 4. q. 17. ar. 3. ver. Secunda propositio.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 23. conclus. 6.* Henriquez *lib. 9. sum. c. 25. n. 11. & in Com. litera P.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 27. q. 9.* Merol. *tom. 2. disp. 4. c. 3. dub. 37. n. 436. ver. vibus amen.* Palaus *p. 1. oper. mor. tr. 3. de legib. disp. 1. punc. 21. n. 3.* Remigius *tr. 3. sum c. 4. §. 3. num. 12. ver. Aduertas.* Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun n. 5.* Villalobos *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 11.* Bonacina *tom. 2. disp. 2. De peccatis q. 8. punc. 1. n. 16. ver. Idem nonnulli.* Lublinus *in sum. verbo* Ieiunium *num. 29.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. nu. 5. ver. His quædam.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 10. & 11.* Bossius *in Disceptationibus moral discep. 4.* per totam. Quia nimirum fit fraus præcepto, quod iam in intentione, & desiderio frangitur.

3 Altera vero sententia docet, quod neque peccatur, quando assumitur labor ex intentione non seruandi ieiunium, ita docere deberent ij omnes, qui putant, esse licitum discedere è loco, vbi obligat ieiunium in hunc finem, vt discedens non teneatur ieiunare. Vnde quidam ex Doctoribus *nu. præcitato* citatis non loquuntur consequenter, vt Sanchez, Bonacina, Villalobos, quos supra *Decis. 214. n. 3.* citaui. Et specialiter ita docent Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 14. & 20.* Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio Resol. 52.* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n. 21. litera M.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de præc. Eccl. lib. 2. c. 9. nu. 165.* Et militat omnino eadem ratio, ac in eo, qui relinquit locum, vbi lex obligat, in hunc finem, vt non seruet legem, quia sicut per mutationem loci, licet se subtrahere ab obligatione legis, ita etiam licebit se subtrahere per assumptionem alicuius exercitij excusantis à ieiunio.

4 Ratio autem est, quia non fit contra legem, quando intenditur subtractio ab obligatione legis, imo vnicuique est licitum se subtrahere adhibendo media licita subtrahentia. Sic potest petere dispensationem, potest mutare statum, vt non obligetur legibus illius status, Lex enim solum exigit, vt seruetur, quando obligat, non autem exigit, vt retineatur obligatio ipsius, sed sinit deponi, quando deponi potest per media licita. In casu autem nostro non intenditur aliud, nisi subtractio ab obligatione præcepti ieiunandi per media licita, nempe per exercitia honesta laboriosa, quæ possunt excusare à ieiunio: non autem intenditur violatio præcepti obligantis. Sic non intenderet violare præceptum, qui vt non ieiunaret, peteret dispensationem: vnde sicuti licet procurare dispensationem ex intentione non ieiunandi, ita etiam ex eadem intentione licebit assumere honesta exercitia laboriosa tanquam ea, quæ possunt soluere obligationem ieiunandi.

5 Neque in hoc fit aliqua fraus legi, quia tunc lex non potest fraudari, quando non obligat, sed vt fraudetur, oportet, vt retineat suam vim obligandi, & fiat aliquid tanq. licitum, quod tamen fit contra obligationem ipsius, vt quis in die ieiunij ex eo capite, quod cibus in paruitate materiæ non frangit ieiunium, pluries ipsum sumeret in paruitate materiæ, quia tunc fraudaretur intentio legis de absti-

nen-

stentia, & maceratione per subtractionem cibi. E contra vero qui petit dispensationem, vt ea ob tenta non seruet legem, non facit fraudem neque eam violat in desiderio, & intentione non seruandi. Vnde etiam nec in casu nostro fiet fraus legi ex eo, quod quis procurat legitimam cautam non seruandi præceptum de ieiunio, neque in hac intentione ipsum violabit.

6 An autem sit eadem ratio, si velit se reddere impotentem per aliquod exercitium turpe, & peccaminosum, vt non ieiunet. Resp. certum esse, quod peccat in assumptione exercitij turpis contra præceptum, quo prohibetur. Contra tamen præceptum ieiunij non peccabit, quia adhuc vult se subtrahere ab obligatione ieiunandi mediante impotentia, quæ cum licitè subtrahat, non intendit illa intentio contra præceptum ieiunij.

7 Ex his colligitur; quod non est eadem ratio de eo, qui in die festo, it ad venationem, aut dormit, aut se inebriat, & omittit audire missam; quia in tali casu non fit aliquid, quod faciat cessare obligationem præcepti, sed ponitur impedimentum directè tendens contra obseruantiam præcepti: vnde in tali impedimento, cum sit immediatum, est volita violatio præcepti, præterea quia tale impedimentum non extinguit obligationem præcepti.

8 Nec dici potest, quod præceptum obliget ad abstinendum à labore, quatenus est proximum impedimentum ad seruandum ieiunium, quia tunc præceptum obligat ad non ponenda proxima impedimenta, quando re vera impedimenta sunt, ita vt tendant contra solutionem obligationis. Quando autem aliquid extinguit obligationem, non est verum impedimentum, quia non impedit, quod non impleatur obligatio, quando permanet, sed facit ne permaneat, eam extinguendo. Nec est eadem ratio de eo, qui proijciendo Breuiarium fit impotens ad recitandas horas canonicas; nam hoc non causat impotentiam personalem, quia persona, quantum est de se, remanet potens, & præceptum adhuc vrget. Sed causat priuationem medij necessarij ad præceptum implendum. Stante autem connexione, quæ est inter medium necessarium, & finem, eo ipso, quod quis non vult medium, nec etiam vult finem, & ideo nolens medium necessarium pro obseruantia præcepti, nec etiam vult seruare præceptum, & proinde contra ipsum peccat. Quamuis autem dicta sententia his rationibus confirmari possit, non est tamen consulenda, quia daret occasionem hominibus parum pijs, quod frequenter omitterent ieiunia. Sed solum quando quis esset determinatus ad non ieiunandum, vt vitaret peccatum, consuli posset, quod assumeret honestum exercitium excusans à ieiunio; non tamen in eum finem, vt non ieiunet. Verum hæc omnia accipienda sunt iuxta declarationem, quam pono in appendice *Decis.* 454. nam alio modo non possunt subsistere, vt constat ex *ibi* dictis.

An conducentes operarios teneantur inquirere circa ipsorum potentiam, vel impotentiam ad ieiunandum. Decis. 321.

SVMMARIVM.

1 *Conducentes operarios non tenentur inquirere, an possint ieiunare, quando artes sunt laboriosæ.*

2 *Sed neque, quando non sunt laboriosæ.*

1 REsp. non teneri, vt docet etiam Angles *in Florib. qu. 6 de ieiunio diffic. 10 dub. 4.* Et quidem, si exercent artes laboriosas, manifestum est, non teneri ad talem inquisitionem, quia hæ artes ex natura sua excusant à ieiunio: vnde etiam si exercentes possent ieiunare non tenentur, quia vt vidimus in superioribus, Eugenius IV declarauit, præceptum ieiunij non obligare hos artifices, & ideo conductores nihil debent curare de ipsorum ieiunio tanquam de ijs, qui tenentur ieiunare.

2 Si vero exerceant artes, quę ex natura sua non excusant à ieiunio, neque adhuc tenetur inquirere circa ipsorum potentiam, vel impotentiam ad ieiunandum, quia per hoc, quod ipses conducit, acquirit tantum jus ad operas ipsorum: non autem aliquod speciale regimen supra ipsos ratione cuius ei incumbat regulare earumdem actiones, & ideo non pertinet ad ipsos inquirere, an possint, vel non possint ieiunare.

An possit quis conducere operarios, quos scit probabiliter non esse ieiunaturos. Decis. 322.

SVMMARIVM.

1 *Potest quisque conducere operarios, quos scit non ieiunaturos.*

2 *Etiam si constet, absque necessitate laborare, quando artes sunt laboriosæ.*

3 *Imo, etiam si artes non sint valde laboriosæ.*

1 AFfirmatiue resp. Angles *in Floribus q 6. De ieiunio diffic. 10. dub. 3.* Quia, inquit ipse, præsupponendum est, quod necessitate cogantur ad laborandum: siquidem dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

2 At etiam si constet, quod absque necessitate laborent, si artes sint laboriosæ, & de se possunt excusare à ieiunio, adhuc conduci possunt. Ita specialiter Leander *in prac. Eccl tr 5. disp. 8. q. 105.* Quia etiam si operarij sint diuites, non tenentur desistere à labore, vt ieiunent, vt vidimus in superioribus; imo secundum declarationem Eugenij IV adhuc ipsi sunt immunes à ieiunio, vt visum est supra *Decis. 241. num. 2.*

3 Si vero artes non sint valde laboriosæ, ita vt de se non excusent à ieiunio, adhuc conduci possunt operarij, etiam si probabiliter sciatur, quod non sint

ieiunaturi, tum quia fieri poteſt, quod licet non excuſentur ratione exercitij, excuſentur tamen ex alio capite. Tum quia non pertinet ad conductores impedire, ne operarij violent ieiunia, ſicut nec procurare, quod ea ſeruent. Tum quia conductores vtuntur iure ſuo in conducendis operarijs quod ſi ex hoc ſequitur, quod violent ieiunium, id eſt præter intentionem conductoris, & ex malitia operarij, qui abſque neceſsitate frangit ieiunium, cui ſoli eſt imputandum.

An liceat conducere operarios cum pacto, quod non ieiunent.
Deciſ. 323.

SVMMARIVM.

1 *Conducens operarios poteſt cum ipſis paciſci, ne ieiunent, ſi opus exigat feſtinationem.*
2 *Si ars non ſit laborioſa, non poteſt paciſci, niſi opus ſit labore diuturniori.*
3 *Quando operarij nolunt minuere conſuetam mercedem, nolens eos conducere, niſi cum pacto, quod non ieiunent non peccat.*
4 *Non licet ſecundum aliquos abſolute, paciſci cum operarijs, ne ieiunent.*
5 *Eſt abſolute licitum, quando artes ſunt laborioſæ.*
6 *Conducens operarios cum pacto quod non ieiunent, non inducit ad malum, ſed ad id, quod ipſis licet.*

1 Quod liceat apponere tale pactum, quando neceſſitas operis exigit feſtinationem, decent communiter Doctores infra *citandi*, quia tunc adeſt legitima cauſa relinquendi ieiunium. Neceſsitas enim ſoluit obligationem, & ideo quando labor operarij incompatibilis cum ieiunio, eſt neceſſarius, poteſt conducens paciſci de tali labore, atque adeo quod operarius non ieiunet.

2 Deinde, Etiam certum eſt, quod, quando artes non ſunt ita laborioſæ, vt de ſe excuſent à ieiunio, ſi quis nollet conducere operarios, niſi cum pacto, quod non ieiunent, peccaret, quia induceret iniuſte ad frangendum ieiunium, ſiquidem exercitium artis non requirit ratione laboris, quod ſoluatur ieiunium. Hoc tamen limitandum eſt, niſi feſtinatio operis requireret talem aſsiduitatem, & continuationem laboris per plures horas ſupra conſuetum, vt æquiualeret arti laborioſæ. Et ita etiam notat Sanchez *citandus*.

3 Rurſus notat Caiet. infra *citandus*, & recte, quod ſi operarij volentes ieiunare, nollent modificare mercedem conſuetam, tunc, ſi conductor nollet ipſos conducere, niſi cum pacto, quod non ieiunent non peccaret. Ratio eſt, quia præciſo tali pacto, ſentiret damnum, nam operarij ieiunando non tantum laborant, quantum ſi non ieiunarent, & proinde ſolueret maiorem mercedem, quam mereretur opus exhibitum ab operarijs.

4 An autem abſolute liceat paciſci cum operarijs, quod non ieiunent, etiam ſi contenti ſint, quod conductores mercedem modificent, quando artes ſunt laborioſæ. Negatiue reſpondent D. Th. *in 4. diſt. 15. q. 3. ar. 2. q. 4. ad 3.* Durand. *q. 10. a. 6.* Palud. *q. 4. n. 18.* Gabriel. *diſt. 16. q. 3. ar. 1. notab. 4. §. Secundo ſequitur* Riccar. *diſt. 15. ar. 3. q. 4.* Caiet. *2. 2. q. 147. ar. 4. §. in eodẽ ar.* Syluest. *verbo* Ieiunium *q. 9. n. 24.* Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio. diffic. 10. dub. 2.* Summa Confeſſ. *lib. 1. tit. 22. q. 18.* Vega *p. 1. ſum. c. 14. de ieiunio Caſu 24.* Ghetius *in Theſauro verbo* Ieiunium *c. 1. n. 13.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 7. n. 8.* Quia nimirum aut daret occaſionem operarijs frangendi ieiunium, aut faceret deterioris conditionis, ſi non conduceret, obtemperantes præceptis Eccleſiæ, quam inobedientes.

5 Sed hæc ſententia procedit ex eo, quod putat quod in die ieiunij non liceat laborare, quando labor eſt incompatibilis cum ieiunio, niſi ex neceſsitate. Quod tamen eſt falſum, vt conſtat ex *declaratione* Eugenij IV. declarantis, quod etiam artifices diuites, & qui non indigent laborare in die ieiunij, poſſint laborare, & ſint immunes à ieiunio, ſi ars laborioſa ſit, vt etiam nunc communiter docent, & paulo ante docuerat etiam ipſe Angles nempe *q. 6. de ieiunio. diffic. 10. ver. Hinc Agricolæ* Et proinde quod tale pactum licitum ſit, docent Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 16.* Sanchez *lib. 1. conſil. mor. c. 1. dub. 8. n. 2.* Bonac. *diſp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 8.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 9.* Beſſus *tom. 3. mor. tit. 21. n. 65.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. diſp. 8. q. 106.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præcep. Eccleſ. lib. 3. c. 7. n. 113.*

6 Et hæc ſententia eſt tenenda, nam conducens operarios cum pacto quod non ieiunent, in tantum peccaret, in quantum induceret ipſos ad peccandum, nempe ad non ieiunandum, hoc autem non eſt verum, quia tales operarij non obligantur præcepto ieiunij, etiam ſi poſſint, & familiam ſuſtentare abſque eo, quod laborent, & ideo conducens non inducit ad violandum præceptum, quia non violatur præceptum, quod non obligat. Quod autem non teneantur ieiunare conſtat ex declaratione Eugenij IV. & ex dictis in ſuperioribus.

An Pater familias poſſit in die ieiunij imponere famulis opera incompoſſibilia cum ieiunio.
Deciſ. 324.

SVMMARIVM.

1 *Pater familias non poteſt ſecundum aliquos in die ieiunij imponere famulis opera incompoſſibilia cum ieiunio.*
2 *Poteſt imponere.*
3 *Famuli exercere poſſunt opera incompatibilia cum ieiunio, & erunt exempti.*
3 *Quæ ſpectant ad officium, non ſunt ommittẽda ob ieiuniũ.*

1 Negatiue reſp. quando commode differri poſſunt Gabr. *in 4. diſt. 16. q. 3. ar. 1. notab. 4. §. Tertia cauſa.* Nauar. *in Manuali c. 21. n. 17. ver. Octauo peccat.* Ledeſma *2. p. 4. q. 17. ar. 3. circa finem. ver. Tertio dico.* Angles *in Florib. q. 7. de ieiunio. diffic. 2. in fine.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 21. q.*

21.q.12. Sà verbo Ieiunium n.16. Vega p. 1. sum. c.14. de ieiunio. Casu 27. in fine.. Palud. in 4. dist. 15. q.4. ar.1. Tolet lib.6. sum.c.5 n.1. ver. Primus est. Rodriquez p. 1. sum.c.23.n.5. Facundez prac.4. Eccl.lib.1.c.10.n.21. Homobonus de Bonis p. 2. Exam Eccl.tr.8.c.7.qu.11. ver. Quod attinet. Sylvius 2.2. q.147. q.1. in fine. Lublinus in sum. verbo. Ieiunium n.22. Quia nimirum essent causa, quod famuli absque necessitate violarent præceptum de ieiunio.

2 Sed miror, quomodo hæc sententia ita inualuerit. Vnde merito oppositum tradunt Bonacina disp. vlt. De prac. Eccl. q.1. punc. vlt. n 9 ver. Addo. Ortiz. c.19. sum. n.14 Fernandez p. 2. Exam. Theol. mor. c.8. §. 2. n. 15. Trullench. lib.3. in Decal. c. 2. dub.7. n.8. Sanchez lib. 5, consil. mor. c. 1 dub.9. n 2. Auctor Casuum Conscient. Bonouiens. Anni 1636. Casu 3. Mensis Septembris. Bossius tom. 3. mor. tit. 21. § 2. n.66. Leander in pracep. Eccl tr.5 disp.8.q.107. Martin. à s. Ioseph. tom. 1. mor. lib. 2 tr.12. de ieiun. n.10. Roccaful. in praxi tr.6. de pracep. Eccl. lib.3 c.7. n.113. Et ita tenere debent ij omnes, qui putant, laborem omnino voluntarium excusare à ieiunio, quos supra Decis. 317. num.4. citauimus.

3 Ratio est, quia præceptum ieiunij non obligat abstinere ab opere seruili incompatibili, vt ieiunetur: vnde secundum declarationem Eugenij IV. Artifices diuites, & qui absque incommodo possent abstinere ab exercitio artis, non tenentur abstinere, sed possunt laborare, & non ieiunare, quod etiam tenent Doctores ferè omnes pro priori sententia citati, ergo etiam famuli exercentes opera incompatibilia cum ieiunio, erunt exempti à præcepto ieiunij, etiam si commode possent differre: & ideo Domini ea imponentes, non peccabunt, quia vtentur iure suo, nec inducent famulos ad aliquod malum, cum sint exempti à ieiunio.

4 Quod etiam confir. quia præceptum de ieiunio non obligat aliquem, vt pro ieiunando abstineat à consueto exercitio, nec quod abstineat à laboribus, quos offert occasio exercitij, vt concedunt communiter: ergo cum famuli ratione sui officij sint addicti laboribus, quos imponunt Domini, sunt etiam addicti laboribus incompossibilibus cum ieiunio, quatenus occasio fert, quod aliquando à Dominis imponantur, atque adeo tales labores spectant ad ipsorum officium: ergo cum nemo teneatur omittere, aut differre, quæ sunt proprij officij, vt ieiunet, non tenebuntur famuli omittere hos labores. Sicut nec etiam Domini, quia non tenentur non imponere famulis, quæ spectant ad officium ipsorum, vt possint ieiunare, quia cum ea, quæ spectant ad officium, non sint omittenda ob ieiunandum, nec famuli tenentur omittere, nec Domini tenentur non imponere.

An labor ingenij eximat ab obligatione ieiunandi.
Decis. 325.

SVMMARIVM.

1 *Labor ingenij secundum aliquos non excusat à ieiunio.*
2 *Probabilius tamen est, quod excuset.*
3 *Quomodo labor ingenij redundet in corpus.*
4 *Occupatus per totum fere diem in negocijs arduis non tenetur ad ieiunium.*
4 *Creatus Cardinalis in Romana Curia, an si dies creationis sit dies ieiunij, teneatur ieiunare.*

1 Negatiue videtur respondere Molfesius p.1. sum. tr. 10. c.4. n.43. Sanchez lib. 5. consil. mor. c.1. dub.7. n. 7. Lublinus p.1. sum. verbo Ieiunium n.5. Reginald. lib 4. praxis fori pœnit. num. 216. Horum fundamentum esse potest, quia ille labor eximit à ieiunio, qui affligit corpus, quia nimirum accedente afflictione ex ieiunio, corpus nimis affligeretur: vnde, quando labor non est corporis, sed ingenij non sequitur nimia afflictio ex ieiunio, atque adeo nec exemptio ab ipso.

2 Tenendum tamen est, quod labor ingenij eximat ab obligatione ieiunandi. Et ita docent Laiman. lib. 4 Theol. mor. tr. 8. c.3. n.3. ver. Quarta causa. Angles in Florib. q.6. de ieiunio. diffic.10. append. 1. Bonacina disp. vlt. de legib. q.1. punc. vlt. n.10. Basseus in Florib. theol. pract. verbo Ieiunium 2. n.8. in fine. Ghilinus in summa verbo Ieiunium n. 21. littera N. Trullench. lib. 3. in Decal. c 2. dub.7. n.13. Leander in prac. Eccl. tr.5. disp.8. q.108. Et omnes, qui eximunt Concionatores, Confessarios, Lectores, Aduocatos & alios, qui ingenio laborant, quos infra citabimus.

3 Ratio est, quia labor ingenij redundat etiam in corpus ipsum affligendo, quatenus ex labore ingenij consumuntur illi spiritus, quibus corpus fouetur, & in suo robore manuteneretur: vnde plus patitur corpus ex labore ingenij proportione seruata, quam patiatur ex labore corporali, quod satis constat in ijs qui continuo studijs incumbunt, quibus complexio ex continuo studio valde debilitatur: & postquam quis per plures horas studuit, experitur non mediocrem lassitudinem, & caput præcipue valde debilitatum.

4 Ex quibus colligitur, quod si quis per totum ferè diem in negocijs difficilibus occuparetur, vt contingere potest in Oratoribus principium, Præfectis vrbium, Ducibus exercituum, qui semper negocia difficilia animo voluunt, non teneretur ad ieiunium, siquidem talis occupatio plurimum consumit spiritus, & inducit notabilem debilitatem. Et idem censendum est de cæteris ministris, qui plurimum occupantur in negocijs publicis. Et hæc doctrina valde placuit Thomæ Hurtado. p.2. resol. mor. tr.10. c.9. n.140 dicenti esse nimis conformem rationi, & se ita consuluisse, antequam hanc doctrinam videret. Imo si quis in die ieiunij in Romana Curia crearetur Cardinalis non teneretur ad ieiunium, quia nouitas, occupatio mentis vehemens circa ea, quę concernunt nouum statum, & in illo die peragenda sunt, valde animum exagitant, atque adeo consumunt, & notabilem debilitatem inducunt.

An Concionatores teneantur ieiunare.
Decis. 326.

SVMMARIVM.

1 *Non tenentur Concionatores ieiunare, quando concionantur ex officio, aut obedientia, &c.*

2 *Sed neque si voluntarie concionentur.*
3 *Concionantes singulis diebus in quadragesima eximuntur a ieiunio.*
4 *Quid si habeant conciones elaboratas, & parum laborent.*
5 *Munus concionandi quotidie de se soluit obligationem ieiunandi.*
6 *Qui ter, aut quater in hebdomada concionantur, non tenentur ieiunare.*
7 *Quid si semel, aut bis concionentur.*
8 *Quid si vespere concionentur.*
9 *An concionantes per annum soluantur lege ieiunij.*

1 NON teneri, quando concionantur ex officio, vel obedientia, aut saltem quando ex concione prouenit tanta vtilitas, quæ per alium æquè bene haberi non possit, & ieiunium incompatibile est cum ipsa concione docent Caiet. 2.2. q. 147. ar. 3. § *Ad hæc dicitur. & in sum. verbo* Ieiunium *cap.* 3. ver *Ex pietate* Palatius *ibid. eodem verbo* Medina *Cod. de ieiunio q. De his, qui ieiunare tenentur.* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 9.* Nauar. *in Manuali c. 21. n. 19. & & in Hisp. n. 17.* Angles *in Florib. q. 6. De ieiunio. diff. c. 13. append.* 2. Fernandez *p. 2 Exam. theol. mor. c. 8. §. 2. n. 12.* ver. *Quarta causa.* Tolet. *lib. 6. sum. c. 4. n. 4.* Leander vero à Murcia *in c. 3. Regul. S. Francis. c. 2. §. 2. n. 25.* putat posse ieiunare: & proinde non eximi ab obligatione ieiunandi.

2 Alij tamen absolute docent, quod Concionatores, siue ex officio, aut obedientia concionentur siue ex quacunque alia causa, eximuntur ab obligatione ieiunandi, quando commode ieiunare non possunt. Ita Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. notab. 4. in fine. ver. Ex illo patet.* Palat. *dist. 15. disp. 8.* Tabiena *verbo* Ieiunium *n. 16.* Anton. *De literat. p. 1. sum. c. 39 nu. 9.* Graff. *p. 1. lib. 2. c. 37. n. 54.* Viguer. *c. 7. Instit. Theol. §. 3. ver. 2. in fine.* Io. à Cruce in *Direct. conscient. p. 1. prae. 3. ar. 4. dub. 9. conclus.* 2. Reginal. *tom. 1. Praxis fori pœnit. lib. 4. c. 17. n. 219.* Filliucius *tom. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. n. 124.* Facundez *prac. 4 Eccl. lib. 1. c. 8 n. 19* Rolel *verbo* Ieiunium *nu. 21.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 18. q. 1.* Ledesma *2. p. 4. q. 17. ar. 3. post proposi. 2.* ver. *Secunda causa.* Lublinus *p. 1. sum. verbo* Ieiunium *n. 5.* Sà *verbo* Ieiunium *nu. 9* Gordon *lib 6. theol. mor. q. 18. c. 6. in fine.* Syluius 2. 2. *q. 147. ar. 4.* ver. *Maius bonum.* Bonacina *tom 2. disp vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 13.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 4.* Lessius *de iust. & iure lib. 4. c. 2. num.* 44. Diana *p. 1. tr. 9 Resol.* 10. Sanchez *lib. 5. consil. mor c. 1. dub. 13 n 2* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n. 21. litera Q* Bassæus *in Flor. theol. pract. verbo* Ieiunium 2 *n. 9.* Llamas *p. 3. Method. c. 5. §. 21.* Perez *in sum. theol. prac. 3 §. de ieiunio in fine.* Sanctius *in selectis de Sacram. disp. 54 n 17.* ver. *Prædicatores.* Molfesius *p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 48.* Rodriquez *tom 2. quæst. Reg. q. 100. ar. 2.* ver. *Circa quam.* Bizozer. *p 4 sum. de 3. prac. c. vlt. memb. vlt nu. 6. in fine.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub 7 n. 15.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n 75 & 76.* Remig. *tr. 3. sum. c 4. §. 3. n. 11.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5 disp. 8. q. 109.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 163.* qui tamen addit, regulariter non excusari. & desumitur ex D. Th. 2. 2. *q. 147. ar. 4.*

3 Et hæc posterior sententia omnino tenenda est; vt plurimum tamen citati Doctores confusè procedunt, dum requirunt, quod ieiunium incompossibile sit cum labore concionandi: hoc enim relinquit in incerto, quando concionantes obligentur ad ieiunandum, & quando non obligentur, & sistitur in generali regula, quod ieiunium non obliget, quando sit impossibile. Itaque certum esse debet, vt notant Diana, & alij; Concionatores, qui singulis diebus in quadragesima concionantur omnino eximi ab obligatione ieiunandi; hoc enim munus requirit vires corporales viuidas, & corpus abundans spiritibus, & studium cum magna attentione quod valde debilitat corpus; vnde accedente etiam ieiunio fieret magnum detrimentum virium corporalium; & ideo vt conseruentur pro concionibus relaxandum est ieiunium.

4 Sed difficultas est de ijs concionatoribus, qui iam habent conciones elaboratas, & *memoriæ* mandatas, ita vt extra actualem concionem *aut nihil*, aut parum admodum laborent, an eximantur ab obligatione ieiunandi. Resp. adhuc eximi, quia actualis concio laboriosa valde est non solum ratione agitationis corporalis, sed etiam ob fixam, & vehementem attentionem mentis necessariam, & proinde requiritur abundantia spirituum, & vigor mentis, quibus valde contrariatur ieiunium, quia debilitat spiritus, & vigorem per subtractionem materiæ, à qua prouenit. Sequitur Leander *in prac. Eccles. tr. 5. disp. 8. q. 111.* Andreas Mendus *in Bull. Cruc. disput. 13 c 1 n. 2.*

5 Deinde consuetudo optima legis interpres declarat, quod munus concionandi quotidie *in quadragesima* non compatiatur ieiunium, atque adeo quod præceptum ieiunandi non obliget concionatores, non secus ac declarat, quod non obliget adolescentes, ergo eximuntur ab obligatione ieiunandi; siue multum, siue parum laborent, sicuti eximuntur omnes adolescentes, etiam si possent sine multo incommodo ieiunare, quia per accidens est, quod in aliquibus labor sit tenuis, & vis consuetudinis se extendit ad omnes, quia fundatur in munere concionandi.

6 Secundo dubitari potest de ijs, qui concionantur ter, vel quater, in hebdomada. Et *de his quoque* tenendum est, quod non subijciantur *præcepto* ieiunij, vt notat etiam Sanchez *lib. 5 consil. mor. c. 1. dub. 13. n. 6.* Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8 q. 12.* Quia cum frequenter concionentur, debent conseruare robur, & vires, quod ieiunando malè præstarent. Deinde concionari per has vices requiri studium assiduum, & intensum, quod iunctum cum labore concionandi, est tantæ considerationis secundum se, vt possit eximere ab obligatione ieiunandi, & proinde semper eximet, & faciet, quod præceptum non cadat supra huiusmodi concionatores, etiamsi aliqui ex ipsis parum laborent.

7 De concionatoribus vero, qui semel tantum in hebdomada, aut bis concionantur, si debiles sint, & delicatæ complexionis, dicendum est, quod non teneantur ieiunare, vt notat Diana *p. 1. tr. 9. resol. 10.* ver. *Sed pro praxi.* Debilitas autem non debet esse tanta, vt de se soluat obligationem ieiunandi, sed sufficit, quod coniuncta cum ieiunio impediat munus concionandi, aut saltem notabile nocumentum afferat; seu quod debilitas coniuncta cum labore concionandi, sit tanti ponderis, vt censeatur quid notabile. Si vero sint integris viribus eximentur ab obli-

obligatione ieiunandi eo die, quo concionantur, & die, qui immediate antecedit concionem, nam si ante antecedenter ad concionem ieiunarent, amitterent necessarium vigorem pro concione, & si vna, aut altera vice resisterent, non semper resisterent. In die vero, quo concionantur, adest labor tum corporalis, tum mentalis sufficiens ad soluendam obligationem ieiunandi. Ita etiam Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 15. Leander postea *tr.* 5. *in Eccl. prac. disp.* 8. *q.* 112. Bosiius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 2. *n.* 78. & 79. Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *n.* 11. Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 13. *n.* 6.

8 Et hoc etiam valet de concionatoribus, qui vespere concionantur, nam licet possint ipso die concionis se reficere, per hoc tamen non restauratur debilitas contracta ex ieiunio, & mortificatio spirituum, quia talis refectio confert illum solum vigorem, quem conferret, si non præcessisset ieiunium: & proinde nec ipsi tenentur pridie ante concionem ieiunare.

9 Similiter qui per annum in diebus festis concionantur, non tenentur ieiunare pridie ante concionem, & in die concionis, vt notat etiam Sanchez *citato lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 13. *n.* 6. Et militat eadem ratio, quia nimirum requiruntur vires integræ pro concione, & labor concionis sufficit, vt soluat obligationem ieiunandi pro ipso die concionis.

An Lectores Theologiæ, Philosophiæ, Iuris Ciuilis, & Canonici, Medicinæ, &c. excusentur, ne ieiunent. Decis. 327.

SVMMARIVM.

1 *Lectores Theologiæ, Philosophiæ, &c. secundum aliquos obligantur ad ieiunia.*
2 *Non obligantur, quando labor est incompatibilis cum ieiunio.*
3 *Alij eos absolute eximunt ab obligatione.*
4 *Quando ex vi muneris censeantur immunes à ieiunijs.*
5 *Quando non sint immunes.*
6 *Assistentes disputationibus quando eximantur ab obligatione ieiunij.*
7 *An arguentes in publicis disputationibus sint immunes à ieiunio.*

1 Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 13. *n.* 8. Absolute docet, hos lectores non eximi ab obligatione ieiunandi, quando quotidie legunt vnicam tantum lectionem: ex vi talis laboris, non enim putat, esse sufficientem, vt soluat obligationem ieiunandi. Idem videtur sentire Angles *in Florib. q.* 6. *de ieiunio diffic.* 13. *append.* 2. dum solum concedit egregium aliquem doctorem posse soluere ieiunium, vt legat. Et regulariter excusari tenent Villalob. *p.* 1. *sum. tract.* 23. *diffic.* 4. *n.* 15. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de prec. Eccles. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 163. Leander à murcia *in c.* 3. *Reg. s. Francisc. cap.* 2. §. 2. *num.* 25. dum dicit commode posse ieiunare.

2 Alij vero docent, eximi ab obligatione ieiunandi, quando ipsorum labor est notabilis, seu vt ipsorum nonnulli loquuntur, quando labor improbus est. Ita D. Th. *quodlib.* 5. *ar.* 18. Syluester *verbo* Ieiunium *n.* 26. Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 3. §. *Ad hoc dicitur* Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. *Notab.* 4. *in fine.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 4. *n.* 4. Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3. *nu.* 3. *ver. Quarta causa.* Sylvius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver. *Maius bonum* Io. à Cruce *p.* 1. *Direct. conscient. prac.* 3. *ar.* 4. *dub.* 9. *concl.* 2. Fernandez *p.* 2. *Exam. theol mor. c.* 8. §. 2. *num.* 12. ver: *Quarta causa.* Dummodo tamen lectio non sit voluntaria, sed ex officio, aut obedientia, Diana *p.* 1. *tr.* 9. *Resol.* 10. ver. *Sed pro praxi* Ghilinus *verbo* Ieiunium. *n.* 21. *littera* Q. Facundez *prac.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 19. Azor. *p.* 1. *lib* 7. *c.* 18. *q.* 1. Lublinus *p.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *n.* 5. Sanchez *in selectis de Sacram disp.* 54. *nu.* 17. *ver. Imo si tantum.* Medina C. *de ieiunio q.* 9. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *n.* 9. Hieronimus Perez *p.* 1. *sum. theol. prac.* 3. §. *De ieiunio* Martin. á s. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiunio n.* 13. Et Angles *diffic.* 16. *q citata n. praced. append.* 2. id concedit quo ad publicos Lectores, qui ex officio legunt.

3 Alij tamen absolute docent, Lectores esse exemptos ab obligatione ieiunandi. Ita Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 3. *post secundam proposit. ver. Praterea in hoc ar.* loquitur tamen de Lectoribus conductis, & obligatis. Molfesius *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 4. *n.* 48. Llamas 3. *p. Meth. c.* 5. §. 21. Gordonus *lib.* 6 *theol. mor. qu.* 18. *c.* 6. *in fine.*

4 Lectores ergo cathedratici ex vi muneris censendi sunt immunes à lege ieiunij, si tamen cum lectione adiungant studium necessarium pro legendo cum plausu: quia tunc necessarius est magnus labor, & notabilis fatigatio mentis cũ magna consumptione spirituum, quod magis consumit corpus, quã quiuis labor mechanicus sufficiens ad soluendam obligationem ieiunij. Et hoc à fortiori verum est, si assistant repetitionibus scholarium, & congressui, in quo inter se disputant, nam tunc interuenit noua mentis defatigatio, cum debeat vti quadam continua speculatione pro soluendis dubijs, & difficultatibus à scholaribus ex citatis.

5 Si vero solum legant quasdam lectiones iam ordinatas, & veluti ex habitu eo, quod pluries easdem lectiones legerint, ita vt cum exiguo studio prævio accedant ad legendum, non video, quomodo possint esse immunes ab obligatione ieiunandi. Neque enim est eadem ratio de ipsis, ac de concionatoribus, qui parum laborant, cum non habeamus consuetudinem interpretantem, quod vniuersaliter Lectores sint immunes, sicut habemus de concionatoribus, qui quotidie in quadragesima concionantur Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 116.

6 Ex hoc autem sequitur, quod, quando Lectores assistunt publicis disputationibus, aut etiam priuatis, in quibus tamen præter scholares alij Lectores, aut Doctores arguant, immunes sint à ieiunio: quia tunc interuenit magna mentis agitatio, & continuus quidam in speculando conatus cum ingenti consumptione spirituum, vnde prouenit notabilis lassitudo, & maior, quam in operarijs, qui immunes sunt à ieiunio. Et sequitur Leander *in prac. Eccles. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 117. Qui tamen limitare, ait, se loqui, nempe quando in toto disputationis cursu vtuntur magno conatu in respondendo, & speculando. Verum non video, quam limitationem addat.

7 De

7 De arguentibus vero, qui arguunt in publicis disputationibus tenendum est, quod si multo tempore insistant in arguendo, & simul vtantur conatu mentis in speculando, dum arguunt, vt aliquando contingit in Lectoribus, & cœteris Doctoribus possint excusari à ieiunio ob eamdem causam, quia labor est magnus habita ratione consumptionis spirituum. Secus vero dicendum de scholaribus, quia proferunt argumenta cumpræparata, nec multum fatigantur ex speculatiuis conatibus. Vnde nec sentiunt notabilem lassitudinem, præsertim quia exiguum tempus insumunt in arguendo.

An Cathedratici, qui legunt solum ostentationis causa ad comparandum nomen eximantur ab obligatione ieiunandi.

Decis. 328.

SVMMARIVM.

1 *Cathedratici legentes ostentationis causa non videntur immunes a ieiunio.*
2 *Sunt immunes.*
3 *Etiam si possint omittere lectiones absque vllo damno.*
3 *Præceptum ieiunij non obligat, vt quis se reddat potentem ad ieiunandum relinquendo consueta exercitia.*
4 *Cathedraticus legens vnam, aut alteram lectionem est immunis a ieiunio pro ijs diebus.*

1 Negatiue responderent Doctores duabus præcedentibus Decis. pro priori sententia citati, quia si non est possibile ieiunium cum lectione præualere, debet præceptum, nam præcepti obseruatio non est excludenda absque graui necessitate.

2 Attamen, quod talis cathedraticus exemptus sit à ieiunio, docent Teler. *lib. 6. c. 4. num* 4. Quia putat obuenire posse ipsi detrimentum, nisi lectiones continuaret. Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 14. an limit. 1. &c pred dicis.* Fernandez *p. 2. Exam. theol. mor. c 8. § 2. n. 12. ver. Dubitari posset.* Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. nu. 17. ver. Imo, tantum.* Sequuntur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 118.* Martinus à S. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr 12 de ieiun. num. 13.* Quia putant, quod si omitteret lectionem, subiret damnum honoris, aut alterius commodi inde obuenientis.

3 Et hæc opinio nedum vera est, sed etiam amplianda, vt nimirum absolute locum habeat etiam si ex omissione lectionis nullum detrimentum prouenires; nam præceptum ieiunij superueniens afficit homines sicut reperit, & si reperit potentes, obligat: secus autem, si non reperit: vnde non tenentur se reddere potentes, si alioquin impotentes sint, aut relinquendo consuetum exercitium, aut aliquo alio modo. Vnde, vt supra cum communi sententia docuimus, artifex diues, qui ratione laboris non potest ieiunare, non tenetur relinquere laborem, vt ieiunare possit, etiam si nullum incommodum pateretur. Vnde nec etiam Cathedraticus tenetur relinquere munus legendi, aut lectionem prætermittere.

4 Quod, si contingat vnam, aut alteram lectionem legere, idque in die ieiunij, si indigeat longo studio, & plurimum mentem fatiget, immunis erit à ieiunio pro die, in qua legit, imo etiam die antecedenti, si in eo plurimum studeat, vt se præparet ad legendum; nam militat eadem ratio laboris, & lassitudinis, quæ causatur ex studio prolixo.

An Ludimagistri obligentur præcepto ieiunij.

Decis. 329.

SVMMARIVM.

1 *Ludimagistri eximuntur ab obligatione ieiunandi secundum aliquos.*
2 *Qui legunt Grammaticam pluries in die, an eximantur ab obligatione ieiunandi.*
3 *Quando immunes sint.*

1 Ludimagistros eximit ab obligatione ieiunandi. Laiman. *lib. 4. theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 4.* Et Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 13. n. 7.* eximit docentes grammaticam, qui singulis diebus legunt quattuor lectiones saltem à dimidio ieiunij quadragesimalis, quia, ait ipse subeunt magnum laborem, & quantumuis *robusti* diu durare non possunt.

2 Quod quidem verum est, quia tale munus requirit magnam occupationem mentis, ex qua prouenit notabilis consumptio spirituum; vnde absolute eos totaliter ab obligatione ieiunandi eximerem.

3 Sicut etiam Ludimagistros, qui plures adolescentes habent instituere, ita vt fere per totum diem, aut maiorem partem ipsius in hoc occupentur, nimirum interpretando Auctores latinos, declarando regulas grammaticales, & ad praxim per scholares reducendo, corrigendo eorumdem compositiones, & alia munia huiusmodi obeundo, præsertim si adolescentes in plures classes distributi sint quia tunc multiplicatur labor. Huiusmodi enim munus requirit ita ingentem occupationem, & mentis defatigationem, vt fiat plurima consumptio naturalis vigoris: vnde aliquando corpus ita relinquitur lassum, ac si ingentem extraordinarium laborem subijsset. Ij tamen, qui solum quattuor, aut quinque adolescentes habent instituere, non sunt sunt eximendi à ieiunio, quia exiguus numerus reddit laborem valde moderatum. Et supradicta amplectitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 119.*

An Scholaris, qui est habiturus lectionem examinis, aut oppositionis, aut solemnem disputationem sit immunis à ieiunio.

Decis. 330.

SVMMARIVM.

1 *Scholaris habiturus lectionem examinis, aut oppositionis non tenetur ad ieiunium, si commode non potest ieiunare.*

2 Imo

2 *Imo absolute non tenetur.*
3 *Idem dicendum de Scholasticis Theatinorum.*
4 *Scholaris habiturus solemnem disputationem non tenetur ieiunare.*
5 *Scholaris non tenetur protrahere suas functiones, vt ieiunet, quando coincidunt cum ieiunio.*

1 SCholaris, qui est habiturus lectionem examinis, aut oppositionis, censetur immunis à ieiunio, si commodo ieiunare non potest ab Angles *in Florib. q.6. de ieiunio. diffic. 16. append. 3.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 17.* Quia præceptum ieiunij non obligat cum amissione honoris, aut beneficij.

2 Quod si quæras an absolute talis occasio soluat obligationem ieiunandi, respondeo affirmatiuè, quia est actio, quæ requirit totum hominem, & tanti momenti, vt faciat adhiberi omnes conatus: & proinde mens ita occupatur, & ingenij vigor ita enititur, vt generet maximam corporis lassitudinem. & multoties somnum effugere faciat: & proinde, vtpote superans quemuis laborem corporalem, soluentem obligationem ieiunandi, reddit immunem à ieiunio non solum pro die, in quo habetur lectio, sed etiam pro die antecedenti, quia in hoc quoque incipit labor, & fixa mentis applicatio. Quam opinionem sequutus est postea Leand. *in præcep. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 120.*

3 Et valet hæc doctrina etiam pro nostris scholasticis, quando se exponunt examini, aut totius cursus, aut etiam annorum tractatuum, quia licet non habeant lectionem super aliquo puncto, debent tamen esse parati ad explicandam quamlibet difficultatem, & quæstionem, de quo à tribus examinatoribus interrogentur, & soluendas qualcunque obiectiones, quæ ab ijsdem fiant, quod longe difficilius est, & longe maiorem laborem requirit.

4 Similiter quando scholaris est habiturus solemnem disputationem ob eamdem rationem censendus est immunis à ieiunio pridie ad disputationem, & ipso die disputationis, nam colliguntur omnes spiritus, & interuenit grandis conatus ingenij non solum in disputando, sed etiam in præparatione ad disputationem, & ita labor ingenij redundat in corpus, vt ipsum valde maceret.

5 Nec tenentur scholares in alium diem protrahere has functiones, tum quia multoties commode non possent, tum etiam, quia præceptum ieiunandi non obligat, vt ea protrahantur, aut omittantur, quæ alioquin essent eo die facienda, quia solum præcipit ieiunium, non autem potentiam ad ieiunandum, quando potest poni.

An Confessarij, qui plurimum occupantur in confessionibus audiendis, teneantur ad ieiunium. Decis. 331.

SVMMARIVM.

1 *Confessarij, si commode ieiunare non possunt, excusantur, si ex officio audiant confessiones.*
2 *Adhuc excusantur si voluntarie audiant.*
3 *Audire assidue confessiones per totum fere diem absolute eximit ab obligatione ieiunandi, siue possit confessarius ieiunare, siue non.*
4 *Quomodo hæc doctrina limitanda.*

1 EXcusari à ieiunio, si commode ieiunare non possunt, eos, qui ex officio tenentur audire confessiones, sequitur ex generali doctrina eorum, qui id tradunt de concionatoribus, quos supra Decis. 326. *num. 1.* citauimus, & specialiter tradunt. Caiet. *2.2. q. 147. ar. 3. ver. Ad hoc dicitur.* Tolet. *lib. 6. c. 4. n. 4.* Angles *in Florib. q. 5. de ieiunio. diffic. 16. append. 1.* Fernandez *p. 2. Examinis theol. mor. c. 8. §. 2. n. 12. ver. Quarta causa.*

2 At omnes eximi à ieiunio, quando commode ieiunare non possunt, docent Tabiena *verbo* Ieiunium *n. 16.* Azor. *1. par. lib. 7. c. 18. q. 1.* Molfes. *tom. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 48.* Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 8. n. 10.* Diana *p. 1. tr. 9. Resol. 10. ver. Notandum est.* Bassæus *in Floribus Theol. practicæ verbo* Ieiunium *2. n. 9.* Syluius *2.2. q. 147. ar. 4. ver. Mitius bonum.* Io. à Cruce *p. 1. Director. conscien. præc. 3. ar. 4. n. 7. in fine.* Ortiz *in summa c. 19. n. 15.* Hieronimus Perez *p. 1. sum. theol. præcepto 3. §. De ieiunio. circa finem.* Lublinus *p. 1. sum. verbo* Ieiunium *n. 5.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 9.* Bizozer. *par. 4. sum. de 3. præc. c. vlt. memb. vlt. n. 6. in fine.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 15.* Leander *tr. 5. in præc. Eccl. disp. 8. q. 115.* Bosfius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 54.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n. 11.* Andreas Mendus *in Bull. Cruc. disp. 13. c. 1. n. 2.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de præc. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 181.* Quia melius est, & vtilius confessiones audire, quam ieiunare, ieiunium autem non est impeditiuum maioris boni.

3 Sed hi Doctores relinquunt mentem scrupulis plenam, quia confessarius difficile statuet, an possit commode ieiunare, & semper dubitabit. Vnde absolute puto, quod munus audiendi confessiones eximat ab obligatione ieiunandi pro ijs diebus, quibus exercetur, quando assidue, & per maiorem partem diei ipsi incumbunt; nam est valde laboriosum, cum requirat continuam attentionem, & mentis agitationem, tum in interrogandis pœnitentibus, tum in expendendis peccatis, & circumstantijs, tum in decernenda obligatione pœnitentijs, & in alijs huiusmodi: vnde causatur magna debilitas capitis, & consequenter totius corporis, & plures nequeunt diu resistere per plures horas, quod satis indicat magnitudinem laboris.

4 Hoc tamen debet intelligi, quando confessiones laboriosæ sunt, quia si pœnitentes exponerent tantum peccata venialia, etiam si confessarius per plures horas audiret tales confessiones, quia mens, non fatigaretur, non excusaretur à ieiunio. Vt notat etiam Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 13. nu. 11.* & sequutus est etiam Bosfius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. nu. 84.* contra Leandrum *n. 2. citat.* qui sine fundamento agnoscit grauem laborem in audiendis solis peccatis venialibus, cum tamen nec corpus, nec intellectus fatigetur. Quod etiam procedit de ijs, qui solum audiunt pœnitentes, & melius abstinerent à tali munere, cum inhabiles sint, nec mentem fatigant,

quia nesciunt, quam obligationem teneant in tali munere obeundo.

An exercentes supradicta munera voluntariè ob lucrum, vel ex alio capite, immunes sint à ieiunio. Decis. 332.

SVMMARIVM.

1 *Voluntarie audientes confessiones, concionantes, legentes, & alia similia exercentes secundum aliquos non excusantur à ieiunio.*
2 *Ieiunium cedit operibus præstantioribus.*
3 *Si prædicta opera principaliter exerceantur ob lucrum, secundum alios non excusant a ieiunio.*
4 *Absolute, ex quacunque causa exerceantur excusant a ieiunio.*
5 *Ieiunium, si incompossibile sit cum opere nobiliori, cessat ex intentione Ecclesiæ.*
6 *Munera, quæ ex natura sua excusant a ieiunio, excusant etiam voluntarie suscepta.*

1 NON esse immunes à ieiunio, quando id voluntarie faciunt, siue ob lucrum, siue ob aliam causam, & non ex officio, obedientia, aut voto, docent Caiet. 2 2 *q. 147 ar. 3. ver. Ad hoc dicitur.* Syluester *verbo* ieiunium *n. 26.* Summa Corona *p. 1. c. 1. n. 27.* Tolet. *lib 6 c. 4. n. 4* Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 9. n. 19.* Binsfel. *p. 3. Enchir. c. 33 concl. 9.* Philiar *tom. 1. De offic. Sacer. p 2. lib. 3. c. 25.* Fernandez *p. 2. Exam. theol. mor. c. 8. §. 2. n 12.* Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio. diffic. 14 in limit. 1. append.* Hieronimus Perez *p. 1. sum. theol. prac. §. De ieiunio circa finem.* Palat. *in sum. verbo* Ieiunium. Medina *C. De ieiunio q. De his, qui ieiunare tenentur.* Et inclinare videtur etiam Azor. *p. 1. lib. 7. c. 18 q. 1.*

2 Sed quo fundamento id doceant, non video. Si enim esset vera hæc sententia, sequeretur, quod non raro essent omittenda opera præstantiora, & maioris vtilitatis ob seruandum ieiunium, quia nimirum ex mera voluntate exercerentur, & etiam ob mercedem, quod est contra tex. *Non mediocriter De Consecrat. Dist. 15.* Deinde potest quis exercere artes Mechanicas incompossibiles cum ieiunio ex mera voluntate ob solum lucrum, quo tamen non indiget, & tamen communiter eum excusant, ne teneatur ieiunare, cur ergo non erit id dicendum de his operibus pietatis?

3 Itaque alij docent, quod si hæc opera exerceantur principaliter ob lucrum, non excusant à ieiunio, secus vero si minus principaliter. Ita Nauar. *in Manuali c. 21. n. 17.* Graff. *p. 1. lib. 2. c. 37. n. 54* Reginal. *tom. 1. Praxis fori pœnit. lib. 4 c. 17. nu. 219.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub 7. n. 15.* Sed non video, quid faciat intentio magis, vel minus principalis circa lucrum, nam intentio huiusmodi non operatur aliquid circa exemptionem à ieiunio, sed solum munus, quod exercetur, ex eo quod non potest commode stare cum ieiunio, & si semel non teneor prætermittere tale opus, vt ieiunem, iam eximor ex vi operis ab obligatione ieiunandi, & nihil refert, quod magis, vel minus principaliter intendam lucrum.

4 Absolute ergo tenendum est, quod etiam si omnino voluntarie hæc opera exerceantur, eximant ab obligatione ieiunandi. Et fundatur hæc opinio in doctrina D. Th. *in 4. dist. 15 q 3. ar. 1 q. 2. ad 3.* Vbi docet, quod est indiscretũ ieiuniũ, quando impedit opus nobilius, & maioris charitatis, & obstat officijs charitatis. Et proinde iuxta ipsum hæc opera anteponi possunt ieiunio, etiam si absque necessitate suscipiantur. Quod etiam docet Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 1. notab. 4.* Et traditur à Lessio *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 6. n. 44.* Filliucio *tom. 2. Praxis fori pœnit. tr. 27. p 2. c. 6. n. 124.* Ledesma *2. par. 4. q. 17. ar. 3. post 2. proposit. ver. Secunda causa* Laiman. *lib 4. Theol. mor. tr. 8 c. 3. n 4.* Bonacina *tom. 2. Disp. vlt. De præc. Eccl. q. 1. punc. vlt. n. 13.* Palat. *in 4 dist. 15. disp 8.* Syluio *2. 2. q 147. ar. 4. ver. Maius bonum.* Diana *1. par. 9. Resol. 11 ver. Sed ego puto.* Sanchez *lib. 5 consil mor. c. 1. dub. 13 n. 3.* Altero Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. nu. 17.* Llamas *p. 3. Meth. c. 5. § 21.* Basseo *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium *2. n. 9.* Bossio *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n 77.* Et à cœteris Doctoribus, qui docent absque vlla limitatione, quod huiusmodi opera excusant à ieiunio.

5 Ratio est. Quia Ecclesia præcipiens ieiunium, intendit perducere homines ad finem supernaturalem, & ad salutem consequendam, sicut etiam intendit in alijs præceptis; dum ergo ieiunium incompossibile est cum aliquo alio opere, quod melius conducit ad finem supernaturalem, quia nimirum est excellentioris virtutis, ex intentione Ecclesiæ cessat obligatio ieiunandi, quia alias esset sibi contraria, siquidem intendens perducere homines ad finem supernaturalem omni meliori modo possibili, vellet cessare, quæ meliori modo conducunt ob illa, quæ non ita excellenter conducunt.

6 Deinde huiusmodi opera ex natura sua sunt talia, vt possint excusare à ieiunio, ergo etiam si voluntarie assumantur ex quocunque capite semper excusabunt, quia quilibet habet ius ad ea exercenda, nec Ecclesia prohibet vti pro quocunque tempore tali iure, neque etiam pro illo die, pro quo præcipit ieiunium, non enim apparet talis prohibitio. Nec potest dici, quod implicitè contineatur in præcepto ieiunij., quia præceptum non imponit ieiunium, nisi ijs, qui possunt ieiunare, non autem impotentibus, etiam si impotentia superueniat ob exercitium illius diei: vnde non tollit ius, quod quilibet habet ad quodlibet exercitium, etiam si sit impeditiuum ieiunij.

An scholares diu, multumque studentes, sint immunes ab obligatione ieiunandi. Decis. 333.

SVMMARIVM.

1 *Scholares assidue studentes non excusantur secundum aliquos a ieiunio.*
2 *Excusantur in Quadragesima, si toto illo tempore deberent cessare a studijs.*
3 *Studium continuum, & assiduum soluit obligationem ieiunandi.*
4 *Cur ieiunium officiat multum studentibus, licet vti debeant modico cibo.*

5 Scho-

5 *Scholares non teneantur minuere consuetum studium, vt possint ieiunare.*
5 *Cur ieiunium non obliget relinquere consuetum exercitium.*
6 *Omnes, qui continuo, & assidue studeant ex quacunque causa, sunt immunes a ieiunio.*
7 *Etiam si studium interpoletur, sed per alia laboriosa exercitia.*

1 NON esse immunes, quamuis studium continuum sit, atque assiduum, docet Angles *in Floribus. q. 6. de ieiunio difficul. 14. append. 2.* Qui vult, quod si non possunt ieiunare, debent laborem studij remittere, & seruare ieiunia, quia publica obseruantia non est facile omittenda, & sequitur Baffeus *in Florib. theol. practica verbo* Ieiunium 2. *n. 8.* Bonacina *tom. 2. disp. vlt. De praec. Eccl. q. 1 punc. vlt n. 12.* Molfes. *p. 1 sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 18 q. 8. ver. Quares etiam.* Trullench. *lib. 3. in Decal. cap. 2 dub. 7 num 9.*

2 Idem fere docet Sanchez *lib. 5. consil mor. c. 1. dub. 13. n 8.* Et solum excusat, quando essent ita debiles, vt ob ieiunium perderent totum quadragesimae studium. Quod sane verum est, quia praeceptum Ecclesiae non obligat cum tanto incommodo, quale esset omissio studij per tot dies, nam praeter tempus, quod perderent, aut de nouo deberent audire illos tractatus, aut saltem in alio tempore priuatim audire illas lectiones, quod fieret cum magno dispendio, & incommodo.

3 In hac difficultate hoc mihi certum videtur, quod studium continuum, atque assiduum sit causa sufficiens, ob quam soluatur obligatio ieiunandi, quia magis lassat, & debilitat, quam quodlibet exercitium corporale mechanicum, nam, vt dici solet, tanquam lima surda consumit. Continua namque speculatio, & attentio consumit spiritus, & naturalem vigorem; vnde in corpore generatur macies, & pallor, & impediuntur naturales facultates, ne bene fungantur suis functionibus, & ideo si accederet etiam ieiunium, nimium corpus consumeretur. Atque hoc regulariter est verum, licet per accidens in aliquo ob bonam, & fortem complexionem studium non causet damnũ valde cõsiderabile.

4 Nec obstat, vt ait Sanchez *citatus.* quod potius scholaris indigeat modico cibo, quia solum hoc est verum, si hoc modicum sit intra terminos mediocritatis, ita vt nutriat sufficienter, & non aggrauet naturam: non tamen debet macerare, sicut macerat cibus iuxta mensuram ieiunij. Adde, quod sumere tantum cibi in vnica comestione, quantum sufficiat pro vnico die, aggrauat stomachum, & consequenter impedit attentionem mentis necessariam pro studio; rursus non coenare causat sequenti die capitis debilitatem, quae similiter nocet attentioni, & mentis vigorem habeat.

5 Rursus tenendum est, quod scholaris non teneatur minuere consuetum studium, vt possit ieiunare, vt docet etiam Io. Sanchez *in selectis De Sacram. disp. 54. n. 17. ver. Imo lege ieiunij.* Quia, vt ait ipse, officium studendi est ipsis proprium, a quo non tenentur abstinere, sicut nec coeteri tenentur abstinere a proprio officio. Quod etiam sequuti sunt Leander *tr. 5. in praec. Eccl. disp. 8. q. 121.* Bossius *tom. 3. tr. tit. 21. §. 2. n. 82.* Vt enim dicebamus Decis. *praeced. n. 6.* Praeceptum ieiunandi non priuat iure exercendi ea, quae secum non compatiuntur ieiunium, & praesertim si ex consuetudine exerceantur; sed solum imponit obligationem ieiunandi ijs, qui retento proprio exercitio possunt ieiunare. Vnde etiam ipse Angles *citat. q. 6. diff. c. 10. append. 1.* docet, quod Fabri praediuites excusentur a ieiunio, nec teneantur relinquere exercitium, quod etiam docet Sanchez *citato lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. n. 4.* Vnde non video, quomodo consequenter loquantur. Quod autem praeceptum ieiunij non obliget relinquere consuetum exercitium, quando non patitur secum ieiunium, inde prouenit, quia tale exercitium ratione laboris macerat corpus, & plus fortasse, quam ieiunium, & ideo habetur intentum ab Ecclesia quo ad macerationem corporis, & quia est praeceptum positiuum, quod coarctatur solum ad imponendum tale onus, quando portari potest, per quod clauditur tota obligatio. Et ideo non se extendit ad aliquid aliud, per quod ponatur potentia ad illud portandum. Vnde etiam si scholaris sufficienter proficere posset, minuendo studium, non tenetur minuere, vt ieiunet, praesertim quia insuper se priuaret magno commodo, nempe illo maiori profectu.

6 Hinc ob eandem rationem ij omnes, qui solent continuo, & assidue per totum diem studijs vacare, vel componendo aliquid typis mandandum, vel se praeparando pro concionibus, aut pro lectura, vel quacunque alia de causa, etiam si solum studeant delectationis causa, dummodo exercitium sit consuetum excusantur, ne ieiunent, quia possunt vti iure suo, quod habent ad continuum, & assiduum studium, & praeceptum ieiunij reperit ipsos impotentes.

7 Quod si studium sit interpolatum per admixtionem illorum exercitiorum, quae si continuarentur per totum diem, excusarent a ieiunio, vt contingit in religiosis, qui intermittunt studium, vt cantent in choro, vt audiant confessiones, inseruiant Ecclesiae, & in lectoribus, vt legant, repetitiones audiant, & assistant disputationi scholarium, adhuc eximit ab obligatione ieiunandi, quia parum refert, quod quis per totam diem occupetur in eodem, aut pluribus exercitijs, dummodo omnia laboriosa sint.

An Aduocati, Procuratores, & Iudices obligentur ad ieiunia.
Decis. 334.

SVMMARIVM.

1 *Aduocati, & Procuratores secundum aliquos obligantur ad ieiunia.*
2 *Non obligantur, quando laborant per totum diem.*
3 *Munus aduocati, & Procuratoris quam laboriosum.*
4 *Aduocati apud Venetos potiori ratione sunt immunes a ieiunio.*
5 *Quando Iudices sint immunes a ieiunio.*

1 AFfirmatiue respondent Ledesma *tom. 2. sum. tr. 27. c. 2. concl. 2. dub. 3. ver. La segunda causa*. Reginaldus *tom. 1. Praxis fori pœnit. lib. 4. c. 17. n. 216.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 4. ver. Necessitas.* Molfes. *p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Azor. *instit. lib. 7. c. 18. q. 8. ver. Quæres etiam.* Gordonus *lib. 6. Theol. moral. q. 18. c. 6. ver. Secunda causa.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 9.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. prac. 3. ar. 4. dub. 9. concl. 2.* Martin à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 8.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 162. & n. 183.* Quia nimirum non ita laborant, vt excusari possint.

2 At non obligari, quando multum laborant, ita vt totum diem in suo munere insumant tenendū est cum Filliucio *tom. 1. De officio Sacerdotis p. 2. lib. 3. c. 35.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 13. n. 10.* Ortiz *in sum. c. 19. prac. 2. n. 15.* Diana *p. 1. tr. 9. Resol. 12.* Io. Sancio *in selectis de Sacramentis disp. 54. n. 17. ver. Et quoque.* Ghilino *in sum. verbo* Ieiunium *n. 21. littera P.* Summa Corona *p. 1. c. 1. n. 27. circa finem.* Bossio *tom. 3. mor. tit. 21. num. 83.* Leandro *in prac. Eccl. tract. 5. disp. 8. qu. 122.*

3 Cum enim aduocati, & Procuratores debeant studere, scripturas legere, & ponderare, informare Iudices, scribere pro Clientibus, valde fatigantur; quia hæc munera requirunt continuum mentis conatum, & consumunt naturalem vigorem vnde remanet corpus lassum, & defatigatum, & ideo quando continua sunt, & assidua, incompossibilia sunt cum ieiunio. Et à fortiori non tenentur minuere laborem, vt etiam in Decis. *præcedenti* dicebamus de Scholaribus.

4 Et hoc potiori ratione valet de Aduocatis apud Venetos, quia præter studium, & ponderationem scripturarum, & præparationem patrocinij, valde fatigantur in ipso actu patrocinij, siquidem oretenus patrocinantur, & instituunt longam dissertationem (vulgo *Ringa*) in fauorem Clientis, & hoc non rarò pluries in die præstant: vnde ducunt vitam maxime laboriosam.

5 De Iudicibus eadem est ratio, quando in suo munere plurimum occupantur. Est enim munus laboriosum, cum debeant legere, & ponderare scripturas, & studere pro sententia ferenda. Et ita notat Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. num. 17. ver. Imo si tantum* in fine, & consentiunt Doctores communiter, dum docent, quod quando quisque non potest cum ieiunio fungi suo munere, liberatur ab onere ieiunandi.

An Scribæ, & Notarij absoluantur à ieiunio. Decis. 335.

SVMMARIVM.

1 *Scribæ, & Notarij secundum aliquos non sunt immunes à ieiunio.*
2 *Scribæ sunt immunes.*
3 *Etiam si absque necessitate scribant.*
4 *Notarij non sunt immunes à ieiunio, nisi transcribant scripturas per totum diem.*
5 *Quando Secretarij sint immunes à ieiunio.*

1 NON absolui docent Azor. *par. 1. lib. 7. c. 18. qu. 8. ver. Quæres etiam.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. prac. 3. ar. 4. n. 7.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 16. initio.* Licet postea in fine concludat, quod debeant consulere suam imbecillitatem. Molfes. *p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 43.* Qui tamen solum loquitur de Notarijs Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 7. n. 7.* Gordonus *lib. 6. Theol. mor. q. 18. c. 6. ver. Secunda causa.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 9.* Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 8.* Roccaful *in praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. c. 9. n. 162.* Putant enim horum laborem non esse talem, vt absoluere possit à ieiunio.

2 At scribas ratione laboris, quando *necessitate* vrgentur, absoluunt à ieiunio Angles *in Florib. q. 6. de ieiunio diffic. 10. append. 1.* Nam inquit ipse, tres digiti scribunt, cætera membra dolent, Ludouicus à S. Ioanne *p. 1. sum. tr. de ieiunio. & ar. 7. diffic. 8. append. 1.* Diana *p. 4. tr. 4. Resol. 130.* Summa Corona *p. 1. c. 1. n. 27.* Leander *tr. 5. in præcep. Eccl. disp. 8. q. 123. & 124.* Et merito, quando per totum diem scribunt; labor enim ingens est, & caput valde fatigatur, interuenit magna consumptio spirituum, & naturalis vigoris. Vnde vidi plures alioquin robustos non posse per plures horas continuas resistere labori, cum tamen potuerint resistere alijs laboribus, qui excusant à ieiunio. Accedit etiam, quod qui assidue *scribunt* non possunt in vnica perfectione tantum *cibi* sumere, quantum sufficiat, alioquin nimis grauarentur, nec possent suo muneri incumbere, vnde etiam ex hoc capite excusantur.

3 Et hoc locum habet, siue ex necessitate scribant, siue absque necessitate, quia, vt diximus *in superioribus*, non requiritur necessitas, vt munus, quod non compatitur ieiunium, absoluat ab ipso. Nam præceptum ieiunij non tollit ius ad quodcumq; munus exercendum.

4 Quod autem spectat ad Notarios, *si transcribant scripturas*, & per totum diem in *hoc laborent*, eadem est ratio de ipsis, ac de *scribis. Si autem vacent* componendis instrumentis, & alijs scripturis, non absoluuntur ab onere ieiunandi, vt optime docent Doctores *n. 1.* allati, quia labor valde modicus est, nec est continuus.

5 Hinc deducitur Secretarios ijs diebus, quibus litteris scribendis vacant, si per totum diem in hoc munere occupentur, absolui à ieiunio; vt etiam notat Angles *n. 2.* citatus, nam non solum laborant in scribendo, sed etiam in componendis litteris, & ideo potiori ratione absoluuntur à ieiunio. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 124.* Oppositum tenet Trullench. *supracitatus*, qui tamen non est sequendus.

An Medici, & Chirurgi immunes sint à lege ieiunandi. Decis. 336.

SVMMARIVM.

1 *Qui eximat Medicos ab onere ieiunandi.*
2 *Non eximuntur ratione laboris, nisi premantur multitudine infirmorum.*
3 *Neque eximuntur ob vitandum periculum fœtoris.*

1 ESse immunes, docet Llamas *p.3. Method. c.5. §.21.* & ait, se id constanter asserere; quia foetor infirmorum, & vlcerum timendus est tanquam nociturus ieiunis, presertim si morbus contagiosus sit. Scimus enim, ait ipse, damna certa, quæ affert ieiunis infirmorum halitus.

2 Itaque neque per ipsum Llamas excusandi sunt ratione laboris, nam est valde moderatus. Solum contingere potest, quod aliquando excusentur, quando nimirum premuntur multitudine infirmorum, ita vt huc, illuc discurrendum sit ad medendum; tunc enim labor est magnus, præsertim quia coniungitur cum magna mentis occupatione in considerandâ qualitate morborum, & inueniendis remedijs opportunis. Atque si sumant vnicam tantum refectionem in consueta quantitate vnius refectionis, non sufficienter aluntur, ita vt resistere possint labori; si vero in maiori quantitate, aggrauantur, nec commode fungi possunt munere. Et hoc præcipue est verum, si concurrat debilitas personæ. Et sequutus est Leander *in præcep. Eccl. tract.5. disput.8. qu.125.*

3 Quod autem ratione foetoris nocituri ieiunis excusentur, nullo pacto mihi probari potest: nec experientia docet, quod tantum periculi sit in tali foetore, & halitu infirmorum. Nec vnquam vidi, aut audiui non obstante, quod pluribus in locis commoratus sim, quod Medici summo mane antequam visitent infirmos, reficiantur ne ieiuni accedant, aut Chirurgi antequam current infirmos. Et ad summum, quando ratione morbi adest periculum vtuntur aliquo electuario præseruatiuo, quod cum sit per modum medicinæ non soluit ieiunium, atque adeo nec cessat obligatio ieiunandi in illo die. Vnde concludendum est, quod minime sint exempti regulariter à ieiunio. Nec etiam ratione foetoris, sicut etiam vult Leander *in præc. Eccl. tract.5. disput.8. q.125.* nam experientia docet non opus esse soluere ieiunium.

An Episcopus teneatur ieiunare pridie illius diei, in quo habiturus est ordinationes, aut alias functiones laboriosas, vt consecrationem Ecclesiæ, celebrationem solemnem, & alias huiusmodi. Decis. 337.

SVMMARIVM.

1 *Quando Episcopus non teneatur ieiunare pridie ad functiones ecclesiasticas laboriosas.*
2 *Quæ spectant ad munus Episcopi præferenda sunt ieiunio.*
3 *An Episcopi, dum visitant, sint immunes a ieiunio.*

REsp. non teneri ad ieiunium, si sit debilis complexionis, ita vt egrè possit post ieiunium substinere laborem functionum ecclesiasticarum. Et desumitur ex ijs doctoribus, qui docent, quod opera meliora præferenda sunt ieiunio. Sic D. Th. *in 4. dist.15. q.3. ar.1. quæstiun. 2. ad 3.* Gabr. *dist.16. q.3. ar.1. notab. 4. circa finem.* Palat. *dist.15. d.8.* Caiet. *2.2. qu.147. ar.3. §. Ad hoc dicitur.* Medina *Cod. De ieiunio q.9.* Viguer. *c.7. Instit. §.3. ver.1. circa finem.* Nauar. *in Manuali c.21. n.16.* Ledesma *2.p. 4.qu. 17. ar.3. proposit.2. ver. Secunda causa.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.9.* Azor. *1.p. lib.7. c.18. q.1.* Et alij, quos in superioribus Decisionibus citauimus iuxta tex. Cap. *Non mediocriter De consecrat. dist. 5.* Et in speciali tradidit Angles *in Florib. 2. p. in 4. q.6. De ieiunio diffic. 16 append.1.* Et sequitur Leander *in præc. Eccl. tract.5. disp.8. q.136.*

1 Ratio autem est. Quia Episcopus non minus tenetur exequi ea, quæ spectant ad proprium munus, quam teneatur ieiunare, quia cum sit Pastor obligatur ad ea exequenda, quæ pertinent ad Pastorem; hæc autem debent anteponi ieiunio, quia spectant ad bonum publicum, & ieiunium ad bonum priuatum; bonum autem publicum debet præferri priuato. Vnde adest etiam maior obligatio ad hæc munera præstanda, quam ad ieiunandum, quia est obligatio specialis, obligatio autem ieiunandi est generalis. Species autem derogat generi ex Cap. *Generi. De regulis iuris in 6.*

3 Hanc doctrinam extendit Angles *n.1.* citatus ad Episcopos etiam quando visitant. Sed hoc non ita vniuersaliter accipiendum est, nam regulariter in visitatione non interuenit tantus labor, qui cum ieiunio stare non possit: nam nec multum corpus, nec multum animus fatigatur. Vnde nisi visitatio ex specialibus circumstantijs contingat laboriosa, vt si esset coniuncta cum laborioso itinere, non puto eximi Episcopos ab obligatione ieiunandi. Et sequutus est Leander *in præcept. Eccles. tract. 5. disput. 8. quæst. 137.*

An Cantores immunes sint à ieiunio. Decis. 338.

SVMMARIVM.

1 *Cantores, si reddantur inhabiles ad canendum, sunt immunes a ieiunio.*
2 *Raro possunt reddi inhabiles, cum possint obuiare comedendo oua.*
3 *Si reddantur inhabiles, sunt immunes a ieiunio, cuicunque inseruiant.*
4 *Etiam si canerent, & non ob lucrum.*
5 *An Cantores, qui diu cantant in Choro, sint immunes a ieiunio.*
6 *Cantores, qui fere per totum diem canunt, sunt immunes a ieiunio.*

1 IMmunes esse, quando ieiunium redderet inhabiles ad canendum, docent Filliucius *tom.2.tr.27.p.2.c.6.num.124.* Roccaful.*tom.2.de praec.Eccles. lib.3.c.9.num.*182. Leander *in praec.Eccl.tr.5.disp.8 quaest.*126. Martin. à S.Ioseph.*tom.1.mor. lib.2.tr.12.de ieiun. num.* 12. Andreas Mendus *in Bull. Cruc.disp.*13.*c.1.n.2.* Io. Sanchez *in selectis de Sacramentis disp.54.n.18. & 19.* Addens id procedere non solum de Cantoribus conductis ad canendum, sed etiam in ijs, qui inseruiunt cameræ ad solatium Regis. Diana *par.1.tr.9.Resol.*41.ver.*Quo ad musicos.* Qui idem tenet de Cantoribus inseruientibus cameræ non solum Regis, sed etiam magni Principis. Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *n.21.littera R.* Trullench. *lib.3. in Decal.c.2. dub.7. n.15.* Et sequitur ex communi doctrina Doctorum, quod nemo teneatur ieiunare, quando impediretur à proprio exercitio.

2 Hanc quidem doctrinam veram existimo, sed puto rarò contingere posse, quod sit necessarium relinquere ieiunium ob conseruandam vocem, quia vox potius conseruatur, & melius cum mediocri cibo. Solum qualitas ciborum obesse posset voci, nam cibi quadragesimales, vt experientia constat, valde contrarij sunt voci, præsertim quia catharros generant, & male afficiunt organa. Sed huic damno occurri potest absque violatione ieiunij, si nimirum Cantores comedant oua, & lacticinia, tunc enim abstinere possunt ab oleo, & piscibus sale, aut aceto conditis.

3 Si autem absolute non possent ieiunare, tunc quoscunque Cantores, in quibus id contingit, cuicunque inseruiant, censeo exemptos esse a ieiunio, quia cum vox sit instrumentum ipsorum, quo ad lucrandum vtuntur, subirent maximum damnum si illam amitterent, & ideo non tenentur ieiunare cum periculo amittendi vocem.

4 Quod verum puto, etiam si aliquis caneret, & non ad lucrandum. Quia adhuc in ipso vox est illa, ratione cuius magni fit, & honoratur: vnde adhuc subiret magnum damnum, si illam amitteret; & proinde non tenetur cum periculo amissionis ieiunare.

5 Sed dubium remanet, an Cantores, qui canunt in Choro per plures horas, vt ij, qui non solum canunt horas canonicas, & officium B. Virginis, quando in Breuiario præscribitur, sed etiam plures missas in eodem die, immunes sint ab obligatione ieiunandi. Resp. regulariter non esse immunes, nam videmus passim hoc practicari cum manutentione ieiunij, quia licet laboriosum sit tandiu cantare, cum tamen non sit, nisi per paucas horas diei, non sufficit, vt tollat obligationem ieiunandi. Si tamen cantor esset debilis complexionis, ita vt post ieiunium lassus remaneret, & parum habilis ad cantandum toto illo tempore, posset vespere antecedenti cœnare, aut saltem largiorem collactiunculam sumere, quando contingeret mane sequenti diu esse cantandum, & hanc puto esse mentem Viguer. *c. 7. Theol Instit. §. 3. ver. 2. in fine.* Dum docet, excusari à ieiunio Cantores, qui laborant in cantando diuino officio. Et sequitur Leander *in praecep.Eccl.tr.5.disp.8.q.127.*

6 Addendum tamen est. Quod si Cantores deberent cantare fere per totum diem, aut in pluribus, aut in eodem loco, tunc labor censendus esset notabilis, & sufficiens ad soluendam obligationem ieiunandi, nam tunc corpus valde fatigatur, & spiritus consumuntur.

An exercentes opera pietatis sint immunes à ieiunio. Decis. 339.

SVMMARIVM.

1 *Exercentes opera pietatis sunt immunes a ieiunio.*
2 *Praecepta Ecclesiæ non impediunt maius bonum.*
3 *Etiam si opera pietatis fiant ob lucrum, absoluunt a ieiunio.*
4 *Quam laboriosa debeant esse, vt absoluant a ieiunio.*
5 *Qui inseruit in omnibus pluribus infirmis, an sit immunis a ieiunio.*
6 *Qui tota nocte assistit infirmo, est immunis à ieiunio sequenti.*
7 *Ostiatim tota die mendicantes pro Regularibus, aut alijs pauperibus sunt immunes a ieiunio.*

1 QVod sint immunes tradunt communiter Doctores, quando tamen commode ieiunare non possunt. Ita D.Th. *in 4. dist.15. qu.3. ar. 1. quaestion 2. pracipuè ad 3.* Gabr. *dist.16.q.3 artic.1.notab.4.* Palat. *disp.8.* Viguer. *c.7.instit.theol.§.3.ver.1.* Medina Cod. *De ieiunio q.9.* Caiet.2.2. *q.* 147.*ar.3. §. Ad hoc dicitur.* & in Sum. *verbo* Ieiunium *c.3.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.9.* Tabiena *q.18.* Armilla *num.5.* Nauar. *in Manual. c.21.n.16.* Tolet. *lib.6.sum.c.4.n.4* Lessius *lib.4. De iust.& iure c.2. dub.6. n.44.* Reginal. *tom.1.Praxis fori pœnit. lib.4.c.17.n.218.* Filliuc. *tom.2. tr 27.p.2.c 6.q.1.* Azor. *p.1.Mor.inst. lib.7.c.18.q.1.* Valent. *2.2.disp.9.q.2.punc.5.*ver. *Pietas excusare.* Angles *in Florib.q.6.de ieiunio diffic.13.* Sà *verbo* Ieiunium *nu.9.* Villalobes *tom.1.sum.tr.23. diffic.3 nu.15.* Io.à Cruce *p.1 Director conscient.praec.3.ar. 4. nu. 7.* Lublinus *par.1. sum.verbo* Ieiunium *n. 5.* Fernandez *par.2. Exam.theol. mor. c.8.§.2.n.12.* ver *Quarta causa.* Ledesma *p.2. sum. tr.27.c.2 dub.3 post.5.conclus.* ver. *La quarta causa.* Summa Corona *p.1.c.1.n. 27.* Rodriquez *p.1.sum.c.22.nu.1.* ver. *La tercera.* Medina *p 1 Instruct. Confessar c.14. §. 10.* Hieronim. Perez *p.1.sum theol. praec.3. § De ieiunio.* Facundez *in 3.praec.Eccl. lib.1.c.8. n.19.* Ledesma 2.4. *q.17.ar.3.*ver. *Secunda causa* Molfes.*p.1.sum tr 10.c 4 n. 48.* Syluius *2.2.q.147.ar.4.*ver. *Maius bonum.* Bonacina *tom.2.disp.vlt. De praec. Eccl.q.1.punc.vlt.n. 13.* Laiman *lib 4.Theol.mor.tract.8.c.3 n 4.* Sanchez *lib.5.consil mor. c.1.dub 3.* Io Sanchez *in select.de Sacram.disp.54 n.22.* Gordon *lib.6. theol.mor. q 18. c 6.* ver. *Secunda excusans* Llamas *p.3. Methodi c. 5. §. 21.* Basseus *in Florib.theol.pract.verbo.* Ieiunium *2.n 9.* Bizozer. *p.4. sum. de 3 praec. c vlt. memb. vlt. n. 7.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2. dub.7 n.15.* Et desumitur ex illo Ad Timoth.4 Corporalis *exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia*, & ex Cap. *Non mediocriter.* De *Consecrat. dist* 15.

2 Ex quo elicitur ratio, quia nimirum præcepta Ecclesiæ non impediunt maius bonum, quia ita pre-

præscribunt bonum: vt si hoc bonum fit impeditiuum alterius boni maioris, cesset ipsorum obligatio ex generali intentione eiusdem Ecclesiæ, quæ sicuti sequitur directionem charitatis, ita etiam semper intendit maiorem gloriam Dei, quæ reperitur in maiori bono in comparatione minoris. Opera autem pietatis sunt maius bonum, nam semper sunt excellentioris virtutis, quàm sit ieiunium.

3 Atque hoc locum habet, etiam si exerceantur intuitu lucri, quia, vt diximus supra *Decis.* 332. *nu.* 4. cum pluribus Doctoribus contra nonnullos alios non obstat lucrum, quando alias opus est incomposibile cum ieiunio. Deinde lucrum non tollit, quin opus pietatis sit excellentioris virtutis, quam ieiunium, atque adeo quod adhuc ieiunium non esset impeditiuum maioris boni, si ob hanc causam, quod interueniret lucrum, non intermitteretur, vt locum haberet opus pietatis.

4 Præsens autem doctrina locum habet, quando opera pietatis laboriosa sunt, vt causent debilitatem notabilem, atque adeo reddant ieiunium nimis onerosum: non tamen requiritur, quod reddant absolute incōposibile quasi si ieiunaret impossibile esset vacare talibus operibus. Sed sufficit notabilis difficultas in exercēdis his operib. simul cū ieiunio. Et sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 128.

5 Ex quibus colligitur, quod si quis deberet inseruire simul pluribus infirmis, vt contingit in illis, qui inseruiunt Hospitalibus, aut in religiosis, qui suis infirmis ministrant, tunc immunis erit ab obligatione ieiunandi, quia tale seruitium exigit continuam occupationem, quæ secum trahit magnum laborem. Hoc autem est intelligendum de ijs, qui parant cibos pro infirmis, & in cæteris seruitijs necessarijs ipsis ministrant non autem de ijs, qui solum assistunt. Et ita tradunt Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Sanchez *lib.* 4. *sum. c.* 6. *n.* 7. Laiman *lib.* 4. *tract.* 8 *cap.* 3. *num.* 4 Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 2. *n.* 86.

6 Secundo colligitur, quod si quis per noctem integram, aut maiorem partem assisteret infirmo non tenetur die sequenti ieiunare, vt notat Ledesma & Rodriquez *supra citati n.* 1. Talis enim assistentia, vt pote quia priuat debito somno, causat magnam debilitatem: vnde superueniens ieiunium nimis onerosum esset. Quod locum habet etiam in Confessarijs, & cæteris, qui confortandi gratia assistunt agonizantibus, militat enim eadem ratio. Et quæ dicta sunt in hoc, & præcedenti numero sequutus est etiam Leander *in prac. Eccl. tr.* 5 *disp.* 8. *q.* 129. & *q.* 130. amplectitur dicta *in n. seq.*

7 Tertio Colligitur, eum, qui tota die ostiatim panem quærit pro religiosis, aut mendicis, excusari à ieiunio, non solum si id faciat ob lucrum tanquam consuetum exercitium, sed etiam ob solam pietatem, vt notat etiam Bizozer. *citat.* Nam exercet actum charitatis, cui non debet præferri ieiunium.

An se flagellantes in processionibus publicis immunes sint ab onere ieiunandi. *Decis.* 340.

SVMMARIVM.

1 *Qui se flagellant in processionibus publicis, non sunt secundum aliquos immunes a ieiunio.*
2 *Sunt immunes, quando labor non compatitur ieiunium.*
3 *Quando Fratres alicuius societatis se flagellant in processionibus, possunt esse immunes a ieiunio, sicut etiam se flagellantes ex pœnitentia iniuncta.*
4 *Voluntarie se flagellantes adhuc possunt eximi a ieiunio.*
5 *An se flagellans, ne ieiunet, excusetur a peccato. Flagellatio an possit assumi ad vitandum ieiunium.*
6 *Quando flagellatio absolute eximat ab obligatione ieiunandi.*
7 *Quid si non sit actus virtutis.*

1 NON esse immunes ab onere ieiunandi, sed teneri aut temperare flagella, aut omnino intermittere docet Palatius *in* 4. *dist.* 15. *disp* 8. Fernandez *par.* 2. *Exam. Th. mor. c.* 8. §. 2. *n.* 12. *ver. Quarta causa.* Trullench *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 15. D. Th. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *ar.* 1. *q.* 2. *ad* 3. Gabr. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. Armilla *verbo* Ieiunium *nu.* 5. Tabiena *q.* 18. Viguer. *c.* 7. *Instit.* § 3. *ver.* 1. quatenus docent, in discretum esse ieiunium impediens opera vtiliora, etiam si non sint de obligatione. Qui tamen excipit Confratres alicuius sodalitatis, quia non debet præceptum cedere tali flagellatione.

2 At esse immunes à ieiunio, quando labor flagellationis est talis, vt secum non compatiatur ieiunium, quod arbitrio prudentis viri remittendum est, tenet Sanchez *lib* 5 *consil mor. c.* 1. *dub* 12. *n.* 2. & 3 Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 22. Ghilin. *in summa verbo* Ieiunium *n.* 21. *littera L.* Filliucius *tr.* 27 *p.* 2. *c.* 6 *n.* 123. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2 *dub.* 7. *nu.* 15. *in fine.* Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 321. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 9. *n* 92. Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib.* 2. *tr.* 12. *de ieiun. n.* 15. Rocc. Fil. *in Praxi tr* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *c* 9 *num.* 184. Quia hæc causa est honestissima, & maxime conuenit religioni, & deuotioni fidelium, quod sint in Ecclesia huiusmodi publicæ flagellationes.

3 Huiusmodi flagellationes, quando fiunt à confratribus alicuius sodalitatis, quia pertinent ad eos, ex officio, cum sint secundum ipsorum institutum, procul dubio reddunt immunes à ieiunio, quia nemo tenetur relinquere proprium officium, aut ea, quæ ad ipsum pertinent, vt ieiunet. Quod à fortiori valet, si fiant ex pœnitentia iniuncta à confessario.

4 Si verò flagellatio omnino voluntarie assumatur, adhuc puto, quod possit excusare à ieiunio, quia est opus pietatis maxime conducens ad edificationem proximi, & compunctionem; & non solum per ipsam exercetur virtus pœnitentiæ, sed etiam humilitatis, & fortitudinis in sustinenda illa pœna: vnde est opus excellentioris perfectionis quam sit ieiunium, & ideo habet cedere præceptum ieiunij, vt diximus in superioribus. Et in hoc conueniunt Doctores, qui volunt opus pietatis, etiam omnino voluntariè assumptum excusare à ieiunio, si reddat ipsum difficile, & in specie loquentes de peregrinatione tradunt Doctores Decis. sequen. n. 10.

5 Quod si quis assumat flagellationem ne ieiunet. Respondet Sanchez citatus, peccare, quia facit in fraudē ieiunij. Sed videndum est quid tunc

in-

intendat. Quia, si habet pro fine principali non ieiunare, tunc peccabit, quia si præceptum obligat de præsenti habet intentionem directe contrariam præcepto; si vero est superuenturum, habet intentionem non submittendi se præcepto, & ideo facit contra obedientiam debitam Ecclesiæ, & eligit flagellationem tanquam medium ad hunc finem, quæ licet de se sit bona, vitiatur tamen ex ordine ad finem. Si vero finis principalis sit exercitium illius operis virtutis, & non ieiunare solum intendatur, vt quid consequens ex testatione obligationis ieiunandi, tunc est eadem ratio, ac de peregrinatione ad loca sancta, & de quolibet alio opere pietatis, & proinde non interueniet peccatum, quia vtrumque obiectum est quid licitum, nempe flagellatio, & non ieiunare, cum supponatur soluta obligatio ieiunandi; & est eligere opus excellentioris virtutis, vt cesset obligatio ad minus excellens. Sic etiam potest quis eligere statum ecclesiasticum, ne subsit legibus laicorum, potest quis concionari, & simul intendere per illud exercitium solui ab obligatione ieiunandi; exercere artes laboriosas, & ita omnia, quæ soluunt ab obligatione ieiunandi intendendo, vt quid consequens deobligationem à ieiunio, quæ non aduertit Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 92.*

6 Quando autem flagellatio eximat absolute ab onere ieiunandi, nulla habita ratione aliarum circumstantiarum, non satis compertum est: mihi videtur dicendum, quod tunc absolute eximat independenter ab alijs circumstantijs, quando longa est, & vsque ad considerabilem sanguinis effusionem, quia tunc vltra laborem, & castigatio ipsa corporis notabilis est, & proinde inferens notabilem lassitudinem. Similiter etiam si per plures horas continuaretur, licet absque sanguine, dummodo non perfunctoria esset, sed fortis, & vigorosa, nam tunc vere corpus patitur, & dolor trahit secum debilitatem magnam. Cæteras autem flagellationes ad breue tempus, non video posse eximere ab obligatione ieiunandi, nisi accedat complexio notabiliter debilis. Illæ autem flagellationes breues, quæ in priuatis congregationibus, aut apud Regulares sunt in vsu, nullo pacto soluunt obligationem ieiunandi, quia nemo est tam delicatus, & alioquin potens ad ieiunandum, qui non possit eas commode substinere. Sequitur Leander *q. 133.*

7 Est tamen aduertendum contra Bossium *n. 2.* citatum. Quod si flagellationes excedant modum virtutis, aut habeant prauum finem, adhuc tamen excusabunt à ieiunio, licet illas assumens peccet exercendo opus malum. Nam non excusant, quia sint opus virtutis, sed ratione lassitudinis, quam relinquunt. Non tamen peccabit assumens contra præceptum ieiunij, nisi in hunc finem assumat, ne ieiunet, sed solum contra virtutem, cui opponuntur.

An peregrinatio ad loca sancta sit causa sufficiens excusans à ieiunio.

Decis. 341.

SVMMARIVM.

1 *Peregrinatio laboriosa ex voto, aut pœnitentia excusat a ieiunio.*

2 *Excusat etiam, quando valde confert ad honorem Dei, & ad augendam deuotionem fidelium.*

3 *Peregrinatio ex magno feruore deuotionis eximit a ieiunio, si sit incompatibile.*

4 *Peregrinatio multum vtilis excusat a ieiunio.*

5 *Semper excusat, quando est ob lucrandam indulgentiam plenariam.*

6 *Item quando est valde longa, ita vt quocunque tempore fiat coincidat cum diebus ieiunij.*

7 *Idem quando agitur de vitando notabili incommodo.*

8 *Peregrinatio voluntaria secundum aliquos non excusat a ieiunio.*

9 *Secundum alios excusat quando commode non potest differri.*

10 *Secundum alios absolute excusat.*

11 *Ieiunium non debet impedire maius bonum.*

12 *Peregrinatio ad loca sancta est maius bonum, quam ieiunium.*

13 *Peregrinatio cœpta potest continuari in die ieiunij.*

14 *Non tenetur quis abstinere a peregrinatione, etiam si terminari non possit ante diem ieiunij.*

1 Conueniunt in hoc omnes doctores *citandi*, quod, quando peregrinatio est laboriosa, & fit ex voto, aut ex pœnitentia iniuncta, ita vt sit necessaria, & non voluntaria, sit causa sufficiens ad soluendam obligationem ieiunij, quia tunc vrget obligatio voti, aut obligatio satisfaciendi pœnitentiæ iniunctæ, quæ debent præferri obligationi ieiunij, quando vtrumque impleri non potest. Vnde requiritur, quod peregrinatio sit determinata ad certum tempus per votum, aut per confessarium, nam alioquin si electio temporis esset libera, esset eadem ratio de ipsa, ac de peregrinatione voluntaria.

2 Secundo conueniunt, quod, quando peregrinatio plurimum confert ad honorem Dei, & ædificationem proximi, & ad augendam deuotionem fidelium, vtcum persona peregrinans est nobilis, & magnæ auctoritatis, adhuc sit causa sufficiens ad tollendam obligationem ieiunij, si alioquin seruari nequeat. Quia ieiunium non debet esse impeditiuum maioris boni, vt in superioribus præsertim *Decis. præcedenti* dicebamus, in casu autem nostro esset impeditiuum maioris boni, si ob ieiunandum deberet omitti; nam maius bonum est ædificatio, & deuotio fidelium, & honor Dei, quam ieiunium.

3 Tertio adhuc conueniunt omnes, quod quando peregrinatio ad loca sancta assumitur cum magno feruore deuotionis, excuset à ieiunio, si commode ieiunari nequit. Sic præcipue Armilla, Angles, Caiet. Nauar. Pedrazza, Sanchez infra citandi, & Valent. 2. 2. *disp. 9. q. 2. punc. 5. ver. Per hanc causam* Naldus *verbo* Ieiunium *n. 10.* Militat enim eadem ratio, quia talis peregrinatio cum magno feruore deuotionis est maius bonum peregrinantis, quia plus proficit ex ipsa, quam ex ieiunio, & ideo non debet impediri à præcepto ieiunij. Notant tamen plures, quod in hoc debet consuli confessarius, vt ipse iudicet de feruore deuotionis, an sit tantus, vt præferri debeat peregrinatio ieiunio.

4 Quarto. Peregrinatio excusat à ieiunio, quando est multum vtilis, quia nimirum fit ad locum,

in quo visitantibus conceduntur plures indulgentiæ vt notat Sanchez *citandus*, & militat eadem ratio, quia nimirum ieiunium non debet impedire maius bonum, quale esset acquisitio illarum indulgentiarum.

5 Vnde infero, quod quotiescunque visitantibus aliquam Ecclesiam in certo die conceditur indulgentia plenaria, potest quilibet abiens ad illam accedere, & prætermittere ieiunium, si iter ipsum non compatiatur. Talis enim indulgentia magis proficua est acquirenti, quam sit quodlibet ieiunium, siquidem per ipsam conceditur totalis remissio pœnæ debitæ pro peccatis.

6 Quinto; Quando Peregrinatio est valde longa, itaut quocunque tempore suscipiatur coincidat cum diebus ieiunij, quia nimirum in ipsa menses integri insumendi sint, tunc excusat à ieiunio, quando non potest seruari, in ijs diebus, in quibus coincidit, vt inter alios notant Abulens. & Sanchez *citandi*. Quia tunc peregrinatio incœpta non debet intermitti, quia id esset nimis incommodum, nec absolute debet intermitti ex eo, quod necessario coincidat cum diebus ieiunij, quia præceptum ieiunij ad hoc non obligat.

7 Sexto. Quando notabile incommodum obueniret, nisi tali die assumeretur peregrinatio, aut si incœpta intermitteretur, vt si nimirum in difficili itinere amitterentur socij, aut si amitteret expensas itineris, quas socius faceret, quia tunc præceptum ieiunij non obligat cum tali damno. Ita notant Sanchez, Fernandez, Medina, & alij ex citandis Doctoribus. Vnde difficultas est, quando peregrinatio est voluntaria.

8 Prima ergo opinio tenet, quod nunquam licet omittere ieiunium ob peregrinationem, nisi quando peregrinatio est necessaria. Ita Paludanus *in 4. dist. 15. q. 4. n. 19.* Syluester *verbo* Ieiunium. *qu 9.* Abulens. *q. 140. in c. 6. Matth.* Turrecrem. *Cap. ieiunia n. 9. De conser. Dist. 15.* Angelus *verbo* Ieiunium *n. 18.* Angles *in Florib. q 6. de ieiunio diffic. 11. conclus. vlt.* Armilla *verbo* Ieiunium *n. 5.* Llamas *3. p. Methodi c. 5. §. 21.* Qui nimis rigorosè vult, quod neque peregrinatio ex voto excuset à ieiunio. Sanchez *lib. 4. sum. c. 5. n. 32. & c. 6. n. 2.* Vbi vult, votum peregrinationis non obligare concurrente præcepto de ieiunio, nisi peregrinatio sit tanti momenti, vt ieiunio anteponi debeat. Nauarus *in Manuali c. 21. n. 17. & 18.* excipiens solum tres priores casus suprapositos. Bizozer *p. 4. sum. 3. prac. c. vlt. memb. vlt. nu. 8.* Trullench. *lib. 3. in Decal c. 2. dub. 7. nu. 15.* Leander à Murcia *in Cap. 3. Reg. S. Francis. c. 2. §. 2. n. 23.* Horum fundamentum est, quia præceptum debet præferri rei voluntariæ.

9 Secunda opinio est, quod non liceat omittere ieiunium ob peregrinationem voluntariam, quando commode differri potest. Ita videtur sentire D. Th. *2:2. q. 147. ar. 4. ad 3.* Gabr. *in 4. dist. 15 q. 3. ar. 1. notab. 4. §. Tertia causa.* Caiet. *verbo* Ieiunium *c. 3.* Vega *p. 1. sum. c. 14. de ieiunio. Casu* 20. Summa Confess. *lib. 1. tit. 12. q. 19.* Pedrazza *præcepto 3. §. 13.* Astiensis *p. 2. sum. lib. 5. tit 28. q. 5.* Tolet. *lib. 6. c. 4 n. 4.* Ledesma *2. p. 4. q. 17. ar. 3.* ver. *Secunda causa.* Molfel. *par. 1 sum. tr. 10. c. 4. n. 48.* Villalobos *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 16.* Gordonius *lib 6. Theol. mor. qu. 18. c. 6. in fine.* Syluius *2. 2. qu. 147. ar. 4.* ver. *Ex his intelligi potest.* Fernandez *p. 2. Exam. theol. moralis cap. 8. §. 7. num. 12.* ver. *Quarta causa.* Caluus *lib. 2. Syntaxis curæ animarum q. 120. n. 6* Basseus *in Florib. theol. practica verbo* Ieiunium *2. nu. 9.* Et ex parte sequuntur, nempe quo ad casus supra enumeratos. Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8 c. 3. n 5.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c 1. dub. 21. n. 5.* Diana autem *p. 1. tr. 9. Resol. 46.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 89.* Refert auctorum sententias, sed ipse, nihil decernit.

10 Tertia opinio absolute tenet, quod voluntaria peregrinatio possit suscipi etiam si ob laborem non possit seruari ieiunium. Ita docent Ariostis *lib. 2. sum. §. De ieiunio initio.* Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 21.* Ghilinus *in sum verbo* Ieiunium. *n. 21. littera* L. Palaus *p. 1. oper. moral. tr. 3 disp. 1. n. 1. & 4. in fine.* Bonac. *disp. vlt de præc. Eccl. q. 1 punc. vlt. n. 8.* Leander *tr. 5. in præc. Eccl. disp. 8. q 135.* Io. de Escobar. *tract. 1. de vtroque foro ar. 4. n. 187.* Io. Henriquez *in sum. sect. 16. q. 30. n. 69.* Martin. à s. Ioseph. *tom 1 mor. lib. 2. tr. 12. de ieiun. n. 15.* & videtur consentire Medina *lib. 1 instruct. confess. c. 14. §. 10. prope finem.* Dum docet, esse tantum peccatum veniale. In quo tamen non placet; nam si peccatum est, mortale est, quia præponeretur res voluntaria præcepto obliganti ad mortale.

11 Hæc vltima sententia tenenda est: vnde cum citatis Doctoribus assero, quod licet peregrinari peregrinatione omnino voluntaria tempore ieiunij, quamuis ob laborem non possit seruari ieiunium. Est enim constans doctrina apud omnes etiam apud Doctores pro prima, & secunda opinione citatos, quod ieiunium non debet esse impedimentum maioris boni siue communis, siue proprij particularis, & proinde quod potest prætermitti ieiunium, quando agitur de maiori bono acquirendo. In casu autem nostro peregrinatio ad loca sancta est maius bonum, quia est actus religionis, quæ est virtus excellentior, quam sit abstinentia:
12 instituitur enim peregrinatio, vel in honorem Dei, vel B. Virginis, vel alicuius sancti: vnde est cultus erga Deum, vel B. Virginem, vel aliquem sanctum: atque adeo vel Latria, vel Hiperdulia, vel Dulia, quia via sumit suam speciem à termino. Præsertim, quia totum illud iter peregrinationis est in honore illius, cuius gratia assumitur, non secus ac quilibet alius actus cultus externi, nam per hoc quoque iter fit protestatio excellentiæ illius, cuius gratia fit. Et ideo licet peregrinatio sit voluntaria non est necesse, quod ipsi anteponatur præceptum vt volebat prima opinio, sed præceptum debet cedere tanquam maiori bono.

13 Et à fortiori ex dictis sequitur. Quod, si peregrinatio cœpta sit ante diem ieiunij, possit in ipsa die ieiunij continuari, etiam si non possit ieiunium seruari, quia dato, quod deberet anteponi præceptum ieiunij, non tamen obligat cum tanto incommodo, quantum afferret intermissio peregrinationis. Sicuti etiam secundum communem Doctorum sententiam opus seruile incœptum potest continuari in die festo, quando sine damno non potest intermitti, vt est coctio laterum, vitri, & alia huiusmodi, vt
14 dixi in Decis. *mor. Decis. 295.* Neque tenetur quisquam abstinere à peregrinatione, quando eam ante diem ieiunij non potest complere, sicut vt *ibidem* dixi, non tenetur abstinere ab opere seruili, quando non potest complere ante diem festum, quia habet ius ad peregrinationem in quocunque die ante

ieiunium saltem inchoandum, nec præceptum ieiunij obligat, vt quis se priuet suo iure, vt nimirum possit ieiunare, quando est ieiunandum. Per accidens enim se habet, quod non possit ieiunare. Sic etiam in cœteris potest quis vti suo iure etiam si per accidens sequatur damnum alterius, vt passim tradunt Doctores.

An, qui ieiunando sentiunt stimulos grauiores carnis, & maiorem inclinationem ad luxuriam, possint non ieiunare.
Decis. 342.

SVMMARIVM.

1 *Si ieiunans sentiat stimulos grauiores carnis, adhuc tenetur ieiunare.*
2 *Quando ieiunium causat per accidens grauiores stimulos carnis, potest in ipso dispensari.*
3 *Præceptum ieiunij non obligat quando sentiuntur ex ipso grauiores stimuli carnis cum periculo ruinæ.*
4 *Nec etiam, quando ex hoc habetur notabilis inquietudo.*
5 *An ieiunium tendet contra charitatem, quando per accidens causat notabiles stimulos carnis.*
6 *Cur votum castitatis obliget, etiam si sentiantur graues stimuli carnis.*
7 *Cur voti obligatio non cesset absque dispensatione, cesset autem aliquando obligatio præcepti.*

1 RESp. negatiue, sed adhuc teneri ad ieiunium. Ita Ledesma 2.p.4.q.17.ar.3 ver. *Præterea dubitatur.* Medina C. *De ieiunio qu.9. in fine.* Filliucius *tr.27.p.2.c.6.q.9.num.225.* Angles *in Florib: q.5. de ieiunio. diffic.4. dub.2. proposit.1.* Ortiz *in summa c.19.n.13.* Bonacina *tom.2.disp.vlt.de præcep. Eccl. q.1.punc.vlt.n.15.* Sanchez *lib.5.consil. mor. c.1.dub.11.n.6.* Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.8.q.138.* Bossius *tom.3.mor.tit.21.num.203.* Quia nimirum ieiunium non est causa, quod sentiantur tales stimuli; sed potius macerat carnem, & cohibet stimulos, & alio remedio obuiari potest huiusmodi inclinationi ad luxuriam.

2 Notant tamen nonnulli ex supradictis Doctoribus contra Angles *citatum*, quod cum his facile potest dispensari, quia adest sufficiens causa ad dispensandum: tendit enim dispensatio hæc in bonum dispensati, atque est secundum charitatem, & misericordiam: & fundatur etiam in voluntate præsumpta legislatoris, quia nimirum in hac particulari persona per accidens lex sortitur oppositum finem, præsumitur autem legislator nolle obligare, quando lex sortitur oppositum finem.

3 Addendum tamen, quod, si tales sint carnis stimuli, vt ob debilitatem personæ sequatur frequenter casus illius, tunc desinere obligationem præcepti, quia in tali casu quod præcipitur, licet per accidens, est tamen causa ruinæ spiritualis, atque adeo sortitur contrarium effectum intentioni Ecclesiæ: vnde cum non intendat Ecclesia obligare cum periculo ruinæ spiritualis, nec quando sequitur oppositum illius, quod intendit, cessabit obligatio ad ieiunandum. Ita docent communiter Doctores, dum tradunt generalem regulam, quod cessante fine legis in speciali contrariè, ita vt per accidens causaret aliquod malum, cessat etiam obligatio legis in illo speciali casu D.Tho. 1.2.q.96. ar.6. Caiet. Conrad. Medina, cœteriq. expositores *ibid.* Sotus *lib.1.de iust.& iure qu.6. ar.8.* Caeno *lib.1.de lege pœnit. cap.5. docum.5.* Io. Medina *de contract.qu.14.* Ledesma 2.par. 4.q.18. ar.2. dub.12.& 14. Nauar. *c.16. Manual n.37.* Suarez *lib.6.de legib.c.7. n.3.* Salas *disp.11.de legib.sect.4.* & in specie huius casus Leander *tr.5. in Eccl.prac. disp.8.q.139.*

4 Imo etiam si consequatur ruina spiritualis, si tamen carnis stimuli sint adeo vehementes, vt generent notabilem inquietudinem, & ob ipsos vincendos impediatur ieiunans à consuetis exercitijs licitis, vt quia nimirum inquietudo non sineret ipsis vacare, aut ex alieno alio capite, neque adhuc obligaret præceptum ieiunij, quia non obligat cum notabili incommodo. Præsens autem incommodum esset valde notabile; Et sicut non obligat præceptum vt diximus in superioribus, quando impedit consueta exercitia, ita nec in casu nostro, quia præter tale impedimentum haberetur etiam incommodum inquietudinis notabilis. Atque hæc exceptio continetur in communi, & vniuersali regula, quod lex non obligat, quando fit nimis grauis, & difficilis eius obseruantia ob graue incommodum inde resultans, sed habet locum Epichia, quæ est emendatio legis in casu particulari. Ita communiter Suarez *lib.6.de legib.c.7.n.9 & sequenti.* Lorca *1.2. disp.26. de legib.* Gordon. *lib.2.Theol.mor.q.12.c.3.* Salas *disp. 21.de legib. sect.10.* Caspens. *p.1. cursus Theol. disp.6. de legib. sect.1. n.6.* Palaus *par.1. oper. mor. num.3. de legib. disp.5. punc.3.§ 2.n.3.* & in specie de præsenti casu sequutus est Leander *in prac.Eccles. tract.5. disp.8. quæst.139.*

5 Neque obijci potest, quod contra *charitatem* militare non debet, quod pro charitate *institutum* est, atque adeo quod nunquam *præceptum* ieiunij, quod pro charitate institutum est, debeat obligare, quando ieiunium causat maiores stimulos carnis, quia tunc militat contra charitatem, quia sortiretur effectum contrarium intentioni Ecclesiæ. Nam resp. quod seclusis casibus, de quibus diximus, præceptum non obligare, non est ieiunium contra charitatem, neque contrarium effectum sortitur intentioni Ecclesiæ, sed præter intentionem Ecclesiæ, idque per accidens: illi enim maiores stimuli, quando non inferunt ruinam, aut saltem inquietudinem, non causant magnum incommodum, sed sunt occasio exercendæ virtutis.

6 Quod si econtra obijcias, nunquam cessare præceptum ieiunij, quando ieiunium causat per accidens acres stimulos carnis, quia semper potest homo ijs resistere, alioquin dicendum esset, quod neque votum castitatis obligaret, quando sentiuntur tales stimuli valde potentes. Resp. non cessare obligationem ieiunij, quia non possint stimuli superari, sed ob periculum ruinæ, aut incommodum inquietudinis, quod inde consequitur. Non est autem eadem ratio de voto continentiæ, quia continentia non

non tribuit fomitem carni, sicuti in casu nostro, licet per accidens, tribuit ieiunium. Deinde ad continentiam excepta coniugali alias obligamur, & oppositum semper est malum, nec vnquam talis obligatio cessat, cum non sit humana, sed naturalis, & ideo nunquam licet satisfacere stimulis carnis. Posito autem voto fit illicitum etiam coniugium, quia votum obligat ad exclusionem coniugij Regulares quidem, & Clericos ratione status, cum quo est incompossibilis status matrimonialis; alios autem, quia votum est simplex, non ita stricte obligat, & ideo dispensari possunt ad matrimonium, quando se continere non possunt. Quare non est eadem ratio, quia incontinentia est de se illicita, quæ nunquam fit lcita, & ideo manet semper obligatio voti, non obstantibus quibuscunque stimulis carnis.

7 Et si vrgeas, quod neque votum simplex castitatis cessat in ordine ad matrimonium, quando quis non potest se continere absque dispensatione. Vnde nec etiam cessabit obligatio præcepti de ieiunio. Resp esse adhuc disparem rationem, quia, cum votum sit promissio facta Deo, & acceptata, transit in contractum, vnde sicut non cessat obligatio promissionis acceptatæ propter ius, quod alter acquisiuit, nisi ab ipso relaxetur, ita nec obligatio voti, & ideo est necessaria dispensatio. Non sic autem contingit in præcepto, quia obligatio ipsius non afficit nisi potentes, nec transit in contractum.

An sentiens magnam difficultatem in ieiunando excusetur à ieiunio. Decis. 343.

SVMMARIVM.

1 *Magna difficultas in ieiunando secundum aliquos non excusat à ieiunio.*
2 *Secundum alios excusat.*
3 *Quando prouenit ex habitu vitioso, non excusat.*
4 *Quale incommodum excuset ab obseruantia præcepti.*
5 *Magna difficultas proueniens ex naturali conditione excusat à ieiunio.*
6 *An quis teneatur assuescere magno incommodo, vt obseruet præcepta.*

1 NEgatiuam sententiam tradunt Ledesma 2. *par.* 4. *quæst.* 17. *art.* 3. ver. *Præterea dubitatur.* Angles *in Floribus quæst.* 5. *de ieiunio. diffic.* 4. *dub.* 2. *propos.* 2. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 6. *q.* 9. *nu:* 125. Ortiz *c.* 19. *sum. n.* 13. Medina C. *De ieiunio qu.* 9. ver. *Ad hoc breuiter dicendum.* Addens hanc esse sufficientem causam, vt posit cum ipsis dispensari. Aiunt enim Doctores isti, quod talis difficultas perseuerantia vincitur, & assiduitate mollescit.

2 At excusari à ieiunio docet Bonacina *tom.* 2. *disp. vlt. de præcep. Eccles. qu.* 1. *punc. vlt. num.* 15. Quia inquit ipse magna difficultas æquiualet magno incommodo, magnum autem incommodum excusat ab obseruatione legis.

3 Sed mihi distinguendum videtur. Si enim difficultas in ieiunando proueniat ex aliquo habitu vitioso, vt esset habitus gulositatis, tunc nullo pacto excusat à ieiunio, imo adest specialis obligatio tollendi tales habitus. Neque enim cessat obligatio præcepti, vt vitijs obsecundemus, imo ieiunij præceptum positum est, vt vitia tollantur, & præsertim vitium gulæ.

4 Neque obstat, quod magna difficultas æquiparetur magno incommodo, quia etiam cum magno incommodo debemus abstinere à vitijs: & tunc solum magnum incommodum excusat ab obseruantia præcepti, quando est quodammodo iniustum, & contrariatur bono iusto creaturæ rationalis; at incommodum, quod sentimus in superandis vitijs nedum contrariatur bono creaturæ rationalis, sed maxime ad ipsum conducit tanquam medium ad depellenda vitia, quæ sunt contra inclinationem naturæ rationalis, & bonum ipsius.

5 Si vero difficultas proueniat ex naturali conditione, vt quia nimirum calor stomachi causet quãdam naturalem voracitatem, cui resistere maxime difficile sit, aut quia valde difficile possit stare cum vnica refectione, aut ex aliquo alio capite fundato in naturali conditione, tunc difficultas excusat à ieiunio, quia est verum incommodum, quo non debet subiectus grauari, alioquin lex esset nimis onerosa. Et sequitur Leander *tr* 5 *in præc. Eccles. disp.* 8. *q.* 140. Debet tamen difficultas esse valde grauis, & non ordinaria, nam ordinaria est annexa de se ieiunio, & cum tali difficultate intendit Ecclesia obligare. Imo qui subiacent tali difficultati animandi sunt, & hortandi ad ieiunium, aut saltem concedendum largius ieiunium, in quo non experiantur tantam difficultatem.

6 Ad id, quod affertur pro priori sententia. Resp. quod præcepta Ecclesiæ obligant sine graui incommodo, nec extendunt suam obligationem vlterius. Vnde non tenetur quis assuescere graui incommodo, vt stante consuetudine possit cum minori sensu incommodi seruare præcepta, sed statim ac præceptum reperit graue incommodum, cessat obligare.

An, qui mane putans se habere iustam causam non ieiunandi pro illo die, sumit ientaculum, si cesset postea illa causa, teneatur ieiunare. Decis. 344.

SVMMARIVM.

1 *Qui putans se habere iustam causam non ieiunandi, sumit mane ientaculum, adhuc tenetur secundum aliquos ieiunare.*
2 *Secundum alios non tenetur.*
3 *Alia est ratio de ientaculo, alia quando sumitur plena refectio.*
4 *Sumpto ientaculo non tenetur amplius ieiunare.*
5 *Ientaculum contrariatur formæ, & substantiæ ieiunij.*
6 *Non potest ientaculum sumptum loco refectiunculæ vespertinæ computari.*

1 AFfirmatiue respondent Lopez *p. 2. Instruct. c.112.* Medina *Cod. de ieiunio q. 5.* ver. *In confirmationem.* Rodriquez *tom.2.q.Regul. qu.100. art.2.* ver. *Illud tamen.* Laiman. *lib 4.theol.mor. tr.8.c.1 n.13.* ver. *Similiter nihil* Gordonus *lib.6.Theol. mor.q.18. c.5.n.9.* ver. *Quares, quid.* Baffeus *in Florib.theol. pract.verbo* Ieiunium 1.*num.11.* Trullench.*lib.3. in Decal. c.2. dub.3 nu 5.* Remigius *tr.3.sum.c.4. §.2.n.6* Bossius *tom.3 mor.tit.21. n.233.* Quia nimirum potest adhuc seruari substantia ieiunij, nam si ientaculum fuit sufficiens refectio potest contentus esse vespertina refectiuncula. Si vero non fuit sufficiens refectio, potest prandere hora consueta non sumendo vespertinam refectiunculam aut differre prandium vsque ad vesperam.

2 Negatiuam sententiam tenent Palud *in 4. dist. 15 q.4.ar.5.* Lessius *lib.4.de iust & iure c.2.dub.3.n.18.* Qui tamen addit non debere prandere, si commode fieri potest. Viualdus *in Appendice ad Candelab. c.15.de ieiunio n.60.* Bonacina *disp.vlt.de prae.Eccl.q.1. punc.3.n.8.* ver. *Respondem* Valentia Io. Sanchez *in selectis de Sacrament. Disp.53 n.7.* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n.21.littera H.* Villalob. *p.1.sum.tr.23.diffic.6.n.7.* Sà *verbo.* Ieiunium *n.13.* Nauar. *c.21 Manual. num 54* Leander *in praecep.Ecclesi.tract.5.disput.8. q 1 . 144.*

3 In hac difficultate est aduertendum, quod aliud est sumere mane ientaculum, & aliud anticipare notabiliter horam comedendi sumendo plenam, & integram refectionem. In hoc posteriori casu dictum est in superioribus *Decis.* 146 adhuc adesse obligationem ieiunandi, nam cum tali anticipatione potest stare substantia ieiunij, quae consistit in abstinentia à carnibus, & vnica refectione. Vnde anticipans notabiliter absque legitima causa, non faciet contra substantiam ieiunij, sed contra aliquam conditionem ipsius. Quae si Bossius attendisset non citasset *hanc & sequentem decis. in suo tom.3.moral.tit.21. n 231.* pro ea sententia, quae tenet anticipantem notabiliter horam refectionis, non teneri amplius illa die ieiunare, quia pereat hora debita refectionis, quae est quid essentiale ieiunio.

4 Quod autem spectat ad resolutionem difficultatis respondetur, quod non tenetur amplius ieiunare, si ientaculum fuit in notabili quantitate, secus autem, si in paruitate materiae, quae non frangit ieiunium. Quia nimirum quando semel ieiunium violatur quò ad substantiam non potest amplius reparari, quia iam tollitur forma, cum qua praescribitur, quando autem non potest seruari secundum substantiam, cessat obligatio ieiunandi, nam haec respicit substantiam ieiunij.

5 Tunc autem substantia ieiunij tollitur, quando ponitur aliqua comestio, quae non admittitur à forma ieiunij, quia cum forma ieiunij sit forma quędam abstinentiae, si supra hanc formam ponitur aliqua refectio, iam destruitur illa mensura abstinentiae praescripta. Ientaculum autem est comestio, quae non admittitur à forma ieiunij, quae consistit in vnica refectione, & in refectiuncula vespertina, quae conceditur ob subueniendum debilitati naturę. Vnde secundum communem, & moralem aestimationem, qui sumit ientaculum, non censetur ieiunare.

6 Nec potest ientaculum computari pro vespertina refectiuncula, quia quando sumitur, non sumitur vt vespertina refectiuncula, sed vt comestio matutina cum intentione prandendi, & coenandi, & ideo tanquam soluens substantiam ieiunij. Nec tenetur postea illud, computare pro vespertina refectiuncula; tum quia quando illud sumit, habet ius ad non ieiunandum, & acquirit possessionem non ieiunandi pro illo die, & ideo non tenetur conuertere ientaculum in refectiunculam, quia iam iustè ipsum sumpsit vt ientaculum. Tum quia praeceptum ieiunij amplectitur indiuisibiliter integrum diem, & ideo quando non potest obligare pro integro die, nec obligat absolute: vnde qui sumpsit ientaculum in loco, vbi non ieiunatur, si perueniat ad locum, vbi ieiunatur, non tenetur ieiunare, *vt docent* plures Doctores, quos suo loco recensemus. *In casu* autem nostro, quando sumitur ientaculum, praeceptum non obligat. Tum quia, si inciperet obligare, sicut secum afferret formam abstinentiae, ita etiam deberet concedere, quod conceditur in illa forma abstinentiae, nam praeceptum ieiunij praescribit abstinentiam praescribendo talem formam comedendi, atque adeo adhuc posset prandere, & sumere refectiunculam vespertinam, nam ientaculum, sicuti sumptum extra obligationem praecepti, ita non computaretur in refectione concessa per praeceptum interpretatum à consuetudine: hoc autem non potest stare cum ieiunio illius diei.

An, qui mane sumit malitiose ientaculum, teneatur amplius ea die ieiunare.
Decis. 345.

SVMMARIVM.

1 *Sumens ientaculum in modica quantitate tenetur ieiunare.*
2 *Sumens malitiose ientaculum in notabili quantitate tenetur adhuc ieiunare secundum aliquos.*
3 *Non tenetur.*
4 *Qui non potest seruare substantiam, & formam ieiunij, non tenetur ieiunare.*
5 *Praeceptum affixum certo tempori determinato violatum non amplius obligat.*
6 *Ientaculum malitiosè sumptum non potest computari cum refectiuncula vespertina.*
7 *Ientaculum cum ignorantia, aut inaduertentia culpabili soluit obligationem ieiunandi.*

1 LOquimur in notabili quantitate, quae de se sufficiés sit ad violandum ieiunium: nam si sit in modica quantitate tenebitur ieiunare non secus, ac si non sumpsisset. Quod videtur velle Bonacina *tom.2.disp. vlt.de prae.Eccl.q.1.punc.3.num.8.* ver. *Dixi in notabili.* dum vult, qui ientaculum sumpsit, adhuc teneri ad ieiunium, ne sibi contrarietur in eo, quod dixerat ver. antecedenti.

2 Quod autem, qui malitiosè sumit ientaculum, teneatur adhuc illa die ieiunare, docent Sylvius *2.2.q.147.ar.6. q.2.* ver. *Sed quid dicendum.* Laiman.

man. *lib* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 1. *n.* 13. ver. *Similiter nihil.* Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure c.* 2. *n.* 18. qui tamen addit, non debere vlterius comedere, si commode fieri potest. Gordonus *lib.* 6. *Theol. mor. q.* 18. *c.* 5 *n.* 9. ver. *Quæres quid.* Basseus *in Florib. Theol practicæ verbo* Ieiunium 1. *n.* 11. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *deb.* 3. *n.* 5. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *n.* 24. Qui tamen hoc limitat, si nimirum ientaculum non excedat limites refectiunculæ, quia tunc poterit vsque ad vesperam differre refectionem. Quia adhuc ieiunium poterit obseruari quo ad eam partem, in qua nondum est violatum, nempe quo ad vnicam refectionem.

3 At non teneri ieiunare illa die, docent Palud. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *ar.* 5. Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 27. Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio. ar.* 2. *diffic.* 5. *dub.* 3. *proposit.* 2. Vival. *in Append. ad* Candelab. *c.* 15. *de ieiunio n.* 60. Vega *p.* 1. *sum. c.* 14. *Casu* 33. Bonacina *Disp. vlt. de præcep. Eccl. q.* 1. *punc.* 3. *n.* 8. ver. *Resp. Valentia.* Ortiz. *in sum. c.* 19. *n.* 9. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 3. *nu.* 41. Io. à Cruce *p.* 1. *Director. conscient. prac.* 3. *ar.* 4. *dub.* 9. *n.* 1. *in fine.* Io Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 53. *n.* 6. Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 33. *diffic.* 6. *n.* 7. Sequitur Leander *in præc. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *qu.* 145. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 133.

4 Et hæc sententia est tenenda. Quia nemo obligatur ad ieiunandum, quando non potest seruare substantiam, & formam ieiunij, quia præceptum ieiunij de se primo obligat ad substantiam actus, & secundario, seu accessoriè ad circumstantias, & alias conditiones, quibus integratur ieiunium, sicut etiam quodlibet aliud præceptum, nam in præceptis per se primo intenditur substantia actus & cœtera tantum consequatiuè. Substantia autem actus ieiunij non potest stare cum ientaculo, vt ostensum est præcedenti Decis. *nu* 5. & 6. & ideo, quando hæc seruari non potest, remanet vlterior obligatio ex præcepto ieiunij.

5 Deinde. Qui malitiose sumit mane ientaculum peccat contra præceptum ieiunij, quia non seruat formam abstinentiæ ab ipso præscriptam, ergo non tenetur amplius illa die ieiunare, quia quando præceptum est indiuisibile, & affixum certo tempori determinato, si semel violatur, non amplius obligat pro illo tempore, siquidem non potest amplius instaurari actus præceptus pro illo tempore. Præceptum autem ieiunij respicit integrum diem indiuisibiliter, quia præscribit pro toto integro die certam formam abstinentiæ, quæ, si violetur per aliquam comestionem, quæ non includatur in illa forma, impossibile est, quod pro illo die restauretur illa forma abstinentiæ, atque adeo, quod seruetur id, quod præcipitur, & est iam violatum. Sic etiam impossibile est, quod reualidetur electio, quando in ipsa non est seruata forma præscripta, quod contractus valeat, quando violatur forma debita.

6 Dices posse computare ientaculum pro refectiuncula vespertina; & postea sumere vnicam tantum integram refectionem. Resp. supposito, ꝙ quando sumpsit ientaculum non habuerit intentionem talem, quia si habuit, voluit etiam seruare ieiunium, non posse facere talem computationem, quia, quando sumpsit ientaculum est contra substantiam ieiunij, & adfuit etiam intentio contra ipsum præceptum. Præceptum autem ieiunij semel violatum non potest amplius instaurari, vt dicebatur *n. præcedenti.*

7 Et idem dicendum est etiam de eo, vt notant Doctores *n.* 3. *citati*, quia ex ignorantia, aut inaduertentia culpabili sumit ientaculum in die ieiunij, nam cum non excusent à peccato, quia culpabiles sunt, eadem est ratio, ac si malitiosè sumeret ientaculum.

An, qui inculpabiliter ignorans, aut non aduertens, esse diem ieiunij, sumit mane ientaculum, teneatur, quando aduertit ieiunare.

Decis. 346.

SVMMARIVM.

1 *Sumens ientaculum inaduertenter in die ieiunij tenetur abstinere a prandio, aut saltem a refectiuncula, si commode potest secundum aliquos.*

2 *Secundum alios tenetur ieiunare, sed se gerens, sicut si non sumpsisset ientaculum.*

3 *Sumens ientaculum inaduertenter, licet non peccet, excludit tamen substantiam ieiunij.*

4 *Sumens ientaculum inaduertenter non tenetur amplius ieiunare.*

5 *Ientaculum sumptum cum inaduertentia ponit in possessione non ieiunandi.*

6 *Facit, quod præceptum non sit in possessione pro integro die, atque adeo non obliget.*

7 *Sumens inaduertenter ientaculum, si teneretur ieiunare, teneretur ad impossibile.*

8 *Edens carnes inaduertenter an violet ieiunium, ita vt non teneatur amplius ieiunare.*

9 *Edens pluries non potest amplius ieiunare licet inaduertenter.*

1 Affirmatiue resp. Lessius *lib.* 4. *de iust. & iure c.* 2. *dub.* 5. *n.* 19. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *nu.* 24. Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 1. *n.* 13. ver. *Similiter nihil.* Syluius 2. 2. *qu.* 147. *ar.* 6. *q.* 2. ver. *Sed quid dicendum.* Pedrazza *præc.* 3. § 13. *circa finem.* Io. à Cruce *in Direct. conscient. p.* 1. *præc.* 3. *ar.* 4. *n.* 1. *in fine.* Io. Sanch. *in selectis de Sacram. disp.* 52. *n.* 2. Gordonus *lib.* 6. *Theol. mor. q.* 18. *c.* 5 *n* 9. ver. *Quæres quid.* Basseus *in Florib. th. pract. verbo* Ieiunium 2. *n.* 11. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 3. *n.* 15. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 229. Martin. à s. Ioseph *tom.* 1. *mor. lib* 2. *tr.* 5. *de ieiunio n.* 2. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 4 *n.* 59. Leander à Murcia *in cap.* 3. *Regul. s. Francisc. c.* 2. § 2. *nu.* 45. Qui volunt, quod debeat abstinere à prandio, & contentus esse refectiuncula vespertina, aut ad summum vespere cœnare. Hoc tamen limitant, nisi ex hoc sequatur notabile incommodum, quia si sequatur erit absolutus à ieiunio.

2 Alij tamen dicunt, quod tenetur quidem ieiunare, sed tamen se gerere debet, ac si nihil sumpsisset: vnde poterit hora consueta prandere, & vespere sumere consuetam refectiunculam. Ita Palud *in* 4. *dist.* 15. *qu.* 4. *ar.* 5. quem sequitur Syluester *verbo* Ieiunium *n.* 21. *in fine.* Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 27. Vival. *in Append. ad Candelab. c.* 15. *de ieiunio nu.* 60. *in fine.*

fine. Angles *in Florib.q.9.de ieiunio ar.2. diffic.5. dub.3. propof.1.* Vega *par.1.sum.c.14.de ieiunio casu* 33. Sà *verbo* Ieiunium *n.*13. Villalobos *p.1.sum.tr.*23. *diffic.* 6. *n.* 7. Ortiz *in sum.c.* 19 *n.*9. Molfes. *p.1.sum.tr.*10.*c.*3.*n.* 41. Facundez *prac* 4.*Eccl. c.*4.*n.*6.*in fine.* Pellizar.*tom.* 1.*manual.tr.*5.*c.*5.*n.*17. Diana *p.*9.*tr.*6. *resol.* 28. ver. *Hinc a fortiori.* Remig. *tr.*3.*sum.c.*4. §.6.*n.*6. Horum fundamentum est, quia ieiunium non frangitur per illam comestionem, nam ad frangendum requiritur saltem intentio præsumpta frangendi.

3 Sed hæc doctrina non probatur, quia licet intentionis defectus tollat peccatum, & faciat, quod illa comestio non imputetur, non tamen facit, quod permaneat substantia ieiunij, quia ieiunium consistit in actu externo, & in reali abstinentia secundum mensuram præscriptam ab Ecclesia; vnde nisi saluetur talis mensura abstinentiæ, in qua consistit forma, & substantia, neque etiam potest saluari ieiunium. Neque intentio facit, quod quis ieiunet, vel non ieiunet; sic qui haberet intentionem ieiunandi, & reuera seruaret formam abstinentiæ præscriptam, ieiunaret.

4 Itaque Bonacina *disp.vlt.De præcep. Eccles. qu.* 1. *punc.*3.*n* 8. ver. *Respondent Valentia.* Diana *p.*1. *tr.*9. *de ieiunio Resol* 44. ver. *Neque vt.* docent, quod neque qui inaduertenter sumit ientaculum, tenetur ieiunare, quia non potest amplius illo die seruare substantiam ieiunij, quæ opinio mihi probabilior videtur. Et sequitur Leander *in præcept. Eccles. disp.* 8. *quæst* 146.

4 Certum est enim, quod, quando sumit ientaculum, non seruat præceptum ieiunij, imo ponit in esse aliquam comestionem, quæ destruit formam ieiunij, & quantum est de se non intendit illa die ieiunare; & in tantum excusatur à peccato, in quantum non aduertit. Rursus sicut lex non obligat in conscientia, quando ignoratur, ita quando quis non aduertit ad actualem obligationem ipsius, non parit in ipso obligationem seruandi tunc pro illo tempore. Vnde qui non aduertens ad obligationem ieiunij, sumit ientaculum, ponitur bona fide in possessione non ieiunandi pro illo die, & pro illo tempore præceptum ieiunij non causat in ipso suum effectum obligationis, seu non obligat in actu secundo: & ideo tanquam actu non obligatus ieiunare ponit in esse comestionem destruentem substantiam ieiunij. Quæ destructa reparari non potest pro illo die, nam non potest amplius haberi illa forma abstinentiæ præscripta ab Ecclesia.

6 Rursus præceptum ieiunij non est in possessione integri illius diei, imo pro aliqua parte non obligat in actu secundo ratione inaduertentiæ; ergo cum præceptum ieiunij non obliget, quando non complectitur integrum diem, quia est affixum diei integro indiuisibiliter, pro quo toto præfigit certam formam abstinentiæ, in casu nostro non obligabit, qui inaduertenter sumpsit ientaculum, quia iam pro aliqua parte die non fuit in actu secundo obligatus ratione inaduertentiæ. Imo ratione ientaculi præscribit contra præceptum ieiunij, & acquirit ius ad refectionem ordinariam, siquidem ientaculum excludit formam abstinentiæ ieiunij, & reddit ipsam impossibilem.

7 Quod præsertim valet contra Doctores secundæ sententiæ. Nam, si qui sumpsit ientaculum inaduertenter hora consueta pranderet, & vespere sumeret refectiunculam, certe non seruaret in se illam abstinentiam pro illo die, quam præscribit præceptum, quia abstinentia non attenditur secundum intentionem, sed secundum realem subtractionem cibi: vnde iste talis non ieiunaret reuera; quomodo ergo obligaretur ad ieiunandum, si per id, quod ipsi concedunt, non potest seruare abstinentiam præscriptam in ieiunio Rursus contra Doctores prioris sententiæ, quando sublata inaduertentia inciperet præceptum parere suum effectum obligationis in actu, quia tunc solum inciperet præscribere certam abstinentiam, sicut tunc subtraheret totam illam refectionem, quæ non includitur in præscripta forma abstinentiæ, ita etiam concederet quicquid in tali forma includitur, atque adeo prandium, & refectiunculam vespertinam: vnde stante ientaculo sumpto non posset saluari forma, & substantia ieiunij pro illo die; & ideo concluditur, quod cesset obligatio ieiunandi, alioquin teneretur ieiunare, & non posset seruare substantiam ieiunij.

8 Ex dictis colligitur, an qui in notabili quantitate comederet carnes inaduertenter in die ieiunij teneretur amplius ieiunare. Affirmat Angelus Manriquez Cisterciensis apud Caramuel *in Theol.mor.lib.* 3.*de conscient.dub.c.*1.*disp.* 1. *nu.* 1350. quia non fregit ieiunium, nam leges actibus non humanis non violantur, quales sunt, qui ex inaduertentia fiunt Et sequitur Diana *par.*9.*tr.* 6. *resol.*28. At negat Pontius apud eumdem Caramuel cuius opinio magis *placet.* Quia comestio carnis est actus humanus *cum fiat* ex aduertentia comestionis talis cibi, & inaduertentia solùm ieiunij; vt autem præceptum violetur, sufficit, si fiat contra ipsum, præsertim quando destruitur forma ab ipso præscripta, quę amplius induci non possit, sicut vt seruetur sufficit, si fiat secundum ipsum, quamuis non aduertatur præceptum. Sic si quis inaduertenter sumat cibum etiam in parua quantitate violat præceptum ieiunij naturalis seruandi ante Eucharistiam, nec potest amplius sumere.

9 Colligitur secundo contra Facundez *precep.* 4. *Eccles.lib.*1.*c.*4.*n.*6. Io. Sanchez *in select. de sacram.disp.* 52.*n* 2. qui volunt eum, qui inaduertenter comedit pluries, etiam si carnes edat, teneri ieiunare, quando aduertit. Non teneri amplius ieiunare, etiam si carnes comederit, dummodo tamen in notabili quantitate comederit. Et ita tradunt Bonacina *disp. vlt. de prae.Eccl.quæst.*1.*punc.*3. *n.*8. Trullench. *lib.*3. *in Decal.c.*2.*dub.*3 *n.*8.*in fine.* Bosfius *tom.*3.*moral.tit.*21 *n.*227. Et ratio est clara. Quia ieiunium habet suam formam ex præscriptione Ecclesiæ, quæ quoad qualitatem consistit in abstinentia à carnibus, & etiam ab ouis, & lacticinijs in Quadragesima; & quoad quantitatem in vnica refectione admissa insuper vespertina refectiuncula. Vnde si interueniat multiplex comestio, perit forma ieiunij, & ideo non potest amplius locum habere pro illa die, quia forma ieiunij non dependet in esse ab intentione, & aduertentia, sed à reali cibatione taliter facta, ita vt non inaduertentia, sed cibatio vltra mensuram illam violet.

An

An dispensatus, vt possit bis in die comedere, sit totaliter exemptus à ieiunio.
Decis. 347.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus, vt possit bis comedere in die ieiunij, non est totaliter exemptus a ieiunio secundum aliquos.*
2 *Est totaliter exemptus.*
3 *Quando fiat totalis dispensatio in praecepto.*
4 *An praeceptum ieiunij prohibeat tertiam, & vlteriorem comestionem.*
5 *Dispensatus vt diuidat cibum, an solutus a ieiunio.*
6 *Dispensatus in ieiunio non est dispensatus quoad carnes.*

1 NEgatiue respondent ij omnes, qui putant, quod comedens tertia vice in die ieiunij, committat nouum peccatum, quia inquiunt ipsi, praeceptum ieiunij ne dum prohibet secundam comestionem, sed etiam tertiam, & omnem aliam vlteriorem, Ita tenent Couarruuias *lib.4. Variar. Resol.c. 26.n.13.* Medina *Cod.de ieiunio q.5. ver. Ego tamen.* Maior *in 4.dist. 15.q.6.* Montesin. *1.2.tom.2.q.73.ar. 2.q.4.n.47.* Syluius *2.2.q 147.ar.3.q. 3. ver. Verumtamen responsio.*

2 Affirmatiuam tamen sententiam tenent ij omnes, qui putant, comedentem tertia vice in die ieiunij non peccare de nouo, quos infra suo loco referemus. Specialiter autem id tradunt Caiet. *2.2 quaest. 147. ar.7.§. Ad hoc breuiter dicitur. & ar. 8. §. Ad hoc dicitur, quod quia.* Nauar. *c.21. Manual. nu 14.* Sà *verbo* Ieiunium *n 12.* Azor. *tom.1.lib.7.c.9.q.3.* Abulensis *q.165.in c.6.Matth.ver.Dicendum.* Reginal. *lib.4. Praxis Fori poenit. n.180.* Beia *p.1. Casu 145.ver.Resp.quod ad construendum.* Bonacina *tom.2.disp. vlt de prac. Eccl. q.1.punc 3.n.5.* Facundez *pracep.4.Eccl.lib.1.c.4.n.11* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *num. 1:* Trullench. *lib.3. in Decal.cap.2.dub 3.num.3.* Et sequuntur Leander *in prac.Eccl tr.5. disp.8. quaest. 147.* Bosdius *tom.3. mor.tit.21.n.219.* Roccaful. *in praxi tr.6.de prac.Eccl. lib.3.c.4. n.61.*

3 Ratio est, quia tunc quis dispensatur in praecepto, quando dispensatur in eo, quod per ipsum praeceptum praescribitur: qui autem dispensatur, vt possit bis comedere, dispensatur in eo, quod praescribitur per praeceptum ieiunij, nam praescribitur abstinentia secundum certam mensuram, & formam, quae consurgit ex limitatione cibi tam quo ad qualitatem, quam quo ad quantitatem; limitatur autem cibus, vt consistat in vnica comestione integra, & vnica, & vna refectiuncula admissa per consuetudinem. Vnde qui dispensatur, vt bis comedat, dispensatur in hac limitatione cibi, & consequenter in mensura abstinentiae praescripta, atque adeo in forma, & substantia ieiunij.

4 Hinc praeceptum ieiunij non prohibet tertiam & quartam comestionem, sed tantum secundam, quia haec sola destruit formam, & substantiam ieiunij: prohibet enim pluralitatem comestionum, quatenus inde sequitur destructio ieiunij secundum suã substantiam, sequitur autem tantum ex secunda, non autem ex tertia, aut quarta, quia haec supponunt iam destructum.

5 Ex quibus constat; non posse subsistere sententiam Reginal. *lib.4.Praxis fori poenit.n.182.* quem sequitur Molfes. *p.1.sum.tr.10.c.5. n. 24.* quae docet quod ille, qui dispensatur, vt diuidat cibum, ita vt comedat etiam vespere, non esse solutum à ieiunio. Nam adhuc conceditur bina comestio, cum qua non potest stare forma ieiunij ecclesiastici; Neque in virtute dispensationis potest introduci noua forma, qu a ad hanc introducendam requiritur lex. Vnde si dispensãs in dispensatione adderet, quod fieret diuisio cibi, & non vltra comederetur, non teneret, sed id esset accipiendum per modum consilij, quia, si semel dispensatio tollit obligationem ad formam ieiunij praescriptam, non amplius obligat praeceptum. Sequitur Leander *in prac.Eccl. tr.5. disp. 8.quaest.148.*

6 Ex dictis colligitur cum Azor. *p.1. lib.7.c.9.q. 3.* Reginal *lib.4. praxis fori poenit. n.178.* Facundez *4.prac.Eccl. lib.1. c.4.n 11.* Villalobos *p.1.sum. tr.23. diffic 6.n 8.* Bossio *tom.3.mor.tit.21.nu.220.* Dispensatum à ieiunio non esse dispensatum ab abstinentia à carnibus, sed adhuc debere ab ipsis abstinere, nam praeceptum abstinendi à carnibus est diuersum à praecepto ieiunandi, siquidem hoc non obligat, nisi constitutos in aetate anni vigesimi primi, illud verò obligat etiam adolescentes. Et praxis ità interpretatur, vt qui ratione exercitij non possunt ieiunare, abstineant tamen à carnibus.

An Catholicus transiens per terras haereticorum, aut infidelium teneatur ieiunare.
Decis. 348.

SVMMARIVM.

1 *Catholicus transiens per terras haereticorum, aut infidelium secluso periculo tenetur seruare praeceptum de ieiunio, & cibis prohibitis.*
2 *Imo etiam cum periculo vitae ad euitandum contemptum fidei.*
3 *Secluso contemptu fidei non tenetur, si adsit graue periculum.*
4 *An, quando credit propriam fidem explorandam, possit comedere carnes ad illam occultandam fingendo se infirmum.*

1 QVod teneatur ieiunare, quando commodè potest, & similiter abstinere à cibis prohibitis, nec vllum periculum adest certum omnino est, quia tunc non adest causa, à qua possit excusari, & ideo viget praeceptum Ecclesiae, quod vbique obligat Hoc autem debet intelligi, quando praeceptum in illo loco non esset legitima consuetudine abrogatum.

2 Rursus etiam certum est, quod si in contemptum fidei auctoritate publica ipsi instetur, vt non ieiunet, sed comedat cibos prohibitos, tunc non potest comedere, sed tenetur seruare ieiunium, quia etiam cum periculo vitae certo nihil in fidei contemptum est faciendum, nam non negare Christum praeceptum

ceptum est negatiuum, quod semper, & vbique obligat.

3 Secluso autem hoc casu, quando abest periculum, non tenetur ieiunare, nec abstinere à cibis prohibitis, vt notat etiam Azor. *tom.1. lib.7. c.18. q.7.* Villalob. *p.1. sum. tr. 23. diffic. 4. n.13.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c.2. dub.7. n.22.* quia præceptum non obligat cum periculo; & hoc debet intelligi nedum de periculo vitæ, sed etiam de quocunque alio graui periculo, quia omne notabile incommodum excusat ab obseruantia huius præcepti, vt constat ex superioribus.

4 Sed difficultas est, an quando probabiliter iudicat, quod sit exploranda propia fides, possit se fingere infirmum, & edere cibos prohibitos, vt tollatur occasio explorandi fidem. Resp. affirmatiuè, vt notat etiam Trullench. *citatus*, quia est licitum occultare fidem ad grauia pericula vitanda. Hoc tamen debet limitari, nisi vrgeat præceptum confitendi, nam in tali casu mors potius esset subeunda, cum præceptum obliget etiam cum periculo vitæ.

An remiges, & serui catholici apud infideles absoluantur à præcepto de ieiunio, & abstinentia à cibis prohibitis.

Decis. 349.

SVMMARIVM.

1 *Remiges, & serui Catholici apud infideles absoluuntur à præcepto de ieiunio, & abstinentia à cibis prohibitis.*
2 *Secluso tamen contemptu Fidei.*
3 *An ratione scandali teneantur obseruare talia præcepta.*

1 Resp. affirmatiuè. Et ita docent Azor. *p.1. lib.7. c.18. qu.7. in fine.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7. n.22. in fine.* Nam vt plurimum est impossibile, quod seruent talia præcepta, aut saltem non possunt seruare absque graui incommodo, nam seruando saltem incurrerent in odium dominorum, quod ipsis notabile damnum causaret, quod non tenentur subire; vt seruent præcepta ista, nec non seruando interueniet contemptus fidei.

2 Est tamen aduertendum, quod si cogerentur in contemptum fidei comedere cibos vetitos, aut non ieiunare, tenerentur potius mortem subire, quam violare præcepta, nam violatio esset tacita quædam abiuratio fidei.

3 Sed quæres, an ratione scandali teneantur obseruare talia præcepta. Resp. non posse interuenire scandalum, si non seruent, nisi sit scandalum passiuum, nam cum sint sub aliena potestate, tenetur quisque sibi persuadere, quod necessitate compulsi non seruent præcepta, & ideo excusari: & proinde non tribuere occasionem peccati proximo. Vnde cũ scandalum locum non habeat, non tenentur ratione scandali obseruare.

An, quando ad nos diuertunt Hospites, liceat hospitij causa soluere ieiunium.

Decis. 350.

SVMMARIVM.

1 *Hospitij causa soluendum est ieiunium, vt impleantur officia charitatis.*
2 *Ieiunium obligans sub mortali non potest solui causa hospitij secundum aliquos.*
3 *Aliquando ieiunium obligans sub mortali potest solui ob hospites receptos.*
4 *An ob quoscunque hospites liceat aliquando soluere ieiunium.*
4 *Factum D. Benedicti.*
5 *Factum Spiridionis apponentis, & comedentis carnes in quadragesima quomodo accipiendum.*

1 Quod liceat soluere ieiunium ex deuotione, quod non obligat sub mortali, non potest esse difficultas. Imo quod aliquando necesse sit soluere, vt officijs charitatis satisfaciamus, constabit ex infra dicendis. Et traditur à D. Prospero Aquitano *lib.2. de Vita contemplatiua cap. vlt.* vbi habet. *Ita abstinere, & ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi, & abstinendi necessitati subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio meo intermisso, reficio, non soluo ieiunium* (quo ad meritum) *Sed impleo charitatis officium. Cæterum, si propter abstinentiam spirituales fratres, quos nouit mea remissione delectari, contristo, abstinentia non est virtus, sed vitium, quoniam ipsa abstinentia, & ieiunij continuatio, nisi fuerit quando res exigit, fraternitati, & me inflat, & fratrem meum cui iubet charitas inseruire, contristat.* Vnde etiam Facundez *præc. 4. Eccl. lib.1. c.10. nu.12.* docet in tali casu esse maioris meriti violare ieiunium, quam seruare. Et sequitur Leander *in præc. Eccl. tr.5. disp.8. qu.149.* Ratio est, quia inseruire hospitibus, & etiam comedere simul cum ipsis, est actus charitatis, nam illa comestio est imperata à charitate, & pertinet ad complementum obsequij, quod est exhibendum hospitibus, & ad integritatem obsequij charitatiui, perfectius est autem exercitium charitatis, quam ieiunium, & ideo hoc cedere debet.

2 Quod autem spectat ad ieiunium obligans sub mortali ex præcepto, voto, aut pœnitentia iniuncta. Resp. Azor. *p.1. lib.7. c.18. q.2.* Syluius *2. 2. q.147. ar.4. ver. Si quæras vtrum propter amicum.* Facundez *præc. 4. Eccl. lib.1. c.10. n.12.* Homobonus *p.2. Exam. Eccl. tr.11. c.7. q.23. ver. Quippe peregrini in Supposito 2.* Non licere soluere ieiunium. Quod limitant Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. n.221.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7. num.17.* quando necessitas proximi aliter non exigit.

3 Mihi tamen videtur posse aliquando concurrere talem causam, quæ tollat obligationem ieiunandi, quia æquiualeat cæteris, quæ talem obligationem soluunt: Si enim quis excipiat hospitio virum magnatem, non videtur, posse sine graui incommodo seruare ieiunium: nam si non parat cœnam, hospes censebit, se non excipi cum illa magnifi-

gnificentia, quæ sibi debetur, & proinde concipiet malum animum, erga hospitantem. Si vero paret cœnam, & ipse accumbat, & non comedat, aut saltem parum, etiam si præseferat ieiunium obligans, hoc imputabitur ad quandam importunam correptionē aliorum, aut quod ægrè ferat expensas cœnæ: vnde vice meriti, quod mediante hospitio deberet acquirere apud talem Magnatem aut Principem, potius ipsum offendet. Et proinde incommodum ipsius erit notabile, cum quo non obligat præceptum ieiunij secluso tamen graui incommodo non posset soluere ieiunium. Vnde existimo hanc esse causam saltem sufficientem, vt in tali casu possit Superior dispensare.

4 Quando autem qui hospitio excipiuntur, sunt personæ ordinariæ, non adest causa soluendi ieiunium, quia hæ non exigunt excipi cum multa magnificentia; Si tamen contingeret, quod aduenirent in die ieiunij, in quo non sumpsissent mane debitam refectionem, sed tantum refectiunculam, atque adeo deberent vespere cœnare, videtur quod excipiens possit soluere ieiunium, & cum ipsis cœnare. Quod indicat, & Gerson *tom. 2. p. 4 serm. in Dominica prima Quadragesimæ.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 18. q. 1. ver. Sed quæstio nobis est in fine.* & tenet Tamburin. *De iure Abbat tom. 2. disp. 12. q. 6. n. 3.* Vbi refert de S. Benedicto, quod cum quibusdam hospitibus carnes præbuisset, & ipsi renuerent comedere, aperiens sepulchrum suorum Monachorum dixit. Fratres dilectissimi testimonium mihi præbete, si Regulam, quam scripsi, & docui, ego obseruaui, & obseruare feci, ne putent Peregrini isti, quibus carnes refectionis gratia, & gaudij illorum aduentus præbui, me deliquisse. Tunc responderunt Monaci defuncti. Regulam tuam obseruasti, & obseruare fecisti. Et sequitur etiam Trullench. *lib. 3 in Decal. c. 2. dub. 7. n. 17.* Nam ieiunium potest postponi exercitio perfectioris virtutis, nec debet impedire exercitium operis melioris, & præcipue charitatis Cap. *Non mediocriter. De consecrat dist. 5.* In casu autē nostro cœnare cum hospite est quoddam exercitium charitatis; Siquidem beneficientia est actus charitatis, vt docet D. Th. *2. 2. q. 31. ar. 1. & 4. in corpore*, excipere autem hospitio, & conuiuari est quoddam beneficium, & actus charitatis, vt docet idem D. Th. *ar. præcedenti ad 1.* Cœnare autem simul cum hospite est quædam integritas huius beneficientiæ, tum quia est quidam actus humanitatis, quo gratior fit hospiti ipsa hospitatio, tum quia est quoddam obsequium amicabile, quod hospiti soluitur, & quo ostenditur gaudium ex tali hospitatione. Tum quia hoc modo se communicat hospiti in ratione amicitiæ, & charitatis. Vnde Prosper Aquitanus *n. 1. allatus*, ait per hoc impleri charitatis officium, & abstinentiam in tali casu non esse virtutem, sed vitium. Oppositum tenet Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 2. n. 19.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 8. q 150.* Qui male dicit, quod ego videor hanc sententiam amplecti, cum verba subsequentia, quę in prima editione subieci oppositum clarè ostendat. Quid autem tenendū sit remitto meliori iudicio discutiendū:

5 Ex quibus colligitur, quomodo accipiendum sit factum Spiridionis Episcopi, qui tempore quadragesimæ soluit ieiunium, vt cum quodam hospite manducaret, cum quo & carnes comedit. De quo Sozomenus *lib. 1. c. 11.* & Nicephorus *lib. 8. c. 42.* Hoc enim fecit, quia cum non haberet, nisi carnes sale conditas ministrandas hospiti, comedit & ipse, quia alioquin hospes non comedisset, nisi suo exemplo, ipsum inuitasset, quia alioquin ratione necessitatis poterat comedere. Et ideo Spiridion comedit, & soluit ieiunium, quia sic charitas exigebat, vt subueniret necessitati hospitis.

An qui non potest tota quadragesima ieiunare, teneatur ieiunare aliquibus diebus, prout vires patientur.
Decis. 351.

SVMMARIVM.

1 *Qui non potest tota quadragesima ieiunare, debet, si potest ieiunare aliquibus diebus.*

2 *Obligatio diuisibilis debet secundam partem impleri, si non potest tota.*

3 *Idem valet in cæteris ieiunijs per annum.*

4 *Si vno die ex voto, & sequenti ex præcepto ieiunandum sit, quando sit ieiunandum, si vtroque die ieiunari non possit.*

1 Affirmatiue respondetur: & ita communiter sentiunt, Caiet. *2. 2. q. 146. ar. 6. §. Tertij vero. in fine.* & in summa *verbo* Ieiunium *§. Ieiunium quibus personis.* Nauarrus *c. 21. Manual. num. 20. in fine.* Syluius *2. 2. q. 147. ar 4 ver. Tertium. qui ex iusta.* Io. à Cruce *p. 1 Director. conscient. præcep. 3. ar 4. n. 8.* in fine. Lublinus *p. 1. sum. verbo* Ieiunium *n. 28.* Beia *p 1. Casu 45 ver. His suppositio ostendi.* D. Antonin. *p. 2 tit. 7. c. 2. §. 7.* Villalobos *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 18.* Sanchez *lib 5. consil mor c. 1. dub. 6. nu. 3.* Filliucius *tr. 27. p. 2 c. 6. num. 131.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 20.* Angles *in Florib. q. 4. de ieiunio. diffic. 3. dub. 2. proposi. 2.*

2 Neque hoc in dubium ab aliquo vertitur; ratio namque manifesta est, quia, quando obligatio est diuisibilis, qui non potest satisfacere toti, tenetur satisfacere illi parti, cui potest, sic qui tenetur restituere, si non potest totum, debet quod potest restituere. Oligatio autem ieiunandi in quadragesima est diuisibilis, imo est multiplex, quia singuli dies habent suas speciales obligationes sibi affixas, & ideo cessante obligatione vnius diei, non cessat obligatio alterius.

3 Quod etiam valet, quando per annum concurrunt plura ieiunia continuanda, tunc enim militat eadem ratio, quod qui non potest omnia implere, teneatur seruare aliqua, si potest, vt si per biduum continuum non potest ieiunare; altera saltem die ieiunare debebit, si potest.

4 Sed hic oritur difficultas, an si in vno die contingat ieiunium ex voto, & in alio ieiunium ex præcepto Ecclesiæ, nec possit vtrumque impleri, sed vnum tantum, quodnam sit præferendum. Resp. esse præferendum ieiunium ex voto, quod colligitur ex communi doctrina, quod concurrente duplici præcepto præferendum est illud, quod maius est, & superioris ordinis, in casu autem nostro concurrit præceptum positiuum Ecclesiæ, & præceptum diuinum naturale de obseruantia voti, quod cum sit nobilius, & superioris ordinis, debet præferri. Et sumitur, etiam argumentum ex Cap. *fin.* De

obseruatione ieiunior. vbi intuitu Festi Natalis Domini declaratur præceptum abstinendi à carnibus in sexta feria cessare, votum autem de eadem abstinentia non cessare.

An, qui habet experientiam, quod ieiunium quadragesimæ noceat, aut abstinentia à carnibus, debeat quotannis experiri, antequam soluat ieiunium, aut edat carnes. Decis. 352.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, quod sibi ieiunium noceat, aut abstinentia a carnibus debet experiri.*
2 *Pluries expertus non tenetur amplius experiri.*
3 *Nisi probabile sit, causam cessasse, & stante probabilitate de duratione causæ, sufficit vnica experientia.*
4 *In his casibus non est necessaria noua experientia, vt medicus concedat licentiam soluendi ieiunium, aut edendi carnes.*

1 QVI dubitat, quod ieiunium aut abstinentia à carnibus sibi noceat, debet experiri, quia absque experientia non potest certificari de damno, & ita docent Nauar. *in Manual. c. 21. n. 20.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c 6. nu. 131.* Sanchez *lib. 5 consil. mor. c. 1. dub. 6 n. 3.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c 2. dub. 7. n. 20* Debét tamen hoc limitari, nisi probabiliter timeatur, quod ipsa experientia sit allatura notabile damnum.

2 Quando autem pluries expertus est, quod non potest ieiunare, aut abstinere à carnibus, non tenetur amplius experiri, vt docent supracitati Doctores ijsdem locis, & insuper Lopez *2. par. Instruct. conscient. cap. 112.* Io. à Cruce *par. 1. Direct. conscient. prac. 3. ar. 4. dub. 9 n. 8.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 51. n. 23. ver. Præterea.* Leander *in prac Eccl. tr. 5. disp. 8. q. 153.* Bossius *tom. 3 mor. tit. 21. n 204.* Roccaful. *in Praxi tr. 6. de prac. Eccl. lib. 3. c. 11. n 209.* Sed absque experientia potest soluere ieiunium, & abstinentiam à carnibus. Quia habet iam sufficientem certitudinem de causa absoluente.

3 Hoc tamen limitari debet cum ijsdem Doctoribus, vt non habeat locum, quando probabiliter censetur cessasse causa; nam tunc de nouo esset experiendum. Vnde e contrario, quando semel facta est experientia, & probabiliter censetur durare eadem causa, non est opus experientia, quia stante probabili existentia causæ ieiunium non obligat.

4 Hinc in prædictis casibus possunt Medici concedere licentiam soluendi ieiunium, & comedendi carnes, nec tenentur venire ad nouam experientiam, vt notat Io. Sanchez *in selectis de Sacramen. disp. 51. num. 24* Quia absque experientia adest sufficiens fundamentum declarandi, solutam esse obligationem.

An bona fides de causa eximente a ieiunandi obligatione sufficiat ad vitandum peccatum in fractione ieiunij. Decis. 353.

SVMMARIVM.

1 *Qui putat se habere iustam causam non ieiunandi, non peccat, si non ieiunet.*
2 *Iusta causa secundum existimationem solam rectificat actionem.*
3 *An putans se habere iustam causam non ieiunandi, peccet venialiter, si reuera iusta non sit.*

1 COmmuniter docent, eum, qui putat, se habere iustam causam non ieiunandi, non peccare mortaliter, si non ieiunet quamuis reuera causa sufficiēs non sit, quia bona fides excusat. Ita Caiet. *in summa verbo* Ieiunium *c. 3. & 2. 2. q. 147. ar. 7. §. Ad huius euidentiam.* Tolet. *lib. 6. c. 4. n. 5. ver. Alterum est* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 8.* Palud. *in 4 dist. 15. q. 4. ar. 1.* D. Antonin. *2 par. tit. 6. c. 2. §. Ante.* Nauar. *c 21. Manual n. 20.* Ledesma *2. p. 4 q. 17. ar. 2. in fine. ver. Præterea dubitatur.* Sylulus *2. 2. q. 147. ar 4. ver. Petes, quod sit dicendum.* Reginal. *lib. 4. Praxis fori pænit. n. 191 & 222.* Molfes. *p. 1. sum. tr. 10. c. 4. num. 50.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. cap. 3. n. 6.* Fernandez *p. 2. Examin. theol. mor. c. 8. §. 2. num. 14.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 24. n. 12.* Petrus Ledesma *p. 1. sum. tr. 27. c. 2. dub. 5. post 5. conclus. ver. Digo lo segundo.* Armilla *verbo* Ieiunium *n. 2. & 6.* Henriquez *lib. 9. sum. c. 25. n. 10.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 5. n. 34. ver. Si quis* Sanchez *lib. 1. sum. c. 17 n. 21* Suarez *de Legib. nu. 3. c. 24. in fine.* Vasquez *1. 2. disp. 158. c. 4.* Ortiz *c. 19. sum. nu. 10. ver. El que piensa.* Vega *p. 1. sum. c. 14. De ieiunio Casu 36.* Sà *verbo* Ieiunium *n. 14.* Valent. *tom. 3. disp. 9. q. 3. punc. 5 in fine.* Filliucius *tr 27. p. 2. c. 6. nu. 130.* Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. vlt. nu. 19. ver. Respondeo.* Ghilinus *in sum. verbo* Ieiunium *nu. 21. littera B. & C.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. nu. 20.* Bizozer. *p. 4. sum. de prac. c. vlt. memb. vlt. n. 1. & 9.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 3. n 4.* Io. Henriquez *sect. 16. sum. quæst 31.*

2 Ratio est, quia, quando censetur adesse iusta causa non ieiunandi, intentio non fertur contra legem, nec directe, nec indirecte, imo operatio est secundum rectam rationem, nam recta ratio dictat, quod liceat soluere ieiunium, quando existimatur adesse causa sufficiens soluendi, & ideo etiam operatio habet debitam rectitudinem.

3 An autem interueniat peccatum veniale, affirmat Syluester, Nauar. Tolet Fernandez locis *num. 1. citat.* Alij vero Doctores *ibid. citati*, nihil de hoc dicunt, sed solum, quod non peccant, tenet tamen Leander *in prac. Eccl. tr 5. disp 8. q. 143.* me citato. Et quidem si consideretur operatio secundum se, cum procedat secundum dictamen rectæ rationis, atque adeo recta sit, neque etiam venialiter potest esse peccaminosa. Solum potest interuenire peccatum veniale in omissione debiti examinis circa causam. Quod si nihil cogitaret de examinanda causa, quia absque vllo dubio putaret, esse sufficientem, excu-

saretur

faretur etiam à peccato veniali. Quare vt notat Remigius citatus, confessarius debet se ita gerere cum eo, qui putauit bona fide, se habuisse iustam causam non ieiunandi, vt non tollat eius bonam fidem, ne constituat in periculo peccandi, si causa putata sufficiens duret de nouo, aut de facili sit superuentura, sed hortetur, vt, non obstante tali causa, experiatur, an sine graui incommodo possit ieiunare.

An, qui habet causam dubiam non ieiunandi, teneatur ieiunare.

Decis. 354.

SVMMARIVM.

1 *Qui habet causam dubiam excusantem à ieiunio debet recurrere ad superiores pro dispensatione.*

2 *Stante dubio, an quis teneatur ieiunare, tenetur secundum aliquos.*

3 *In tali casu possessio stat pro libertate, dubium pro obligatione, ideo in dubio melior est conditio libertatis.*

4 *Præceptum vt obliget per se, supponit possibilitatem adimplendi.*

1 Communiter docent, quod habens causam dubiam excusantem à ieiunio, debet recurrere ad superiorem pro dispensatione. Ita Syluester *verbo* Ieiunium *n.* 20. Nauar. *c.* 21. *Manual. n.* 21. Tolet. *lib.* 6. *c.* 4. *nu.* 5. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 2. *in fine.* Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo* Ieiunium 2. *nu.* 11. Sylvius 2. 2 *q.* 147. *ar.* 4. *ver. Porro circa causas.* Laiman. *lib.* 4. *Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3 *n.* 8. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2 *c.* 6. *n.* 131. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punc.* 5. *in fine.* Angles. *in Florib. q.* 5. *De ieiunio diffic.* 4. *dub.* 1. *proposit.* 2. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *c.* 37. *n.* 57. Ortiz. *c.* 19. *sum. n.* 15. Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *n.* 21. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 15. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 20. Bizozer. *p.* 4. *sum. c. vlt. De præc. memb. vlt. n.* 10. & alij communiter, quia vbi adest dubium, ibi opus est declaratione, vt sequatur determinatio in alteram partem. Quod etiam docuit D. Th. 2. 2. q. 147. *ar.* 4. *in corpore* in fine.

2 Sed difficultas est, an stante dubio liceat non seruare ieiunium absque dispensatione. Et negatiuè respondent Basseus, Lessius, Trullench. *n. præcedenti* citati Fernandez *p.* 2. *Exam. theol. mor. c.* 8. §. 2. *nu.* 13. & desumitur etiam ex doctrina Sanchez *lib.* 2. *De matrim. disp.* 31. *n.* 35. Leander *in præc. Eccl. tr.* 5. *disp.* 8. *q.* 141. Quia possessio stat pro præcepto, & ideo in dubio melior est conditio ipsius.

3 Sed eadem ratio retorqueri potest, quia possessio stat pro eo, qui est dubius, an possit ieiunare, seu an habeat legitimam causam excusantem. Præceptum enim non obligat, nisi potentes ieiunare; & ideo impotentes sunt in possessione, ne obligentur, vnde non afficiuntur obligatione præcepti, quousque certum sit, quod sint potentes. Et sicuti adolescentes dubij, an compleuerint annum vigesimum primum, non obligantur, vt docent ijdem Doctores, & alij communiter, vt dictum est supra suo loco, quia possessio stat pro libertate, & dubium pro præcepto, ita etiam in casu nostro; ideo enim tunc possessio stat pro libertate, & dubium pro præcepto, quia ieiunium, non obligat, nisi completo anno vigesimo primo, sed similiter non obligat, nisi potentes ieiunare, & ideo stante dubio de potentia ad ieiunandum, possessio est pro libertate, & dubium pro præcepto.

4 Nec video, quid possit responderi, nisi quod præceptum non obligat per se ante annum vigesimum primum completum, post illam autem ætatem solum per accidens non obligat impotentes. Hoc tamen facile refellitur, quia omne præceptum per se requirit possibilitatem, quod adeo verum est, vt non possit obligare, nisi supponat possibilitatem quæ requiritur, vt debeat impleri. Vnde cum possibilitas adimplendi sit capacitas obligationis, quatenus præceptum non potest obligare, vbi non est possibilitas adimplendi, & non possit admitti obligatio, vbi non est capacitas ipsius, vt præceptum obliget, debet supponi possibilitas adimplendi tanquam per se requisita ad obligationem, & ideo quando de ipsa non constat, non habet locum obligatio, & dubium est pro obligatione, possessio pro libertate; quamuis per accidens sit, quod in hoc, vel in illo non constet de possibilitate adimplendi, nam quandiù non constat, retinet libertas ius suum, nec potest stare possessio pro præcepto, quandiù obligatio ipsius non est admissa ad possessionem. Et ita reperi sentire etiam Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 5. *n.* 9. & sequutus est Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *n.* 3.

An, qui rationabili causa exemptus est à ieiunio possit edere cibos prohibitos in ieiunio.

Decis. 355.

SVMMARIVM.

1 *Exemptus a ieiunio, non est exemptus ab abstinentia a cibis prohibitis.*

2 *Distinctis præceptis præcipitur ieiunium, & prohibentur carnes.*

3 *Cur cessante præcepto de ieiunio, non cesset prohibitio carnium, licet talis abstinentia sit de substantia ieiunij.*

4 *Cessante obligatione abstinendi ab ouis, non cessat obligatio abstinendi a carnibus.*

5 *Concionatores ratione laboris non absoluuntur ab abstinentia a carnibus, &c.*

6 *Quid dicendum de senibus.*

1 Resp. negatiuè vt communiter docent præsertim Nauar. *in Manuali c.* 21. *n.* 13. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 7. *q.* 4. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 63. Syluester *verbo* Ieiunium *n.* 7. Tabiena *n.* 10. Trullench. *in Bullam Cruciata lib.* 1. §. 4 *dub* 4. *n.* 4. & *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 2. *n.* 16. Villalob. *p.* 1. *tract.* 23. *diffic* 6. *num.* 8. Leander *in præcept. Eccles. tract.* 5. *disput.* 8. *quæst.* 152.

2 Ratio autem est, quia licet in ieiunio includatur abstinentia à carnibus, & in quadragesima etiam ab ouis, & lacticinijs, distinctum tamen est præceptum de ieiunio, & de abstinentia à carnibus, & ideo cessante vno præcepto non cessat alterum.

3 Videtur tamen obstare, quia abstinentia à carnibus est de substantia ieiunij, & pertinet ad formam ipsius, & ideo si non habet locum ieiunium, nec etiam habebit forma ipsius, atque adeo abstinentia à carnibus. Sed respondetur, quod cessante præcepto de ieiunio cessat quidem obligatio abstinendi à carnibus, quatenus pertinet ad substantiam ieiunij, sed subintrat obligatio alterius præcepti, quod est de sola abstinentia à carnibus, aut etiam ab ouis, & lacticinijs, quod quidem preceptum includitur in præcepto de ieiunio, sed tamen subsistit sine ipso, & ideo non cessat ad ipsius cessationem, sed requirit specialem causam.

4 Similiter etiam cessante obligatione abstinendi ab ouis, & lacticinijs non cessat obligatio abstinendi à carnibus, quia carnes strictius prohibentur; neque prohibentur carnes, & oua cum lacticinijs tanquam vnum, & idem, sed vt diuersa, & ideo causa, quæ facit cessare prohibitionem vnius, non facit cessare prohibitionem alterius.

5 Ex quibus deducitur; quod Concionatores qui, vt in superioribus dictum est, eximuntur ab obligatione ieiunandi ratione laboris, non eximantur ratione eiusdem laboris ab obligatione abstinendi à carnibus, ouis, & lacticinijs, quia labor præcisè non eximit á tali obligatione. Solum ergo possunt eximi ratione debilitatis complexionis, quæ sit talis, vt non possit sustinere laborem studij, & concionandi eo, quod non bene nutriatur cibis quadragesimalibus, quemadmodum opus esset nutriri pro tali labore substinendo.

6 Sed difficultas est de senibus. An nimirum quando quis ratione senectutis non tenetur amplius præcepto ieiunij absoluatur etiam à præceptis abstinendi à carnibus, ouis, & lacticinijs. Resp. quod praxis ipsa docet, quod prima senectus præcisè non sufficiat, vt soluat obligationem talis præcepti. Si tamen concurrat etiam debilitas complexionis, sufficiet, quia vtraque simul facit, quod corpus non possit sufficienter nutriri cibis quadragesimalibus, præsertim quando est assuetum carnibus: *vnde tunc* abstinentia esset quædam impulsio, qua natura *impelleretur*, vt caderet, quod tunc facile contingit, quia ætas ipsa quot idie magis, ac magis inclinat ad casum. Existimo autem, quod regulariter ætas septuagenaria soluat obligationem talis præcepti, quia tunc ætas est valdè cadens, & facilis, vt sucumbat, Et quamuis complexio videatur robusta, adhuc tamen properat ad resolutionem, & ideo censenda est inhabilis, vt per tot dies resistat sine graui incommodo cibis quadragesimalibus.

DE PECCATIS QVAE CONTINGVNT CIRCA PRAECEPTVM IEIVNII.

An, qui comedendo cibos noxios prauidet, quod infirmabitur, & non poterit ieiunare peccet contra præceptum ieiunij. Decis. 356.

SVMMARIVM.

1 *Comedens cibos nociuos cum prauisione futuræ infirmitatis qualiter peccet.*

2 *Non peccat contra praceptum ieiunij, licet prauideat, se non ieiunaturum ex impotentia.*

3 *Quid requiratur, vt aliquid sit peccatum in causa.*

4 *Si comedat cibos nociuos in hunc finem, vt sit impotens ad ieiunandum, an peccet contra praceptum ieiunij.*

5 *Comedens cibos nociuos, & prauidens, quod non poterit abstinere a carnibus, non peccat contra praceptum abstinendi a carnibus.*

6 *Comedens cibos nociuos cum intentione quod ob impotentiam non ieiunet, quid debeat in confessione explicare.*

1 QVod peccet contra temperantiam, & faciat contra obligationem conseruandi propriã salutem, certum omnino est, & cum infirmitas sit futura talis, quod non admittat ieiunium, consequenter erit notabilis, & peccatum intemperantiæ, seu gulæ erit mortale, quia inferet sibi in sanitate nocumentum notabile.

2 An autem peccet contra præceptum ieiunij. Resp. negatiue, & ita docent Medina. 1.2. *q.* 77. *a.* 7. §. *Respondetur tamen.* Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 7. *n.* 14. Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 20.

3 Ratio est; quia tum tantum peccat in causa, quando vult causam per se conducentem ad peccatum, ita vt peccatum contineatur in ipsa causa; secus autem, quando non continetur, sed accidentaliter ei connectitur; nam tunc desinit esse peccatum quia desinit esse voluntarium. In casu autem nostro ex comestione ciborum nociuorum non sequitur violatio ieiunij per se, & quæ sit peccaminosa, sed sequitur solum per accidens ratione impotentiæ;

qua

qua stante non est peccatum non seruare ieiunium. Hæc autem impotentia, quæ per se sequitur, non est peccaminosa, contra præceptum ieiunij, quia hoc præceptum non obligat, vt quis se conseruet potentem.

4 Quod si comedat cibos nociuos in hunc finem, vt se reddat impotentem ad ieiunandum respondet Sanchez citato *dub. n.* 13. quod peccat etiam contra præceptum ieiunij in causa, quia habet intentionem contra ipsum, licet postea non peccet non ieiunando, nam tunc iam est impotens. Verum distinguendum est. Nam si de præsenti vrgeat præceptum ieiunij, & habeat pro fine non ieiunare peccabit contra præceptum ieiunij, quod tamen raro contingere potest, quia impotentia non sequitur illo ipso die quo carnes comeduntur, & ideo non potest habere intentionem non ieiunandi concurrentem cum præcepto præsenti. Si verò de præsenti non obligat præceptum, non peccabit contra ipsum, quia præceptum nondum obligans, & affixum tempori non potest violari. Peccabit tamen contra obedientiam, & obsequium debitum Ecclesiæ, ratione cuius non potest se subtrahere præceptis ipsius ex directa intentione sicut tunc se subtraheret.

5 Et quod dictum est in ordine ad ieiunium, valet etiam in ordine ad comedendas carnes, vnde non peccabit contra præceptum comedendi carnes, qui comedit cibos nociuos præuidens, inde futurum, vt comedat carnes tempore, quo prohibentur, quia videlicet sint necessariæ ob indispositionem.

6 Ex quibus colligitur, quod si quis comedat cibos nociuos præuidens, quod infirmabitur, & nō poterit seruare debita ieiunia, nec abstinere à carnib. quando est abstinendum sufficiet, quod in confessione explicet, se comedisse cibos nociuos, ex quibus notabile nocumentum salutis sit passus, cum præuisione nocumenti, atque adeo tale nocumentum fuisse sibi voluntarium, nam in hoc solum interuenit peccatum, cum in cœtero vtatur iure suo.

An qui tertia vice comedit in notabili quantitate in die ieiunij committat nouum peccatum contra præceptum ieiunij.

Decis. 357.

SVMMARIVM.

1 *Sumens secundam refectionem in die ieiunij peccat mortaliter.*
2 *Sumens tertiam, aut quartam refectionem peccat de nouo secundum aliquos.*
3 *Eorum fundamenta.*
4 *Non peccat, nisi in secunda refectione.*
5 *Præceptum ieiunij per se primo intendit abstinentiam secundum certam formam, & indirecte, vt conditionem, negationem plurium refectionum.*
6 *Cur posita secunda comestione esset obligatio præcepti de ieiunio.*
7 *Præceptum ieiunij cur positiuum.*
8 *Præceptum ieiunij non præcipit, vt comedatur semel, sed concedit, vt habeatur abstinentia intenta.*
9 *Si præceptum ieiunij esset negatiuum, cur adhuc sola secunda comestio ipsi contrariaretur.*
10 *Multiplex celebratio in eodem die prohibetur singula seorsim de se primo.*
11 *An trina comestio magis contrarietur ieiunio, quam bina.*
12 *Tertia comestio cum contemptu, aut cum voluntate de nouo violandi ieiunium est peccatum.*
13 *Tertia comestio in die ieiunij potest committere peccatum contra temperantiam.*

1 Conueniunt omnes Doctores, quod peccat mortaliter, qui in die ieiunij sumat secundam refectionem, nam violat præceptum ieiunij, siquidem non seruat illam mensuram, & formam abstinentiæ, quam præscribit.

2 An autem de nouo peccet, quando sumit tertiam refectionem in notabili quantitate. Affirmatiuam sententiam tenent Couaruuias *lib.* 4. *Variar. Resol. c.* 20. *n.* 13. Medina *Cod. de ieiunio q.* 5. ver. *Ego tamen.* Molan. *in theol. pract. tr.* 3. *c.* 11. *conclus.* 4. Maior. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 6. Montesin. 1. 2. *tom.* 2. *q.* 73. *ar.* 2. *q.* 4. *n.* 47 Syluius 2. 2. *qu.* 147. *ar.* 6. *q.* 3. ver. *Verumtamen responsio.*

3 Mouentur hi Doctores, primo; quia licet præceptum ieiunij videatur affirmatiuum quo ad verba reuera tamen negatiuum est, quia ita concedit vnam refectionem, vt prohibeat cœteras; vnde obligat ad comedendum semel tantum in die, & ideo pluries comedens, pluries facit contra ipsum. Secundo. Quia Ecclesia concedit celebrare semel tantum in die, quoties quis vltra celebraret, toties peccaret, ergo cum concedat semel tantum comedere in die ieiunij, quoties quis vltra comedet, toties peccabit. Tertio. Quia adhuc cœteræ comestiones contrariantur fini Ecclesiæ intento per ieiunium, & proinde peccaminosæ sunt, & contra intentionem Ecclesiæ. Intendit enim Ecclesia per ieiunium macerationem corporis, cui magis contrariatur trina comestio, quam bina.

4 Communis tamen sententia est in oppositum asserit enim, quod solum committitur peccatum, quando comeditur secunda vice, non autem peccari de nouo, quando comeditur, tertia, aut quarta vice. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 11. *n.* 9. Palud. *q.* 4. *ar.* 5. Gabr. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 3. *dub.* 5. ver. *Alia opinio.* Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 8. §. *Ad hoc dicitur. & in sum. verbo* Ieiunium *c.* 4. *circa finem.* Angelus *num.* 22. Syluester *n.* 22. ver. *Quartum.* Armilla *n.* 14. Sà *nu.* 13. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *qu.* 1. *punc.* 3. ver. *Nihilominus contraria sententia.* Palat. *in* 4. *dist.* 38. *disp.* 1. *post* 5. *conclus.* Rosella *verbo* Ieiunium *n* 4. Tabiena *q.* 9. D. Antonin. 2. *p. tit.* 6. *c* 2. §. 9. Nauar. *in Manuali c.* 21. *n.* 14. Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 9. *q.* 2. ver. *Secunda sententia.* Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 5. ver. *Alia est sententia.* Vega *p.* 1. *sum. c.* 14. *Casu* 9. Rodriquez *tom.* 1. *sum. c.* 23. *n.* 1. Petrus Ledesma 2. *p. sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 4. *circa secundam conditionem ieiunij.* Angles *in Florib. q.* 9. *de ieiunio ar.* 2. *difficul.* 6. Viual. *in Append. ad Candelab. Aureum c.* 15. *de ieiunio n.* 60. Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 6. *nu.* 5. Sanchez *tom.* 1. *sum. lib.* 5. *c.* 11. *n.* 42. Henriquez *lib.* 7. *sum. c.* 13. *n.* 13. *in Com. littera S. in fine.* Lopez 2. *par. Instruct. cap.* 112. Beia *p.* 1. *Casu* 45. ver. *Aduertendum secundo.* Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c* 4. *n.* 5. Tanner. 2 2. *disp.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *n.* 93. Filliucius *tr.* 27 *p.* 2. *c.* 2. *n.* 23. Reginal. *lib.* 4. Praxis *fori pœnit. c.* 14. *n.* 179. Salas *disp.* 14. *de legib. sect.* 5. *n.* 67. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.*

*dub.*3. *n.*15. Medina *lib.*1. *sum.c.*14. §. 10. Pedrazza *pracep.*3 §.13. Summa Corona *p.*1. *c.*1. *n* 27. *circa fi, nem.* Trullench. *lib.*3. *in Decal.c.*2. *dub.*3. *nu.* 3. & *dub.* 5. *n.*4. Laiman. *lib.*4. *Theol.mor.tr.*8. *c.*1. *nu.* 13. Molfes. *p.*1. *sum.tr.*10. *c.*5. *n.*22. Io. à Cruce *p.*1 *Direct. conscient. prac.*3. *ar.*4. *n.*1. Fernandez *p.*2. *Exam theol. mor. c.* 8. §. 2. *n.*10. Diana *p.*1. *tr.*9. *de ieiunio Resol* 44. *ver. Sed tu* Bonacina *disp. vlt. de prac. Eccl. q.*1. *punc.*3. *n.*7. Basseus *in Floribus theol. pract. verbo* Ieiunium 1 *n.*10. Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n.*5. Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.*54. *n.*42. Ludouicus à S. Io. *p.*1. *sum. tr. de ieiunio ar.*12. Ghetius *in Thesauro animae verbo* Ieiunium *c.*1. *n* 4 *circa finem.* Lublinus *in summa verbo* Ieiunium *n.*2. Gordonus *lib.*6. *Theol. mor. q.*18. *c* 5. *n* 9. *ver. Quarta dubitatio.* Llamas 3, *par. Methodi c.*5. §. 26. *in fine.* Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.*2. *q.*2. Boss. *tom.*3. *mor. tit.*21 *n.*217. Machad. *tom.*1. *lib.*3. *p.*4. *tr.*3. *docum.* 6. *num.*4. Martin à S. Ioseph. *tom.*1. *mor. lib.*2. *tr.*5. *de ieiun. nu.*4. Roccaful. *in praxi tr.*6. *de prac. Eccl. lib.*3 *c* 4. *n* 56. Leander à Murcia *in cap.*5 *Regul. S. Francisc. cap.* 2. §. 2. *num.*46.

5 Et hæc sententia tanquam longe probabilior tenenda est, nam Ecclesia præcipiens ieiunium intendit abstinentiam secundum certam regulam, & mensuram, nempe, quod pro integro die reducatur alimentatio ad vnam tantum refectionem cum vespertina refectiuncula introducta per consuetudinem absque carnibus: vnde per se primo intendit talem formam abstinentiæ, & negationem vlterioris comestionis, quatenus necessariam pro seruanda tali forma abstinentiæ, & ideo non intenditur per se primo, & directè, sed tantum indirectè tanquam conditio. Quare destructa forma, & mensura abstinentię intenta per secundam comestionem, cessat intentio Ecclesiæ de negatione tertiæ, aut quartę comestionis, quia accessorium non intenditur, nisi ex intentione principalis, qua cessante, cessat etiam intentio accessorij.

6 Deinde stante secunda comestione non potest pro illo die habere locum, quod præcipitur ab Ecclesia, quia secunda comestio violat, & tollit illud ieiunium, quod præcipitur, & destruit substantiam, & formam ipsius, nam destruit formam, & mensuram abstinentię præscriptam, ergo posita secunda comestione cessat obligatio præcepti de ieiunio; quia non potest amplius haberi, quod per ipsum præcipitur. Et cessat præcepti obligatio, quando eius obiectum fit impossibile: vnde non remanet vlterior obligatio præcepti ad non comedendum supra secundam vicem, quia cessante obiecto cessat tota obligatio præcepti.

7 Hinc ad primum in oppositum resp. Quod præceptum ieiunij est positiuum, nam non prohibet quod aliquid non fiat, sed præscribit exercitium virtutis abstinentiæ, & maccerationem corporis, & pro hoc obtinendo, moderatur cibum, ipsum reducendo ad aliquam certam mensuram: qua mediocritate stante consurgit, virtus abstinentiæ. Ex hac autem præscriptione positiua consequitur negatio plurium refectionum, quia quotiescunque aliquid coarctatur ad certos terminos, excluditur quicquid non continetur intra tales terminos; sic si quis de sua pecunia donet centum aureos, tota alia pecunia remanet exclusa à donatione: & tamen non potest dici, quod illa donatio sit actus negatiuus. Sic etiam præceptum charitatis est positiuum, & tamen ex hoc consequitur, quod non possimus odio habere proximum, aut illi inferre aliquod damnum, quia per omne præceptum positiuum consequentiuè excluditur, quicquid contrariatur executioni ipsius. Neque sequitur, vt non rectè infert Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *nu.* 41. Quod faciat contra præceptum, qui in die ieiunij non comedit semel: nam non præcipitur, quod semel comedatur, sed quod exerceatur abstinentia, & maceratio corporis cum certa mensura cibi, quæ non excedatur; Vnde talis mensura cibi non præcipitur, sed conceditur vt tolerabilior sit abstinentia: & ideo si quis etiam ab ipsa abstineret, non solum obseruaret præceptum, sed vlterius aliquid amplius in eodem genere virtutis præstaret. Quare, *cum sit præceptum* affirmatiuum, non toties *violatur*, *aut fit* contra ipsum, quoties comeditur, sed quando destruitur illa forma abstinentiæ ab ipso præscripta.

9 Imo etiam si esset præceptum negatiuum, adhuc sola secunda comestio contineret peccatum, non autem subsequentes. Quia cœteræ refectiones supra primam non prohiberentur singulæ seorsim sed omnes simul indiuisibiliter. Quod ex eo colligitur, quia ita prohiberentur, vt simul præscriberentur termini, in quibus debet consistere refectio, & ideo cœteræ refectiones prohiberentur, prout dicunt excessum supra terminos præscriptos, atque adeo tunc solum peccaretur contra prohibitionem, quando poneretur excessus supra terminos *præscriptos*, quod contingit in secunda comestione nam tunc poneretur tota ratio prohibita, nempe, excessus ille: cœteræ autem comestiones non continerent peccatum, quia non ratione sui essent prohibitę, sed ratione excessus supra terminos, & *mensuram* præscriptam in cibo. Sic etiam præceptum de Clausura monialium non violatur, nisi per *primum* ingressum, & primum egressum respectu terminorum quibus clauditur clausura; vnde qui ingreditur per decem passus, & sistit ibi, si postea vlterius progrediatur non committit nouum *peccatum*, quia totus ingressus, quantus *potest esse*, prohibetur indiuisibiliter, vt nimirum *est penetratio* intra terminos clausuræ, & *idem etiam* est de egressu. Nec debent comparari plures ingressus cum pluribus comestionibus in eodem die, quia, si post ingressum sequatur egressus, res ponitur in integro, & ingressus de nouo violat pręceptum, quod nondum in ordine ad illum actum est violatum; at tertia comestio supponit præceptum iam violatum, & quod non est integrum, & ideo non violat de nouo, sed continuatur cum violatione iam facta, sicut continuatur ingressus intra clausuram ad loca vlteriora: & ideo deberent comparari plures ingressus cum pluribus secundis comestionibus in diuersis diebus ieiunij.

10 Ad secundum resp. esse diuersam rationem de prohibitione celebrandi pluries in die, quia hæc pluralitas celebrationis non prohibetur vt excessus quidam supra vnitatem celebrationis, quo destruatur aliqua forma, & mensura intenta ab Ecclesia, sicut destruitur per pluralitatem comestionis forma ieiunij, sed prohibetur de se primo, vt dicit multiplicationem actus: vnde remanet prohibita omnis celebratio supra primam singula per se seorsim, non autem omnes simul indiuisibiliter, & ideo quoties multiplicatur celebratio, multiplicatur etiam peccatum.

11 Ad

11 Ad tertium dicitur, quod trina comestio non magis contrariatur fini Ecclesiæ intento per ieiunium, quam contrarietur bina comestio; quia Ecclesia non intendit, quomodocunque macerationem corporis, alioquin qui in vnica comestione tantum cibi sumeret, vt æquiualeret pluribus comestionibus faceret contra præceptum ieiunij, quod tamen communiter negant: aut non violaret præceptum, qui in pluribus vicibus sumeret tantum cibi, quantum æquiualeret vnicæ completæ refectioni. Sed intendit macerationem, quæ consurgit ex tali præscripta mensura, & forma alimentationis: vnde si destruatur talis mensura, & forma alimentationis statim destruitur etiam maceratio corporis intenta ab Ecclesia: destruitur autem statim per secundam comestionem, & tertia comestio non habet, quod de hac forma destruat, quia est iam tota destructa, vtpote consistens in indiuisibili, & ideo nec contrariatur intentioni Ecclesiæ.

12 Est tamen aduertendum, quod si quis tertia vice comederet cum contemptu præcepti, aut cum noua voluntate frangendi ieiunium, si iam non fregisset, tunc certe de nouo, & toties peccaret, quoties id faceret, quia adesset noua intentio in voluntate contra præceptum, & ita notant Gabriel, Syluester, Nauarrus, Facundez supra *n.* 4 *cum.*

13 Rursus est aduertendum. Quod licet tertia, aut quarta, aut vlterior comestio non contineat nouum peccatum contra præceptum ieiunij, potest tamen continere contra præceptum naturalis temperantiæ: & erit aut mortale, aut veniale, prout grauiter, vel leuiter contrariatur temperantiæ; & prout infert graue, aut leue detrimentum saluti. Quod de se manifestum est, & notant nonnulli ex Auctoribus supra *n.* 4. relatis præsertim Io. Sanchez.

An, qui tertia, aut quarta vice comedit in die ieiunij, peccet saltem venialiter.

Decis. 358.

SVMMARIVM.

1 *Tertia, aut quarta vice comedens in die ieiunij peccat venialiter secundum aliquos.*
2 *Neque venialiter peccat.*
3 *Posita secunda comestione expirat tota obligatio præcepti de ieiunio.*

1 AFfirmatiuam sententiam tradit Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure cap.* 2. *dub.* 3. *n.* 15. Basseus *in Floriu. th. practica verbo* ieiunium *nu.* 10. *in fine.* Filliucius *tr.* 27. *p.* 2 *c.* 2. *n.* 23. quia tertia, & vlterior refectio videtur saltem secundario prohibita, & per ipsam magis receditur ab intrinseco fine ieiunij.

2 At loquendo de peccato contra præceptum ieiunij, nam de peccato contra temperantiam dictum est Decis. *præcedenti n.* 13. tenenda est negatiua sententia, quam tradunt Villalobos *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 6. *n.* 5 *in fine.* Io Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 42. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 53. ver. *Sed mihi.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 4. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *qu.* 3. Gordonus *lib* 6. *theol. mor. q.* 18. *n.* 9. ver. *Quarta dubitatio.* Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 221. Roccaful *in praxi tr.* 6. *de præcep. Eccl. lib.* 3. *c.* 4. *n.* 57.

3 Ratio est, quia posita secunda comestione expirat tota obligatio præcepti, nam destruitur tota forma ieiunij, quæ pro illo die amplius reparari non potest, vtpote quæ consistit in indiuisibili: vnde cum non possit poni amplius forma, & substantia ieiunij, nihil remanet, quod exigatur ab ipso, quia destructa substantia nihil de ieiunio potest subsistere, & ideo non remanet vlterior obligatio, atque adeo nullum committitur peccatum, cum non fiat contra aliquam obligationem præcepti.

An violans ieiunium, quando præcipitur duplici præcepto, committat multiplex peccatum.

Decis. 359.

SVMMARIVM.

1 *Violans ieiunium duplicis præcepti committit multiplex peccatum secundum aliquos.*
2 *Committit vnicum peccatum.*
3 *Quid requiratur vt peccata multiplicentur.*
4 *Cur transgressio voti iuramento firmati sit multiplex peccatum.*
5 *Violare ieiunium positum ab vno Pontifice, & confirmatum ab alio est vnum peccatum.*
6 *Violare ieiunium, ad quod tenemur ex diuersa obligatione est multiplex peccatum.*
7 *Regulares multipliciter peccant, si violant ieiunium obligans ex præcepto, & ex regula.*
8 *Regularis non seruans regulam obligantem sub mortali peccat contra votum.*
9 *Quot peccata committat edens carnes in die ieiunij.*
10 *Edens carnes, & oua in die ieiunij quot peccata committat.*
11 *Pluries edens carnes in ieiunio ex voto, an pluries peccet.*

1 AFfirmatiuam sententiam tradunt Nauar. c. 11. *Manual. n.* 4. Lopez *p.* 1. *c.* 39. §. 3. Rodriquez *p.* 1. *sum. c.* 23. *nu.* 4. Conninch. *Disp.* 7. *de Sacramen. dub.* 6. *n.* 47. quia nimirum violatio cuiuscunque præcepti est peccatum, vnde violatio duplicis præcepti erit duplex peccatum.

2 Negant tamen Henriquez *lib.* 5 *sum. c.* 5. *n.* 6. & *c.* 16. *n.* 6. Vasquez 1. 2. *q.* 72. *ar.* 6. *disp.* 98. *n.* 8. Suarez 3. *par. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 21. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 15. *n.* 6. Ledesma 2. *par. sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 2. *post* 6. *conclus. ver. A esta difficultad.* Azor *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 21. *q.* 7. Filliucius *tom.* 2. *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 82. Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 10 *n.* 7. Sa *verbo* Confessio. *n.* 29. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 16. *ver. Hæc opinio.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 5. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *q.* 14. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 281. qui plures citat, qui in genere tradunt, peccata non multiplicari ex multiplicatione præceptorum. Et *n.* 295. vbi de hoc in specie.

3 Ratio autem eſt, quia non poteſt eſſe multiplex peccatum ſpecie, cum ſit ratione vtriuſque præcepti contra eamdem virtutem nempe temperantiam; & proinde contineat vnam, & eamdem malitiam ſpecie; vtrumque enim præceptum præcipit ieiunium ſub ratione abſtinentiæ, & ex motiuo eiuſdem virtutis. Nec poteſt eſſe multiplex peccatum numero, quia eſt vnus, & idem actus: peccata autem in actu eodem non poſſunt multiplicari numero, niſi etiam multiplicentur ſpecie. Vnde diuerſa præcepta obligantia ex motiuo eiuſdem virtutis, ſicuti reſpiciunt vnum, & eumdem actum, quem ſolum intendunt, ita quando violantur, non violantur niſi vnico peccato, quia peccatum non magis extenditur, quam extenderetur virtus, ſi obſeruarentur quia non eſt aliud quam priuatio illius honeſtatis, quam diceret obſeruantia præcepti.

4 Nec eſt eadem ratio de tranſgreſſione voti, & iuramenti, quia licet vtraque ſit contra religionem, quia tamen religio continet ſub ſe diuerſas virtutes, ideo tranſgredi votum iuramento confirmatum eſt duplex peccatum. Quia violatur fidelitas debita ratione voti; & reuerentia debita veracitati diuinæ, dum pro falſitate inuocatur.

5 A fortiori autem ſequitur, quod non ſit duplex peccatum violare ieiunium impoſitum ab vno Pontifice, & ab alio confirmatum, vt notant Ledeſma 1. *par. ſum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 1. *poſt* 6. *concluſ.* & Rodriquez *p.* 1. *ſum. c.* 23. *n.* 3. Ratio eſt, quia talis confirmatio non addit nouam obligationem, ſed tantum priorem roborat.

6 E contra autem eſt multiplex peccatum, quãdo obligatio ad ieiunandum eſt multiplex, & diuerſę rationis, vt notant Doctores tam prioris, quam poſterioris ſententiæ Ledeſma dicta *concluſ.* 6. Rodriquez *n.* 4. Leander *in præc. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 9. *q.* 5. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 7 *nu.* 109. Ratio eſt euidens, quia cum obligatio ſit diuerſæ rationis, habet pro motiuo diuerſam virtutem, & ideo eodem actu multiplex virtus violatur. Vnde qui etiã ex voto teneretur ieiunare ijs diebus, quando ieiunium præcipitur etiam ab Eccleſia peccaret contra religionem, & etiam contra temperantiam indictam ab Eccleſia, & ideo committeret duplex peccatum ſpecie.

7 Et proinde Regulares illi, qui tenerentur ex Regula ſub mortali ieiunare, ſi eodem die incidat ieiunium indictum ab Eccleſia, peccant dupliciter, ſi ipſum non ſeruent, nempe contra temperantiam præceptam ab Eccleſia; & contra Religionem, quia non ſeruant regulam obligantem ſub mortali, quam ex voto tenentur ſeruare. Ita notant Vaſquez 1. 2. *q.* 72. *ar.* 6. *diſp.* 98. *n.* 9. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 15. *n.* 6. Facundez *præcep.* 1. *Eccl. lib.* 2. *c* 4. *n.* 9. Merol. *tom.* 1. *theol. mor. diſp.* 2. *c.* 7. *n.* 126. Ouiedus 1. 2. *tr.* 6. *controuerſ.* 5. *punc.* 7. *n.* 135. Boſſius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *nu.* 308. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio. Reſol.* 16. *ver. Quæres, an ſaltem. in fine.* Bonacina *diſp.* 2. *de peccatis q.* 4. *punc.* 3. *n.* 7. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. cap.* 2. *dub.* 5. *nu.* 5. *in fine.*

8 Oppoſitum tenet Cornelus 1. 2. *tr.* 7. *q.* 71. *diſp.* 5. *dub.* 8. *n.* 10. Leander *in præc. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 9. *q.* 6. Bordonous *in ſuis Conſil. Regular. Reſol.* 18. *n.* 13. Quia illa ieiunia præcipiuntur ſolum ſub motiuo temperantiæ; vnde non peccant contra religionem violatores ipſorum. Sed hoc ſtare non poteſt, quia licet præcipiantur ſub motiuo abſtinentiæ præcipiuntur tamen etiam ſub motiuo religionis, quia regula in omnibus, quæ præcipit, intendit ſpecialem cultum Dei, & cum per votum obligetur Regularis ad regulam ſeruandam eo modo, quo ipſa obligat, ſi non ſeruet, quando obligat ſub mortali, facit etiam contra votum, quia illa obligatio radicatur in voto.

9 Ex dictis colligitur, quid dicendum de eo, qui violat ieiunium comedendo carnes, an ſcilicet committat duplex, an vero vnicum peccatum. Monteſin. 1. 2. *q* 72. *ar.* 2. *q.* 4. *n.* 47. Leander *p.* 1. *de Sacram. tr.* 5. *diſp.* 8. § 8 *q.* 11. volunt committere vnicum peccatum. & proinde modum, ſeu circumſtantiam, quo frangitur eſſe tantum aggrauantem, & per conſequens con neceſſario exprimendam in *confeſſione*. E contrario Io. Sanchez *in ſelect. de Sacram. diſp.* 51. *n.* 16. vult, committi duplex peccatum. Quia eſus carnium, & violatio ieiunij diuerſo modo opponuntur virtuti temperantiæ. Verum ſi ieiunium contingat in aliquo die, in quo aliàs carnes prohibentur vt in feria ſexta ſabbatho, vel diebus Quadrageſimæ in quattuor temporibus tunc exiſtimo interuenire peccatum duplex, quia carnes ſpeciali præcepto prohibentur, ita vt ceſſante præcepto ieiunij, non ceſſet de abſtinentia à carnibus, quia non ſunt prohibitæ propter ieiunium, ſed propter ſe primo. Vnde violatur duplex præceptum, quod licet ſit in genere abſtinentiæ, eſt tamen diuerſum, quia *verſatur* circa diuerſam ſpeciem abſtinentiæ. *Si* tamen ieiunium incidat in die in quo aliàs carnes non prohibentur vt in ieiunijs ex voto, aut municipalibus, erit vnum peccatum, quia carnes prohibentur non per ſe, ſed in conſequutionem ad formam præſcriptam in ieiunio.

10 Colligitur 2. cum Leandro *dic. tr.* 5. *de Sacram. diſp* 8. § 8 *q* 12 Eum, qui in diebus ieiunij *comedit* carnes, & lacticinia, ſeu oua ſimul vnica, & eadem vice, committere vnicum peccatum, ſi tamen ieiunium incidat in die, in quo aliàs non prohibeantur quia tunc violatur tantum præceptum de *ieiunio*. Imo ſi in tali die abſtinentia à carnibus *eſſet tantum* ratione ieiunij, pluries comedens *non amplius* peccaret, quia non poteſt amplius ſeruare ieiunium. At non aſſentior Leandro, *quando* carnes, & oua non ſolum ratione ieiunij, ſed etiam ratione diei prohiberentur, *vt* in Quadrageſima, nam tunc violaretur tum præceptum ieiunij, tum præceptum prohibens hos cibos, & contra præceptum prohibitiuum toties peccaretur, quoties ederentur.

11 Colligitur 3. cum Laiman *lib.* 4. *theol. mor. tr.* 4 *c.* 3. *n* 3. Sanchez *lib.* 4. *ſum. c.* 11. *n.* 41. Fauſto *lib.* 1 *Theſau. q.* 140. *n.* 2. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *reſol.* 45. Leandro *dicto tr.* 5. *diſp.* 8. § 8. *q.* 13. contra Azor. *p.* 1 *lib* 7 *c.* 10. *q* 8. Suarez *tom* 2. *de relig. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 12. Eum, qui tenetur ex voto ieiunare, ſi pluries in illa die carnes comedat, prima tantum vice peccare comedendo carnes, quia cum tunc votum violetur, & non poſſit amplius illa die ſeruari, ceſſat obligatio vlterior. Verum ſi illa die cibi eſſent aliàs prohibiti, tot peccata committerentur, quot eſſent comeſtiones.

An, quando concurrit in eodem die duplex praeceptum ieiunij, si violetur, ita aggrauetur peccatum, vt sit haec circumstantia in confessione explicanda.

Decis. 360.

SVMMARIVM.

1 *Circumstantia duplicis praecepti, quando violatur ieiunium, est explicanda in confessione.*
2 *Non est explicanda secundum probabiliorem sententiā.*
3 *Cur violatio ieiunij, ex duplici praecepto obligans, non sit grauius peccatum.*
4 *Quomodo secundum praeceptum ieiunij concurrens cum primo se habeat.*
5 *Violans ieiunium non facit contra fines extrinsecos Ecclesiae, & cur.*

1 Affirmatiuam sententiam tradit Reginal. *tom.1.lib.4. Praxis fori poenit.c.17.n.192* quia grauius est violare duplex praeceptum, quam vnicum tantum.

2 Sed negant Vasquez 1.2.*disp.96.n.10.* Sanchez *lib.9.de matrim.disp.15.n.6.* Ledesma *2.par.sum.tr.27 c.2.dub.2.post 6.conclus.* Sà *verbo* Confessio *n.29.* Diana *p.1.tr.9.de ieiunio. Resol.16.* ver. *Quares, an saltem.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2.dub.5.n.5.*

3 Haec posterior sententia magis placet, quia non aggrauatur peccatum, nisi in ordine ad honestatem debitam, quam destruit, quia grauitas peccati consurgit in ordine ad bonum, quo priuat, & in ordine ad Deum offensum mediante obiecto, in quo offenditur. In casu autem nostro violatio ieiunij non priuat maiori bono, quam si adesset vnicum tantum praeceptum, & siue adsit duplex praeceptum, siue vnicum, est idem omnino obiectum, in quo Deus offenditur, nam non plus intenditur boni ab Ecclesia per duplex praeceptum, quam intendatur per vnum, siquidem per vtrumque praeceptum intenditur vnum, & idem ieiunium, atque adeo vnum, & idem bonum in quo Deus offenditur per subtractionem illius, & ordinis ad vltimum finem in ipso fundati, & praecipitur ex eodem motiuo virtutis, & ideo non intenditur aliqua ratio honestatis ex eo, quod superaddatur nouum praeceptum.

4 Hinc non est grauius peccatum violatio ieiunij concurrente duplici praecepto, quia alterum per accidens se habet, & veluti conditionato modo, ita vt obligaret ad ieiunandum, nisi in illo die reperiret obligationem prouenientem ex alio praecepto: & ideo in actu secundo non ponit nouam obligationem, quia est tantum aptum ad illam ponendam, si non reperiret.

5 Quod si dicatur, esse grauius peccatum concurrente duplici praecepto, quia defraudatur duplex finis Ecclesiae, nam v.g. in ieiunio quattuor temporum intendit submissionem Deo pro gratiarum actione de beneficijs; & ieiunium vigiliae instituit in honorem sancti. Resp. per violationem ieiunij destrui tantum bonum ipsius ieiunij ab ipso ieiunante; quia ex vi obligationis ieiunandi non tenetur ieiunans habere tales fines, quia sunt fines extrinseci. Vnde nec implicitè ex eo, quod ieiunat, illos habet, cum non sint connexi ex natura rei cum ieiunio, & ideo non peccat aliquo pacto ex eo, quod non habeat; vnde non ieiunando illos non violat, nec auget peccatum ratione ipsorum.

An Dominus teneatur compellere seruos ad ieiunandum.

Decis. 361.

SVMMARIVM.

1 *Dominus secundum aliquos tenetur compellere seruos ad ieiunandum.*
2 *Secundum alios non tenetur.*
3 *Tenentur domini prouidere seruis congruentes cibos pro ieiunio.*
4 *Tenetur corrigere, & hortari, vt ieiunent:*
5 *Non tamen tenentur compellere ad ieiunandum.*
6 *Peccarent, si contra ipsos exercerent vim coactiuam.*
7 *Possunt Domini subministrare coenam famulis nolentibus ieiunare.*
8 *Famulus nolens ieiunare cum scandalo, debet expelli à Domino.*
9 *Possunt Domini negare semel, aut bis coenam famulis nolentibus ieiunare, si hoc profecturum sperent.*

1 Teneri compellere seruos ad ieiunandum, ita vt non possint ipsis subministrare cibos, quibus ieiunium frangant, docent Medina *Cod.* De ieiunio *qu.11.* ver. *Si autem cibi.* Nauar. *cap.21. Manual.n.26.* Tolet. *lib.6.c.5. n.1.* ver. *Secundus casus.* Gabr. *in 4.dist.16.q.3.ar.3. dub.6.§. E secunda via,* & infra *in resp.ad 4.* Comitol. *lib.4.Resp.mor.q.56.* Ledesma *2.p.sum.tr.27.c.2.dub.3.post 6.conclus.* ver. *A esta difficultad.* Maior. *in 4.dist.15.q.4.§. Dubitatur.* & videtur consentire Syluius *2.2 q.147.ar.3.conclus.2.* ver. *Obseruandum hic est.* Mouetur, quia Domini tenentur habere curam familiae, praecipue in ijs, quae pertinent ad salutem, iuxta illud Apost. *2.ad Timoth.5. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

2 At communiter negant, teneri Dominos compellere famulos ad ieiunandum. Ita Arrago. *2.2. q.32.ar.3.* Ledesma *2.p.4.q.17.ar.6.dub.4.* Angles *in Florib.q.7.de ieiunio.diffic.2.in conclus.* Sotus de Secreto, *memb.2.q.3.conclus.4.*ver. *Respondetur.* Azor. *p.1.lib.7 c.20.q.12.* Rodriquez *p.1. sum.c.23.conclus.4.* Villalobos *p.1.sum.tr.23.diffic.3.num.3.* Vega *p.1.sum.c.14. Casu 27.* Ortiz *c.19.sum.pracep.2.n.14.* Sà *verbo* Ieiunium *n.15.* Filliucius *tr.27 p.2.c.6.n.91.* Reginal. *lib.4.Praxis fori poenit.n.199.* Sanchez *lib.5.consil.mor. c.1.dub.17.n.5.* Homobonus de Bonis *p.2.Exam. Eccles.tr.8.c.7.q.21.* ver. *Verum vllo praecepto.* Diana *p.1. tr.9 de ieiunio Resol.18.* Facundez *prac.4.Eccl.lib.1.c. 10 n.11.in fine.* Lublinus *p.1.sum. verbo.* Ieiunium *n.22.* Ghilinus *in sum. verbo.* Ieiunium *n.9.* Auctor casuum conscient. Bononiens. *Anni 1636 Casu 3.Mensis August.* ver. *Si ergo Sempronius.* Trullench. *lib.3. in Decal.c.2.dub.5.n.8.* Martin. à s. Ioseph. *tom.1.mor. lib.2.tr.5.de ieiun.n.15.* Roccaful. in *Praxi tr.6.de pracep.Eccl.lib.3.c.7.n.14.*

3 In hac difficultate hoc certum est apud omnes, & notant Doctores supracitati præsertim Ledesma, Angles, Sanchez, Facundez. Quod tenentur Domini suppeditare seruis congruentes cibos quò ad quantitatem, & qualitatem, vt possint ieiunare, alioquin non subministrando interpretatiuè vellent, quod non ieiunarent. Hoc tamen limitandum est, vt valeat, quando Domini tenentur prouidere seruis decibis; quia si cum ipsis conuenissent de certa portione alimentorum, non tenerentur ad aliud. Et similiter etiam, quando non possent, quo ad quantitatem, & qualitatem congruentem sine graui incommodo subministrare, quia tunc censerentur tacitè ita inter se conuenisse.

4 Secundo certum est etiam apud omnes supradictos Doctores, quod tenentur Domini monere seruos, vt ieiunent, corrigere, & increpare. Et hoc est, quod intendit Apostolus 1. *ad Timoth.* 5. dum inquit: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit.* Consistit enim hæc cura, vt moneat increpet &c. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *q.* 17. Vnde solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Ratio est, quia famuli habent rationem proximi respectu dominorum, imo speciali modo pertinent ad curam ipsorum, & ideo ratione charitatis tenentur eos amare, sicut se ipsos, atque adeo procurare eorumdem salutem, adhibendo ea media, quæ possunt, & præsertim medium commune. Hoc autem habet locum, quando probabiliter censerent, quod sine causa violarent ieiunium.

5 Quod autem spectat ad principalem difficultatem. Dicendum est: Dominos non teneri compellere famulos ad ieiunandum, quando nolunt ieiunare. Ratio est, quia, licet Domini habeant aliquam potestatem supra famulos, eo quod ipsis addicunt personam in ordine ad seruiendum, & leges ciuiles ipsis concedant aliqualem iurisdictionem, & maiorem si sint in seruitutem redacti, non tamen sunt Prælati ipsorum, atque adeo nulla habent iurisdictionem spiritualem supra ipsos, & consequenter nec etiam potentiam coercitiuam, ergo non tenentur ipsos cogere ad ieiunandum, siquidem talis coactio est exercere potentiam punitiuam, quæ ipsis non competit.

6 Imo ob eadem rationem nec possunt exercere, quia ipsis non competit, nam esset vsurpatio potestatis Prælatorum. Vnde, si coactio esset notabilis, inferrent iniuriam, & Prælatis, & Famulis, atque adeo peccarent peruertendo debitum ordinem. Nec obstat, quod cogerent ad bonum, & ad id, ad quod tenentur, quia esset eadem ratio, ac si princeps Laicus compelleret Ecclesiasticos ad exequenda ea, ad quæ tenentur vsurpando iurisdictionem Prælati Ecclesiastici. Vnde non recte Villalob. *citatus* docet, posse eos moderate punire, sicut puniunt, quando non exequuntur mandata, nam non est eadem ratio, nam in ordine ad mandata se subiecerunt, & leges dant illis hanc potestatem, non autem in ordine ad spiritualia.

7 Sed, an possint Domini subministrare cœnam famulis nolentibus ieiunare videtur habere maiorem difficultatem. Resp. tamen cum Doctoribus posterioris sententiæ præsertim Sanchez, Aragon, Ledesma, Angles, Soto *de secreto mem.* 2. *qu.* 3. *conclus.* 4. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *q.* 9. posse subministrare. Quia hoc non est cooperari peccato: nam de se cœna indifferens est, ordinata ad sustentationem naturæ, & potest bene, vel male adhiberi: vnde quod male à famulis adhibeatur, prouenit ex famulorum malitia. Sufficit autem, quod Domini non inducant ad violandum ieiunium, sed ad seruandum. Imo si subtraherent cœnam, exercerent contra ipsos aliquam vim coercitiuam, & punitionem, quia cum teneantur ipsis subministrare victum censerentur ipsos, quò ad hoc punire. Oppositum tenent Reginaldus, & Filliucius *supracitati*. Quorum fundamentum est iam solutum. Et insu. per Laiman. *lib.* 2. *Theol. mor. tr.* 3. *c.* 13. *n.* 5. *ver. Quarto resolues.* Tolet. *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 1. ver. *Secundus casus.* Nauar. *consil.* 2. *De obseruat. ieiun lib.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 8. Ortiz *c.* 19. *sum. man.* 2. *tr.* 14 Rodriquez *par.* 1. *sum. c.* 23. *n.* 8. Diana *par.* 1. *tr.* 9. *resol.* 28.

8 Est tamen aduertendum. Quod si quis famulus nollet seruare ieiunia in contemptum Ecclesiæ aut ex alio capite oriretur scandalum, teneretur Dominus, si debitæ correptiones non proficerent, eum eijcere è domo; nam in tali casu teneretur remouere scandalum, nam alias videretur in ipsum consentire.

9 Rursus. Si Dominus sciret, profuturum famulis, negare ipsis cœnam semel, aut bis, vt inducerentur ad ieiunandum, non teneretur negare, vt notat Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 17. *num.* 6. cum alijs recentioribus. Ratio esse potest, quia hoc esset aliquo modo cogere, & exercere vim coercitiuam. Addit tamen, quod deberet negare, hoc est secundum conuenientiam. Quod quidem potest, quia coactio est leuis, & ad modum correctionis, vnde supponi potest ratihabitio Prælatorum: atque adeo in hoc non peccaret. Neque hinc fit quod teneatur negare vt infert Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *q.* 10. quia licet possit exercere talem vim coercitiuam, non tamen tenetur exercere.

An parentes peccent, si non cogant filios ad ieiunandum.

Decis. 362.

S V M M A R I V M.

1 *Parentes tenentur secundum aliquos cogere filios ad ieiunandum.*
2 *Secundum alios non tenentur.*
3 *Debent monere, corrigere, & increpare.*
4 *Non tenentur cogere.*
5 *Quam potestatem habeant parentes in filios.*
6 *An possint punire filios.*
7 *An possint parentes cœnam subministrare filijs nolentibus ieiunare.*

1 TEneri parentes cogere filios ad ieiunandum, atque adeo peccare, si non cogant, docent ij omnes, quos Decis. *praecedent. n.* 1. pro priori sententia citauimus. Et insuper Sanchez *lib.* 5. *Consil. mor. cap.* 1. *dub.* 1. *nu.* 8. vbi etiam citat Cordubam docentem, debere punire filios

filios punitione domestica, quando non seruant præcepta Ecclesiæ. Sequitur Bosfius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 225.* qui tamen limitat ad casum, in quo speratur fructus. Ratio ipsorum est, quia parentes habent curam filiorum, & tenentur educare illos in disciplina, & correptione Domini, vt habet Apost. *Ad Ephes. 6.* atque adeo tenentur curare, & cogere vt seruent mandata Ecclesiæ.

2 At Doctores citati Decis. *præcedent. n. 2.* pro posteriori sententia tenent oppositum Arragon. 2. 2. *q. 32. ar. 3.* Sotus *de teg. secret. memb. 2. q. 3 conclus. 4. ver. Resp. quarta conclusio.* Azor. *p. 1. lib. 7 c. 20. q. 12. secundo loco posita.* Rodriquez *1. p. sum. c. 23. conclus. 4.* Villalob. *1. p. sum. tr. 23. difficul. 3. n. 3* Vega *par. 1. sum. c. 14 casu 27.* Ortiz. *c. 19. sum. præcepto 2. nu. 14.* Homobonus *p. 2. Exam. Eccl. tr. 8. c 7. q. 21. ver. Verum vllo præcepto.* Diana *p. 1. tr. 9. de ieiunio. Resol. 18.* Facundez *prac. 4 Eccl. lib 1. c. 10. nu. 11.* Ghilinus *in summa verbo* Ieiunium *n. 9* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 6. n. 91.* Reginal. *lib. 4 Praxis fori pænit. nu. 199.* Auctor *Casuum Conscientiæ Bononiensium. Anni 1637. Casu 3. mensis Augus. ver. Respondetur secundo.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 9. qu. 11.* Martin à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 5. de ieiun. n. 15.* Roccaful. *in praxi tr. 6. de præcep. Eccl. lib. 3. c. 7. n. 114.*

3 In hac item difficultate conueniunt omnes, quod tenentur parentes monere, corrigere, & increpare filios, quando nolunt ieiunare, cum possint hoc enim spectat ad curam, quam habere debent de ipsis; cum enim debeant illos educare, in disciplina, & correptione Domini iuxta Apost. *ad Ephes. 6.* vt dicebant Doctores prioris sententiæ, consequenter debent illos corripere, quando errant, præsertim circa obseruantiam præceptorum Ecclesiæ: Et quamuis, quando iam peruenerunt ad ætatem in qua tenentur ad ieiunia, videantur iam extra disciplinam parentum, quæ tunc supponitur completa, adhuc tamen ratione auctoritatis, quam habent supra ipsos, debent eos increpare, & monere, quando non seruant præcepta Dei, & Ecclesiæ.

4 Rursus non tenentur parentes cogere filios ad ieiunandum, quando nollent ieiunare, etiam si constaret, quod non haberent causam excusantem. Ratio est eadem, ac de seruis, quia licet Parentes debeant habere maiorem curam filiorum, quam seruorum, vt pote, quia sunt ipsis magis coniuncti, non tamen habent supra ipsos iurisdictionem spiritualem: & ideo in ordine ad spiritualia non possunt supra ipsos exercere aliquam vim coercitiuam, nec punire, quando delinquunt in spiritualibus.

5 Et quamuis leges ciuiles concedant facultatem aliquam parentibus puniendi filios, iuxta *l. vnicam C. De emendatione propinquorum.* hæc tamen facultas non solum, vt *ibid.* dicitur, est solum de aliqua moderata pœna, sed etiam est mere ciuilis, & in ordine ad temporalia. Leges autem canonicæ non tribuunt parentibus facultatem in ordine ad spiritualia. Cap. enim *Duo ista 23. q. 4.* loquitur de facultate, quam habent parentes ratione patriæ potestatis, atque adeo de temporali. Et quod parentes possint moderate punire filios in ordine ad temporalia, tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 2. n. 3.*

6 Vnde, vt dicebamus etiam respectu seruorum, non possunt parentes filios graui punitione cogere ad ieiunium, quia in hoc vsurparent sibi iurisdictionem spiritualem Prælatorum. Poterunt tamen ex ratihabitione ipsorum adhibere aliquam leuem pœnam, si eam profuturam cognoscant; secus autem, vt notant Doctores posterioris sententiæ, si putent, inde secutura maiora peccata, vt essent rixæ graues, blasphemiæ, & alia huiusmodi; non tamen tenentur vt dictum est quoad seruos *in præced. in fine.* contra Leandrum citat. *n. 2.*

7 An autem possit ipsis cœnam subministrare. Negant Filliucius, & Reginaldus *num. 2.* præsentis Decis. citati Laiman. *lib. 2. Theol. mor. tr. 3. c. 13. nu. 5. ver. Quarto resolues.* Tolet. *lib 6. c. 5. n 1. ver. Secundus casus* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 5. nu. 9.* quia hoc esset cooperari peccato ipsorum. Sed concedunt cæteri Doctores, quod possint subministrare, quod *ibid.* citauimus. Quia pertinet ad ipsorum munus prouidere familiam de alimentis, e contra non pertinet ad ipsos ita regere conscientias filiorum, maxime quando sunt in ætate prouecta, vt debeant peccata ipsorum impedire, & punire: vnde subministrando cœnam, facit id, quod sui muneris est: & quod bene, & male adhiberi potest, vt si adesset iusta causa non ieiunandi. Quod autem à filijs male adhibeatur, hoc imputandum est malitiæ ipsorum: non autem exhibenti cœnam, nam dat cœnam, & relinquit ipsos conscientiæ ipsorum. Et sequuntur Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 4. n. 3.* Leander *in prac. Eccles. tr. 5. disp. 9. q. 12.*

An Caupones, & Tabernarij peccent ministrando cœnam ijs, quos dubitant, violaturos esse ieiunium absque causa. *Decis. 363.*

SVMMARIVM.

1 *Caupones, & Tabernarij possunt ministrare cœnam ijs, quos putant excusari à ieiunio.*
2 *Secus autem, quando dubitant secundum aliquos.*
3 *Non obstante dubio possunt ministrare cœnam.*
4 *Quilibet præsumendus bonus, nisi de opposito constet.*
5 *Stante dubio Cauponis, an hospites habeant legitimam causam ieiunandi, non potest ipsi negare cœnam.*

1 Communiter docent, præsertim Doctores infra citandi, tam in hac, quam in *sequentibus Decis.* Quod possunt caupones, & Tabernarij ministrare cœnam, quando putant, quod accedentes habeant causam excusantem à ieiunio, etiam si causa occulta sit, nam tunc bona fide procedunt, & cum sibi persuadeant, non peccaturos, neque etiam ipsi intendunt cooperari peccato. Imò etiam si non adesset causa excusans à ieiunio, ipsi non peccarent, quia excusarentur à bona fide, cum qua procedunt.

2 An autem peccent, quando dubitant de causa excusante à ieiunio, & nihilominus ministrant cœnam, affirmant Nauar. *c. 21. Manual. n. 26.* addens, peccare non solum, quando dubitant, sed etiam, quando dubitare debent, Gabr. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 3. dub. 6. ver. Pro solutione igitur.* Maior. *in 4. dist. 15. qu. 4. §. Dubitatur.*

3 Communis tamen sententia est in oppositum Asserens, quod stante dubio de legitima causa excusante à ieiunio, possunt Caupones, & Tabernarij ministrare cœnam. Ita Medina C. *De ieiunio qu.* 11. *circa finem.* Sanchez *lib* 1. *sum c.*7.*n.* 34. Valent. *tom.*3 *disp.*9.*q.*2.*punc.*3.*ver. Quod autem attinet.* Syluius 2. 2. *q.*147.*ar.*3. *in fine quæst.* Molfes. *p.*1. *sum.tr.*10. *c.*5.*num.* 30. Angles *in Floribus q.*7.*de ieiunio diffic.* 3. Vega *p.* 1. *sum. c.* 14. *de ieiunio Casu* 19. Suarez *disp.* 10. *de Charit. sect.* 4. *n.* 3. Palaus *p.*1. *Oper moral.tr.*6.*disp* 6. *punc.*8.*n.*4 *in fine.* Trullench. *lib.*3.*in Decal.c.*2. *dub.*5. *num.*9. Bonacina *tom.*2.*disp.*2. *de Peccatis.q.*4.*punc.*2.5.*Vnico n.*38 Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pænit. c.* 16. *n.* 200. Lessius *lib.*4.*de Iust.& iure c* 2. *dub.*4.*n.*24. Filliucius *tr.* 27. *p.* 2. *dub.* 93. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *de ieiunio Resol.* 39. *initio* Auctor *Casuum conscient. Bononiens. Anni* 1636. *Casu* 3 *Mensis Augusti. ver. Multo magis.* Homobonus *par.*2. *Exam. Eccl.tr.* 8.*c.*7. *q.*21. *ver. Primo quo ad ientaculum.* Villalob. *par* 1. *sum.tr.*23. *diffic.* 3.*n* 4. Bossius *tom.* 3. *mor.tit.*21.*n.*228.

4 Hæc posterior sententia tenenda est. Nam stante dubio debent bene præsumere de proximo, nam quilibet bonus præsumendus est, nisi de opposito constet *l. Cum pater* §. *Rogo ff. De legib.* 2. & Cap. *Dudum De præsumptionib.* & late Alciatus *De præsump. Regula* 3. *præsumpt.* 2. Cepolla *Consil.* 57. *Crimin.num.*9. Menoch. *lib.*5. *præsump.* 1. *n* 33. In dubio autem non adest præsumptio in contrarium. Deinde stante dubio, cum Tabernarius sit in possessione ministrandi cibos potentibus, poterit vti iure suo, cum in dubijs sit melior conditio possidentis.

5 Imo stante tali dubio non poterit negare cœnam; tum quia absque sufficienti fundamento malè iudicaret de proximo: neque enim à dubietate possumus transire ad certum iudicium. Tum quia faceret iniuriam hospiti negando illi cœnam, siquidem cum ipso ageret tanquam cum peccatore, & suo facto ipsum declararet peccatorem. Tum quia apud cæteros qui sunt in taberna, læderet famam ipsius.

An Caupones, & Tabernarij teneantur interrogare hospites, an habeant legitimam causam non ieiunandi.

Decis. 364.

SVMMARIVM.

1 *Caupones, & Tabernarij tenentur inquirere, an hospites habeant causam non ieiunandi secundum aliquos.*
2 *Non tenentur.*
3 *Caupones non habent curam spiritualem hospitum.*

1 AFfirmatiue resp. Lessius *lib.* 4. *de Iust. & iure c.*2. *dub.*4. *n* 24. Filliucius *tr* 27. *p.*2. *c.*5. *n.* 93. Victorel. *in Addit. ad Tolet. lib.* 6. *c.*5. *verbo Caupones.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.*5. *n.*9. Maior. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *in fine.* Basseus *in Florib. Theol. pract. verbo* Ieiunium 1. *n.*14.

2 Sed hanc doctrinam non approbant Sanchez *lib.*1. *sum. c.*7.*n.*24. Molfes. *p.*1. *sum.tr.*10. *c.* 5. *num.* 30. Homobonus *p.* 2. *Exam. Eccl.tr.*8.*c.*7.*q.*21. *ver. Primo quò ad ientaculum.* Diana *p.*1. *tr.*9. *de ieiunio. Resol.* 39. *init.* Fernandez *p.* 2. *Exam. theol.mor.c.* 8. §.2. *num.*22. Auctor *Casuum conscient. Bononiens. Anni* 1637. *Casu* 3. *Mensis Augusti. ver. Multo magis excusatur.* Remigius *tr.*3.*sum.c.*4.§.3.*n.*12. ver. *Otros.* Leander *in prac. Eccles. tr.*5.*disp.*9. *q.*13. Quia, nimirum id esset nimis onerosum, cum non possit commode ad praxim deduci. Adde, quod facilè subirent aliquod periculum, si ostenderent se velle hoc scire.

3 Ratio verò à priori est, quia non spectat ad Caupones, & Tabernarios moderari conscientias aduentantium siue circa ieiunium, siue circa cætera, cum non habeant curam spiritualem ipsorum; & ideo non tenentur inquirere, an hospites habeant, vel non habeant legitimam causam non *ieiunandi*; hæc enim inquisitio pertinet ad curam *spiritualem*, & importat quandam superioritatem: vnde debent ipsos relinquere propriæ conscientiæ.

An Caupones, & Tabernarij possint ministrare cœnam ijs, quos probabiliter, vel certo sciunt, non excusari à ieiunio.

Decis. 365.

SVMMARIVM.

1 *Caupones peccant exhibendo cœnam iis, quos sciunt, non excusari à ieiunio secundum aliquos.*
2 *Secundum alios non peccant, quorum sententia est tenenda. num.*5.
3 *Secundum alios peccant, si absque incommodo possint negare.*
4 *Possunt Caupones exhibere cœnam nolentibus ieiunare ad vitanda mala, & incommoda.*
5 *Caupones non tenentur negare cœnam nolentibus ieiunare.*
5 *Quid requiratur, vt quis cooperetur peccato alterius.*
6 *Caupo ex qua intentione paret cœnam nolentibus ieiunare.*
7 *Exhibere materiam, circa quam peccatur, an sit dare occasionem peccandi.*
8 *An ratione charitatis teneamur cauere peccata proximi.*
9 *Cur Caupo possit omnibus indifferenter exhibere cœnam in die ieiunij.*
10 *Non tenentur ratione correptionis fraternæ negare cœnam nolentibus ieiunare.*

1 NEgatiue resp. Gabr. *in* 4. *dist.* 16. *q.*3. *ar.*3. *dub.*6. §. *Pro solutione igitur.* Maior. *Dist.* 15. *q.*4. §. *Dubitatur.* Nauar. *c.* 21. *Manual. n* 26. Medina *Cod. de ieiunio q.* 11. *circa finem.* Tolet. *lib.*6. *c.*5. *n.* 1. *ver. Tertius casus.* Vbi etiam Victorel. *in Addit. verbo Caupones.* Palaus *p.* 1. *tr.* 6. *disp.* 8. *punc.*8. *n.* 7. Basseus *in Florib. theol. pract. verbo* Ieiunium 1. *n.* 14. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.*4. *q.* 1. *in fine.* Fernandez *p.* 2. *Exam. theol. mor. c.* 8. §. 2. *n.* 22. Quia nimirum saltem cooperantur executioni prauæ intentionis non ieiunandi, cum possint.

2 Communior tamen est affirmatiua sententia, quam tradunt Caiet. 2.2. *q.*147. *ar.*4. *in fine.* loquens

de ministris ciborum Salon. 2.2. q.77. ar.4. *Controuer*. 5. *post* 3. *conclus.* ver. *Dixi in hac conclus.* Vega *par.*1 *sum.c.*14. *de ieiunio.Casu* 19. Ledesma 2.*p.sum.tr.*27. *c.* 2. *dub.*4. *post.*6. *conclus.* ver. *A esta diffic. se responde.* Alter Ledesma 2.*p.*4.*q* 17. *ar.*6. *dub.*3. Rodriquez *p.* 1. *sum.c.*23. *conclus.*5. Angles *in Floribus q.*7. *de ieiunio.diffic.* 4. *append.*1. Molfes. *p.*1.*sum. tr.* 10. *c.*5.*nu.* 30. & 31. Bonacina *tom.*2. *disp.*2. *de peccatis.q.*4. *punc.*2. §. *vnico. n.*37. & 38. & *Disp.vlt.de precep. Eccl. q.*1. *punc.* 3. *n.*9. ver. *Respondeo.* Diana *p.*1. *tr.*9. *de ieiunio. Resol.*49. ver. *Omnes isti.* Ghilinus *in sum.verbo* Ieiunium *n.*15. Faustus *lib.* 1. *Thesauri Relig. q.* 172. Homobonus *par.* 2. *Examinis Ecclesias. tr.* 8.*c.* 7. *q* 21. ver. *Primo quo ad ientaculum.* Auctor. *Casuum Conscien. Bonomens. Anni* 1636. *Casu* 3 *Mensis Augus. in fine.* Sà *verbo* Venditio *n.* 24. Remigius *tr.* 3. *sum. c.* 4. §. 3. *n* 12. ver. *Otros.* Leander *in prae. Eccl. tr.*5. *disp.*9. *qu.*24. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 331.

3 Alij vero cum distinctione procedunt, volunt enim, quod si absque incommodo possunt negare cœnam, quod tenentur negare; secus autem si absq; incommodo non possunt negare. Ita Sanchez *lib.*1. *sum.c.*7.*n.*34. Lessius *lib.*4 *de Iust. & iure. c.* 2. *dub.* 4. *n.* 24. Filliucius *tr.*27 *p.* 2. *c.*5. *n* 93. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.*2.*dub.*5. *n.* 9. Valent. *tom.*3. *disp.* 9. *quaest.* 2. *punc.* 3.

4 Apud omnes certum est, quod si ex negatione cœnæ orirentur graues rixæ inter Caupones, & hospites, aut quod hospites blasphemarent, aut aliquod aliud notabile incommodum nasceretur, non tenentur Caupones, negare cœnam, quia maiora mala vitanda sunt: & cum Caupones non possint obligari ad negandam cœnam, nisi ex præcepto ieiunij; & hoc præceptum non obligat cum graui incommodo, consequenter non erunt obligati ad negandam cœnam.

5 Ex his vero sententijs probabilior est secunda, & proinde tenenda. Quia in tantum non possent Caupones ministrare cœnam ijs, qui non habent causam excusantem à ieiunio, in quantum cooperarentur peccato ipsorum. Non cooperantur autem, quia tunc solum quis cooperatur peccato alterius, quando concurrit aut ad ipsam actionem peccati, aut ad aliquam aliam, in qua incipiat peccatum; nam non potest esse cooperatio ad peccatum, nisi cooperans in aliqua sua actione deflectat à recto tramite in ordine ad peccatum alterius. In casu autem nostro Caupo non concurrit ad aliquam actionem, in qua incipiat peccatum, nam tantum parat; & exhibet cœnam, quæ est actio ordinata ad sustentationem naturæ, in qua nullum est peccatum: peccatum autem violationis ieiunij incipit solum in comestione, & in intentione comedendi, non autem in intentione, quod cœna portetur; quæ de se non est mala. Et proinde Caupo in hoc exequitur proprium munus, quod licitè exercet.

6 Dices. Peccare, Cauponem parando cœnam, quia illam parat, ad instantiam illius, qui vult frangere ieiunium. Verum hoc non obstat; quia intentio illius, qui vult frangere ieiunium, materialiter se habet, nec Caupo mouetur à tali intentione, sed parat, vt lucretur, & vt suum munus exequatur relinquens vnumquemque propriæ conscientię. Neque petens cœnam, licet habeat intentionem violandi ieiunium, intendit, quod paretur ex tali intentione, sed solum intendit, quod Caupo fungatur munere suo. Quare cum munus sit licitum, & non adsit finis extrinsecus malus, nec aliqua mala circunstantia, nec etiam aderit aliquod peccatum.

7 Rursus dices; adesse peccatum, quia dat occasionem complendi peccatum exequendo, quod intendebat. Sed hoc non rectè dicitur, nam id non est dare occasionem peccandi, sed tantum exhibere materiam, circa quam peccetur, quod non est inducere ad peccatum, alioquin cum omnia peccata sint circa res creatas, Deus induceret ad omnia peccata & daret occasionem ipsorum, quia ipse exhibet omnes res creatas, circa quas peccatur. Oportet ergo, vt detur occasio peccati, quod fiat aliquid, quod inducat ad peccandum, & sit saltem causa imperfecta peccandi, vt docet D. Th. 2.2. *q.* 43. *ar.* 1. *ad* 3. Deinde vt alicui detur scandalum, seu occasio peccati, oportet, vt peccatum non sit iam conceptum, nam si est conceptum, iam non datur occasio peccandi. Vnde præbere externam materiam non est dare occasionem peccandi iam parato, nec etiam consumandi peccatum, siquidem illa materia non inducit, sed praua intentio peccandi iam concepta. Et ideo Caupo præbens cœnam petenti non est occasio peccandi, nec consumandi peccatum. Et per hæc solutum manet fundamentum primæ sententiæ.

8 Sed rursus obijci potest. Quod ratione charitatis tenemur cauere offensam Dei, & proximi, & ideo tenetur Caupo non præbere cœnam obligatis ad ieiunium. Resp. Charitatem non obligare, vt caueamus impediendo omnia peccata cuiuscunque; alioquin teneremur huc, illuc cursitare ad impedienda peccata: sed tantum obligat, vt caueamus nostra, & quod peccata proximi nobis displiceant, & ergà proximum adhibeamus correptionem, quando præceptum correptionis nos obligat, & quod tollamus ea, quæ possunt proximum inducere ad peccandum iuxta præceptum de vitando scandalo. Adhibere autem media, quibus impediantur peccata, spectat solum ad illos, qui habent curam spiritualem animarum.

9 Accedit etiam, quod negando cęnam, non caueret peccatum proximi, quia in intentione conceptum est. Et cum, qui petunt cœnam cum manifestatione, quod nolint ieiunare, sint talis conditionis, vt non curent, quod cognoscantur violare præcepta, atque adeo perditæ vitæ, non tenentur Caupones negare cœnam, quia nihil proficerent, imo essent causa maioris mali, quia non resipiscerent, sed prorumperent in blasphemias, & conuitia. Vnde cum cœteræ personæ, quæ non ieiunant, prætendant aliquam causam excusantem, ex hoc quoque capite Caupones poterunt semper quibuscunque ministrare cœnam: relinquendo vnumquemque propriæ conscientiæ,

10 Hinc non tenentur Caupones negando cęnam corrigere nolentes ieiunare, vt notant Rodriquez *par.*1. *sum.c.*23. *conclus.*5. Vega *p.item* 1. *sum.c.*14. *de ieiunio.Casu* 19. Ledesma *p.* 2 *sum.tr.*27. *c.*2.*dub.*4. *post* 6. *conclus.* ver. *A esta diffic. se responde.* Quia hoc pacto corrigendo nedum nihil proficerent in ordine ad emendationem, sed ad minus essent causa, quod minis extorquerent cœnam.

An

An peccent Caupones inuitando ad cœnam eos, quos sibi persuadent, teneri ad ieiunium.
Decis. 366.

SVMMARIVM.

1 *Caupones inuitantes ad cœnam, quos ignorant, an prandium sumpserint, non peccant.*
2 *Secus autem si sciant violaturos ieiunium.*
3 *Possunt tamen inuitare, quando sciunt iam determinasse violare ieiunium.*
4 *An possint inuitare, quando sciunt velle ieiunare.*
4 *Discrimen inter inuitationem ad cœnam amici, & Cauponis.*

1 DVM inuitant ad cœnam eos, quos ignorant, an prandium sumpserint, an vero solum ientaculum, non peccant, licet sibi persuadeant, quod sint in statu tali, quod teneantur ad ieiunia. Quia talis inuitatio non est aliud, quam exploratio quędam voluntatis ipsorum, & an indigeant cœna. Per hoc autem non habetur aliqua inductio ad non ieiunandum, atque adeo nullum peccatum.

2 Si vero sciant violaturos esse ieiunium, si cœnent, non posse eos inuitare, docet Auctor. *Casuum conscientiæ Bononiensium Anni 1636. Casu 3. Mensis Augusti. ver. Resp. secundo.* quando alias essent ieiunaturi, nam hoc est pertrahere eos ad peccatum.

3 At quando scit iam decreuisse cœnare velle, & violare ieiunium; potest tunc inuitare ad cęnam, quod plures Doctores docent de eo, qui inuitat amicum ad cęnam iam paratum ad violandum ieiunium, afferentes non peccare; quos citat, & sequitur Diana *1. p. tr. 9. de ieiunio. Resol. 38.* & nos infra afferemus, cum de hoc agemus. Ratio est, quia, quando Caupones sic inuitant, non inducunt ad peccatum, quia iam adest determinata voluntas peccandi, sed inuitant, vt ab ipsis potius, quam ab alijs emant cœnam, quod non est inuitare ad malum, sed ad rem licitam, & qua emens potest bene, & male vti, quia potest illam dare pro eleemosina: vnde quod male vtatur emens, prouenit ex malitia ipsius: & ideo neque Caupones porrigunt obiectum malum, neque habent finem malum, quia intendunt proprium lucrum & consequenter non peccant.

4 Quando autem Caupones sciunt, hospites habere voluntatem ieiunandi, videtur, quod adhuc possint eos inuitare ad cęnam. Quia differt inuitatio Cauponum ab inuitatione amici, quod hæc est actus vrbanitatis proueniens ex amicitia, & ideo habet vim alliciendi, & mouendi alterum amicum ad cęnam, vt complaceat inuitanti, ne ipse ægrè ferat, si recuset. At inuitatio Cauponis respicit proprium interesse, & est declaratio voluntatis lucrandi cum tali hospite mediante exhibitione cœnæ. Vnde intendit tantum exhibere cœnam inuitato, non autem quod ipse comedat, imo si comederet solum, quantum fert refectiuncula consueta ieiunantium, gratius foret Cauponi. Et proinde talis inuitatio non habet vim inducendi hospitem ad cęnandum, sed tantum ad soluendam consuetam pecuniam pro cœna. Et hoc satis probabile puto. Nec in hoc aliquid aliud faciunt, nisi quod verbis exprimunt, quod signo foribus apposito dicunt. Vnde Angles *in Florib. par. 2. in 4. q. 7. de ieiunio. diffic. 4. append. 1.* & Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 16. n. 2.* docent, quod possunt caupones offerre omnibus cęnam, eos relinquendo propriæ conscientiæ.

An peccent Caupones, & Tabernarij nolentes noctu eos hospitari, qui in die ieiunij nolunt cœnare.
Decis. 367.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Caupones secundum aliquos nolentes hospitari qui in die ieiunij nolunt cœnare.*
2 *Quando horum habent peccatum scandali.*
3 *Quando cesset peccatum scandali.*
4 *Quando peccet contra iustitiam.*
5 *Cur non inducat ad violandum ieiunium.*

1 AFfirmatiue respondet Auctor. *Casuum conscientiæ Bononiensium. Anni 1636. casu 3. Mensis Augusti. ver. Respondetur secundo.* Quia non solum directè cooperantur violationi ieiunij, sed verè ad violandum eos pertrahunt.

2 In hoc casu potest Caupo peccare ex duplici capite, nempe peccato scandali, quatenus sit hospiti causa violandi ieiunium, & peccato iniustitiæ, quatenus iniustè rogat hospitem ad subeundum onus emendæ cœnæ. Quod spectat ad primum, non potest interuenire peccatum scandali ratione coactionis præcisè, sed solum quatenus inducit ad violandum præceptum, quo se cluso nullum esset peccatum scandali. Si ergo intendat inducere ad cœnandum, peccat peccato scandali, quia non solum subministrat occasionem peccandi, sed etiam inducit.

3 Si vero intendat solum, quod emat, seu soluat ortum illud, quod solueret, si venaret, non peccabit peccato scandali actiui, quia sine peccato exerceri potest ab hospite actio illa, quam intendit Caupo. Est enim regula communiter recepta in materia scandali, de qua Sanchez *lib. 1. sum. c. 6. & 7.* Quod quando actio erit de se indifferens, ita vt hic, & nunc exerceri possit sine peccato, peti possit ab alio, quamuis præuideatur, sine peccato non esse exercendam. Emptio autem cęnæ est actio de se indifferens, & hic, & nunc exerceri potest sine peccato ab hospite, quia potest emere, & non cointendere, aut solum tantum comedere, quantum sufficit pro refectiuncula. Ergo hoc peti potest ab ipso.

4 Solum obstat coactio illa, quæ oritur ex eo, quod Caupo non est hospitaturus nisi amat cœnam & hæc ex hoc capite peccabit contra iustitiam, nisi concurrant tales circumstantiæ, quæ reddant iustum tale onus, nam indirectè cogeret hospitem plus soluere, quam sit debitum pro hospitatione sola, & ideo si materia sit notabilis mortaliter peccabit.

5 Obijcit

5 Obijcit Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 9. q. 15.* Caupones in tali casu inducunt, & cogunt aliqualiter hospites ad cœnandum, & peccandum. Ergo talis actio non potest cohonestari. Resp. non inducere ad cenandum, sed solum ad emendam cenam, qua postea vti possunt, & non vti: Vnde inducunt ad actionem, quæ potest fieri sine peccato, & cum peccato, quod tamen est consequens ad ipsam, nam hospes posset de cena exhibita sumere solam refectiunculam, & hoc esset magis gratum Cauponi.

An peccent Caupones apponentes carnes, quando prohibentur.
Decis. 368.

S V M M A R I V M.

1 *Caupones in locis catholicorum non possunt apponere carnes, quando prohibentur.*
2 *Nisi ad vitandum graue incommodum.*
3 *Aut iam deliberato eas comedere.*
4 *Aut nisi adsit necessitas, aut alia iusta causa.*
5 *An quando prætenditur iusta causa, debeant Caupones considerare, an prætendentes sint fide digni.*
6 *Caupones in locis hæreticorum possunt apponere carnes petentibus.*
7 *An opus sit, vt non peccent, quod id fuerit ad vitandum graue incommodum.*
8 *Caupones, sicut nec alij possunt vnquam ministrare carnes in contemptum religionis.*
9 *An possint ministrare comedentibus in contemptum religionis.*
10 *In locis hæreticorum possunt ministrare carnes simul, & pisces relinquendo quaslibet propriæ conscientiæ.*

1 Conueniunt omnes, quod nõ possint apponere in locis catholicorum; tum quia eas apponere, quando prohibentur, non est quid indifferens, sed contra præceptum, siquidem dum præceptũ prohibet carnes, prohibet etiam omnẽ cooperationem ad illas comedendas, qualis est eas apponere, siquidem accumbentes, dum habent comedere, ex appositione carnium veluti determinantur, & trahuntur ad illas comedendas. Tum quia dant scandalum, siquidem videntur contemnere præcepta Ecclesiæ. & Ita specialiter docent Gabriel. *in 4. dist. 16. q. 3. ar. 3. dub. 6.* Nauar. *cap. 21. Manual n. 26. ver. Quinimo.* Laiman. *lib. 2. Theol. mor. tr. 3. c. 13. n. 5. ver. Quarto resolues.* Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. dub. 4. n. 24.* Filliucius *tract. 27. p. 2. n. 92.* Tolet. *lib. 6. c. 5. n. 1. ver. Tertius est casus.* vbi etiam Victorel. *in adnotat.* Bonacina *disp. vlt. de præcep. Eccl. q. 1. punc. 3. n. 9. ver. Item docui.* Molfel. *p. 1. sum. tr. 10. c. 5. n. 20.* Homobonus *p. 2. Examinis Eccl. tr. 8. c. 7. q. 21. ver. Quod vero ad vetitos cibos.* Auctor. *Casuum conscientiæ Bononiens. anni 1637. Casu 3. Mensis Augusti. ver. Ad secundum quæsitum.* Bassæus *in Florib. Theol. pract. verbo* Ieiunium *1. n. 13.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 5. n. 9.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 333.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 9. q. 16.*

2 Notat tamen Laiman. *num. prætedenti citatus*, quod in locis catholicorum, non erit peccatum ministrare carnes, quando prohibentur ad vitandum aliquod graue incommodum, aut quando concurrunt graues minæ, si tamen non adsit scandalum ex parte ministrantis; quod facile tamen tolli potest, si ostendat se coactè id facere. Et ratio esse potest. Quia tunc non concurrit ad peccatum, nam constat, quod coactè ministrat; nec præceptum Ecclesiæ obligat cum tanto discrimine. Imo sicut aliquis potest comedere carnes, quando prohibentur ad vitandum damnum, dummodo non sit in contemptum religionis, vt docent communiter de eo, qui transit per terras infidelium, vt nimirum se occultet, à fortiori poterit eas alteri ministrare, qui iam decreuit eas comedere.

3 Rursus notat Lugdesina *p. 2. sum. tr. 27. c. 2. dub. 4. post 6. conclus. ver. Ad clariorem difficultatis. Si respondet.* Quod quando aliquis iam decreuit comedere carnes, possunt caupones ipsi ministrare, quia in hoc casu non concurrunt ad violandum præceptum, quod iam decreuit violare. Et addi potest, quod neque concurrunt ad executionem violationis, quia executio fit in virtute prioris determinationis, non autem in virtute ministrationis carnium. Et addit hanc esse communem opinionem, & sequitur Leander *in Præcep. Eccl. tr. 5. disp. 9. q. 17.* quicquid dicat Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 333.*

4 Conueniunt etiam communiter, quod, quando adest necessitas, aut alia iusta causa, aut priuilegium, possunt tunc petentibus ministrare carnes, quia cum iustè petant, possunt etiam caupones iustè, & absque peccato exhibere, & ita notant Doctores *n. 1. citati.*

5 Sed circa hoc difficultas est, an quando hospites prætendunt iustam causam comedendi carnes, debeant caupones aduertere, an sint fide digni, an vero possint ministrare carnes quibuscumque indifferenter prætendentibus iustam causam. Ex Doctoribus *n. 1.* citatis aliqui requirunt, quod petentes carnes ex iusta causa censeantur fide digni. Alij vero, vt Bonacina absque vlla limitatione, & absolute loquuntur. Quod ego quoque tenendum censeo, tum quia est moraliter impossibile iudicare, an hospites sint fide digni, quia hoc solum potest innotescere ex qualitate, & conditione personæ, quæ Cauponibus ignotæ sunt, vnde obligarentur ad id, quod est moraliter impossibile. Tum quia Caupones in ferendo tali iudicio facile decipi possunt, cum sint vt plurimum ad hoc inhabiles: vnde contingeret, quod aliqui, qui verè indigerent carnibus, cum suo grauamine non possent habere.

6 In locis vero hæreticorum etiam communiter docent, quod possunt carnes apponere concurrentibus duabus conditionibus, vt nimirum petantur, & non possint denegari sine graui incommodo. Ita Lessius *lib. 4. de iust. & iure c. 2. n. 23.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 5. n. 92.* Laiman. *lib. 2. Theol. mor. tr. 3. c. 13. n. 5. ver. Quarto resolues.* Bonacina *disp. vlt. de præceptis Eccl. q. 1. punc. 3. n. 9. ver. Excipe primo.* Molfes. *p. 1. sum. tract. 10. c. 5. n. 21.* Victorel. *in Addit. ad Tolet. lib. 6. c. 5. verbo Caupones.* Homobonus *p. 2. Exam. Eccles. tr. 8. c. 7. q. 21. ver. Sed in hæreticorum terris.* Auctor. *Casuum conscientiæ Bononiensium anni 2636. casu 3. Mensis Augusti. ver. Ad secundum quæsitum.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 5. n. 9.*

7 Sed

7 Sed iuxta doctrinam Ledesmæ tradita *num.* 2. Quam sequitur etiam Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 9. *q.* 7. cui consonant etiam Doctores supra citati *Decis.* 365. *n.* 2, docentes posse Caupones ministrare cœnam nolentibus ieiunare, non erit necessaria secunda conditio, quia cum petentes iam deliberauerint comedere carnes, & peccatum conceperint, non censetur cooperari tali comestioni, cum alioquin ipsi exhibeant rem, quæ indifferens est, & bene, & male adhiberi potest.

8 An autem, quando petuntur carnes in contemptum religionis, possint ministrari, Negatiuè respondent Bonacina, & Auctor *Casuum conscientiæ Bononiensium* citati *n.* 6. Et quod non liceat aliquod facere in contemptum religionis est communis omnium doctrina, nam potius mors subeunda est, quam operari in contemptum religionis. Distinguerem tamen nam si petuntur carnes, ita vt ministrentur in contemptum religionis, atque adeo ministrans id faciat in contemptum religionis, tunc nullo pacto poterit ministrare, siue sit Caupo, siue quilibet alius, quia facere aliquid in contemptum religionis ita est malum, vt nulla ratione possit honestari.

9 At vero si contemptus religionis se teneat ex parte petentis, ita vt velit carnes edere in contemptum religionis. Tunc secundum Doctrinam Caiet. 2, 2. *q.* 10. *ar.* 4. §. *Ad hoc dicitur. Quod vendere.* Angeli *verbo* Infidelitas *n.* 1. Nauar. *in Manuali c.* 20. *n.* 16. & *c.* 23. *n.* 91. & aliorum, qui docent, quod non peccant vendentes indifferentia ad bonum, & malum applicabilia, etiam si sciant emi cum intentione applicandi ad malum, vt si vendantur animalia infidelibus, quæ sciunt emi pro suis sacris. Respondendum est, non peccare Caupones ministrando carnes, quia vendunt solum cœnam ex carnibus, quæ indifferens est, & bene, vel male adhiberi potest: vnde non intendunt Caupones malum vsum, nec faciunt aliquid conducens, aut de se ordinatum ad malum vsum, qui per accidens sequitur ex ministratione cœnæ. Quod autem per accidens sequitur ex aliquo volito, non imputatur, nisi sit intentum, vt esset homicidium facientis telum in feram. Imo etiam si sit præuisus non est voluntarium, quod per accidens sequitur, quia cum non sit intentum, non est voluntarium indirecte, quia vt sit tale requiritur obligatio cauendi ipsum, vt docet Caiet. *citatus.* Sic diuertenti flumen à proprijs prædijs, si aliorum predia inundet, non erit voluntaria inundatio, quia per accidens sequitur, & non tenetur illam cauere, In casu autem nostro non adest obligatio in Caupone cauendi peccatum comedentis carnes in contemptum religionis.

10 Denique est notandum cum Bonacina *citata Disp. vlt. de præceptis Ecclesiæ q.* 1. *punc.* 3. *n.* 9. ver. *Secunda est.* & Auctore *Casuum conscientiæ Bononiensium anni* 1637. *Casu* 3. *Mensis Augusti.* ver. *Ad secundum quæsitum.* Posse Caupones in locis hæreticorum apponere simul carnes, & pisces relinquendo vnumquemque propriæ conscientiæ, quia tunc indifferenter etiam ipso facto se habent, quo simul declarant velle, quod quilibet sequatur propriam conscientiam.

An peccent vendentes carnes, & alios cibos prohibitos eo tempore, quo prohibentur.

Decis. 369.

SVMMARIVM.

1 *Vendentes cibos probibitos, quando probibentur, cum opinione boni vsus, non peccans.*
2 *Secus autem, si adsit dubium, aut præscientia mali vsus secundum aliquos.*
3 *Possunt vendere cum præscientia mali vsus ratione commodi, vel ob incommodum vitandum.*
4 *Possunt absolutè vendere cum tali præscientia.*
5 *Vendens cibos probibitos cum præscientia mali vsus fungitur suo munere honesto.*
9 *Quid requiratur, vt quis inducat ad malum indirectè.*
7 *Vendens cibos probibitos cum præscientia mali vsus, nec etiam venialiter peccat.*
8 *Talis venditio, si de se non esset licita, nec etiam esset licita concurrente commodo &c.*
9 *cibi nociui probibiti an possint vendi cum præscientia mali vsus.*
10 *An cibi probibiti possint publicè vendi tempore, pro quo probibentur.*
11 *An peccent vendentes contra probibitionem.*

1 Conueniunt omnes communiter præsertim infra citandi, quod liceat vendere ijs, de quibus adest probabilis opinio, quod ex iusta causa emant, & non sint male vsuri, quia tunc, cum non timeatur peccatum, neque etiam adest periculum cooperandi peccato. Vnde difficultas est, quando adest dubium, aut etiam scientia de malo vsu.

2 Prima opinio docet, non posse vendi absque peccato mortali, etiam quando adest solum dubium de malo vsu. Ita Gabr. *in* 4. *dist* 16. *q.* 3. *ar.* 3. *dub.* 6. Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pænit. c.* 16. *n.* 202. *Villalobos p.* 1. *sum. tr.* 23. *difficul.* 3. *conclus.* 4. qui tamen excipit quando adest solum dubium. Quod etiam tenet Diana *p.* 1. *tr* 9. *Resol.* 38. *circa finem.* Asserens, non peccare, quando non est certus de peccato ementis. Martin à s. Ioseph. *tom.* 1. *mor. lib* 2. *tr.* 5. *de ieiun. n.* 14. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 12. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 3. *q. vnica conclus.* 2. ver. *Obseruandum hic est.* Palaus *p.* 1. *Oper. mor. tr.* 6. *dub.* 4. *punc.* 8. *num.* 2. & 3. putant, cibos vetitos in tempore, quo prohibentur, esse ex illis rebus, quæ in malum vsum destinantur. In quo tamen fallitur, quia in illo quoque tempore possunt à pluribus adhiberi ex iusta causa, quod non contingit in rebus, quæ ad malum vsum destinantur. Et hæc opinio est secundum doctrinam D. Antonini 2. *p. tit.* 1. *c.* 23. §. 13. Medinæ *cod. De rebus restit. q* 30. Rosel. *verbo* Iudeus *n.* 2. Nauar. *in Manuali c.* 23. *n.* 90. & aliorum qui putant, non licere vendere res indifferentes cum præscientia mali vsus, aut etiam cum solo dubio. In quo tamen Nauar. sibi non consentit, dum *c.* 21. *n.* 25. docet, quod licet inuitare ad cœnam paratum cœnare in die ieiunij, nam etiam emens cum malo fine cibos prohibitos est paratus ad violandum præceptum.

3 Alij

3 Alij vero, & est secunda opinio, tenent, quod liceat vendere, etiam cum præscientia mali vsus, dummodo interueniat aliqua rationabilis causa, vt esset ob speciale commodum acquirendum, vel ob aliquod incommodum vitandum. Ita Syluester *verbo*. Ars. *q*. 5. *& verbo* Infidelitas *q*. 4. Angelus *verbo*. Ars. *n*. 2. Maior *in* 4. *dist*. 15. *q*. 35. Adrianus *q*. 3. *de Baptismo. & Quod l*. 3. *ar*. 2. vbi alios citat Rebel. *De obligat. p*. 2. *lib*. 9. *qu*. 18. *sect*. 3. Valent. *tom*. 3. *disp*. 9. *qu*. 2. *punc*. 3. *ver*. *Quod autem attinet*. Sanchez *De charit. disp*. 10 *De scandalo sect*. 4. *n*. 4. Salas *tr. De emptione, & venditione dub*. 47. *n*. 4. Azor. *p*. 1. *lib*. 7. *c*. 20. *q*. 13. *in fine*. & alij, quorum aliqui loquuntur in casu particulari proposito, alij vero in generali de rebus omnibus indifferentibus, quæ possint habere bonum, & malum vsum.

4 Tertia vero opinio absolutè docet, quod possunt vendere cibos prohibitos, etiam cum præscientia mali vsus, absque limitatione de commodo, vel incommodo. Et in casu nostro particulari loquuntur Angles *in Florib q*. 7. *de ieiunio*. *diffic*. 3. *in conclus*. Rodriquez *p*. 1. *sum*. *c*. 23. *conclus*. 5. Ledesma *p*. 2. *sum*. *tr*. 27. *dub*. 4. *post* 6. *concl*. Facundez *prac*. 4. *Eccl. lib*. 1. *c*. 10. *n*. 10. In generali aut de rebus omnibus indifferentibus id tradunt Bannes 2. 2 *q*. 10. *ar*. 11. *conclus*. 2. Caiet. *eadem q*. *ar*. 4. § *An hoc dicitur, quod vendere*. Salon. 2. 2. *q*. 77. *ar*. 2. *controuer*. 5 *post*. 3. *conclus*. *ver*. *Dixi in hac conclusione*. vbi loquitur etiam de cibis respectu violaturi ieiunium. Sanchez *lib*. 1. *sum*. *c*. 7. *n*. 16. qui tamen addit, esse peccatum veniale. Sà *verbo* Venditio *n*. 24. Bonacina *tom*. 2. *Disp*. 3 *de Contractibus q*. 2. *punc*. 2 *n*. 12. Arragon. 2. 2. *q*. 10. *ar*. 4. *in fine*. Ledesma 2. *p*. 4. *q*. 17. *ar*. 6. *circa finem*. *ver*. *Secunda propositio est*. Leander *in prac. Eccl. tr* 5 *disp*. 9 *q* 19. Bossius *tom*. 3 *mor. tit*. 21. *n*. 338. Roccaful. *in praxi tr*. 6. *de prac. Eccl. lib*. 3. *c*. 3. *num*. 49.

5 Hæc vltima sententia procul dubio probabilior est. Quia venditio ciborum prohibitorum, etiam quando prohibentur, est venditio rei indifferentis, quæ potest etiam pro illo tempore habere bonum vsum; imo vt plurimum habet, quia vt plurimum venduntur pro infirmis, & ijs, qui obtinent dispensationem. Ergo ex genere suo est venditio licita, quia, quod aliquis sit abusurus re vendita, prouenit ex malitia ipsius ad quam vendens nihil cooperatur, quia tanquam publicus minister offert omnibus alimenta, & inseruit necessitati publicæ, atque adeo fungitur munere suo honesto, quod non est inducere aliquem ad malum, sed seruire publicæ commoditati: vnde habet pro fine bonum communitatis.

6 Atque non solum non inducit ad malum directè, sed neque etiam indirectè, quia, vt malum alterius alicui imputetur, non solum debet posse illud impedire, sed opus est, vt teneatur: vnde submersio nauis ex negligentia nautę non est voluntaria, nec imputatur iter habenti in naui, quamuis potuerit impedire, quia nimirum regimen nauis non spectat ad ipsum. In casu autem nostro venditor non tenetur impedire peccatum ementis carnes, quia non spectat ad ipsum regimen conscientiæ illius: & ad summum ratione charitatis obligari potest ad fraternam correptionem, quia nemo tenetur occurrere peccatis proximi, quæ soli animæ ipsius nocent, nisi mediante correptione. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr*. 5. *disp*. 9. *q*. 19.

7 Ex quibus colligitur, quod neq. etiam peccet venialiter, vt volebat Sanchez *n*. 4. citatus, quia vendendo exercet munus suum licitum, & honestum, in cuius exercitio nullum est peccatum. Nec obstat quod præsciat malum vsum, quia non tenetur impedire; quod autem quis omittat id, ad quod non tenetur nullo pacto peccat. Imo si peccaret, mortaliter peccaret, quia agitur de re graui. Nec etiam dici potest, quod peccet venialiter, quia omittit monere per negationem venditionis, quasi talis negatio sit quoddam genus monitionis, quæ faciat, quod alia vice non peccet, aut quod minori libine, aut paucioribus actibus. Nam quære, an teneatur monere, & tunc grauiter peccat, quia omittit monitionem in re graui; an vero nõ teneatur, & tunc nullo modo peccat, cum omissio rei non debitę non sit peccatum. Quod autem non teneatur monere per negationem venditionis constat, quia hæc non est admonitio necessaria, cũ possit proprio modo corrigi, & quia non tenetur quis abstinere à proprio munere ex eo, quod quis sit inde sumpturus peccandi occasionem.

8 Colligitur secundo. Non rectè procedere secundam sententiam, nam vel talis venditio est de re inductiua ad peccandum, & tunc nullo pacto erit licita, etiam si agatur de quocunque commodo, aut incommodo temporali vitando, quia nunquam inductio ad peccandum honestari potest. Vel non est de se inductiua, & tunc erit licita, etiam si non agatur de aliquo commodo, vel incommodo, nam solum potest esse illicita, quia inducat ad peccandum. Nec dici potest, quod seclulo commodo, vel incommodo teneatur non præbere materiam peccandi proximo. Nam si in hoc interuenit aliqua cooperatio ad peccatum proximi, interueniet etiam concurrente commodo, vel incommodo, atque adeo etiam tunc erit illicita venditio. Si vero non interuenit, neque etiam secluso commodo, vel incommodo aderit obligatio abstinendi à venditione, quia solum potest adesse, quia fit aliquod, quod cooperetur peccato proximi.

9 Denique dubitatur, an in eodem casu possunt vendere cibos prohibitos nociuos. Resp. affirmatiuè, nam adhuc, & tales cibi etiam tempore, in quo vetantur, habent vsum indifferentem, siquidem qui potest ex iusta causa comedere carnes, potest etiam comedere carnes nociuas, & solum peccare poterit contra temperantiam, vt in superioribus suo loco dixi. Qui autem vendunt cibos, non tenentur prauidere, an inde sequutura sit intemperantia, præsertim quia de hoc non possunt habere certitudinem.

10 An autem possint publicè vendi huiusmodi cibi. Resp. Azor. *p*. 1. *lib*. 7. *cap*. 20. *q*. 13. pertinere ad magistratum prohibere, ne publicè vendantur. Sequitur Bossius *tom*. 3. *mor. tit*. 21. *n*. 337. Qui ait peccare, qui exponunt cibos vetitos iam paratos, & coctos, quia hoc est contra prohibitionem Prælatorum, & allicit ad violationem præcepti. Non tamen vendendo peccarent, quia iam scitur, quod plures ijs indigent, & possunt ex iusta causa vti, vnde nullum adesset scandalum, solum adesset scandalum, si omnes publicè venderent, vt in cæteris diebus, quia hoc indicaret, quod in illo loco non seruaretur præceptum Ecclesiæ: & ideo tenerentur superiores hoc prohibere, & venditores abstinere, ne concurrant ad scandalum publicum. Cæterum in pluribus locis vidi in quadra-

gesima publice vendi carnes, sed ab vno, aut altero deputato pro indigentibus.

21 An autem peccaret, qui contra prohibitionem cibos vetitos venderet. Pars affirmatiua tenenda est; quia in re graui faceret contra prohibitionem ordinatam ad bonum regimen spirituale. Ideo enim prohibetur venditio ciborum vetitorum, & aliqui deputantur, qui pro indigentibus vendant, vt tollatur scandalum, & occasio transgrediendi præceptum; Vnde, qui, non obstante prohibitione, venderet, læderet in re graui bonum regimen spirituale.

An peccent ministrantes cibos dominis frangentibus ieiunium, parantes mensam, &c.

Decis. 370.

SVMMARIVM.

1 *Sententia affirmatiua.*
1 *Ministrantes cibos violantibus ieiunium, parantes mensam, &c. non peccant.*
2 *Talis ministratio, & praeparatio non cooperatur violationi ieiunij.*
3 *Valet, etiam si ministrantes &c. non sint famuli.*
4 *Praeparatio ciborum &c. non est mala, vt est à praeparante non obstante mala intentione praecipientis.*
5 *Nec etiam si sit ciborum prohibitorum, & ideo praeparans non peccat.*

1 Affirmatiuam sententiam tenet Turrian. 2.2. *tom.* 1 *disp.* 95. *dub.* 6. Pontius *lib* 3. *de matrim. c.* 18. §. 7. *n* 48. communiter negatiue respondent. Ita Caiet. 2.2. *q.* 147. *art.* 4. §. *Et ad hoc dicitur.* Angles *in Florib. qu.* 7. *de ieiunio difsic.* 5. *in conclus.* Vega *p.* 1. *sum. c.* 14. *de ieiunio. Casu* 19. Ledesma *p.* 2. *sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 4. *post* 6. *conclus.* Alter Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17 *ar.* 3. *post* 3. *conclus. ver. Praeterea dubitatur, an serui.* Azor *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 20. *q.* 11. Sanchez *lib.* 1 *sum. c.* 7. *n.* 14. qui tamen hoc concedit solum de famulis, non autem de cæteris, qui non sunt famuli, nisi interueniat iusta causa, & *nu.* 35. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 5 *n.* 3. Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori poenit. n.* 194. Victorel. *in Addit. ad Tolet. lib.* 5. *c.* 5. *verbo* Vnum. *tantum. ver. Seruus sciens.* Valent. *tom.* 3. *disput.* 9. *q.* 2. *punt.* 3. *ver. Quod autem attinet.* Bonacina *tom.* 2. *disp.* 2. *de peccatis q.* 4. *punc.* 2. §. *Vnico n.* 3. *ver. Hæc eadem.* Facundez *prec.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 9. Villalobos *p.* 1. *sum. tr.* 23 *diffic.* 3. *n.* 1. Hombonus *p.* 3. *Exam. Eccles. tr.* 7. *q.* 21. *ver. Famuli tamen.* Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de prec. Eccl. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 115. Lublinus *p.* 1. *sum. verbo* Ieiunium *n.* 21. Diana *p.* 1. *tr.* 9. *Resol.* 38. *in fine.* Alphonsus de Leone *de offic. Confess. p.* 1. *recollec.* 14. *n.* 65. Leander *in prec. Eccl. tr.* 5, *disp.* 9. *qu.* 20. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *c.* 317. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *num.* 1.

2 Ratio est, quia ministrare cibos, condire, coquere, parare mensam sunt actiones honestæ, & non fiunt malæ, nisi ordinentur ad malum finem; & si fiant à famulis pertinent ad munus ipsorum; vnde hoc non est cooperari violationi ieiunij, quia hæc prouenit ex intentione violantis, sed tantum deseruire comestioni, non quatenus ieiunium soluit, sed quatenus ordinatur ad sustentationem corporis. Tunc enim solum quis cooperatur peccato alterius, quando incipit, aut facit aliquid deordinatum.

3 Et hoc valet, etiam si ministrantes non sint famuli ordinarij, nam in hoc suscipiunt munus famulatus, nec pertinet ad ipsos iudicare intentionem præcipientis, nec eius indigentiam, sicut non pertinet ad ipsos eos regere. Imo, etiam si scirent, quod non habent causam sufficientem soluendi ieiunium, possent adhuc ipsis exhibere tale obsequium, quia in se non est malum, nec continet aliquam cooperationem ad peccatum, quia violatio ieiunij incipit in sola comestione.

4 Dices. Dum dominus iubet, parari cibos ad violandum ieiunium, iubet rem malam, quia nimirum iubet parari medium ad finem malum, ergo peccat parans cibos, Resp. Parare cibos, non esse quid malũ, sed quid de se honestum, nec esse medium ad violandum ieiunium, vt prouenit à præparante, nam non est medium de se, vt per se constat; nec vt prouenit à præparante, quia non habet intentionem ordinandi tales cibos ad violandum ieiunium. Nec intentio præcipientis facit, vt præparans faciat rem malam, nam talis intentio non immutat intentionem parantis, nec ipsam operationem, seu præparationem; sed relinquit in sua natura, quæ solum fit mala extrinsece, nempe in intentione præcipientis.

5 Præsens autem doctrina extendenda est, contra Vasquez *opus de scandalo q.* 43. *ar.* 1. *dub.* 3. etiã quò ad præparationem ciborum vetitorum, quia hi quoque etiam tempore, quo prohibentur, possunt habere bonum vsum. Cum adsint plures legitimæ causæ eorumdem vsum cohonestantes: & ideo talis præparatio in se non est mala, nec fit mala ratione finis, quem habet præcipiens, quia præparans non operatur ex tali fine, & ideo præparatio ipsa vt est à præparante, non dependet à tali fine, nec est cooperatio ad violationem præcepti, quia violatio non incipit in tali præparatione, sed in comestione, ad quam præparans nullo pacto inducit violantem. Sequitur Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 319.

An inuitans ad cœnam amicum, quem scit obligari ad ieiunium, paratum tamen cœnare, peccet.

Decis. 371.

SVMMARIVM.

1 *Inuitans ad cœnam amicum cum intentione, quod cœnet, peccat mortaliter.*
2 *Inuitans ad cœnam paratum cœnare, peccat secundum aliquos.*
3 *Secundum alios non peccat, quod probabile est, vt num. sequenti.*
4 *Licet petere ab alio actum, qui bene potest exerceri, licet sciatur exercendum cum peccato, si tamen paratus sit exercere.*
5 *Inuitans paratum ad cœnandum, debet ipse posse cœnare.*
6 *Potest in die ieiunij amico petenti ministrari cœna, etiam si sciatur violaturum ieiunium.*
7 *In Hispania possunt apponi lacticinia, quando prohibentur, & amici inuitari ad ea comedenda.*

1 Con-

1 Conueniunt omnes, quod si inuitet ea intentione, vt cœnet, quod peccat mortaliter contra charitatem, quia intendit ruinam spiritualem proximi, etiam si solùm ex bona dispositione inuitati non sequatur. Vnde dubitatur, quando solum vrbanitatis causa inuitat.

2 Et prima opinio tenet, quod, etiam si inuitet solum vrbanitatis causa; peccat mortaliter, quia inducit ad violandum ieiunium. Quia licet, qui inuitatur, sit paratus ad violandum, adhuc tamen inuitatur ad peccatum, cum peccatum sit opere implere peccatum mente conceptum. Ita Caiet. 2.2. *q*. 147. *ar*. 4. §. *Et ad hoc dicitur*. ver. *Inuitantes autem*. Nauar. *in Manuali c*. 21. *n*. 24. Azor. *p*. 1. *lib*. 7. *c*. 20. *q*. 12. Ledesma 2. *p*. 4. *q*. 17. *ar*. 3. *circa finem*. ver. *Praeterea dubitatur, an inuitans*. Lessius *lib*. 4 *de iust. & iure c*. 2. *nu*. 20. Facundez *prae*. 4. *Eccl. lib*. 1. *c*. 19. *n*. 10. Syluius 2. 2. *q*. 147. *ar*. 3. *q*. *vnica post conclus*. 2. ver. *Obseruandum hic est*. Victorellus *in Addit. ad Tolet. lib*. 6. *c*. 5. *verbo*. Quartus *in fine*.

3 Altera vera opinio tenet, quod liceat inuitare, quia, cum iam sit paratus ad violandum ieiunium, non inducitur ad peccandum: Sicuti non inducitur vsurarius ad vsuram, quando petuntur ab ipso, pecuniæ cum vsura. Ita Angles *in Floribus q*. 7. *de ieiunio. diffic*. 4. *append*. 2. Ortiz. *c*. 19. *sum. prac*. 2. *n*. 10. ver. *El que piensa*. Et probabile putat Roccaful. *in praxi tr*. 6. *prac. Eccl. lib*. 3. *c*. 7. *n*. 116.

4 Hæc posterior sententia confirmari potest, quia licet petere ab alio illum actum, quem scimus, quod exercebit cum peccato, dummodo ille actus de se exerceri possit absque peccato, nam hoc non est inducere ad malum, sed vti peccato illius ad bonum, nam petens non intendit, quod exerceat cum peccato, sed quod exerceat eo pacto, quo exerceri potest. Et ita docet D. Th. 2. 2. *qu*. 78. *ar*. 4 & bene explicat Caiet. *ibid*. ver. *Secundo quod quia*. Sic licet petere iuramentum ab infideli, licet sciamus, quod iurabit per Deos falsos: mutuum ab vsurario licet sciamus, quod exiget vsuras. In casu autem nostro inuitans ad cœnam paratum cœnare, non intendit, quod cœnet, licet sciat cœnaturum, sed intendit illud consortium amicitiæ in cœnando, quod bene exhiberi potest ab inuitato, quia potest assidere mensæ, & sumere solum tantum cibi, quantum patitur vespertina refectiuncula ieiunantium; in quo nihil peccabit; vnde si peccat, ex propria malitia peccat, non autem quia inuitatur. Et proinde corruit fundamentum oppositæ sententiæ, quia falsum est, quod inuitetur ad implendum opere peccatum mente conceptum, vt iam constat ex dictis. Quare posterior sententia valde probabilis est.

5 Est tamen aduertendum, quod inuitans ad cœnam debet ipse posse cœnare, alioquin ipse haberet intentionem violandi ieiunium: nisi forte per iocum inuitaret.

6 Ex his autem, & ijs, quæ in superioribus dicta sunt colligitur, quod licet in die ieiunij amico petenti ministrare cœnam, vt docent Angles *in Floribus q*. 7. *de ieiunio diffic*. 3. ver. *Hinc cum amicus*. Sanchez *lib*. 5. *Consil mor. c*. 1. *dub*. 16. *n*. 1. Auctor *Casuum conscient. Bononiensium anni* 1636. *Casu* 3. *Mensis Augusti*. ver. *Multo magis* Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr*. 5. *disp*. 9. *q*. 21. Ratio est, quia, quod petitur, potest bene exerceri, nam potest exerceri tanquam opus vrbanitatis, & obsequium amicitiæ: ex malitia autem alterius sequitur transgressio præcepti, & proinde id fieri potest, etiam si sciatur secuturam transgressionem. Et idem dicendum est etiam de ientaculo, ob eandem rationem.

7 Rursus in Hispania, & cæteris locis, vbi conceditur Bulla Cruciatæ, per quam conceditur facultas comedendi lacticinia, quando in ieiunijs non adhibentur, vt in quadragesima, licitum est ea in mensa apponere, & inuitare amicum ad ea comedenda, vt notat Sanchez *citato lib*. 5. *consil. mor. cap*. 1. *dub* 16. *n*. 3. Quia præsumi potest, quod licitè comedere possint ratione Bullæ. Aduertit tamen idem Sanchez, quod hoc non erit licitum respectu eorum, de quibus potest esse dubium, an habeant Bullam, vt sunt pueri, & personæ inferioris conditionis. Sed si solum adsit dubium, adhuc licitum erit, quia in dubio non est præsumendum malum; imo quisque debet præsumi memor propriæ salutis. Vnde in superioribus dixi cum pluribus Doctoribus, quod in die ieiunij possunt Caupones inuitare ad cænam eos de quibus dubitant, an teneantur ieiunare.

An amicus paratus ad cœnandum in die ieiunij, & alibi cœnaturus possit absque peccato inuitari ad cœnam ab eo, qui potest cœnare. Decis. 372.

SVMMARIVM.

1 *Qui in die ieiunij potest cœnare, non potest inuitare amicum ad cœnam, licet alibi cœnaturum secundum aliquos.*
2 *Potest tamen secundum alios.*
3 *Licet vti peccato alterius ad aliquod honestum.*
4 *Actus de se bonus potest exigi, etiam si attentis circumstantijs sit faciendus cum peccato.*
5 *Cur inuitans ad cœnam alibi cœnaturum non petat rem malam.*
6 *Quando offerre locum, quod ordinatur ad peccandum, sit peccatum.*
7 *Licet locare domum meretrici.*
8 *Inuitans ad cœnam alibi cœnaturum, an approbet violationem ieiunij.*
9 *Non inuitat ad actualem voluntatem peccandi, nec ad exequendum.*

1 Negatiuam sententiam tradunt Lessius *lib*. 4. *de iust. & iure c*. 2. *dub*. 3. *n*. 20. Facundez *prac*. 4. *Eccl. lib*. 1. *c*. 10. *n*. 12. Vasquez *de scandalo ar*. 1. *dub*. 3. *ver. Opposita*. Basseus *in Floribus theol. pract. verbo* Ieiunium 1. *n*. 12. Trullench. *lib*. 3. *in Decal. c*. 2. *dub*. 5. *n*. 10. qui tamen putat probabilem etiam oppositam sententiam Turrian. 2. 2. *tom*. 1. *disp*. 95. *dub*. 6. Palaus *p*. 1. *oper. mor. tr*. 6. *disp*. 6. *punc*. 9. *n*. 4. Suarez *disp*. 10. *de charit sect*. 3. *n*. 2. *& sect*. 4. *n*. 5. Azorius *p*. 1. *lib*. 7. *c*. 31. *q*. 12. Reginal. *lib*. 4. *n*. 197. Bossius *tom*. 3 *mor. tit*. 21 *n*. 344. Syluius 2. 2. *q*. 147. *ar*. 3. *q*. *vnica post conclus*. 2. ver. *Obseruandum hic est*. *& ar*. 7. *q*. 2. *in fine*. Victorel. *in Addit. ad Tolet. lib*. 6. *c*. 5. *verbo*. Quartus. *in fine*. Bonacina *disput. vlt. De pracep. Eccl. q*. 1. *punc*. 3. *n*. 9. ver. *Resp. affirmatiue*.

Quia nimirum inuitans petit rem iniquam, quam non potest præstare sine peccato, & quia est peccatum etiam offerre solum locum ad peccandum.

2 Plures tamen, immo communiter affirmatiuè respondent. Ita Caiet. 2. 2. q. 147. ar. 4. §. *Et ad hoc dicuntur ver. Si autem omnino.* Nauar. c. 21. *Manual. n. 26.* qui ait, se prius oppositum sensisse, sed re altius considerata, sibi ita dicendum videri. Azor. p. 1. *lib.* 7. c. 20. q. 12. ver. *Probabilis est opinio.* licet à Bonacina in oppositum citetur. Ledesma 2. p. 4 q. 17. *ar.* 3. *circa finem.* ver. *Præterea dubitatur, an inuitans.* Alter Ledesma 2. p. *sum. tr.* 27. c. 2. *dub.* 4. *post* 6. *conclus.* ver. *A esta difficultad digo lo primiero.* Rodriquez p. 1. *sum.* c. 23. *conclus.* 5. *circa finem.* Angles *in Florib* q. 7. *de ieiunio. difficul.* 4. *append.* 1. Laiman. *lib.* 2. *Theol. mor. tr.* 3. c. 13. n. 4. ver. *Præterea in ciuitatibus.* Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. q. 2. *punc.* 3. ver. *Secundum dubium.* Reginal. *lib.* 4. *Praxis fori pœnit. n.* 195. Salas *de empt. & vendit dub.* 47. *nu.* 10. *in fine.* Sà *verbo.* Ieiunium n. 15. Philiarcus *tom.* 1. *de offic. Sacerdotis p.* 2. *lib.* 3. c. 25. *in fine.* Tannerus 2. 2. *disp.* 3. q. 3. *dub.* 5. n 94. Ortiz. c. 19. *sum. prac* 3 n. 10. Villalob p. 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 3. *nu.* 2. Diana p. 1. *tr.* 9. *de ieiunio. Resol.* 38. ver. *Hac sententia.* Lublinus p. 1. *sum. verbo.* Ieiunium, n. 11. Petrus Hurtad. *De Fide, Spe, & Charit. tom.* 2. *disp.* 173. § 154. & 159. & *sequentib.* Auctor. *Casuum conscient. Bononiens. anni* 1636 *Casu.* 3 *Mensis Augusti.* ver. *multo magis.* Remigius *tr.* 3. *sum.* c. 4 §. 4. n. 1. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5 *disp.* 9. q. 22. Martin. à s. Ioseph. *tom.* 1 *mor. lib.* 2. *tract.* 5. *de ieiun. num.* 13.

3 Hæc sententia probabilissima est, non solum ob auctoritatem Doctorum, qui illam sequuntur; sed etiam ob rationem. nam quando inuitatur, non quæritur ab ipso, quod cœnet absolutè, sed quod supposito, quod iam cœnaturus sit, cœnet apud inuitantem. Vnde inuitatio non se habet antecedenter ad cœnam, quasi ipsum ad illam inducat; sed se habet consequenter, & ordinat illum actum cœnandi ad consortium amicitiæ, quod est quid honestum; quod non est aliud, quam vti peccato alterius ad bonum. Quod nedum est licitum, sed etiam fit ab ipso Deo, qui præuidens peccata futura ex libertate hominum, illa ordinat ad finem bonum, & hoc pacto elicit ex ipsis aliquod bonum, vt docet D. August. c. 11. *Enchirid.* Vnde etiam inuitans potest, præsciens quod amicus sit violaturus ieiunium, vti tali violatione ad exercendum actum amicitiæ, qualis est simul cœnare.

4 Confir. quotiescunque actus de se est bonus, potest exigi ab alio, etiam si attentis circumstantijs loci, temporis, & personæ non sit exhibendus, nisi cum peccato, vnde possum petere iuramentum ab infideli, etiam si sciam, quod per falsos Deos iurabit, vt D. August. docet *Epist.* 154. *post init. ad Publicolam*, & sequitur D. Th. 2. 2 q. 78. *ar.* 4. *in corpore.* sed etiam consortium amicitiæ in cœnando est actus bonus, & quoddam obsequium amicorum, ergo possum illud exigere ab amico, etiam si sciam, quod cum peccato illud exhibebit, dummodo alias sit paratus, & seclusa inuitatione, sit idem peccatum commissurus.

5 Ex quibus solutum manet fundamentum oppositæ sententiæ. Nam falsum est, quod inuitans petat rem iniquam, & quæ sine peccato exhiberi non possit, nam petit obsequium amicitiæ exhibendum in societate comestionis, quod est quid honestum, & potest esse absque peccato, quia potest inuitatus assistere cœnæ, & sumere solum tantum cibi, quantum admittit vespertina refectiuncula, & hoc pacto vitare omne peccatum; vnde si peccat, ex propria voluntate peccat, neque ab inuitante ad hoc inducitur, vt iam constat ex supradictis.

6 Et quando dicitur, quod est peccatum offerre locum ad peccandum. Resp. id esse verum, quando offertur in hunc finem, vt aliquis possit peccare, aut quando locus dat talem commoditatem ad peccandum, vt simul inducat, ita vt sine commoditate loci non sequeretur peccatum, tunc enim non est licitum, aut saltem requiritur causa excusans, quæ tamen non potest habere locum, quando offertur locus in ordine ad peccatum, quia cum offeratur commoditas peccandi, est cooperari peccato.

7 Secus autem, quando offertur locus nude, & vt dat commoditatem communem. Vnde licitum est locare domum meretrici, vt cum communi docet Sanchez *lib.* 1. *sum.* c. 7. n. 20. Quia domus est in ordine ad habitandum, non autem in ordine ad peccandum. In casu autem nostro non offertur locus in ordine ad peccandum, sed in ordine ad colendam amicitiam, ad cuius cultum adhibetur peccatum alterius, sicuti adhibetur peccatum vsurarij ad obtinendam commoditatem pecuniæ.

8 Neque sic inuitans censendus est consentire in peccatum inuitati, aut ipsum approbare, sicut nec consentit, nec approbat Deus ipse, quando vtitur peccatis hominum ad aliquod bonum. Quia talis inuitatio non confirmat inuitatum in sua deliberatione violandi ieiunium, sed tantum ex suppositione, quod sit violaturus, inducitur ad ordinandam illam violationem ac cultum amicitiæ.

9 Instari tamen potest. Quamuis sit paratus ad cœnandum, non tamen est in voluntate actuali sed habituali, & inuitatio facit, quod exeat in voluntatem actualem, & veniat ad exequutionem. Ergo est causa actualis peccati, & exequutionis ipsius. Resp. non exire in voluntatem actualem, & exequutionem ratione inuitationis, quasi ipsa sit causa, sed ratione deliberationis iam conceptæ, quod ex eo patet, quia inuitatio non est ad cœnandum, seu sumendam illam quantitatem cibi, quæ violet ieiunium, sed ad comedendum cum inuitante, quod fieri potest cum sola refectiuncula, vnde inuitatio est ad id, quod cum peccato, & sine peccato fieri potest. Sic in vigilia Natiuitatis Domini in Palatio Apostolico apponitur lautissima Cena, & cenant, qui mane non pranderunt, cœteri sumunt refectiunculam; nec tamen hi inuitantur ad peccatum per appositionem cenæ.

An, qui potest cœnare, possit inuitare amicum, etiam si non sit paratus ad cœnandum ad cœnam vrbanitatis causa.

Decis. 373.

SVMMARIVM.

1 *Qui potest cœnare, non potest vrbanitatis causa inuitare ad cœnam amicum obligatum ad ieiunium cum intentione quod cœnet, secus si iudicet, aut dubitet non teneri.*

2 Quan-

2 *Quando certo scit, teneri ad ieiunium, non potest inuitare secundum aliquos.*
3 *Nisi vrgeat grauis causa secundum alios.*
4 *Potest secundum alios absolute inuitare.*
5 *Potest inuitare ob vrbanitatem seclusso periculo violandi ieiunium.*
6 *Potest etiam inuitare quemcumque communi inuitatione.*
7 *Etiam si probabiliter credatur acceptaturus inuitationem.*
8 *Inuitans ad cœnam obligatum ad ieiunium ad quid inuitet.*
9 *Possum inuitare ad conuiuium eum, quem scio peccaturum contra temperantiam.*
10 *Quid debeat facere inuitans, si inuitatus obligatus ad ieiunium acceptet.*

1 CErtum est, quod non potest inuitare cum intentione, quod cœnet, quia tunc intederet peccatum illius per violationem ieiunij, supposito, quod sciret non excusari à præcepto ieiunij. Quia si probabiliter crederet excusari, posset inuitare, quia tunc intenderet id, quod supponeret, posse sine peccato exhiberi. In dubio autem, an teneatur ieiunare, poterit inuitare, quia debet ipsum supponere memorem propriæ salutis, & quod non sit acceptaturus inuitationem, si teneatur ieiunare.

2 Quando autem certò scitur, amicum teneri ad ieiunandum, non posse inuitari vrbanitatis causa docent Azor *p. 1. lib 7. c. 20. qu. 12. ver. Sed peccat ne.* Filliucius *tr. 27. p. 2. c. 5. n. 94.* qui tamen addit, id valere, quando serio inuitatur, secus autem si ex quadam vrbanitate. Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. n. 195.* Bonacina *Disp. vlt. de præc. Eccl. q. 1. punc. 3. n. 9. ver. Hinc sequitur.* Lublinus *p. 1. sum. verbo.* Ieiunium *n. 11.* Et cœteri, qui neque volunt posse inuitari eum, qui alibi est cœnaturus, quos Decis. *præcedenti n. 1.* citaui, quia nimirum inducitur ad peccandum. Addunt tamen nonnulli ex his Doctoribus, quod si fiat absque periculo fractionis ieiunij, non peccatur.

3 Valentia autem *tom. 3. disp. 9 q. 2. punc. 3. dub. 2. ver. Tertia est*, putat, posse quemcunque simpliciter inuitari ad cęnam, quando concurrit aliqua grauis, & peculiaris causa; vt esset vitare notabile damnum, quia non tenetur quis cum notabili detrimento consulere saluti spirituali alterius abstinendo ab eo, quod potest esse illi occasio peccandi, nisi forte sit constitutus in causa spirtualis necessitatis.

4 Alij verò absolute asserunt, quod licitum est inuitare ratione amicitiæ, & vrbanitatis quemcunque siue paratum, siue non paratum ad violandum ieiunium. Ita Angles *q. 7. de ieiunio. diffic. 4. in conclus.* Ortiz. *cap. 19. sum. præc. 2. n. 10.* Auctor *Casuum conscient. Bononiens. anni 1636. Casu 3. Mensis Augusti: ver. Multo magis* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 5. n. 10.* Remigius *tr. 3. sum. c. 4. §. 4. n. 1.* Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 9. q. 23.*

5 In hac difficultate mihi certum videtur, quod ille, qui potest cœnare, possit etiam ad exercendam vrbanitatem inuitare amicum ad cęnam, etiam si sciat, teneri ad ieiunium, quando cognoscit non esse acceptaturum, & proinde non adesse periculum, quod inuitatus violet ieiunium. Quod neque negant Doctores primæ sententiæ, & innuitur à Caiet. *2. 2. quæst. 147. ar. 4. §. Et ad hoc dicitur.* Cessat enim ratio, ob quam asseritur peccare, nempe inductio alterius ad peccandum, quia secluso periculo illa inuitatio non est inductiua, sed est mera vrbanitas quædam, vulgo *Ceremonia*.

6 Rursus licitum esse puto, inuitare quemcunque ad cœnam, siue sciatur non acceptaturum, siue non, communi modo ad exercendum talem actum amicitiæ. Ratio est, quia talis inuitatio de se non est efficax ad inducendum inuitatum, vt cœnet, quod ex eo patet, quia etiam extra tempus ieiunij tales inuitationes non acceptantur, & proinde non sunt efficaces de se, vt inducant ad id, ad quod vocant: vnde minus etiam erunt efficaces stante obligatione ieiunij, quæ ponit obicem, ne possint acceptari. Et ideo sic inuitans non censetur inducere ad peccatum, quia non facit aliquid, quod censeatur inducturum ad cœnandum; sed tantum secundum communem æstimationem censetur velle ostendere illam vrbanitatem, & amoré erga amicũ.

7 Addo etiam; quod absolutè licitum est inuitare quemcumque ad cęnam in die ieiunij, etiam si probabiliter credatur; quod sit acceptaturus ad exercendum actum vrbanitatis. Ratio est, quia talis actus de se est bonus: & e contra debet quisque præsumi memor propriæ salutis: & proinde, quod stante impedimento ieiunij, ad quod tenetur, se excusabit. Vnde talis inuitatio est potius conditionata, quam absoluta, nempe, inuito te ad cęnam, si potes cœnare; aut inuito te ad id, quod potes. Vnde hoc non est inducere ad peccandum amicum, sed ostendere illi specialem beneuolentiam, & ipsum inducere ad redamandum.

8 Deinde inuitare ad cęnam non est inuitare ad comedendum tantam, vel tantam quantitatem cibi, sed ad illam communionem mensæ, & proinde inuitatus potest assidere, & sumere solum tantum cibi, vt etiam in superioribus dictum est, quod non excedat quantitatem permissam in refectiuncula vespertina; vnde potest inuitatus sine peccato complacere inuitanti. Sic frequenter contingit, quod in eadem familia ad eamdem mensam aliqui cœnent, & aliqui sumant tantum refectiunculam. Quod etiam contingit non rarò inter amicos se inuicem inuitantes. Ex quibus fit, quod inuitans ad cœnam non inuitat, neque inducit ad malum, quia debet accipi inuitatio secundum mensuram honestatis amicabiliter factam, & sic etiam ab inuitato acceptari, si nolit recusare. Quod si quis inde sumat occasionem violandi ieiunium, hoc propriæ malitiæ imputet, & non inuitanti, qui nec habet talem intentionem, nec facit aliquid, quod moraliter censeatur inducere ad peccandum.

9 Ex quibus colligitur, & simul etiam iam dicta confirmantur. Quod possim inuitare ad prandium eum, quem scio peccaturum contra præceptum naturale temperantiæ: quia inuitando ipsum, induco ad actum honestum nempe ad conuiuandum, & quo solet amicitia foueri. Si autem ipse excedit limites temperantiæ, ad hoc non inducitur à me, sed à praua sua dispositione; vnde ipsi soli imputandum est, non autem mihi. Et ita notat Angles *in Florib. q. 7. de ieiunio diffic. 4. in conclus.*

10 Col-

10 Colligitur secundo, Quid faciendum inuitanti, si inuitatus acceptet inuitationem ad cænam non obstante, quod teneatur ieiunare. Nam in primis non potest ipsum vrgere, quod comedat, quia tunc directè induceret ad violandum ieiunium; insuper si commodo potest, & separat emendationem, debet illi aperire mentem suam, & quid intenderit inuitando, vt hoc pacto retrahatur à violatione ieiunij.

An, qui initio quadragesimæ proponit, nunquam ieiunare, committat multiplex peccatum. Decis. 374.

S V M M A R I V M.

1. *Proponens singulis diebus in quadragesima, non ieiunare, toties peccat, quoties proponit.*
2. *Proponens initio quadragesimæ, non ieiunare, & postea etiam singulis diebus de nouo, quotidie peccat.*
3. *Omnia proposita non ieiunandi singulis diebus habent propriam malitiam.*
4. *Discrimen inter actum interiorem imperatum, & exteriorem quo ad bonitatem, & malitiam.*
5. *Post primum propositum non ieiunandi in quadragesima etiam si permaneat, omnia alia subsequentia sunt noua peccata.*
6. *Non ieiunans in virtute primi propositi non ieiunandi in quadragesima quotidie peccat omissione.*
7. *Generale propositum non ieiunandi in tota quadragesima continet plura peccata secundum aliquos.*
8. *Est vnicum peccatum æquiualens pluribus.*
9. *Propositum seruandi omnia præcepta, aut violandi non continet bonitatem, aut malitiam correspondentem omnibus præceptis.*
10. *Quot peccata committat, proponens in quadragesima comedere semper cibos vetitos.*
11. *Quid explicandum in confessione ab eo, qui proponit non ieiunare in tota quadragesima.*

1 CErtum est apud omnes, quod si quis initio quadragesimæ nihil determinet de ieiunio seruando, vel non seruando, & postea singulis, aut pluribus diebus decernat, non ieiunare, committat tot peccata quot sunt dies, vt notat Ledesma 2. p. 4. q. 17. ar. 5. ver. *Præterea dubitatur, an illa.* Ratio manifesta est, quia violatio vnius ieiunij est peccatum mortale, & proinde violatio plurium ieiuniorum erunt plura peccata, cum proueniant ex diuersis actibus voluntatis, qui nec inuicem sunt connexi, nec vnus prouenit ab alio, & singuli feruntur in singulas obligationes ligantes sub mortali, & affixas singulis diebus.

2 Rursus qui initio quadragesimæ proponit nunquam ieiunare, & postea singulis diebus habet particulare propositum non ieiunandi illa die, præter primum propositum comittit singulis diebus noua peccata. Ita docent Ledesma 2. *p.* 4. *qu.* 17. *ar.* 5. ver. *Secundo modo potest hoc contingere.* Medina Cod. De *ieiunio q* 5. *dub.* 2. ver. *Verum quicquid sit.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 8. *in fine.* Caiet. *in summa verbo item.* Ieiunium *in fine.* Tabiena *q.* 9. Contra quemdam Martinum Parisiensem, qui volebat, proposita illa correspondentia singulis diebus non esse noua peccata, quia sunt actus imperati à proposito primo, & proinde non habent diuersam malitiam ab ipso.

3 Ratio est, quia omnes illi actus habent suam propriam carentiam rectitudinis, & discrepantiam à regulis rectæ rationis sibi intrinsecam, siquidem tendunt contra præceptum, & obligationem specialem affixam tali determinato diei, illud autem primum propositum tendit contra omnes obligationes omnium dierum: vnde habent distinctum obiectum, & distinctam contrarietatem ad præceptum, nam cui contrariatur primus actus, non contrariatur adæquate secundus, ergo est nouum peccatum, quia habet nouam, & specialem deformitatem. Confir. quilibet actus internus voluntatis *est capax* propriæ rectitudinis, & exigit ordinari in vltimum finem: ergo eo ipso, quod caret debita rectitudine, & ordine, habet malitiam propriam resultantem ab eius intrinseco, quia caret modo debito tendendi, & secundum proprium esse deflectit ab ordine ad finem.

4 Nec est eadem ratio de actu exteriori, quia actus exterior de se præcise non est capax bonitatis vel malitiæ, sed tantum extrinsecè ex subordinatione ad actum interiorem, sicut etiam non est liber, nisi ratione actus interioris imperantis. At quilibet actus interior, sicut de se libero modo fit, ita etiam de se præcisè est capax bonitatis, & malitiæ.

5 Quod adhuc est verum, etiam si propositum illud vniuersale permaneat, nam imprimis non potest permanere, nisi de nouo à voluntate repetatur, quia pluries cogitur ipsum interrumpere, vnde repetendo, de nouo repetit idem peccatum. Deinde adhuc actus elicitus in virtute talis propositi vniuersalis est actus moralis, & liber: vnde posset voluntas ipsum non elicere, & tollere propositum vniuersale, ad quod tollendum etiam tenetur, & ideo tanquam actus moralis est capax propriæ malitiæ distinctæ à malitia propositi vniuersalis.

6 Si vero non interueniant singuli actus de nouo correspondentes singulis diebus ieiunij, *sed in virtute* prioris propositi vniuersalis *omittatur* ieiunium (quod tamen sine nouo *actu fieri non* potest) tunc quotidie committitur nouum peccatum omissionis, vt docent Caiet. *in summa verbo* Ieiunium *in fine.* Syluester *q.* 8 *in fine.* Filliucius *tr.* 27. *p.* 2 *nu.* 87. Ratio est, quia quolibet die vrget obligatio ieiunij atque adeo tot ieiuniorum, quot sunt dies, vnde quocunque die volet ieiunium, omittit soluere, quod tenetur ex vitalis obligationis, atque adeo peccat peccato omissionis.

7 An autem generale propositum non ieiunandi per totam quadragesimam sit vnum, an vero multiplex peccatum. Esse multiplex atque adeo tot peccata, quot sunt dies ieiunij, quos complectitur docent Azor. *p* 1. *lib.* 7. *c.* 20 *n.* 8. Diana *p.* 3. *tr.* 4. *de Sacram. Resol.* 164. ver. *Primo quod.* Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 5. *n.* 7. Facundez *præc.* 4. *Eccl. lib.* 1. *c.* 4. *n.* 8. qui male citat Ledesmam, & Medinam locis supracitatis, nam non loquuntur de hoc toto vniuersali proposito, sed de actibus subsequentibus, vt visum est. Et rursus idem Facundez *c.* 10. *n.* 8. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. *n.* 245. Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de præc. Eccl. lib.* 3. *c.* 7. *n.* 112. Quia nimirum distinguntur

tur peccata ratione numeri dierum; ſic qui ſtatuit per tres dies non recitare officium, committit tria peccata.

8 At eſſe vnicum tantum peccatum æquiualens pluribus tradunt Filliucius *tr. 27. p. 2. n. 87.* Bonacina *diſp. 2. de peccatis q. 4. punc. 2. n. 1. & diſp. vlt. de prac. Eccl. q. 1. punc. 3. n. 11. in fine.* Sanchez *lib. 5. conſil. mor. c. 1. dub. 35. n. 2.* Et ſequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5 diſp. 9. q. 24.* Quorum ſententia mihi probabilior videtur. Quia plura peccata non poſſunt diſtingui ratione actuum, cum ſit vnus, & idem actus, nec ratione obiecti, nam obiectum ſe habet per modum vnius, nempe tota quadrageſima, vt importat quamdam continuatam ſeriem ieiuniorum, quæ complectitur plures dies, & plura ieiunia tanquam partes integrales. Non enim proponens non ieiunare per totam quadrageſimam, habet propoſitum tendens ad violandum ieiunium huius, & huius diei diuiſim, ſed omnia ieiunia collectiuè ſumpta per modum vnius integralis ieiunij quadrageſimalis; ſic etiam dum oculus videt plura obiecta coaleſcentia aliquo modo in vnum, vt aceruum lapidum, non habet plures viſiones, ſed vnicam tantum.

9 Quod etiam confir. Si quis proponat ſeruare omnia præcepta, talis actus non habet rationem ſingularum virtutum, quæ importantur per præcepta; ſicuti nec etiam ſi ſimul proponeret ſeruare omnia conſilia; & proinde eſt vnius tantum actus, etiam in genere virtutis continens vnicam tantum rationem virtutis: ſicut etiam ab oppoſito proponens violare omnia præcepta, quocunque modo violari poſſunt, non contrahit malitiam violationis omnium præceptorum, neque enim eſt homicida, fur, ſacrilegus, adulter, &c. ergo etiam in caſu noſtro proponens violare omnia ieiunia quadrageſimæ non committet tot peccata, quot ſunt ieiunia, ſed vnicum. Ratio autem à priori eſt, quia pluralitas ieiuniorum ſe habet materiali modo, nam obiectum formale, contra quod tendit actus, eſt inſtitutio ieiunij quadrageſimalis, & ideo non poteſt plurificare peccata.

10 Quod autem dicitur in ordine ad violationem ieiunij, idem quoque dicendum eſt de propoſito comedendi carnes, & alios cibos prohibitos. Vnde proponēs per totam quadrageſimam comedere carnes, committet vnum peccatum, & toties peccabit poſtea in proceſſu temporis, quoties decernet comedere, & etiam quoties comedet, vt notat Filliucius *tr. 27. p. 2. n. 88.*

11 Hinc in Confeſſione erit explicandum à non ieiunante tale propoſitum, ſi adfuerit initio quadrageſimæ, quia eſt peccatum continens in ſe virtualiter plura peccata, & inſuper, quot diebus omiſſum fuerit ieiunium, & etiam, ſi adfuerit alius actus poſitiuus de omittendo tali, vel tali ieiunio, quia hic actus, vt dictum eſt, importat nouum peccatum. Vnde non rectè Ledeſma *2. par. 4. q. 17. ar. 5. in fine,* docet, quod ſufficiat explicare, quot diebus non ieiunauerit.

An vniuerſale propoſitum non ieiunandi per totam quadrageſimam ſit maius peccatum, quam omnia propoſita non ieiunandi pro ſingulis diebus.

Deciſ. 375.

SVMMARIVM.

1 *Vniuerſale propoſitum non ieiunandi in tota quadrageſima eſt peius, quam omnia propoſita non ieiunandi ſingulis diebus ſecundum aliquos.*

2 *Non eſt peius.*

3 *Cur generale propoſitum non pertingat ad bonitatem, vel malitiam actuum in particulari.*

1 ESSE peiorem illam generalem volitionem non ieiunandi per totam quadrageſimam, tenuerunt quidam, & ſpecialiter Martinus de Magiſtris, vt refert Sanchez *mox citandus*, quia videtur eſſe in ſuperiori ordine malitiæ.

2 Sed dicendum eſt, eſſe peiora illa particularia propoſita non ieiunandi ſingulis diebus quadrageſimæ: Ita Palud. *in 4. diſt. 15. diſp. 8* Sanchez *lib. 5. conſil. mor. c. 1. dub. 35. n. 2.* Medina *C. de ieiun. q. De numero refect. 5. Poſſet aliquis.* Ledeſma *p. 4. q. 17. ar. 3. dub. vlt.* Facundez *prac. 4. Eccl. lib. 1. c. 4. n. 8.* Filliuc. *tr. 27. c. 5. n. 87.* Ouiedus *1. 2. tr. 6. controuerſ. 5. pun. 6. n. 123.* Boſſius *tom. 3. mor. tit. 21. n. 138.* & alij, qui vel in hoc, vel in alio ſimili caſu idem tradunt.

3 Ratio eſt, quia, licet illud generale propoſitum ſit grauius peccatum, quam quodlibet propoſitum particulare, non tamen continet formali modo omnes illas malitias, quas continent ſingula illa propoſita particularia, ſed ad ſummum remotè virtualiter tanquam in aliqua radice, ſeu capite, à qua prouenire poſſunt: vnde nec peccata capitalia ſunt grauiora, quam peccata, quæ inde originari poſſunt. Sic etiam propoſitum ſeruandi omnia præcepta non continet maiorem bonitatem, ſed minorem, quam contineant omnes actus, quibus ſeruantur præcepta. Item propoſitum amandi Deum ſuper omnia non continet maiorem bonitatem, & meritum ſingulorum actuum, quibus contingit amari; vnde non continet meritum martyrij, nec meritum aliorum actuum heroicorum, quibus amatur Deus ſuper omnia. Ratio autem eſt, quia propoſitum vniuerſale attingit etiam in vniuerſali obiectum, & in confuſo, vnde non poteſt refundere in actum, niſi bonitatem proportionatam, quæ licet ſit bonitas determinata, non tamen continet ſingulas ſtas rationes bonitatis, quas refundunt ſingula obiecta, quando in particulari attinguntur, ſed ſolum dicit vnam rationem bonitatis correſpondentem obiecto in confuſo, quæ eſt conformitas, vel difformitas voluntatis ad tale obiectum in genere, & determinatio ipſius ad bene, vel male operandum in tali genere.

An homines simplices peccent non ieiunando, quando ieiunia non fuerunt indicta in Ecclesia ab eo, ad quem spectat, Decis. 376.

SVMMARIVM.

1 *Simplices non excusantur à ieiunio ex eo, quod in Ecclesijs non publicetur, si aliunde habent notitiam.*

2 *Quando non habent aliunde notitiam excusantur, si non publicentur: peccant tamen, si non sint præsentes secundum aliquos.*

3 *Non peccant, quando percunctantur, qui fuerunt præsentes.*

4 *Peccant in causa tantum, si non sint præsentes, nec percunctentur, qui fuerunt præsentes, dummodo tamen de hoc cogitent.*

1 Qvando aliunde possunt habere notitiam dierum ieiuniorum, & illam habeant, parum refert, quod ieiunia non sint publicata in Ecclesia; non enim per hoc excusantur, nam lex semper loquitur l. *Arriam C. de hæreticis.* vbi etiam Bartolus. Vnde quisquis habet notitiam ipsius, tenetur illam seruare. Illa autem publicatio ieiuniorum in Ecclesia fit ad instructionem eorum, qui legis obliuiscuntur, aut notitiam non habent, non autem ad promulgandam legem, cùm sit iam promulgata.

2 Quando autem non habent notitiam legis respond. Corduba *in q. lib. 2 q. 21. ver. Respondeo concedendo.* Quod quando ieiunia non publicata sunt, non peccant non ieiunando, quia excusantur ignorantia inuincibili; Si vero ipsi omiserunt ad Ecclesiam, ait peccare dupliciter: primo quidem, quia omiserunt scire, quod tenebantur scire, nam etiam si non fuissent publicata, ipsi tamen nesciebant, quod non essent publicanda. Deinde peccant, dum non ieiunant, quia tunc omittunt ieiunare ex ignorantia crassa, & vincibili. Et hoc tradit iuxta doctrinam Almaini *tr. 1. mor c. 6.*

3 Hanc doctrinam limitat Rodriquez *2 par. 1. sum. c. 23. concl. 7.* Vt non valeat, quando, qui non fuerunt præsentes, percunctantur, qui adfuerunt, an fuerit publicatum aliquod ieiunium, nam tunc faciunt, quod sufficit, vt sciant id, quod tenentur scire: & ideo, si non ieiunent, excusantur ab ignorantia inuincibili. Et hæc limitatio vera est.

4 Non placet tamen doctrina Cordubæ, quod bis peccent. Nam quando non ieiunant, verè non sciunt obligationem ieiunandi, & proinde tunc non peccant, sed solum peccant, dum possunt scire, an teneantur ad ieiunia, & non curant scire, cum teneantur: & ideo transgressio ieiunij non est peccatum in se, sed in causa. Quare tunc solum peccant, quando vltimo non curant scire, non autem quia non sint præsentes publicationi ieiuniorum, quia hæc præsentia non est ipsis necessaria, cum possint aliunde scire. Est tamen aduertendum, quod tunc in causa peccent, quando cogitant, an illa hebdomada possint esse ieiunia, quia si non cogitarent, & non percunctarentur, excusarentur ex inaduertentia.

An, & quomodo peccent consilium, auctoritatem, & defensionem præbentes frangentibus ieiunium. Decis. 377.

SVMMARIVM.

1 *Consulentes violationem ieiunij peccant, & quali peccato.*

2 *Auctorizantes violantes ieiunium peccant grauius, quam qui frangunt.*

3 *Sicut etiam, defendentes.*

4 *An hi sint suspecti de hæresi.*

1 Qvi consulunt violationem ieiunij ijs, qui non habent legitimam causam, peccant peccato scandali, quia inducunt proximum ad malum, & causant ruinam spiritualem ipsius. Minus tamen peccant, quam qui violant ieiunium secundum Reginal. *lib. 4 Praxis fori pœn. n. 193.* & Molfes. *p. 1 sum tr. 10. c. 5. 35.* Mihi tamen videtur, grauius peccare, quia peccatum scandali est contra charitatem, & tendit in ruinam spiritualem proximi: violatio autem ieiunij est contra præceptum Ecclesiæ de abstinentia: vnde tendit contra bonum minus. Rursus etiam debet attendi finis extrinsecus consulentis violationem ieiunij, nam etiam ratione talis finis potest haberi noua malitia, & noua grauitas in peccato. Sequitur Leander *in præc. Eccles. tr. 5. disp. 9. q. 25.*

2 Qui autem auctorizat violantes ieiunium, peccat, & grauius, quam qui frangit, vt notat Molfes. *cit p. 1. sum tr. 10. c. 5. n. 36.* cum Glos. *in c. 1.* verbo *Pari pœna. De offic. Delegati.* Adest enim scandalum, quatenus confirmat in malo violantes ieiunia, & inducit ad perseuerandum; & quatenus etiam tali facto trahit alios ad violandum ieiunium. Vnde ostendit quamdam complacentiam in malo, quæ denotat animum valde deprauatum.

3 Demum defendentes violatores ieiunij peccant grauius, quam ipsi violatores, vt notat idem Molfesius *citato c. 5. n. 34* Hoc enim est fouere peccatum proximi, & tribuere ansam de nouo peccandi, & tali exemplo inducunt etiam cæteros ad peccandum, & violandum ieiunium.

4 An autem sint suspecti de hæresi. Resp. cum Molfesio *citato.* Attendendum esse finem defensionis. Nam si defendat, vel quia contemnat præceptum ieiunij, vel quia putet tale præceptum non ligare, vel quia parui pendat auctoritatem Ecclesiæ vel ex aliquo alio huiusmodi fine, procul dubio erunt suspecti de hæresi, quia operantes ex huiusmodi finibus contemnunt religionem, quod satis indicat de fide parum bene sentire. Finis autem colligendus est ex modo defensionis, ex cæteris actionibus, ex verbis, & alijs huiusmodi actibus externis, qui indicant sensum internum.

An

An Medici concedentes licentiam edendi carnes in diebus ieiunij absque causa, committant duplex peccatum.
Decis. 378.

SVMMARIVM.

1 *Medicus debet esse cautus in concedendis carnibus, quando prohibentur.*
2 *Quot peccata committat, qui absque causa concedit, & quid in confessione debeat explicare.*
3 *Quando committat vnicum solum peccatum.*
4 *Quid si Medicus dubitet de sufficientia causa.*

1 Quod Medici debeat esse cauti in licentijs cōcedendis edēdi carnes notant Palat. *in 4 dist 15 disp. 8. circa finem. §. Et equidē.* Tabiena *verbo* Ieiun. *n* 22. Syluester *q. 7. in fine.* Tolet. *lib* 6. *c* 8. Angles *in Florib. q. 5. de ieiunio diffic. 4. dub. 1. propos.* 2. Io. Sanch. *in select. de Sacram. disp.* 51. *n.* 16 qui alios citat. Non tamen debent esse nimis cauti, ne dum ieiunio fauent, noceant proximo. Sed cautio in eo debet consistere, quod non concedant licentias irrationabiliter.

2 Quod autem committant duplex peccatum, & nō sufficiat in cōfessione exprimere, quod carnes cōcesserint in diebus prohibitis, docent Sanchez *lib* 4 *in Decal c* 11 *n.* 93. Ludouic. à S. Io: *p* 1. *sum. tr. de ieiunio ar.* 7. *dub.* 2. Io. Sanch. *in select. de Sacram. disp.* 51 *nu.* 16 Ghilinus *in sum verbo* Ieiunium *num.* 8 Leander *in prac. Eccles. tr.* 5 *disp* 9 *quaest.* 26. Roccaful. *in praxi tract.* 6 *de pracep. Eccles. lib.* 3 *cap.* 7. *n.* 107 Quia nimirum facit contra duplex praeceptum, nempe cōtra praeceptū abstinendi à carnibus; & cōtra praeceptum ieiunij. Oppositum tradit Ludouic. Mōtesin. 1. 2. *q.* 73. *ar.* 2. *q.* 4. *n* 47 quia nimirum peccat solū cōtra temperātiam. Trullech. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2 *dub.* 2. *n.* 14. Sed cū sint diuersi modi temperantiae, & diuersae mensurae, cōsurgit etiā laesio ipsius secundū diuersas mensuras, vt cōtingit in fornicatione, & adulterio; vtrumq. enim est contra castitatem, & tamen consurgunt diuersa peccata.

3 Hoc tamen est limitandū, nisi adsit causa excusans à ieiunio, & nō ab abstinētia carnium, nam tunc esset vnum peccatū & solum esset in cōfessione exprimendum, quod absque causa concesserit carnes, quando prohibentur.

4 Rursus hoc est intelligendū, si re vera non adsit causa, nec adesse cēseatur, quia si cēseretur adesse, bona fides excusaret. Si autē dubium sit, an adsit, adhuc poterit concedere licentiā, quia in dubijs tutior pars est eligēda, & fauorabilior; nec ille, de quo dubium est, an indegeat carnibus, est periculo exponendus.

DE DISPENSATIONE IN IEIVNIO

An Pontifex possit absolute dispensare in lege ieiunij. Decis. 379.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio ieiunandi tolli potest per dispensationem.*
2 *Pontifex potest dispensare in omnibus ieiunijs etiam tollere legem ieiunij.*
3 *Omnis lex humana est sub dispositione Pontificis.*
4 *Potest Pontifex tollere legem ieiunij positam ab Apostolis, aut Concilio generali.*
5 *Pontifex habet auctoritatem à Deo.*
6 *In quibus à traditionibus, & institutis Apostolicis non sit ad discedendum.*
7 *Episcopi, & inferiores Papa non possunt dispensare in bigamia.*

1 Cum ieiunia, quae in Ecclesia obseruantur, sint de iure humano, vt constat ex dictis in superioribus, obligatio ad ipsa potest tolli per dispensationem, quia dispensatio habet locum circa legem humanam; nam cum humana auctoritate condita sit, humana etiam auctoritate tolli potest.

2 Resp. ergo. Summum Pontificem posse absolutè dispensare in ieiunio non solum concedendo alicui, vt nunquam ieiunet, sed etiam tollendo omnino legem ieiunij. Ita Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. *dub.* 1 §. *Ad hoc dicitur, quod dispensare.* Nauar. *in Manuali c.* 21. *n.* 21. Angles *in Florib. q.* 5. *de ieiunio diffic.* 2. *concl.* 1. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 3. *ver. Praeterea quia* S. Tho. Couarruuias 2. *p. Decret. c.* 6. §. 9. *n.* 6. Palat. *in* 4. *dist.* 15 *disp.* 8. *post* 4. *conclus.* §. *Porro autem sciscitaris.* Azor. *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 18. *q* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 2. *punc.* 5. *in fine.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 7. Reginal. *lib* 4 *Prax: fori poenit. n.* 223. Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 4 *n.* 51. Rodriquez *p.* 1. *sum. c.* 24. *n.* 4. Alter Ledesma 2. *p. sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 3. *post* 5 *conclus. ver. La quarta causa.* Orțiz *c* 19. *sum. n.* 16. Sanchez *lib.* 5 *consil mor. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 3. Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *nu.* 18. Medina *Cod. de ieiunio qu.* 3. & communiter Canonistae *in c.* 1. & *c. Consilium De obseruat. ieiuniorum.* Bossius *tom* 3. *moral. tit.* 21. §. 3. *num.* 105. Leander *in pracept. Eccles. tr.* 5. *disp.* 10. *q* 1. Roccaful. *in praxi tr.* 6 *de prac. Eccl. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 134.

3 Ratio manifesta est; quia lex humana debet esse sub dispositione potestatis humanæ, siquidem cum humana sit, debet originari à potestate legislatiua humana, alioquin si a maiori potestate prouenitet, non esset humana, sed altioris ordinis: vnde cum nulla potestas humana sit maior potestate Pontificis, sub ipsius dispositione erit omnis lex humana Ecclesiastica, atque adeo etiam lex de ieiunio, & proinde poterit ipsam tollere, aut in ipsa cum aliquo dispensare.

4 Et hoc verum est, etiam si lex de ieiunio Apostolica sit, aut in Concilio generali sancita, vt notant Doctores præsertim n. 2. citati & Abbas in Cap. Significasti. De electione Felin. in c. 1. nu. 23. De constit. Iacobat. lib. 5. De concil. ar. 5. Turrecrem. lib. 3. de Eccles. c. 52. & 53. cum Glos. in Cap. Vbi periculum. De elect. in 6. & in cap. Proposuit. De conceß. praben. vbi communiter Canonistæ. Pontifex enim habet potestatem à Deo, non ab Apostolis, aut Concilio. Cap. Translato. De Constitutionib. & ideo non potest limitari ab aliqua alia potestate humana, cum nulla sit superior.
5 Deinde Concilium est acephalum, nisi accedat auctoritas Pontificis; & ideo subest potestati ipsius. Hinc vt constat ex Canonibus Apostolicis aliqua ieiunia ab Apostolis instituta abrogata sunt, vt est ieiunium feriæ quartæ; & in alijs etiam Apostolicis constitutionibus dispensauit Pontifex vt constat ex Cap. Præsbiter. dist. 82. & ex alijs testibus.

6 Nec obstat, quod Vrbanus Papa Cap. Sunt quidam 25. q. 1. dicat, quod in his, quæ tradiderunt Apostoli, & Prophetæ, & Sancti Patres definierunt non licere nouam legem dare, nam loquitur de ijs quæ pertinent ad fidem, non autem de statutis humanis.

7 Quod si instes ex Cap. Super eo & Cap. A nobis & Cap. Nuper. De bigamis, vbi Lucius Papa, & Innocentius loquentes de dispensatione bigamiæ, dicunt, quod non licet contra Apostolum dispensare. Resp. Hos Pontifices loqui de Episcopis, quod scilicet non liceat ipsis in bigamia dispensare. Consulebant enim Episcopi Pontificem, an liceret ipsis cum bigamis dispensare, & responsum fuit, non licere contra Apostolum dispensare, quia habent auctoritatem inferiorem auctoritate Apostolorum. Pontifex autem potest dispensare, quia habet supremam auctoritatem.

An si Pontifex absque rationabili causa dispensaret in ieiunio, aut tolleret legem ieiunij, valide operaretur.

Decis. 380.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio, & abrogatio legis ieiunij, si fit à Pontifice, est valida nulla concurrente causa.*
2 *Lex pendet à voluntate legislatoris.*
3 *Dispensare, aut abrogare legem absque causa non est destruere.*
4 *Quomodo debeat intelligi, abrogationem legis, & dispensationem esse validam absque causa.*
5 *Pontifex non potest abrogare valide omnes leges ecclesiasticas.*
5 *Actus potestatis est actus rationis.*
6 *Potestas Principis est tantum secundum rationem.*

1 RESp. validè dispensare, & etiam validè abrogare legem ieiunij, etiam si nulla adsit causa, contra Fortunium l. Gallus §. Et quid si tantum ff. De liberis, & posth. ita tamen docent communiter. Caiet. 1. 2. q. 96. ar. 5. circa finem. Medina q. 97. ar. 4. Syluester verbo Dispensatio q. 3. Angel. n. 3. Armilla n. 14. Palat. in 4. dist. 15. disp. 8. post 4. conclus. §. Porro autem sciscitaris. Azor. p. 1. lib. 7. c. 18. q. 2. & lib. 5. c. 15. q. 3. Lopez p. 1. Instruct. c. 4. init. & p. 2. c. 108 in fine. Philiarcus tom. 1. De offic. Sacer. p. 2. lib. 3. c. 4. ver. Altera difficultas est. Martin. Ledesma 2. p. 4. q. 17. ar 3. ver. In oppositum autem est. Summa corona c. 1. De dignoscendis peccatis n. 32. Sayrus lib. 3. Thesauri c. 10. n. 11. Henriquez lib. 5. sum. c. 22. n. 5. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 7. punc. 2. Arragon. 2. 2. q. 89. ar 9 in fine. Petrus Ledesma de Matrim. q. 54. ar. 3. diffic. 4. post 2. conclus. & p. 2. sum. tr. 27. c. 2. post 5. conclus. dub. 3. ver. In quarto casu Angles in Florib. q. 5. de ieiunio diffic. 2. concl. 2 Suarez 3. p. tom. 4 disp. 56. De indulg. sect. 2. n. 11. & lib. 6. De legib. c. 19. n. 6. Rodriquez tom. 2. q. Reg. q. 46. ar. 5. & p. 1. sum. c. 24. n. 5. Vega p. 1. sum. c. 23 Casu 14. Vital. in Append. ad Candelab. c. 12. n 8. 23. & 24. Cordoba lib 4 q 8. in fine. & q. 9. Victoria Relect. de potestate Papæ n. 14. & 15. Canus de pœnit. p. 5. De præcepto confess. in fine. Sotus lib. 1 de Iust. & iure q. 7. ar. 3 ver. Postremum ergo. & lib 7. q. 4. ar. 3. ad 2. in fine. & in 4. Dist. 21. q. 2 ar. 2. Veracrux 2. p. speculi coniug. ar. 27. ver. Secundo non expedit. Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 17. n. 24 & lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 5. n. 4. Io. Sanchez in selectis de Sacram. disp. 54 n. 38. Salas Disp. 20. De legib. sect. 4. n. 37. Pontius lib 8 de Matrim. c 14. n. 7. Palaus p. 1. Oper. mor. tr. 3. de dispensat. legis disp. 6. punc. 8. §. 1. n. 1. Nauar in Manuali c. 23. n. 4. Mostel. p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 51. Medina Cod. de ieiunio qu. 3. ver. Ad oppositum. Trullench. lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n 18. Turrecrem. c. 1. Dist. 89. n. 14. Panor. in Cap. Non est de voto. Innocent. in c. Cum. ad monasterium. De statu Regul. Decius in Cap. Quæ Eccl. n. 29. De constit. vbi iterum Panor. n 17. Couarru. 2. par. Decret. c. 6 §. 9. n. 10. & communiter alij Canonistæ.

2 Ratio est, quia lex pendet á voluntate legislatoris, & sicut potest eam ponere, ita etiam potest tollere, aut in ea dispensare, & tunc cessat obligare, sicut per eiusdem voluntatem incœpit obligare. Licet enim lex debeat esse iusta, necessaria pro bono publico, & alias huiusmodi conditiones intrinsecas participare, adhuc tamen dependet à voluntate legislatoris tanquam à causa efficiente, & idem per ipsam potest tolli, & poni; statim autem ac est sublata desinit obligare.

3 Sed hic adest difficultas, quia Pontifex habet quidem potestatem summam, non tamen ad destruendum, sed ad conseruandum; dispensatio autem aut abrogatio legis sine causa tendit ad destruendum & ideo inualida est. Resp. Certum est, quod dispensatio non tendit ad destruendum, quia cum versetur circa aliquas particulares personas, remanet adhuc communitas firmata ijsdem legibus. Si vero loquamur de abrogatione legis, neque adhuc tendit ad destructionem Ecclesiæ, siquidem Ecclesia subsistit per ea, quæ à Christo immediate instituta sunt. Leges autem humanæ pertinent ad constitutionem Ecclesiæ secundum solam dispositionem

quam

quam recipit à regimine humano, quod dependet a voluntate supremi directoris, & ideo potest variare hanc dispositionem secundum aliquas leges; quod non est destruere, sed mutare ea, quæ sunt sub propria potestate.

4 Hoc autem, quod dictum est, dispensationem, & abrogationem legis esse validam, etiam si sit absque causa, debet intelligi de causa, quæ se teneat ex parte subditorum, qui ab onere legis subtrahuntur, non autem de causa, seu ratione, quæ moueat Pontificem. Nā si absq; vllo motiuo rationis moueretur, abrogatio legis, seu dispensatio non esset actus potestatis, quia potestas est facultas, quæ ab intrinseco exigit adhiberi rationabili modo; vnde qui non sunt rationis capaces, nec etiam sunt capaces potestatis; sed esset impetus quidam, & actus stultitiæ, & proinde non esset validus, quia illi tantum actus validi sunt, qui prouenium à potestate congruenti.

5 Hinc, si Pontifex abrogaret omnes leges humanas Ecclesiasticas, irrita esset huiusmodi abrogatio, quia non esset moderata à ratione moderari debet; non enim potest aliqua ratio dictare, quod sint abrogandæ omnes leges Ecclesiasticæ. Imo ratio oppositum dictat, quia ostendit, quod talis abrogatio contrarietur bono publico, & afferat maximum damnum. Vnde cum potestas publica habeat pro fine bonum publicum, actus destructiuus boni publici non potest esse actus potestatis.

6 Cum enim Princeps sit obligatus rationi, quam in regendo sequi tenetur, potestas ipsius est tantum illa, quæ rationabilis est, & iusta. *l. 2. ff. De vsufruct. ear. rer. quæ vsu consum.* & *l. penult. ff. De furtis.* & *l. Reprehendenda. C. de instit. & substit.* & *Cap. sunt quædam 25. quæst. 1.* & tradunt Angel. *in l. Adoptio non iure facta. ff. De adopt.* Lucas de Pengna *in l. fin. n. 57. C. De loc. præd. ciuil.* Curtius Iun. *in l. Imperium, n. 53. ff. De iurisdict. om. iud.* Iason. *consil. 105. in fine vol. 1.* Calcan. *cons. 68. n. 17.* & *consil. 52. n. 13.* Bal. *in cap. 1. §. fin. Qui feud. dar. pos. & in cap. 1. §. Ad hæc. De pa. iuram. firman. & consil.* 453. ver. *Dicitur autem.* & *cons. 327. n. 2. p. 1.* Ripa *in l. Quominus ff. de flumin.* Felin. *in cap. in caus. ims. De re iudic.* & *in cap. Ad audientiam 2. n. 4. de rescript.* Abbas *in cap. quæ Ecclesia. De constit.* & *in cap. per tuas ver.* *Nec obstat De arbitr.* Hyppolit. *in pract. crimin. §. Sequens n. 39.* Zasius *consil. 8. n. 10. vol. 1. & consil. 10. n. 14. vol. 2.* Innocent. *in cap. Bonæ 2. De postulat. Prælat.* Roman. *consil. 345. n. 5.* Craueta *De antiq; temp. p. 1. nu. 46. & consil. 296. ver. Decimo. vol. 2.* Socin. Iun. *cons. 65.* Isernias *in cap. Naturales n. 1. si de feud. defunct.* Curt. Sen. *cons. 35. n. 32. & consil. 73. n. 27.* Brunus *consil. 12. n. 132 & seq.* Alciat. *consil. 208. ver. Non obstat.* Et quod Princeps non sequens rationem non vtatur plenitudine potestatis, sed tempestatis dixit Bald. *dicto cons. 473.* Prob. *in cap. 1. n. 1. Ne sede vac. in 6.* Rolan. *cons. 7. n. 113.* Rimin. *iun. cons. 5. n. 229.* Can. *super decret.* M. Ferrar. *Decret. 72 n. 119. ver. Præterea.*

An Pontifex peccaret, si abrogaret legem ieiunij absque causa.
Decis. 381.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex abrogans legem ieiunij absque causa peccaret.*
2 *Lex vtilis non debet abrogari.*
3 *Quomodo sit accipiendum, quod abrogatio legis absque causa sit peccaminosa.*
4 *Pontifex non potest abrogare omne ieiunium absque peccato.*
5 *Potest absque peccato abrogare aliqua ieiunia.*

1 AFfirmatiue respondent communiter D. Th. *1. 2. q. 97. ar. 1 & 2.* & alij præsertim Suarez *lib. 6. de legib. c. 26. n. 4.* Vasquez *1. 2. disp. 178. c. 1.* Salas *disp. 18 de legib. sect. 1. nu. 2. ver. Dico tertio.* Bonacina *disp. 1. de legib. q. 1. punc. vlt. §. 1. n. 1. & 2.* Palaus *p. 1. Oper. mor. tr. 3. De cessat. & inter. legis disp. 5. punc. 2. §. 1. n. 3.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 3.* Et desumitur ex Cap. *Non debet. De consanguin. & affinit.* & ex Cap. *Alma mater. De sent. excomm. in 6.* & ex *l. 2 ff. De Constit.* Ratio est, quia, cum lex debeat esse vtilis 2 pro bono communi; Si abrogetur, quando est vtilis, præiudicatur bono communi, in quo Pontifex peccaret, quia tenetur procurare bonum commune. Si autem abrogatur, quando non est vtilis, adest causa abrogandi, quia populi non debent legibus grauari sine vtilitate. Lex autem ieiunij semper est vtilis, & ideo nunquam sine peccato poterit abrogari.

3 Hoc tamen ita intelligi debet, vt non sit necesse, quod causa abrogandi se teneat ex parte subditorum, sed sufficiat, quod Pontifex rationabiliter moueatur. Quando enim rationabiliter mouetur, operatur cum conformitate ad regulas rectæ rationis, omnis autem operatio, quæ conformis est regulis rectæ rationis, honesta est, & bona: Potest autem rationabiliter moueri, aut quia lex non seruetur, & potius sit occasio scandali, quam vtilitatis, aut quia necessaria non putetur, aut ex aliqua alia ratione huiusmodi.

4 Ex quibus colligitur, quod non posset Pontifex sine peccato abrogare omne præceptum de ieiunio, quia cum ieiunium valde vtile sit in ordine ad salutem, non posset rationabiliter moueri ad illud tollendum. Imo in hoc faceret magnum præiudicium Ecclesiæ, quia tolleret ab ipsa exercitium talis virtutis, qui licet posset ab aliquibus voluntariè exerceri, non tamen id haberet Ecclesia ex instituto suo.

5 Colligitur secundo, quod posset Pontifex absque vllo peccato abrogare præceptum de aliquibus ieiunijs particularibus. Ad hoc enim rationabiliter moueri posset, vel vt indulgeret imbecillitati humanæ, quæ facit, aut quod aliqui non seruent omnia ieiunia, aut quod alij se putent nimis grauari, aut ex aliquo alio motiuo. Vnde etiam, si in singulis hebdomadis quadragesimæ abrogaret aliqua ieiunia, vt nimirum facilius esset ieiunium quadragesimale, rationabiliter moueretur. Sic aliqua ieiunia, quæ antiquitus erant in præcepto, abrogata sunt, & abrogatio rationabilis existimata est.

An peccet Pontifex dispensans in ieiunio cum aliquo absque causa.

Decis. 382.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex dispensans in lege absque causa, peccat secundum aliquos.*
2 *Secundus alios peccat mortaliter.*
3 *Secundum alios venialiter.*
4 *Peccat mortaliter, si dispenset cum graui praiudicio boni communis, aut tertij.*
5 *Non peccat, quando sine praiudicio.*
6 *Dispensatio de se non est nociua communitati.*
7 *An peccet dispensans cum leui praiudicio alterius, aut communitatis.*
8 *Vnde mensuranda leuitas, vel grauitas praiudicij.*
8 *Peccat, si dispensatio est praiudicialis grauiter dispensato.*
9 *Dispensatio in ieiunio nulli praiudicialis, ideo licita etiam absque causa.*
10 *Gratia Principis vni facta, non est praiudicialis illi, cui non est facta.*
11 *Pars quatenus debeat congruere toti.*
12 *Obiectiones ex Leandro.*
13 *Aliud dispensare sine causa, & aliud sine ratione.*
14 *Princeps dispensare potest in lege sine causa, sed non sine ratione.*
15 *Quomodo sola voluntas Principis sit iusta causa.*
16 *Qualis dispensatio sit dissipatio, & contra fidelitatem.*
17 *Dispensatio ex motiuo rationabili non est iniusta.*
18 *Dispensatio sine causa non est praiudicialis dispensato.*
19 *Lex licet communis, est tamen dispensabilis.*
20 *Non est contra bonum commune, quod est secundum naturam legis.*

1 ALiqui docent, quod peccet, sed non explicant, an mortaliter, an vero solum venialiter. Ita Medina *Cod. de ieiunio q. 3. ver. Ad oppositum.* Molfes. *p. 1. sum. tr. 10. c. 4. n. 15.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 54. n. 38.* Angles *in Floreb. q. 5. de ieiunio. diffic. 2. conclus. 2.* Veracrux *p. 2. speculi coniugio ar. 27. ver. Dixi in conclusione.* Sotus *lib. 1. De iust. & iure q. 7. ar. 3. dub. 2. in prob. secunda p.* Victoria *in Relect. de potest. Papa n. 14.* Medina *1. 2. q. 97. ar. 4. §. De causa necessaria.*

2 Alij vero docent, esse peccatum mortale dispensare cum aliquo absque causa. Ita Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8. post. 4. conclus. §. Porro autem sciscitaris.* Ledesma *2. p. 4. q. 17. ar. 3. ver. In oppositum autem est propos. 2.* Syluester *verbo.* Dispensatio *n. 2.* Corduba *lib. 4. q. q 8.* qui tamen addit, aliquando peccare tantum venialiter. Petrus Ledesma *p. 1 sum. tr. De Sacram. matrim. c. 27. dubio 1. post 4 conclus. ver. Digo lo primero.* Vega *p. 2. sum. c. 23 casu 14.* Couarruu. *4. Decret. p. 2. c. 6. §. 9. n. 7.* Granad. *1. 2. Controuers. 7. tr. 3. p. 2. disp. 17. sect. 3 n. 24.* Malder. *1. 2. q. 97. ar. 4. dub. 2. post 1. conclus. ver. Quares.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 195. in fine.* Suarez *lib. 6 de legib. c. 18. n 17.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 5. n. 6.* vbi retractat, quod dixerat loco citando de Matrimonio. Bossius *tom. 3. mor. tit. 21 §. 3. n. 113.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10 q. 4. & 5.* Et alij in materia de legibus. Quia nimirum dispensare in legibus sine causa est iniuriosum Reipublicæ, & destructiuum boni communis, & etiam iniuriosum cæteris, cum absque causa aliqui grauentur: vnde Trident. *sess. 25. c. 5. De reformat.* grauiter prohibet dispensationem sine causa, quia, vt ait *cap. 18.* dispensatio absque causa dat aditum transgrediendi legem.

3 Rursus alij docent, quod sit tantum veniale. Ita Lopez *p. 1. Instruct. c. 4. ver. Sexto addimus.* Nauar. *in Manuali praelud. 9. n. 14. & c. 25. n. 5.* Philiar. *tom. 1. De officio Sacer. p. 2. lib. 3. c. 4. ver. Altera diffic.* Valent. *1. 2. disp. 7. q. 5. punc. 9. in fine.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 18. n. 7.* Salas *disp. 20. de legib. sect. 7. n. 55.* Pontius *lib. 8. de Matrim. c. 14. n. 4.* Villalob. *tom. 1. sum. tr. 2. diffic. 4. n. 6.* Palaus *p. 1. Oper. mor. tr. 3. de dispensat. legis disp. 6. punc. 8. §. 1. n. 5.* Diana *p. 1. tr. 10. De legib. Resol 35.* Barbosa *lib. 1. De muner. iure Eccl. c. 11. n. 200.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 18* Roccaful. *in praxi tract. 6. de pracep. Eccles. lib. 3. c. 9. num. 135.*

4 Mihi cum distinctione procedendum videtur. Si enim dispensatio cedit in præiudicium graue alterius, aut in præiudicium notabile boni communis, tunc Pontifex absque causa dispensans, mortaliter peccabit. Tenetur enim vnicuiq; iustitiam seruare, & bonum publicum conseruare, cum hoc sit ipsi commissum, nec potestas ipsius extenditur ad præiudicandum alicui, & multo minus bono publico, quia data est ipsi ad edificandum, & non ad destruendum, & ideo si in his casibus dispenset absque causa, peccabit mortaliter. Vnde non audiendi, qui dicunt, quod Princeps potest sine causa dispensare, & alia facere, quæ sunt à Iure prohibita, quando vtitur plenitudine potestatis; quia etiam plenitudo potestatis debet esse regulata secundum rationem, vt dictum est. *Decis. 380. in fine.* Et ideò reijciuntur Craueta *consil 144. n. 18.* Curt. Iun. *cons. 138. n. 4* Petra de *potest. princip. c. 25. n. 3.*

5 Quando vero nullum sequitur præiudicium bono communi, aut alicui particulari, tunc dispensatio absque causa nullum continet peccatum. Atque in hoc sensu accipiendi sunt *Hostiens. in cap. Eam te. De ætate, & qualit. 8.* Innocent. *in cap. Cum ad monasterium, De statu monacorum.* Felin. *in c. Quæ in Ecclesiarum n. 25. De constitut.* Butrius *ibid. circa fin.* vbi docent, Papam posse dispensare ex sola liberalitate: Io. de Sylua *tr. de Benef. p. 4. q. 6. n. 10.* Gigas *De pension q. 6. n. 9.* dum docent Pontificem posse ex sola voluntate dispensare. Et habetur ex *c. Proposuit. De concessione præbendarum.* Ratio est, quia etiam si non adsit causa ex parte illius, cum quo dispensatur, adhuc tamen dispensatio est rationabilis respectu Pontificis. Nam ad Principem spectat, se gratiosum exhibere cum subditis, & ipsis conferre aliquas gratias, quæ mere gratuitæ sint, quia in hoc imitatur Deum, cuius vices gerit in terra: vnde cum habeat potestatem dispensandi in legibus, potest absque causa concedere tanquam gratiam dispensationem, quando nullum consequitur præiudicium.

6 Dices. Sequi semper aliquod præiudicium, quia, cum lex sit vtilis bono publico, dispensatio erit nociua. Resp. esse vtilem in tota communitate. Quod aliquis autem non seruet legem, non est no-

nociuum, nam per hoc non tollitur quod communitas non sit ordinatam illo ordine, quem confert lex: sed ratione dispensationis consurgit in Republica aliud bonum, nempe complementum quoddam ordinis illorum, qui gratijs principis fruuntur, siquidem pertinet ad bonum publicum, & pulchritudinem Reipublicæ, quod gratiæ Principis in omni genere sese diffundant, atque adeo etiam in dispensatione legis. Neque hic locum habet, quod pars sit turpis, quæ non congruit cum suo toto, nam hoc solum valet de parte, quæ debet congruere in obseruantia legis, etiamsi sit dispensatus absque causa.

7 Hinc autem fit, quod, quando dispensatio absque causa affert aliquod leue præiudicium alteri, aut bono publico continebit solum peccatum veniale ratione paruitatis materiæ. Quæ non attendit Bossius *tom.3.mor.tit.*21.§.3.*n.*112. dum me absolutè citat pro opinione asserente, quod sit peccatum veniale dispensare absque causa, in quo ostendit se non attendisse ad ea, quæ habeo hic, & etiam *n* 4. A quo tamen etiam Princeps excusari potest, quia leue præiudicium non videtur considerandum, quādo agitur de voluntate Principis: nam adest voluntas interpretatiua, quod quilibet contentus sit, leue præiudicium proprium postponere satisfactioni Principis.

8 Graue autem, aut leue præiudicium vt bene notat Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 8. non debet attendi ex grauitate obligationis, quam imponit lex, nempe aut sub mortali, aut sub veniali, sed ex destructione, quæ fit circa bonum commune, mensurandum est. Tunc autem bonum commune grauiter patitur, quando fit notabilis subuersio in ordine, quo constat Respublica, vt si dispensaretur cum aliquo Principe, quod posset exercere iurisdictionem in Clericos. Quando autem talis ordo leuiter perturbatur, leue est præiudicium. Et idem dicendum est in ordine ad præiudicium priuatum. Sub præiudicio autem priuato comprehenditur etiam præiudicium, quod fit illi, cui conceditur dispensatio: vnde si ipsi concederetur, quod non confiteretur, & sumeret Eucharistiam semel in anno contra præceptum Ecclesiæ, talis dispensatio afferret illi graue præiudicium in ordine ad salutem animæ; vnde peccaret grauiter Pontifex sic dispensando.

9 Hæc autem applicari possunt pro dispensatione in præcepto de ieiunio; nam huiusmodi dispensatio non est præiudicialis alicui, quod enim Petrus non ieiunet, nihil præiudicat Paulo: nec etiam præiudicialis illi, cui conceditur, quia licet non ieiunando priuetur bono abstinentiæ, hæc tamen priuatio non est præiudicialis, quia solum dicit negationem maioris boni, quod non tollitur à dispensatione, sed adhuc à dispensato potest obtineri ieiunando. Nec est in præiudicium boni communis, tum quia est circa priuatas actiones, quæ priuatim exercentur, tum quia lex ieiunij non est lata pro bono communitatis, sed pro bono particularis cuiuscunque: vnde dispensatio in ieiunio absque causa nullum continebit peccatum.

10 Hinc solutum manet fundamentum secundæ sententiæ: nam non semper dispensatio est iniuriosa Reipubl. aut destructiua boni communis, vt constat ex dictis, nec est iniuriosum subiacentibus legi, quod aliquis ex dispensatione non subiaceat, cum hoc sit ex gratia Principis: alioquin omnis gatia Principis, quæ non esset communis omnibus, esset iniuriosa non participantibus de ipsa. Tridentinum autem intelligit de dispensatione, quæ præiudicialis est bono communitatis, & quando *cap.* 18. dicit, quod dispensatio absque causa dat aditum transgrediendi legem, intelligit, quando est nimis frequens, nam ibi decernit, dispensationes non debere esse nimis frequentes: vnde tunc erit peccatum ratione excessus, non quia dispensatio sit absque causa.

11 Et ex his soluta manet argumenta quæ Bossius affert *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 3. *n.* 108. *&* 113. vbi alijs verbis eadem repetit. Quando autem dicto *n.* 108. dicit, quod ius naturale dictat, quod pars debet suo toti congruere, debet intelligi de parte in eo, in quo exercet rationem partis, quia solum ius naturæ exigit, quod pars quatenus pars congruat suo toti. Non autem exigit, nec est necessarium, quod singuli in omnibus exerceant rationem partis, alioquin omnis dispensatio esset contra ius naturæ, quia faceret, quod pars non congrueret toti: sed sufficit, quod congruat in eo, in quo exercet rationem partis, & ideo relinquitur locus dispensationi etiam sine causa, quæ facit, quod in eo, in quo quis dispensatur, non sit pars.

12 Contra supradicta obijcit Loander. Dispensatio sine causa est imprudens, & temerarius, & infidelis vsus potestatis, vt habet D.Th. 1.2.*q.* 97 *ar.*4. & est dissipatio quædam, & violatio iuris naturalis, siquidem sine causa facit, quod pars non consonet toti. Ergo in re graui continet peccatum graue. 2. Est offensiù æqualitatis, quam iustitia exigit erga omnes. Rursus est actus dissonus rationis, & præbens cœteris ansam offensionis. 3. Dispensatio in ieiunio absque causa est præiudicialis illi, cui conceditur, cum priuetur exercitio virtutis, merito, & satisfactione pro peccatis, quia dato quod non obstante dispensatione adhuc ieiunaret, minus mereretur, & satisfaceret, quia id non faceret ex præcepto. 4. Si aliquis sine causa eximeretur à ieiunio, cœteri opprimerentur præcepto, vnde tolleretur æqualitas, qua lex, vt sit iusta, debet esse communis omnibus. 5. Cum lex de ieiunio sit ob bonum commune, dispensatio sine causa erit in præiudicium boni communis.

13 Hæc autem facillimè solui possunt, si aduertatur, aliud esse dispensare sine causa, & aliud sine ratione, seu irrationabiliter. Primum dicit, quod ex parte dispensati non interueniat causa aliqua, ob quam indigeat dispensatione, vt quando quis potest ieiunare, nec habet aliquod impedimentum. Secundum dicit, quod ex parte dispensantis nullum interueniat motiuum dispensandi, ratione cuius dispensatio fiat rationabilis, seu secundum regulas rectæ rationis, & proinde non possit reddi ratio talis dispensationis, vt si Pontifex ex nullo rationabili motiuo dispensaret aliquem in ieiunio, in horis Canonicis, &c.

14 Quando autem dicitur, quod Princeps, seu Pontifex potest dispensare sine causa in suis legibus, excluditur causa ex parte dispensati: non autem excluditur ratio, seu motiuum, ratione cuius dispensans rationabiliter procedat, & faciat, quod dispensatio sit conformis regulis rectæ rationis,

vt si

vt si Pontifex dispensaret aliquem in ieiunio, qui non indigeret dispensatione, sed posset omnino commodè ieiunare, moueretur autem ad dispensandum quia esset benemeritus de Apostolica Sede, tunc dispensatio esset sine causa, sed non sine ratione, quia est rationabile benemeritos præ alijs priuilegiari. Nam si dispensatio nullum haberet rationabile motiuum, sicuti esset contra rationem, atque adeo extra spheram potestatis Principis, quia potestas ipsius est intra terminos rationis, vt ostensum est, *Decis.* 380. *n.* 6.

15 Quando autem Princeps procedit ex rationabili motiuo, sola voluntas ipsius est iusta causa, vt notant Glos. *in l. Relegati.* ff. De *pœnis*, & Glos. Canonica *in c. Si eo tempore.* De *elect. in* 6. *& in c. si gratiose* De *rescript. in.* 6. Marsil. *singul.* 230. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 23. Sperel. *Decis.* 109. *num.* 17. Quia tunc voluntas est informata ratione, atque adeo iusta, quia intra terminos iustitiæ legalis, quæ complectitur omnes virtutes, & secundum mensuram illius, & ideo exhibet iustam causam sic operandi.

16 Ad 1. resp. Dispensationem sine causa, & sine ratione esse imprudentem vsum, & infidelem potestatis, & dissipationem; secus autem si sit sine causa, sed cum ratione, nam tunc cum sit secundum rectum dictamen rationis, est etiam secundum prudentiam, & proinde est actus iustitiæ legalis, atque adeo virtutis, & in hoc sensu loquuntur D. Bernard. & D. Thomam per causam non solum intelligunt causam ex parte dispensati, sed etiam motiuum rationabile ex parte dispensantis.

17 Ad 2. neg. assumptum. Nam si dispensatio sit ex motiuo rationabili, est etiam secundum prudentiam; & proinde non potest esse contraria iustitię, cum sit actus iustitiæ legalis; vna autem virtus non est alteri contraria. Deinde Princeps non tenetur sequi iustitiam commutatiuam in regimine, sed solum in reddendo vnicuique quod suum est. Regimen autem regulare debet secundum iustitiam legalem, quæ non exigit æqualitatem omnimodam sed æqualitatem ordinis, in qua debet esse inæqualitas aliqua, vt sit æqualitas quædam harmonica: vnde in hoc ordine dispensatio sine causa erit ordinata ad ostendendam liberalitatem Principis, aut aliam virtutem. Ex quo patet, quod si quis ex tali dispensatione arripit ansam offensionis, sibi imputare debet, quia est scandalum passiuum, cum oriatur ex actu rationabili.

18 Ad 3. Si aliquid probaret, sequeretur quod omne priuilegium contra ius commune esset præiudiciale priuilegiato, nam priuaret ipsum illo actu virtutis, quod ex præcepto alias exerceret. Quare neg. sequel. nam id solum est præiudiciale, quod est contra aliquid ius alterius; imo cum dispensatio sit relaxatiua legis, aufert onus ipsius, & continet beneficium. Quod si dispensatus non obstante dispensatione impleat legem adhuc operabitur ex vi legis, quia censebitur renunciare dispensationi, & opus æque laudabile erit ac si non fuisset dispensatus; vnde valet responsio, de qua in argumento & corruit impugnatio ibi adducta.

19 Ad 4. neg. sequel. & ad prob. Legem ita debere esse communem omnibus, vt tamen sit dispensabilis secundum mensuram, & terminos iustitiæ legalis, quæ concedit Principi posse dispensare quando rationabile iudicabit, siue existat causa ex parte dispensandi, siue tamen rationabile motiuum ex parte dispensantis. Vnde qui manent sub lege, durant in proprio statu, & conditione, nec fit ipsis iniuria, si aliquis ex benignitate Principis dispensetur.

20 Ad 5. neg. sequel. quia non est contra bonum commune, ad quod lex ordinatur, quod fit secundum naturam eiusdem legis. Dispensatio autem sine causa, dummodo ex parte dispensantis sit ex motiuo rationabili, est secundum naturam legis. Rursus cum bonum commune reguletur à iustitia legali, non potest esse contra ipsum, quod est secundum dictamen iustitiæ legalis.

An Episcopi possint dispensare in præcepto ieiunij.

Decis. 383.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus inferior Papa non potest abrogare præceptum de ieiunio, si sit vniuersale.*
2 *Episcopus potest dispensare in ieiunio cum aliquo.*
3 *Cur talis facultas conueniat Episcopo.*
4 *Non potest dispensare absque rationabili causa.*
5 *Quam potestatem habeat inferior circa leges superioris.*
6 *Dispensatio in ieiunio sine causa facta ab Episcopo est inualida.*
6 *Quænam causa requiratur, vt dispensatio sit valida.*
7 *Episcopus non potest dispensare in ieiunio absolute.*
8 *Potest absque causa commutare ieiunium locale.*

1 EPiscopus, aut alius Prælatus inferior Papa non potest abrogare præceptum aliquod vniuersale de ieiunio, quia inferior non habet iurisdictionem supra leges superioris, vt habetur ex Cap. *Cum inferior.* & Cap. *Quod super his.* De *maior. & obedient. ibi nihil statuat, quod canonicis obsit institutis.* & ex Clement. Ne *Romani* De *elect.* & ex Cap. *Instituimus* & Cap. *Ecclesiastica* 25. *quæst.* 2. Et tradunt communiter Doctores.

2 Quo ad dispensationem autem respondetur affirmatiue. Ita docent communiter D. Th. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *ar.* 2. *q.* 4. *ad.* 3. Durand. *q.* 10. *n.* 6. Palat. *disp.* 8 *post* 4. *conclus.* §. *At propter reuerentiam.* Gabriel. *dist.* 16. *q.* 3. *ar.* 1. Sotus *lib.* 1. *de Iust. & iure q. vlt. ar. vlt.* Caiet. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. *dub.* 1. & in summa *verbo* Ieiunium. *c.* 3. Medina *lib.* 1. *sum. c.* 14. §. 10. Palud *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *n.* 12. Nauar. *in Manuali c.* 21. *n.* 21. D. Antonin. 2. *p. tit.* 6. *c.* 2. §. 6 Syluester *verbo* Ieiunium *q.* 7. Armilla *n.* 6 Tabiena *q.* 14. Angelus *n.* 20. Angles *in Florib. q.* 5. *de ieiunio diffic.* 3. & 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. *q.* 2. Ledesma 2. *p.* 4. *q.* 17. *ar.* 3. ver. *In oppositum est.* Rodriquez *p.* 1 *sum. c.* 24. *n.* 4 Petrus Ledesma *p.* 2. *sum. tr.* 27. *c.* 2. *dub.* 3. *post* 5. *conclus.* ver. *En esta difficultad. El Padre.* Molfes. *p.* 1. *sum. tr.* 10. *c.* 4. *n.* 52. Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 5 *n.* 16 Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q.* 1. *punc. vlt. n.* 18. Reginal. *lib.* 4 *Praxis fori pœnit. n.* 224. & 228. Villalob. *p.* 1. *sum. tr.* 23. *diffic.* 4. *n.* 22. Syluius 2. 2. *q.* 147. *ar.* 4. ver. *Porro circa causas.* Llamas

par. 3.

p.3.Meth.c.5.§.21.in fine. Bizozerus *p.4.sum.de 3.praecep.c.vlt.n.11.* Summa Corona *p.1.c.1.n.27.* Ortiz *c.19.sum.prac. 2.num.16.* Lezana *in sum. verbo.* Ieiunium *n.10.* Trullench. *lib.3.in Decal.c.2.dub.7.n.18* Hostiens *in c.Consil.De obseruat. ieiunior.* Abbas, Io. Andreas, & alij Canonistae ibid. Salas *disp. 20. de legib.sect.3.n.25.& 26.* Palaus *p.1. de legib. tr.3.disp.6. pun.4* Bossius *tom.3.mor.tit.31.§.3.n.136.* Leander *in prac.Eccl. tr.5.disp.10.q.6.* Roccaful. *in Praxi tr.6. de pracep.Eccl. lib.3.c.9.n.136.*

3 Constat autem hoc ex praxi, & consuetudine, quae ita interpretatur legem, & in hoc ius confert Episcopis. Deinde quia leges debent sufficienter prouidere communitati, atque adeo debet esse in quacunque communitate particulari sufficiens iurisdictio pro illa regenda, & prouidendo in ijs, in quibus non potest recurri ad supremum superiorem, talis autem est facultas dispensandi in lege ieiunij, quia non potest in quocunque casu occurrenti recurri ad Pontificem, & si vellet Pontifex, quod ad ipsum recurreretur, esset idem, ac nolle dispensare, quod esset nimis durum, & irrationabile.

4 Ex hoc tamen sequitur, quod talis dispensatio non possit fieri ab Episcopo absque causa, vt notant Auctores supracitati. Et insuper Couarru.4 *decret.p.2.c.6.§.9.n.11.* Vasquez *1.2. disp.178.c.3.nu.17.* Valent. *disp.7.q.5. punc.9.* Salas *disp.20. de legib. sect.4.n.31.* Pontius *lib.8.de Matrim.c.14.n.8.10.* Sanchez *in select.de sacram. disp 54.n.38.* Palaus *p.1. Oper. mor. tr.3.de dispensatione legis disp.6. punc.8.§.2.num.2.* Barbosa *p.2. De potest. Episcopi allegat.33.n.3.* Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.10.q.7.* Bossius *tom.3. mor.tit.21. num.139.*

5 Ratio autem est, quia inferior non habet potestatem supra leges superioris, nisi quantum ipsi conceditur, sicuti nec habet supra ipsum superiorem, conceditur autem solum facultas, vt administratori, vt nimirum administret leges superioris pro debito regimine communitatis, atque adeo rationabiliter, quia regimen rationabiliter administrari debet. Vnde non habent facultatem absolutam supra leges superioris, sed limitatam iuxta rationabilem exigentiam subditorum.

6 Ex quo fit, quod dispensatio facta sine causa inualida erit defectu potestatis, quia inferior non habet facultatem ad dispensandum in lege superioris nisi concurrente rationabili causa, & ideo si dispenset sine tali causa, dispensat sine potestate. Et ita inter alios docent Couarru.4.*decret.p.2.c.6.§.9.n.1.* vbi alios citat. Syluester *verbo.* Dispensatio *qu.3.* Angel.*n.3.* Nauar.*c.25. Manual.n.74.* Sanchez *lib.5. Consil.mor.c.1.dub.5.n.23.* citans Turrecremat. & Palatium. Causa autem rationabilis se debet tenere ex parte illius, qui conceditur dispensatio, nam si solum se teneret ex parte dispensantis, ita vt rationabiliter quidem moueretur, sed absque aliqua indigentia illius, qui conceditur dispensatio, adhuc ex libito suo dispensaret.

7 Sequitur insuper, quod non possit absolutè cum aliquo dispensare in ieiunio, quia cum debeat dispensare ex causa, solum potest dispensare, quantum exigit causa. Si tamen causa esset perpetua, vt esset debilitas complexionis, tunc posset absolutè dispensare.

8 An autem absque causa possit in aliud opus commutare ieiunium affirmat Vega *p.1. sum c.14. de ieiunio. Casu 36.* & est probabile, si loquamur de ieiunijs localibus secus autem de communibus, in quibus solum potest ex causa dispensare, non autem commutare.

An Episcopus possit abrogare legem localem ieiunij.
Decis. 384.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest abrogare legem ieiunij à se, vel à praedecessore sanciam.*
2 *Non autem si sit sancita in Concilio prouinciali.*
3 *Inferior non potest abrogare legem superioris.*
4 *Episcopus potest abrogare legem ieiunij sancitam in Synodo diocesana.*
4 *Quomodo assideant Parochi, & Clerici in Synodo diocesana.*

1 SI lex localis ieiunij sit lata ab ipso Episcopo, aut ab eius praedecessore, certum est posse abrogari, quia quilibet legislator potest propriam legem reuocare, & etiam sui praedecessoris, nam habet parem auctoritatem cum ipso. Et omnes leges praedecessorum sūt sub plena dispositione successoris. Et in hoc nulla est difficultas, nam conueniunt omnes.

2 Si autem ieiunium praecipiatur à lege Concilij prouincialis, tunc non potest abrogari ab Episcopo, licet possint in ipso dispensare, sicut potest in ieiunio ex iure communi. Sequitur Leander *in prac.Eccl tr.5. disp.10.q.8.* Ratio est, quia eo ipso, quod abrogaret legem Concilij prouincialis, exerceret superioritatem supra ipsum Concilium, nam tolleret statutum ab ipso, quod fieri non potest, quia Concilium est supra Episcopum, & ampliorem & maiorem iurisdictionem habet, siquidem extenditur per totam prouinciam, & etiam supra quemlibet seorsim ex illis Episcopis. Non potest autem inferior supra superiorem exercere iurisdictionem.

3 Et ideo nec potest inferior superioris legem reuocare, vt docent communiter Glos. *in Clemen. Ne Romani* verbo Tolli *De elect.* Cardin. *ibid. q.3.* Imola *n.28.* Bonifac. *n.15 & 16.* Maranta *p.6. ps.* *Tit. Et peruenitur aliquando. n.2* Menoch. *lib.2. de Arbitrar. Centur.4. casu 398.n.46.* Couarru.3.*Decret.p.2.c.6.nu.18.* Suarez *lib.6.de legib.c.26.n.9* Palaus *p.1.Oper.mor. tr.3.de cessat. & interpr.leg. disp.5. punc.2. §.2. num.5.* & alij.

4 Si vero lex de ieiunio sit tantum Synodalis facta tantum in Synodo Diocesana, poterit ab Episcopo abrogari. Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr.5. disp.10.q.9.* Nam in Synodo Diocesana Clerici, & Parochi congregati sunt subditi Episcopi, & ibi assistunt vt consultores, nec habent votum decisiuum; vnde tota auctoritas, & iurisdictio est penes Episcopum, & ideo lex habet vigorem à sola potestate Episcopi. Qui autem dat vigorem legi, potest etiā tollere per abrogationem. Et ita docet Palaus *p.1. Oper.mor.tr.3. De cessat.& interp.leg. disp.5. punc.2.§.2.n.10.* Et

10. Et desumitur ex Nauar. *c.25. Manualis n.74.* & *c. vlt. De simonia n 4.* Azor. *p.1. lib.5. c.15. q.3.* Sanchez *lib.8. de matrim. disp.17. n.33.* & *lib.5. consil mor. c.1. dub.5. n.22.* Barbosa *p.2. De potest. Episcopi Allegat 34 n.3.* Quatenus docent; quod si dispenset in lege Diocesana absque causa dispensatio erit valida, quod stare non potest, nisi habeat iurisdictionem supra talem legem, atque adeo abrogare possit.

An Episcopus possit abrogare ieiunium institutum ex voto Communitatis.

Decis. 385.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus non potest abrogare ieiunium ex voto communitatis respectu illorum, qui votum emiserunt.*
2 *Respectu successorum potest abrogare.*
3 *Quomodo votum communitatis obliget successores.*
4 *Obligatio ex voto communitatis qualis sit.*
5 *Existentes tempore voti communitatis, si non præstent proprium consensum, non obligantur voto, sed solum lege, quæ potest abrogari.*

1 Resp. non posse abrogare obligationem illorum, qui emiserunt votum, vnde, quandiu viuunt, tenetur ieiunare non obstante quacunque abrogatione, nam est inualida respectu ipsorum. Ratio manifesta est. Quia licet Episcopus posset irrita re vota communitatis tanquam sibi subiectæ, non tamen potest, quando iam consensit in votum, vt docent communiter de ijs, qui possunt aliorum vota irritare. Vnde quando votum est emissum consentiente Episcopo, nullum locum potest habere irritatio.

2 An autem possit Episcopus abrogare ieiunium ex voto respectu eorum, qui succedunt ijs, qui votum emiserunt. Resp. affirmatiuè. Quia cum obligatio voti, sicut etiam iuramenti, vt cum communi tradit Sanchez *lib.3. sum. c.14. n.1.* sit ita personalis, vt solum vouentem afficere possit, successores eorum, qui votum emiserunt non obligantur ad ieiunium ratione voti, & obligatione ab intrinseco prouenientе, sed obligatione ab extrinseco imposita. Hæc autem obligatio tolli potest ab Episcopo.

3 Secundum enim probabiliorem sententiam, quam tradunt Ledesma *p.1. sum. tr. de Eucharist. c.27 conclus.14.* Vasquez *1.2. q.96. ar.5 disp 157. n.34.* & *disp.177. n.22.* Suarez *tom.3. in 3. p. disp.88. sect.5.* Sanchez *lib.4 sum. c.15 n.19.* & alij; votum communitatis obligat successores per modum legis, & accipit vim obligandi à Prælato spirituali, quatenus acceptando votum confirmat per modum legis obligationem respectu omnium, quę in voto suscipitur. Potest autem Episcopus abrogare obligationes, quas ipse imponit, aut sui prædecessores imposuerunt.

4 Nec obstat, quod videatur interuenire quidam contractus, in quo communitas se obliget cum Episcopo ad seruandum tale ieiunium, cui ipse consentiat, & proinde non possit amplius reuocari; nam talis obligatio, quæ consensu partium suscipitur non est obligatio realis sed personalis, quæ extinguitur cum persona, nec transit ad successores, ad quos tantum transit obligatio legis, quæ abrogari potest.

5 Ex quo sequitur, quod neque ij, qui existunt tempore voti, & non emittunt votum, aut non consentiunt, vt nomine ipsorum emittatur, atque hoc speciali consensu, non obligentur obligatione voti, sed tantum obligatione legis. Nam obligatio voti debet prouenire ab intrinseco propriæ voluntatis, & proinde non potest contrahi per voluntatem alterius. Vnde respectu ipsorum poterit Episcopus abrogare ieiunium, tanquam illud, quod iure positiuo ipsius impositum est.

An dispensatio concessa ab Episcopo absque causa in ieiunio locali, sit valida.

Decis. 386.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus dispensare potest in ieiunio locali.*
2 *Si dispensat absque causa dispensatio non est valida, si ieiunium sit impositum lege prouinciali.*
3 *In ieiunio ex lege propria etiam diocesana valide dispensat, etiam absque causa.*
4 *An peccet dispensando absque causa.*

1 Quod possit dispensare, constat ex dictis in superioribus. Nam si potest dispensare in ieiunio ex iure communi, à fortiori poterit etiam in ieiunio locali, & si potest abrogare legem synodalem, aut ab ipso latam de ieiunio, multo magis poterit etiam in ipsa dispensare.

2 An autem dispensatio concessa absque causa sit valida, tenendum est, quod si fiat circa ieiunium obligans secundum constitutionem prouincialem, non sit valida. Ratio est, quia inferior, cum non sit supra ius superioris, non potest dispensare absque causa, nam non habet plenam dispositionem supra legem, sed solum tanquam administrator secundum exigentiam boni communis, & ideo non potest relaxare obligationem legis ad libitum, sed solum concurrente aliqua necessitate, vt dictum est supra *Decis. 383. n.6.* cum communi sententia. Episcopus autem est inferior respectu Concilij prouincialis.

3 Quod autem spectat ad dispensationem in lege propria, aut Synodali de ieiunio, tenendum est, quod sit valida, etiam si sit absque causa. Ita generaliter loquendo de omni legislatore docent communiter in materia De legib. præsertim Suarez *lib.6. de legib. c.19. n.6.* Salas *disp.20. sect.4. n.37.* Pontius *lib.8. de matrim. c.14. n.7.* Palaus *p.1. Oper. mor. tr.3. De dispensat. leg. disp.6. punc.8. §.10. n.1.* Sanchez *lib.8. de matrim disp.17. n.24.* & loquens in speciali de ista materia *lib.5. Consil. mor c.1. dub.5. n.22.* Nauar. in *Manuali c.25. n.74.* Vasquez *1.2. disp.178. c.1.* Villalob. *p.1. sum. tr.2. diffic.41. n.5.* Azor. *p.1. lib.5. c.15. q.3.*

Bossius

Bossius *tom* 3.*mor. tit*.21.§ 3.*nu*.106. Cum enim habeat plenam dispositionem supra proprias leges, potest ad libitum obligationem ipsarum relaxare, obligatio enim legis dependet tanquam ab imponente à voluntate legislatoris, & ideo cessat obligare, quos non vuult obligari.

4 An autem peccet dispensando sine causa, eadem est ratio proportionaliter, ac de Pontifice, vt notat etiam Sanchez *lib*.5.*consil.mor. c*.1.*dub* 5 *nu*. 22. & cęteri Doctores supracitati. Vnde iuxta dicta in superioribus tenendum est, quod non peccet, si in dispensando moderatè procedat, & non committat excessum. In hoc enim nullum facit praeiudicium alicui, nec communitati, quia lex ieiunij, vt ibi dictum est, non est posita pro bono communi, sed pro bono particulari cuiuscunque, & alioquin hoc pertinet ad munus Episcopi, vt etiam in dispensationibus gratiosum se ostendat.

An Parochus possit dispensare in ieiunio. *Decis.* 387.

SVMMARIVM.

1 *Parochus potest dispensare in ieiunio absente Episcopo.*
2 *Secundum aliquos non potest dispensare praesente Episcopo.*
3 *Potest dispensare etiam praesente Episcopo.*
4 *Cur possint dispensare, & consuetudo de hoc introducta sit.*
5 *Consuetudo, & praescriptio dat iurisdictionem.*
6 *Qui vices gerit Parochi, potest dispensare in ieiunio.*
7 *Parochus nō potest dispensare in ieiunio sine iusta causa.*
8 *Parochus an propriè dispenset in ieiunio.*

1 QVod possit dispensare absente Episcopo conueniunt omnes Doctores, praesertim infra citandi. Excepto Angelo *verbo* Ieiunium *num*. 20. Palat. *in* 4.*dist*.15. *disp*. 8. *in fine*: qui tamen antea oppositum docuerat. Quia debet esse prouisum fidelibus sufficienter pro omnibus indigentijs, non esset autem prouisum, nisi haberent aliquem praesentem, qui occurrente necessitate posset dispensare in ieiunio, cum vt plurimum huiusmodi necessitas sit improuisa. Quomodo autem intelligatur haec absentia, nimirum, an debeat esse absens etiam Vicarius Episcopi, an non, videtur respondendum, quod debeat esse absens etiam Vicarius, quia debet intelligi non de absentia secundum praesentiam corporalem, sed secundum iurisdictionem: non censetur autem absens, qui relinquit, qui in iurisdictione gerat vicem sui ipsius.

2 Quidam ergo censet, quod Parochus non possit dispensare praesente Episcopo. Ita Graf. *p*.1.*Decis.lib*.2.*c*.37.*n*.17 Gabr. *in* 4.*dist*.16 *q*.3.*ar*.1.*not*.5 Rodriquez *p*.2.*sum.c*.24.*n*.4. Angles *in Florib. q*.5 *de ieiunio diffic*.4.*in fine*. Ledesma 2.*p.sum.tr* 27.*c*.2.*dub*.3.*post* 5.*concl.ver*. *En esta difficultad digo lo primero*. Vega *p*.2.*sum.c*.14 *De ieiunio*.*Casu* 36. Sà *verbo* Ieiunium *num*. 9. Summa Confessor. *lib* 1. *tit*. 12.*q*.28. Fernandez *p*.1. *Exam.theol.mor.praec*.2.*Eccl.c*.7.§ 2.*n*.23. Butrius, & Hostiens. *in c. consil*. De *obseruat.ieiunior*.

3 Alij vero communiter tenent, quod etiam praesente Episcopo possit Parochus dispensare. Ita D.Th. *in* 4.*dist*.15.*q*.3 *ar*.2.*q*.4.*ad* 3 Durand.*q*.10 *nu*. 6.Riccar. *ar*.4.*q*.4 Palat. *disp*.8.*post* 4.*concl*. § *Praesente igitur Episcopo*. Caiet.2.2. *quaest*. 47.*ar*.4 *dub*.1.& 2. *quaest*. 97. *ar*.4. Syluester *verbo* Ieiunium *quaest. dicto* 4. Rosella *num*. 16. Sotus *lib*. 1. *De iust. & iure q* 7.*ar.vlt.circa finem*. Medina *lib*.1.*sum. c*.14.§ 10. Viual. *in Append.ad Candelab.c*.15.*n*.57. Nauar. *in Manual.c*.21.*n*.21. Valent. *tom*.3.*disp*.9.*q*.2.*punc*.2.*in fine*. Azor *p*.1.*lib*.7.*c*.18 *q*.3. Suarez *lib*.6.*De legib.c*.14 *in fine*. Sanchez *lib*.8.*de Matrim.disp*.9. *n*. 27. vbi alios citat. & *lib*.5. *Consil. mor. c*. 1. *dub*.5.*n*.18. Facundez *praecep*.4.*Eccl.lib*.1.*c*.9.*num*.2. Villalob. *p*.1 *sum.tr*.23. *diffic*.4 *n*.21. Molfes. *p*.1 *sum.tr*.10.*c*.4.*n*.52. Victorel. *in Addit. ad* Tolet. *lib*.6.*c*.4.*ver*. *Parochi auctoritas*. Syluius 2.2 *q*.147.*ar*.4 *ver*. *Porro circa causas* Io Sanchez *in select.de Sacram.disp*.54 *n*.36. Trullench. *lib*.3 *in Decal.c*.2.*dub*.7.*n*.18. Bonacina *Disp.vlt.De prac. Eccl.q*. 1.*punc.vlt.n*. 18. Ortiz *c*. 19. *sum prac* 2 *n*.16. Leander *in prac.Eccl.tr* 5.*disp*.10.*q*.11. Mart. à s. Ioseph. *tō*.1 *mor. lib*.2. *tr*.11.*de ieiun.n*.1. Roccaful. *in praxi tr*. 6. *de prac. Eccl.lib* 3 *c*.9 *n*.140. Quorum aliqui dicunt, hoc conuenire Parochis ratione consuetudinis, & ideo illa seclusa, non posse dispensare.

4 Haec posterior sententia mihi certa videtur, nam constat, quod vbique consuetudo viget, quod Parochi dispensent in ieiunio, idque introductum est consentiente etiam Episcopo, quia licet sit praesens, non tamen accessus ad ipsum seu eius Vicarium est ita facilis, praesertim hominibus infimae conditionis, & extra ciuitatem degentibus, vt quando opus est, haberi possit. Imo si esset recurrendum semper ad Episcopum, esset nimis onerosum, & pro ipso Episcopo, qui difficile in his rebus minimis occupari potest, & pro ipsis indigentibus, nam aut ipsi non possunt recurrere, aut non habent quos mittant, aut nimium temporis in hoc consumerent cum ipsorum dispendio. Et ideo valde rationabiliter introductū est, vt Parochi dispēsent.

5 Quia autem consuetudo, & praescriptio dat iurisdictionem ijs, qui sunt capaces ipsius, vt desumitur, ex Cap. *Irrefragabili* § *Excessus*. *De officio ordinandor* & Cap. *Cum contingat*. *De foro compet*. & l. *Viros*. C. De *diuer.offic*. & docent Couarruu. *in Reg. possessor. p* 2. § 3 Molina *tom*.1. *De iust. & iure tr*. 2. *disp*.75 Fachin. *lib*.8 *Controuer. c*.23. Balb. *De praescript. p*. 5. *princip*. 2.*q* 3. Bal. *in l. Imperium*. *n*.10. *ff. De iurisdict. om. iud*. & alij in *l. More*, *l. Imperium*, *l. Et quia ff*. De *iurisdict. om. iud*. & in Cap. *Quoniam*, & cap. *Conquerente*, & Cap. *Cum ab Ecclesiar*. De *officio ordinarij*, & in Cap. *Cum contingat*. De *foro compet*. ideo modo Parochi iurisdictionali modo dispensant in ieiunio, tanquam superiores habentes iurisdictionem spiritualem.

6 Et etiam, qui vices gerunt Parochorum, possunt dispensare in ieiunio, vt notat Io. Sanchez *in selectis de Sacram*.3.*disp*.54 *n*. 36. Sanchez *lib*.5 *consil.c*.1. *dub* 5.*n*.18 Leander *in prac. Eccl. tr*.5. *disp*. 10.*qu*. 12. Martin. à s. Ioseph. *tom*. 1. *mor. lib*. 2. *tract*. 11. *de ieiun. num*. 1. quia sunt veluti Vicarij Parochorum, & exercent actus iurisdictionales parochiales, & proinde tenent etiam facultatem dispensandi in ieiunio, quod intelligi debet, nisi id ipsis à Parocho prohibeatur.

7 Est tamen aduertendum, quod cum non dispen-

pensent in lege propria; sed in lege superioris, siue sit iuris communis, siue diocesana, oportet, vt dispensatio concedatur, ex rationabili causa, alioquin erit inualida, quia non habent facultatem relaxandi legem ad libitum, sed solum vrgente aliqua necessitate, nam hoc est ipsis concessum, vt subueniatur subditis: vnde facultas concessa se extendit solum secundum mensuram indigentiæ.

8 An vero hæc sit propriè dispensatio negant Gabr. *in 4 dist. 16 q. 3. ar. 3. not. 5.* Palat. *dist. 15. disp. 8. in fine.* Angelus *verbo* Ieiunium *n.* 10. Bonac. *de præcep. Eccl. disp. vlt. q. 1. punc. vlt. n.* 17. Quia dispensatio spectat ad iurisdictionem fori externi, quam non habent Parochi. Verum licet non habeant à iure, habent tamen à consuetudine, & præscriptione quoad hanc dispensationem, seu etiam à tacita delegatione, & ideo proprie dispensat, vt sentiunt communiter ceteri Doctores.

An superiores Regularium possint dispensare in ieiunio. Decis. 388.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regularium possunt dispensare in ieiunijs.*
2 *Possunt dispensare ratione iurisdictionis ordinariæ.*
3 *Quid præstet priuilegium dispensandi in ieiunijs concessum prælatis Regularium.*
4 *Vicarij superiorum Regularium localium an possint dispensare in ieiunio.*
5 *Vt possint superiores Regulares dispensare in ieiunio requiritur iusta causa.*
6 *Etiam si dispensent in ieiunijs regula non obligantibus ad mortale.*
7 *Idem valet etiam de Generalibus.*

1 Affirmatiue respondendum est. Et intelligitur non solum de Generalibus, Prouincialibus, sed etiam de superioribus localibus. Et non solum de ieiunijs Ecclesiæ sed etiam de ieiunijs regulæ, etiam si obligent sub mortali. Ita Caiet. 2.2 q. 147. ar. 4. §. *Ad hoc dicitur, quod dispensare.* & *in sum. verbo* Ieiunium *c. 3. in fine.* Syluester *verbo* Ieiunium *q. 7. n. 20. circa finem.* Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 10.* Nauar. *in Manuali c. 21. n. 21.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8 post 4. concl.* ver. *Præsente igitur Episcopo.* Angles *in Florib. q. 5. de ieiunio. diffic. 3.* Ledesma *2. p. 4. q. 17. ar. 3.* ver. *In oppositum autem.* Azor. *p. 1. lib. 7. c. 18. q. 6.* Ortiz *c. 19. sum. præc. 2. n. 16.* Ledesma alter *2. p. sum. tr. 27. c. 2. dub. 3. post 5. concl.* ver. *En esta difficultad. digo lo primero.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 24. n. 4.* Villalob. *p. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 23.* Miranda *tom. 2. Manual. q. 10. ar. 11. conclus. 2.* Facundez *præc. 4. Eccl. lib. 1. c. 9. n. 5.* Hieronim. Rodriquez *in compend. q. Regul. Resol. 75. num. 2.* Molfes. *p. 1. sum. tr. 10 c. 4. n. 52.* Syluius *2. 2. q. 147. ar. 4.* ver. *Porro circa causas.* Fernandez *p. 2. Exam. theol. mor. c. 8. §. 2. n. 23.* Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 5. n. 19.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 18. in fine.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *num.* 10. Reginal. *lib. 4. Praxis fori pœnit. n. 225.* Graf. *p. 1. Decis. lib. 2. c. 37. n. 56.* Tamburin. *De iure Abbat. tom. 2. disp. 12. q. 5. n. 1.* Bordonus *in Consil. Regul. Resol. 18. nu. 7.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. § 3 n* 149. Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 10 q. 13.* Martin à s. Ioseph *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 9. de ieiun. n. 1.* Leander à Murcia *in Cap. 3. Reg. s. Francis. q. 7. n. 6.*

2 Ratio est, quia sunt Prælati ordinarij suorum subditorum, & proinde habent iurisdictionem spiritualem circa ipsos, & spectat ad ipsos eos dirigere in ijs, quæ spectant ad animam; & ideo debent habere sufficientem facultatem pro munere proprio quod non saluaretur, nisi possent dispensare in ieiunio, nam non possent prouidere in necessarijs suis subditis.

3 Vnde priuilegium, quod Eugenius IV. concessit Fratribus ordinis D. Hieronimi, *quod nimirum* Prælati possint dispensare in ieiunijs *Ecclesiæ* proprios subditos, cuius meminit Tamburinus *citatus*, non confert ipsis aliquam nouam iurisdictionem, sed est potius quædam declaratio iurisdictionis, quam habent. Quatenus tamen concedit, quod dispensare possint sine consilio Medici, remittit iudicio ipsorum ponderationem causæ, quod tamen neque videtur aliquid de nouo concedi.

4 Hoc autem extenditur etiam ad Vicarios superiorum localium secundum Doctores supracitatos sed in ipsorum absentia, vt inter alios notant Sanchez, Villalobos, & Bordonus Leander *in præc. Eccl. tr. 5. disp. 10. q.* 14. Martin à s. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 6. de ieiun. n.* 1. Trahuntur enim Vicarij ad administrationem iurisdictionis superiorum localium & proinde gerunt vices ipsorum, & ideo etiam in præsentia eorumdem, si modo hoc eis indulgeant, poterunt dispensare; quia cum in administranda iurisdictione dependeant ab ipsis, possunt illis præscribere quoscunque terminos voluerint, & concedere, vt etiam in præsentia ipsorum administrent, vt contingit in Vicarijs Episcopalibus.

5 Quod autem dictum est de Episcopis, & Parochis, procedit etiam de superioribus Regularibus, vt nimirum non possint dispensare sine rationabili causa, vt notant Doctores supracitati, præsertim Tamburinus *n. 2. citata quæst.* Leander *qu.* 15. Leander à Murcia *in Cap. 3. Regul. s. Francis. q. 7. n. 9.* Cum enim agatur de dispensatione in lege superioris requiritur aliqua necessitas ex parte subditorum, vt dispensatio rationabiliter procedat, alioquin irrita esset, & nullius valoris.

6 Et hoc non solum valet de ieiunijs obligantibus sub mortali, sed etiam de ieiunijs obligantibus ex sola regula sub nullo peccato. Nam adhuc lex de ieiunio est lex superioris nempe Capituli Generalis, à quo regula aut facta est, aut acceptata, & proposita omnibus seruanda. Superiores autem Regulares tenentur administrare religionem secundum regulam, & pertinet ad ipsorum munus promouere obseruantiam illius: vnde si dispensarent absq; causa peccarent contra munus proprium, & essent dissipatores regulæ, non promotores.

7 Quod de Generalibus quoque intelligendum est, nam & ipsi tenentur administrare religionem secundum regulam: & sicut non habent facultatem condendi leges, ita nec etiam abrogandi, & per consequens nec etiam relaxandi obligationem legis absque causa; & ideo dispensatio concessa absque causa nulla erit defectu potestatis: & non esset dispensatio, sed destructio Regulæ. Et hoc procedit

cedit in dispensatione in quacunque lege, & statuto. Vnde debent mature considerare, antequam concedant dispensationes, & non nisi ex vrgenti causa id facere, nedum erga subditos beneuolos se ostendere affectant dissipatores Regulæ sint.

An Confessarius possit dispensare in ieiunio. Decis. 389.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius secundum aliquos potest dispensare in ieiunio.*
2 *Non potest dispensare.*
3 *Potest declarare, an causa sit sufficiens, vt eximat ab obligatione ieiunandi.*
4 *Medicus non potest dispensare in ieiunio, sed solum declarare, quod non obliget, sicut & quilibet prudens vir.*

1 QVod possit Confessarius dispensare tenet Rosella *verbo* Ieiunium. *n.*26. quando tamen nō potest adiri Parochus, & sequitur Palatius *in 4. dist.* 15. *disput.* 8. *post 4. conclus.* ver. *Præsente igitur Episcopo*; sed limitat ad confessarium, qui eligitur per Bullam Cruciatæ, quia tunc est proprius sacerdos.

2 Sed tenendum est, non posse dispensare, nisi ad hoc deputetur ab habente facultatem dispensandi. Ita Azor. *p.*1. *lib.*7. *c.*18*: qu.*5. Angelus *verbo* Ieiunium *n.*19. Syluester *q.*7. *n.*20. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.* 9. *n.*27. & *lib.*5. *consil. mor. c.*1. *dub.*5. *nu.*18. *in fine* & *n.*29. Molfes *p.* 1. *sum. tr.*18. *c.*4. *n.*52. Facundez *præc.*4. *Eccl. lib.*1. *c.*9. *n.*3. Trullench. *lib.*3. *in Decal. c.*2. *dub.*7. *n.*18. *in fine*. Vega *p.*1. *sum. c.*14. *de ieiunio. Casu* 36. *circa finem*. Tolet. *lib.*6. *sum. c.*4. *n.*5. Bonacina *disp. vlt. de præc. Eccl. q.*1. *punc. vlt. n.*18. Ortiz *c.*19 *sum. n.*16. Bossius *tom.*3. *mor. tit.*21. §.3. *n.*153. Leander *in præc. Eccl. tr.*5. *disp.*10. *q.*16. Ratio est, quia dispensatio in ieiunio est actus iurisdictionis in foro exteriori, Confessarius autem non habet iurisdictionem in foro exteriori.

3 Poterit tamen Confessarius, vt notant Doctores citati, & insuper Angles *in Florib. q.*5. *de ieiunio in dub. post 4. diffic. propos.*2. Gabriel. *in 4. dist.*16. *q.*3. *ar.*1. *notab.*5. declarare, an causa sit sufficiens ad non ieiunandum, & hoc pacto interpretari legem, quod tunc non obliget; quia iam consuetudo interpretatur legem ieiunij, quod non obliget ex rationabili causa. Vnde habentes iurisdictionem possunt aliquid amplius præstare, nam existente causa dubia apud ipsos quoque, possunt dispensare.

4 Idem dicendum est de Medico cum supracitatis Doctoribus, & de quocunque viro prudenti, quod nimirum non possint dispensare, cum non habeant iurisdictionem spiritualem in foro exteriori, sed solum possint declarare, an causa sit, sufficiens, an non. Siquidem hoc spectat ad iudicium prudentiale.

An dispensatio facta ab inferiori supra ieiunio obligante ex lege superioris sit vera dispensatio, an sola declaratio. Decis. 390.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio facta ab inferiori in lege superioris non est vera dispensatio.*
2 *Est vera dispensatio.*
3 *Quid sit dispensatio, & an actus iurisdictionis.*
4 *Inferior ex præsumpta voluntate superioris habet iurisdictionem relaxandi obligationem legis ipsius.*

1 NON esse veram dispensationem, sed tantum declarationem, quod in tali casu præceptum ieiunij non obliget, docent Angles *in Florib. q.*5. *de ieiunio diffic.*3. Ledesma 2. *p. sum. tr.*27. *c.*2. *dub.*3. *post* 5. *conclus.* ver. *En esta difficultad digo lo primero*. Vega *p.*1. *sum. c.*14 *de ieiunio. Casu* 36. Quia nimirum inferior, sicut non potest reuocare legem superioris, ita nec in ipsa dispensare.

2 Sed esse veram dispensationem, tenendum est, vt docent Rodriquez *p.*1. *sum. c.*24. *n.*4. Tolet. *lib.*6. *sum. c.*4. *n.*5. Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.*9. *n.* 27. Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.*54. *n.*37. & alij citati in superioribus Decisionibus, qui accipiunt dispensationem secundum veram substantiam dispensationis. Et sequitur Leander *in præcep. Eccles. tract.*5. *disp.*10. *q.*20.

3 Ratio est; quia, licet dispensatio sit relaxatio obligationis ex lege: vt desumitur ex Cap. *Necessaria*. Cap. *Dispensationes*. Cap. *Tanta*. Cap. *Si qui* 1. *q.* 7. Et proinde sit actus iurisdictionis, siquidem ligare, & soluere pertinet ad iurisdictionem. Et inferiores, sicuti non habent iurisdictionem in superiores, ita nec possint eam exercere contra ipsorum leges. Attamen ex præsumpta voluntate ipsorum possunt leges relaxare, quia tunc censetur ipsis hoc concessum, & attributa sufficiens iurisdictio; vnde etiam possent reuocare; si hoc à legislatoribus concederetur.

4 Hoc autem contingit in lege ieiunij, nam adest præsumpta voluntas superioris, quod relaxetur, quando prudenter iudicabunt, esse relaxandam. Nam tunc habetur talis præsumpta voluntas, quando est necessaria, & tunc est necessaria quando lex est talis, vt frequenter opus sit relaxatione, & ideo necessaria est facultas obuia relaxandi, cum non possit semper recurri ad superiorem, hoc enim exigitur à prouidentia, quia sufficienter bono, & commodo subditorum prouidendum est.

An Abbatissa, & aliæ superiores Monialium possint dispensare in ieiunia.

Decis. 391.

SVMMARIVM.

1 *Abbatissa potest dispensare Moniales in ieiunio secundum Henriquez*

2 *Non potest.*

2 *Iurisdictio spiritualis non competit fœminis.*

3 *Abbatissa potest declarare, quod Moniales non teneantur ad ieiunium.*

1 Affirmat Henriquez *lib.6.sum.c.2 n.3.* quia videlicet id habet ex commissione Prælati, cum sit necessarium pro bona gubernatione.

2 Sed tenendum est, non posse dispensare, vt docent Sanchez *lib.6.in Decal.c.1.n.14.* Io. Sanchez *in selectis de Sacram.disp.54. n.37. in fine.* Portel. *in Dubijs regularibus verbo* Abbatissa *n.3.* Barbosa *lib.1. De iure Eccles. c.45.n.39.* Bartolom.à S. Fausto *lib.6. Thesauri Relig. q.86.in vlt.edit.Neapolit.* Tamburin. *De iure Abbatis disp.32. q.10.* Lezana *in sum.verbo* Abbatissa *n.14.* & *tom.1. q. Regularib.c.26.n.8.* Leander *in prac.Eccl. tr.5.disp.10.q.18.* quia nimirum non habent iurisdictionem spiritualem ratione sexus; fœmina enim est incapax talis iurisdictionis, vt desumitur ex Cap.*Noua.De pœnit.& remissione.*& constat ex praxi Ecclesiæ; ad dispensandum autem in ieiunio requiritur iurisdictio spiritualis.

3 Poterit ergo solum tanquam illa, ad quam pertinet directio Monialium, declarare, quando Moniales obligentur, & quando non obligentur vtendo in hoc iudicio prudentiali, vt notat etiam Io. Sanchez, & Lezana *citati.* Et in hoc sensu est accipiendum priuilegium concessum à Paulo III. Abbatissæ s. Claræ. De quo Rodriquez *in Collect. Bullar.*vt notat Portel. *citatus:* vnde solum confert ad sedandos scrupulos. Sequitur Leander loco citato *qu. sequen.*

An peccet vtens dispensatione in ieiunio concessa absque causa, valide tamen ab eo, qui potest legem abrogare.

Decis. 392.

SVMMARIVM.

1 *Vtens dispensatione valide, sed sine causa concessa à superiore in propria lege, peccat.*

2 *Secundum aliquos peccat mortaliter, secundum alios tantum venialiter.*

3 *Nullo Modo peccat nec mortaliter,nec venialiter.*

5 *Valide dispensatus non subiacet obligationi legis.*

5 *Ius naturale non dictat, esse turpe, partem non congruere cum suo toto, imo dictat oppositum, quando adest rationabilis causa.*

1 Affirmatiue respondent quàm plures tam ex canonistis, quam ex Summistis, & Theologis. Ita Abbas *in Cap. De multa. n.20. De præbendis, & in Cap. Cum ad eos. De rescriptis,* & *in Cap. Non est nu.8. De voto.* Felin. *in Cap. Quæ in Eccl. n.25. De constit.*Aditionator ad Io. Andr.*in cap. cum ad monasterium. in fine. De statu Monach.* Gambar. *De auctorit. Legati lib.10. n.161. & 374.* Io. Andr. *in cap. Quia in tantū.De præbendis.*Rebuf.*in Praxi benef.Tit.De dispens. ad plura benef.n.55.*Couar.*4. Decret.p.2.c.6.§.9.n.7.&* 8.Nauar.*in ManualiPrælud.9.n.14.*Azor *p.1.lib.5.c.15 q.3.in fine.*Caiet.*1.2.q.96 ar.5.in fine.*Corduba *in q.lib.4 q.8.*Sotus *lib.1.De iust.& iure q.7.ar. 2.post init.* Rodriquez *in q. Regul.q.96.ar.5.* & *p.1.sum.c.24.n.5.*& *c.235.n.1.* Lopez *1.p.instruct.c.4.*ver.*Sexto superaddimus* Filliuc.*tr.10.c.10.n.114.*Villalob. *p.1.sum.tr.2.diffic.41.n.7.*Laiman. *lib.1 theol.mor.tr 4.c.21.n.13.* Bossius *tom.3.mor.tit.21. §.3. n.119.* Leander *in prac. Eccl. tr.5.disp.10.q.26.* Philiar. *tom.1.de offic. Sacer.p.2. lib. 3. c.4.ver.Altera difficultas.* Valent.*tom.3. disp.7.q.5. pun..9.in fine.*Sanchez *lib.8.disp.18.de matrim.nu.11.& 12.lib.5.Consil.mor.c.1.dub.5.n.11. & 12.* Ledesma *1.p.4.q.17.ar.3.ver.In oppositum.*Trullench.*lib.3.in Decal.c.2 dub.7.n.18.*

2 An autem peccet mortaliter, an vero venialiter non conueniunt hi Doctores: nam aliqui volunt peccare mortaliter. Alij vero vt Sotus, Nauar. Couarru. Corduba, Philiar, Valentia, Sanchez, Rodriquez, Trullench. volunt peccare solum venialiter quia non est grauis iniuria quod pars non se conformet cum suo toto.

3 Sed tenendum est,quod nullo modo peccet, nec mortaliter, nec venialiter. Ita Ancharan. *in cap Non est in fine. De voto.* & *in c. Cum ad monasterium n.25.De statu Monach.*Gigas *De pension.q.6.n.3.* Syluester *verbo* Dispensatio *q.3 n.5.* Angelus *n.3.* Medina *lib.1.c.14.§ 10* Summa Corona *c.1.De dignoscend. peccatis. n.3.* Ledesma *2.p.sum. tr.27.c.2.dub.3.post.5. conclus. diffic.2. ver. A esta difficultad. digo lo primero.* Arragon. *2.2.q 89. ar.9.* Palat.*in 4.dist.15.disp.8.post 4.concl. ver.Quamuis is.* Vinal. *in append. ad Candelab. c.12.n.8.* Vasquez *1.2.disp.178.c 4.*Pontius lib. 8 de *matrim. c.14 n.5.* Suarez *lib.9. de legib. c.19.n.14.* Salas *disp.20. sect.6.n.6.* qui etiam alios citat. Palaus *p.1 Oper.mor.tr.3.De dispensat.legis disp.6.punc.8.§.1.num.8.* Diana *p.1.tr.10 De legib. Resol. 35.in fine.* Nauar *c.12. Manual.n.57.* Brunor. *in suo Compend.* verbo. *Papa.*

4 Ratio est. Quia stante dispensationis validitate, dispensatus non amplius subiacet obligationi legis, proinde est in eodem statu, ac si non adesset lex; tunc autem non peccaret non seruando legem, & consequenter nec posita lege, & ablata obligatione respectu ipsius.

5 Dices. Peccare contra legem naturalem, quia ius naturæ dictat, esse indecens, partem non congruere cum suo toto. Contra. Nam hoc dictamen iuris naturæ est fictitium, cum sublata lege non adsit obligatio, quod omnes conueniant in ijsdem actionibus; imo etiam si omnes conueniant, & vnus, aut alter cum illis non concordet, non peccat, vt si quis non concurret in recitanda salutatione angelica, hic enim non peccat. Deinde est

tur-

turpe, partem non congruere cum suo toto, quando tenetur congruere, quia tunc habet carentiam debiti ordinis. Qui autem est dispensatus, cum non obligetur à lege, non tenetur congruere. Imo ius naturale dictat oppositum; dicat enim, quod, qui habent rationabilem causam non ieiunandi, & non conformandi se cum suo toto, non debeant se conformare. Dispensatus autem habet rationabilem causam non se conformandi, vt nimirum seruet suam libertatem concessam à legislatore: Vnde licet honestum sit, partem congruere cum toto, non est tamen necessarium.

An vtens dispensatione in ieiunio, inualide concessa, peccet,
Decis. 393.

SVMMARIVM.

1 *Qomodo vtens dispensatione in ieiunio inualida peccet.*
2 *Dispensatio inualida relinquit dispensatum in eodem statu obligationis.*
3 *Etiamsi fiat ab eo, qui potest sine causa dispensare, & ideo vtens peccat.*
4 *Bona fides excusat vtentem dispensatione inualida.*

1 RESpondetur. Peccare contra legem mortaliter, vel venialiter iuxta grauitatem materię, & violationis ieiunij eodem pacto, ac si nulla adesset dispensatio. Ita omnes Doctores non solum pro priori sententia Decis. *praecedenti n.1.* citati, sed etiam citati pro posteriori sententia in *n.3.* quia in tantum dicunt, non peccare, quando dispensatio est valida, in quantum tollit obligationem. Et sequitur Ledesma 2. *p. sum. tr.27. c.2. dub.3. post 5. conclus. diffic. 2.* ver. *Digo lo segundo.* & sequent. Sanch. *lib.5. Consil. mor. 1 dub.5. n.24.* Leander *in prac. Eccl. tr.5. disp.10. q.27.*

2 Ratio manifesta est, quia dispensatio inualida non tollit obligationem legis; ideo enim est inualida, quia non habet vigorem ad tollendam obligationem; vnde relinquit dispensatum in eodem statu obligationis, ac erat prius, & ideo eodem modo peccabit contra legem, si vtatur dispensatione.

3 Et hoc valet, vt notat idem Ledesma *loco citato*, etiam si dispensans possit absque causa dispensare, quia nimirum dispensat in propria lege. Nam si explicetur causa pro obtinenda dispensatione, quæ re vera non adsit, dispensatio subreptitia est, & præter intentionem concedentis, & proinde non habet validitatem, & relinquit obligationem legis.

4 Excusari tamen posset vtens tali dispensatione ex bona fide; si nimirum putaret, esse veram dispensationem, & tollere obligationem legis: nam tunc non faceret formaliter, & ex intentione contra legem.

An possit quis vti dispensatione, quando dubitatur de iustitia causæ, ob quam est concessa, & consequenter de validitate dispensationis.
Decis. 394.

SVMMARIVM.

1 *Stante dubio de iustitia causæ, & validitate dispensationis in ieiunio licitum est vti dispensatione.*
2 *Semper præsumendum est in dubio pro Principe, & Superiore.*
3 *In dubio fauendum est actui, & saluanda validitas ipsius.*

1 RESp. in dubio de iustitia causæ, ob quam est concessa dispensatio, atque adeo de validitate ipsius, licitum esse vti dispensatione. Ita Bar. post Dynum *in l. fin. C. Si contra ius, vel vtil. pub.* Fortun. *in l. Gallus. §. Et quid ff. De lib. & posth.* Ias. *Consil. 105. nu. 4. vol.1.* Felin. *in Cap. Quæ in Ecclesiarum n.60. De constitution.* Decius *n.29.* Couaruu. *4. Decret. p.2. c.6. §.9. n.9.* qui citat Ferdinandum Loazes *tr. De matrim. dub.4. n.13.* afferentem plures alios Doctores. Sanchez *lib 5. consil. mor. c.1. dub.5. n.10.* Palat. *in 4. dist.15. disp.8. post 4. conclus. §. At propter reuerentiam.* Sanctarel. *tom.1. Variar. resol. q.59. n.1.* Diana *p.4. tr.3. Resol. 45.* Trullench. *lib 3 in Decal. c.2. dub.7. n.18.* salas *disp. 20. de legib. sect. 5. n. 63* Bossius *tom.3. moral. tit. 21. §. 13 n. 114* Leander *in pracep. Eccl. tr 5. disp. 10 q.27.* Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. moral. lib. 2, tr.11. nu. 4.* & alij præsertim Glos. *in Cap. Ad aures. De tempor. ordinand.* & *in Cap. 2 de Maiorit. & obedient.*

2 Ratio est, quia nisi oppositum constet, semper præsumendum est pro Principe, & Superiori, ex Cap. *Si quid culpatur 23. qu. 1.* & cap. *In præsentia De renunciat.* & ideo, quando dubitatur, an valide dispensauerit, præsumendum est de validitate, & quod Princeps, aut Superior recte expenderit rem totam & ex iusta ratione dispensauerit.

4 Deinde in dubio fauendum est actui, ita vt saluetur validitas ipsius, nisi de opposito constet ex *l. Quoties ff. De rebus dubijs*, & ex cap. *Abbate. De verbor. significat.* Quia nullitas malum quoddam est, quod semper vitari debet, quantum potest non secus; ac natura euitat vacuum. Vnde stante dubietate de dispensatione, præsumi debet semper de validitate ipsius.

An stante bona fide Prælati, seu superioris in dispensando in ieiunio, prosit dispensatio, & licitum sit illa vti.
Decis. 395.

SVMMARIVM.

1 *Stante bona fide dispensantis in ieiunio, dispensatio prodest.*

2 Fa-

2 *Facta dispensatione in ieiunio à superiori in propria lege bona fide, si causa reperiatur insufficiens, adhuc dispensatio durat.*
3 *Secus autem, si dispensatio sit in lege superioris.*
4 *Dispensatio an subsistat reperta causa iniusta.*

1 RESP. Superiores dispensantes in ieiunio bona fide putantes adesse causam iustam, non peccare, etiam si dispensatio sit in lege superioris. Ita Azor. *p.1.lib.7.c.18. q.6.* Sanchez *lib. 5.Consil.mor.c.1.dub.6.n.1.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp.54.n.39.* Reginal. *lib.4. Praxis fori pœnit. nu. 226.* Tamburin. *tom.2. de Iure Abbat. disp.12. qu.5. num.2.* Diana *p.1.tr.10. De legib. Resol.33.* Bossius *tom.3. mor. tit.21.§.3.n.144.* Martin. à S. Ioseph. *tom.1. mor. lib.2. tr.11. de ieiun. n.2.* Roccaful. *in praxi tr.6. de praec. Eccl. lib.3.c.9.n.143.* Leander à Murcia *in cap.3. Regul. S. Francis. q.8. n.1.* Cum enim putet, adesse causam sufficientem dispensandi, dum dispensat, rationabiliter procedit, atque adeo valide dispensat, quia vtitur potestate secundum regulas rectæ rationis & potest dispensatus vti dispensatione.

2 Sed difficultas est, quid dicendum, si dispensatus cum bona fide, inueniat, causam non fuisse sufficientem. Resp. Si dispensatio sit facta à superiore in propria lege, remanere adhuc liberum ab obligatione legis, quia iam est relaxata ab eo, qui potest illam relaxare etiam absque causa. Vnde, licet relaxet ex causa exposita, quia relaxat secundum mensuram suæ potestatis, absolute relaxat, ita vt relaxatio non dependeat à causa, & proinde duret, etiamsi postea causa appareat falsa. Et eodem pacto res se habet, ac si existente vera causa tempore dispensationis, postea cesset, in quo causa non conualidatur, neque conualescit obligatio legis, sed remanet extincta; vt notat etiam Sanchez *lib. 5. consil.mor.c.1.dub.5.n.15. circa finem.* Hoc autem solum procedit, quando dispensatio absolute tollit obligationem legis pro quocunque tempore; nam si tolleret taxatiuè ad durationem causæ, statim ac causa reperiretur non subsistere, cessaret dispensatio.

3 Si vero dispensatio sit facta in lege superioris quando causa cognoscitur falsa, cessat etiam dispensatio, contra Dianam *p.1.tr.10. De legib. Resol. 33. in fine.* Ratio est, quia inferior non habet facultatem dispensandi in lege superioris, nisi existente causa: & proinde causa est fundamentum dispensationis, corruente autem fundamento corruit dispensatio, quia iam apparet tunc defectus iurisdictionis, quando reperitur, causam non fuisse sufficientem. Quando autem constat de defectu iurisdictionis, actus habetur pro nullo, etiam si antea præsumeretur validus.

4 Hoc autem debet intelligi, quando dispensatio habet tractum successiuum, quia tunc, cum debeat continuari in esse dispensationis vt possit extinguere obligationem legis successiuè superuenientem nisi subsistat fundamentum, seu causa, neq; etiam ipsa continuari potest. Si verò non habeat tractum successiuum, vt est dispensatio voti, quæ vnico actu perficitur, non cessat dispensatio tanquam iam consumata, & quia dependet tantum in fieri, non autem in esse à causa. Et in hoc sensu accipiendus est Bossius *tom.1. mor.tit.1.n.1681.* dum docet reperta causa iniusta, adhuc subsistere dispensationem; aliàs eius doctrina non subsisteret.

An stante causa dubia possit Prælatus dispensare in ieiunio. Decis. 396.

SVMMARIVM.

1 *Stante causa dubia potest superior dispensare in ieiunio.*
2 *Dispensatio debet aliquid operari.*
3 *Si dubium sit, an causa sufficiat pro dispensatione, quid agendum.*
3 *An tunc locum habeat aliqua commutatio.*
4 *Superior in tali casu potest dispensare in lege propria:*
5 *Potest etiam in lege superioris.*
6 *Superiores debent se faciles præbere subditis petentibus dispensationem.*
7 *Potest quisque stare iudicio Medici, aut Confessarij.*

1 AFfirmatiue resp. D. Th. *2.2.qu. 147. ar.4. in Corpore.* Caiet. *ibi. 1.* Nauar. *c. 21. Manual. n.20.* D. Antonin. *2.p.tit.6.cap.1.§.6.* Syluester *verbo* Ieiunium *nu.10. inst.* asserens de communi. Rosella *n.19.* Tabiena *q. 18.* Azor. *p.1.lib.7.c.18.q.6. in fine.* Armilla *verbo* Ieiunium *n.6* Sanchez *lib.5. consil.mor.c.1.dub.6.n.2.* Tolet. *lib.6. sum.c.4.n.5.* Vega *p.1. sum. c.14. De ieiunio. Casu 36.* Filliucius *tr. 27. p.2. c. 7. q.10. n.128.* Facundez *prac.4. Eccl. lib.1.c.9.n.3.* Trullench. *lib.3. in Decal.c.2 dub.7.n.19.* Tamburin. *tom.2. de Iure Abbat. disp.12.q. 7.n.2.* Ledesma *2 p.4.q.17.ar.3. ver. In oppositum autem.* Gabr. *in 4.dist.16 q.3.ar.1 notab.5.* Laiman. *lib. 4.t.8.c.3.n.8.* Villalob. *p.1.tr.23.diffic.4.n.21.* Bossius *tom.3.mor.tit.21.§.3 n.140.* Leander *in prac.Eccl.tr.5. disp.10.q.21.* Martin. à s. Ioseph. *tom.1.mor. lib.2.tr. 11. de ieiun.n.3.* Leander à Murcia *in c.3. Regul.s.Francisci q 8.n.2.*

2 Et hoc mihi indubitatum videtur, quando dubium est, an causa sufficiat ad soluendum ieiunium, nam dispensatio debet aliquid operari, nihil autem operaretur, si requireretur causa certa, nam tunc absque dispensatione cessat obligatio legis, vt infra dicemus. Dispensatio ergo, cum relaxet obligationem legis, debet præsupponi, quod adhuc stante illa causa, duret.

3 Sed difficultas maior est, an possit tunc superior dispensare, quando dubium est, an causa sufficiat pro dispensatione. Ad quod respondet Nauar. *in Manuali c.21 num.22.* Medina *lib.1. sum.c.14.§.10.* Sanchez *lib.5. consil. mor. c.1 dub.5. n.26.* Trullench. *lib.3 in Decal.c.2.dub.7.n.19.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *n.10.* Quod tunc debet Prælatus, seu superior partim dispensare, partim commutare in aliud opus bonum. Et de commutatione loquendo nulla potest esse difficultas, quia hæc habet locum etiam, quando certum est, non adesse causam sufficientem pro dispensatione. Si loquamur de ieiunio cuius præceptum est sub dispositione Prælati At si ieiunium sit positum à Superiore, non videtur quod

quod inferior possit supplere causam dispensationis iniungendo aliquod onus, vt notat idem Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 14. n. 2.* Palaus *p. 1. oper. mor. tr. 3. disp. 6. punc. 9. n. 14.* Quia si causa admittit dispensationem, debet purè dispensare; si verò non admittit, cessat facultas dispensandi. Nec ex eo, quod conceditur facultas dispensandi, conceditur facultas commutandi, cum hæc sit diuersa, cum dicat posse commutare materiam legis in aliam materiam.

4 Loquendo autem de dispensatione mihi dicendum videtur, quod, si superior dispensat in propria lege, potest dispensare, quando dubium est an causa sufficiat pro dispensatione. Quia si potest in propria lege dispensare absque causa, à fortiori poterit dispensare etiam, quando dubitatur, an causa sufficiat pro dispensatione.

5 Si vero dispensandum sit in lege superioris, adhuc poterit dispensare. Nam stante dubio de sufficientia causæ, est etiam dubium, an possint dispensare, cum autem sit in possessione dispensatiuæ potestatis, & in dubijs fauendum sit possessori dicendum est, quod tunc quoque habeat potestatem atque adeo dispensare possit. Sequuntur Quintaduen. *de iubil. c. 8 n. 15.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 23.* Leander à Murcia *in c. 3 Reg. s. Francis. q. 7. num. 10.*

6 Demum debent Prælati, & superiores faciles se præbere cum ijs, qui petunt dispensationem in ieiunio, nec eos relinquere propriæ ipsorum conscientiæ, vt docent Caiet. *2. 2. q. 147. ar. 4 dub 1* Azor. *p. 1. lib. 7 c. 18 q. 6 in fine.* Ledesma *2. p. sum. tr. 27 c. 2. dub. 3 post 5 conclus. diffic. 1 in fine.* Rodriquez *p. 1. sum c. 24. n. 4. in fine.* Villalobos *p. 1 sum. tr. 23. diffic. 4 num 23. in fine.* Tamburin. *De iure Abbat. tom. 1. disp. 12. q. 7. nu. 3.* Fernandez *p. 2. Exam. Theol. mor. c. 8 §. 2.* Graf. *p. 1. Decis. lib. 2. c 36. n. 52* Leander *in prac. Eccl. tr. 5 disp 10 qu. 23.* Leander à Murcia *n. praced.* citat. *n. 12.* & cęteri Doctores *n. 3 citati.*

7 Ex dictis colligitur cum Sanchez, Facundez citatis *n. 1.* Azorio cit. *n. praced.* Reginal. *lib. 4. praxis fori pœnit. n. 222.* Bossius *tom. 3 mor. tit. 21. §. 3. n. 145.* Quod si Confessarius, vel Medicus declaret, aliquem esse solutum à ieiunio, aut posse edere carnes, quamuis causa non esset legitima, dispensatus esset tutus in conscientia, quamuis dubitaret de causa, quia potest prudenter se illorum iudicio accomodare, vnde potest formare conscientiam probabilem quod sit absolutus à ieiunio, aut cibis vetitis.

8 Colligitur 2. cum Reginal. *lib. 4. Praxis nu 223.* Filliucio *tr. 27. c 6 n. 128.* Bonac. *disp vlt de prae. Eccl. q. 1 punc. vlt. n 15.* Sanchez *lib. 5. consil. c. 1. dub 5. nu. 25.* Bossio cum alijs, quos citat *tom. 3 mor. tit. 21. §. 3. nu. 158.* Stante dubio suspensiuo, an causa sit sufficiens ad soluendum ieiunium, non posse solui sine dispensatione; nam stante tali dubio non potest formari conscientia, quod liceat soluere: vnde soluens operaretur cum conscientia dubia, & peccaret.

An, quando adest iusta causa, teneatur Prælatus, aut alius superior dispensare in ieiunio. Decis. 397.

SVMMARIVM.

1 *Quando adest iusta causa dispensandi, tenetur superior secundum aliquos dispensare.*
2 *Secundum alios non semper tenetur, sed solum quando negari non potest sine præiudicio.*
3 *Superior tenetur dispensare in ieiunio, quando causa de se soluit obligationem legis.*
4 *Secus autem, quando causa est dubia.*
5 *Nisi tamen adsit periculum violationis ieiunij.*
5 *Superior in spirituali tenetur impedire peccata subditorum.*
6 *Dispensatio in lege, quando sit gratia.*
7 *Redeunte causa an reuiuiscat dispensatio.*

1 ALiqui vniuersaliter loquendo de dispensatione, affirmatiuè respondent. Ita Glos. *in Cap. Domino sancto, verbo* Necesse. *Dist. 50.* Rebuf. *in Repet. in Cap. Postulastis. nu. 3. n. 12.* Rosella verbo Dispensatio *n. 4.* Armilla *nu. 14* Syluester *q. 1. in fine.* Sà *nu. 2.* Io Sanchez *in selectis de Sacram. disp. 43. n. 8. §. Praterea*, & alij apud Sanchez *citand.* Quia nimirum ratione sui muneris tenetur ex iustitia exercere iurisdictionem in commodum subditorum, & reddere vnicuique, quod debitum est tam quò ad obligationem, quam quò ad exemptionem, & proinde debet etiam exercere iurisdictionem dispensatiuam, quando petitur dispensatio ex rationabili causa, alioquin peccabit contra proprium munus.

2 Alij tamen docent, non teneri Prælatum ad dispensandum quoties adest rationabilis causa, sed solum, quando, sine graui præiudicio boni communis, aut particularis negari non potest. Ita Glos. *in Cap. Exigunt, init. 1 q. 7.* Abbas *in Cap. Consil. n. 4. De obseruat. ieiunior.* Archidiacon. *in Cap. Licet n. 6. ver. Gratiam. De elect. in 6. & in Cap. Vt constitueretur. Dist. 50* Turrecrem. *n. 9. & 10* Decius *in Cap. Ad si Clerici. nu. 163. De iudicijs.* Felin. *ibid. n. 15.* Dominicus *in dictum Cap. Licet §. Super residentia n. 3. De electione in 6.* Francus *ibid. §. Is etiam n. 2 ver. Secundo infertur.* Sanchez *lib. 3. De matrim. Disp. 10. n. 3.* Suarez *lib. 6. De legib. c. 18. n. 22.* Salas *disp. 20. De legib. sect. 7. n. 7.* Ponrius *lib. 8. de matrim. c. 14. n. 6* Palaus *p. 1. Oper. mor. tr. 3 De dispensat. legis disp. 6. punc. 8. §. 2. n. 9.* Bossius *tom. 3. mor. tit. 21. §. 3 n. 168* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 24.* Quia nimirum nec ex præcepto positiuo tenetur dispensare, cum nullum adsit, nec etiam ex præcepto naturali, cum nec ex iustitia, nec ex charitate ad id teneatur seclusa vrgenti necessitate dispensationis.

3 Sed loquendo in particulari de dispensatione in ieiunio existimo, quod tunc sit debita, quando causa est ita certa, vt de se soluat obligationem ieiunandi. Ratio est, quia in tali casu lex desinit obligare, ergo si negatur dispensatio, negatur id, quod lex concedit, atque adeo negatur aliquid iustum, & quod est debitum, quia stante quod lex non obliget habet ius ad exigendam à superiori talem declarationem

tionem. Quam si neget, idem est, ac si velit, saltem quo ad forum externum, subesse obligationi legis, cum non debeat subesse, quod est contra iustitiam.

4 Quando vero causa est dubia, an eximat ab obligatione ieiunandi, tunc non tenetur superior dispensare. Ratio est, quia potestas dispensandi non illi commissa est, vt necessario semper dispenset sed vt illa vtatur secundum dictamen propriæ prudentiæ Cap. *At si Clerici* §. *De adulterijs. De iudic.* Fieri autem potest, quod adsit rationabile motiuum de non concedenda dispensatione in his casibus. Et hoc valet etiam respectu supremi legislatoris, quia & ipse potest rationabiliter moueri ad negandam dispensationem.

5 Hoc tamen limitãdum est, nisi adsit periculum de violando ieiunio, si negetur dispensatio, nam tunc ratione charitatis tenetur dispensare. Quod sequutus est Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 10. *q.* 25. Cum enim tanquam superior spiritualis debeat dirigere subditos ad salutem, non solum tenetur, per media congruentia illos promouere, sed etiam remouere impedimenta, atque adeo impedire peccata, quantum potest, & ideo tenetur tollere occasiones ruinæ spiritualis subditorum, vnde in casu nostro tenetur dispensare, ne petens dispensationem peccet.

6 Neque vrget, quod pro prima sententia allatum est, quia Prælatus licet teneatur exercere cum subditis munus proprium, non tamen tenentur ijs concedere, quicquid potest concedere; sed in hoc debet vti debita mensura, & præsertim in dispensatione, quæ quando necessaria est ad tollendam obligationem legis; est gratia Cap. 1. *De statu monachor. in* 6. Cap. *Postulasti.* De *cler. excommunic.* Cap. *Didici in fine.* 1. *q.* 7. & Cap. *Licet canon.* De *electione in* 6. & ideo imperti ri debet non ex necessitate, sed ex benignitate.

7 Stante autem quod dispensatio cessat cessante causa, dubitatur, an redeat eadem causa redeunte. Affirmat Sanchez *lib* 8. *de matrim. disp.* 30. *n.* 17. Quia cum dispensatio valida fuerit ex mente dispensantis censetur solum suspendi, itaùt vsus illicitus fiat, vnde redeunte causa tolletur suspensio, & vsus fiet honestus. Sed hoc mihi probari non potest, quia cum dispensatio habeat causam pro forma, & rationem, qua animatur, ea cessante non subsistet dispensatio tanquam destituta sub forma, & rationabilitate; & ideo redeunte causa erit opus noua dispensatione.

An stante rationabili causa dispensandi in ieiunio possit dispensans imponere aliquod onus dispensato.
Decis. 398.

SVMMARIVM.

1 *Stante rationabili causa dispensandi non potest imponi aliquod onus secundum Sanchez.*
2 *Valet hoc, quando dispensatio est debita.*
3 *Item quando inferior dispensat in lege superioris de ieiunio.*
4 *Potestas dispensandi non se extendit ad ponendam nouam obligationem.*
5 *Dispensans in lege superioris non potest ex propria iurisdictione imponere nouum onus.*
6 *Cur dispensatio, licet sit gratia, non possit grauari ab inferiori aliquo onere.*
7 *Dispensatio facta à proprio legislatore potest grauari aliquo onere.*
8 *Inferior si potest debet absolute dispensare.*

1 NEgatiue respondet, & absolute Io Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 54. *n.* 40. citans Filliucium *tr.* 27. *p.* 2. *c.* 7. *nu.* 129. Quia petens dispensationem stante iusta causa habet ius ad *ipsam; vnde si dispensatio* grauaretur aliquo onere, fieret iniuria petenti.

2 Sed hoc locum habet, quando dispensatio est debita, in quo fundatur dictus Io. Sanchez, & hoc solum docet Filliucius ab ipso *citatus*, & tradit Palaus *p.* 1. *oper. mor. tr* 3. *disp.* 6. *De dispensatione legis punc.* 9. *n.* 3 Et sequitur Leand. *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 10. *q.* 29. Et ratio clara est, quia quod est debitum, debet gratis cõcedi, nam adest ius ad ipsum, alioquin, si grauaretur, grauaretur ius alterius, quod est contra iustitiam.

3 Rursus, quando dispensatio conceditur ab inferiori in lege superioris & adest rationabilis causa, non poterit grauare dispensationem aliquo onere. Ita docent Sotus *in* 4. *d. st.* 28. *q.* 1. *ar.* 1. ver. *Ex his.* Lopez 2. *p. instruct. de matrim. c.* 39. §. *Sed si quis* Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 10 *n.* 9. Palaus p. 1 *Oper. mor. tr.* 3. *disp.* 6 *De dispensat. legis punc.* 9. *n.* 4. Leander *in prac. Eccl. tr* 5. *disp.* 10 *q.* 28 Roccaful. *in praxi tr.* 6. *de prac. Eccl. lib.* 3 *c.* 9. *n.* 142.

4 Ratio est; quia potestas dispensandi extenditur solum ad relaxandam obligationem *legis*, non autem ad commutandam, aut imponendam nouam obligationem, quando autem fit commutatio imponitur noua obligatio, nempe ad illud onus, quod imponitur pro eo, pro quo dispẽsatur. Et ideo in virtute potestatis dispensandi in ieiunio non potest *imponi* aliquod onus loco ieiunij.

5 Sed neque etiam in *virtute propriæ* iurisdictionis, vt quando dispensans potest condere leges quia cum dispensatio non trahat secum impositionẽ talis oneris, imo excludat, vt dictum est, si ex propria auctoritate imponeret, extra dispensationem imponeret, & proinde contra iustitiam, quia irrationabiliter imponeretur; nam non potest superior ex libito grauare subditos, sed solum iuxta exigentiam boni communis, & tunc grauamen debet esse omnibus commune.

6 Et licet dispensatio sit gratia, & proinde nõ sit debita, neque adhuc potest ab inferiori grauari aliquo onere, quia nõ habet facultatem substituendi aliam obligationem, sed solum impertiendi gratiam si putat esse concedendam: vnde iurisdictio coarctatur ad concedendam, aut non concedendam gratiam.

7 Si vero dispensatio fiat à legislatore in lege propria, tunc, quando dispensatio non est debita, imponi poterit aliquod onus. Ita Suarez *lib.* 6. *de legib. c.* 16. *init.* Palaus *p.* 1 *Oper. mor. tr.* 3. *disp.* 6. *De dispensat. legis punc.* 9. *n* 3 & indicatur à Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 10. *n.* 11 *in resp. ad* 2. Ratio est, quia cum non teneatur relaxare obligationem legis, & habeat libe-

liberam dispositionem supra ipsam, potest cum alio onere compensare argum. ex Cap. *Licet* De *Ferijs*.

8 Ex quibus reijcitur Bossius *tom.3.mor.tit.21.§.3 n.171.*: & sequent. qui vult, quod in omni dispensatione possit misceri aliquod onus, siuè sit in lege propria, siue in lege superioris ad supplendam insufficientiam causæ ad soluendum ieiunium. Nam si causa sit sufficiens ad dispensandum, licet non ad soluendum ieiunium, debet inferior dispensare absque vllo onere, alioquin non dispensaret, sed commutaret vtens potestate sibi non concessa. Si vero non est sufficiens non poterit dispensare.

An stante causa euidenti, opus sit dispensatione in ieiunio. Decis. 399.

SVMMARIVM.

1 *Stante causa euidenti soluendi ieiunium, non est opus dispensatione.*
2 *Quando cessat obligatio legis, non habet locum dispensatio.*
3 *Quid præstet dispensatio, quando causa est euidens.*
4 *Ieiunium potest solui ex probabili causa.*
5 *Quid si timeatur graue damnum.*

1 Resp. tunc non esse necessariam dispensationem, sed sine ipsa posse ieiunium solui. Ita docent D.Th. 2.2.q.147. *ar.4. in Corpore*. Angel. *verbo* Ieiunium *n.20.* Rosella *n.25.* Nauar. *in Manuali c.21.nu.21.* Trullench. *lib.3. in Decal. c.2. dub.7.n.19.* Medina *Cod. de ieiunio q.9.* ver. *Quæret hic*. Vega *p.1.sum. c.14. De ieiunio. Casu 36.* Gabr. *in 4.dist.16 q.3 ar.1. notab.5.* Laiman. *lib.4.Theol.mor.tr.8.c.3.n.8.* Rodriquez *p.1.sum.c.24.n.12.* Ledesma *2.p.sum.tr.27.c.2. dub.5.post 5.concl.* Angles *in Florib.q.5.de ieiunio.difficul.4.dub.1.initio.* Ortiz *c.19.sum.prac.2.n.16.* Azor. *p.1. lib.7.c.18.q.2.circa finem.* Villalobos *p.1. sum. tr.23. diffic.4.n.21.initio.* Palat. *in 4.dist.15.disp.8.post concl.4.§. Obseruandum est autem.* Syluester *verbo* Ieiunium *n.20.inu.* asserens, hanc esse omnium sententiam. Facundez *prac.4.Eccl.lib.1.c.9. n.1.& 7.* Bizozerus *p.4. sum.c.vlt.memb.vlt.n.9.* Lessius *lib.4. De iust. & iure c.2. dub.6.n.45.* Syluius *2.2.q.147.ar.4.ver. Porro circa causas.* Bossius *tom.3.mor. tit.21.§.3 n.156.* Martin. à s. Ioseph *tom.1.mor.lib.2.tr.11. de ieiun.n.3.* Leander à Murcia *in Cap.3 Regul.s.Francisc.q.8.n.2.*

2 Ratio est, quia cum dispensatio fit relaxatio legis adhuc obligantis, vt desumitur ex cap. *Necessaria*, Cap *Dispensationes*. Cap. *Tanta* 1.q.7. non habet locum, quando non adest obligatio legis, quando autem causa eximens à ieiunio est euidens, de se soluit obligationem.

3 Ex quibus constat, quod quando stante causa euidenti petitur dispensatio, talis dispensatio nihil operatur quò ad tollendam obligationem, sed solum quo ad quandam iustificationem pro exteriori apparentia. Et ideo contingere potest, quod etiam stante euidentia causæ sit necessaria, quando nimirum causa non est extrinsecus apparens, præsertim quando adhibendæ sunt carnes, ad tollendas murmurationes, & praua iudicia; vt notauit postea etiam Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.10.q.25.*

4 An autem sufficiat probabilis causa soluendi ieiunium absque dispensatione. Negant Caiet. *1.2. q.96.ar.6.* Medina *ibid.* Valent. *tom.2 sum disp.7.de legib.q.5.pun.9* Filliuc. *tr.21.c. vlt.n.433.* Becan. *tr.3.de legib.c.6.q.14.* Sayr. *lib.3. Clau.reg.c.10.n.3.* Suarez *lib.6.de legib.c.8.n.9.* Vasquez *3.p. disp.219 c.4. num.43.* volunt enim recurrendum esse ad superiorem. At sufficere probabilem causam, quæ probabiliter sit sufficiens, non ad dispensandum, sed vt ad soluendum ieiunium, tenet Palaus *tom.1.oper.mor.tr.3.disp.5. pun 3.§.2.n 4.* Et rectè. Quia tunc adest probabilis opinio, quod lex ieiunij non obliget, licet autem sequi probabilem opinionem, quæ sufficiens est ad vitandum peccatum. Et consonat praxis, quia vt plurimum causa est probabilis, non autem certa, quando sine auctoritate superioris soluitur ieiunium.

5 Ex quibus colligitur cum Io. Sanchez *in select. de Sacram disp.51.n.9.* Martino à s. Ioseph. *tom.1.mor. lib.2 tr.2.de ieiun. n.9.* Quod quando ex ieiunio, aut abstinentia à carne timetur graue damnum, non est necessaria dispensatio, quia saltem probabile est, quod adsit sufficiens causa soluendi ieiunium, aut edendi carnes. Imò quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum graui incommodo, nec etiam obligant, vt propter ea seruanda se exponat quis periculo grauis damni.

An quando Medicus, Confessarius, vel alius vir prudens indicat, adesse causam sufficientem soluendi ieiunium, sit necessaria dispensatio, si non videatur sufficiens illam habenti. Decis. 400.

SVMMARIVM.

1 *Si Medicus, Confessarius, aut alius vir prudens declarat sufficientiam causæ excusantis, non est opus dispensatione.*
2 *In tali casu causa de se soluit obligationem ieiunandi.*

1 Resp. non esse necessariam dispensationem superioris. Ita Azor. *p.1.lib.7.c.18.q.4.* Syluester *verbo* Ieiunium *q.7. nu.20.* Angel. *n.19.* Rosel. *n.25.* Facundez *prac.4 Eccl.lib.1.c.9.num.7.* Angles *in Florib.q.5. De ieiunio. diffic.4. dub.1. proposit. 2.* Sanchez *lib.5. Consil.mor. c.1.dub.5. n.28.* Palat. *in 4.dist.15. disp.8 post 4.concl.§.Obseruandum &c. in fine.* Medina. *Cod. de ieiunio q.9 ver. Quæret hic.* Leander *in prac.Eccl.tr.5.disp.10.q.17.*

2 Ratio est, quia stante tali iudicio, causa fit de se excusans à ieiunio, atque adeo soluens obligationem legis. Potest autem vnusquisque sequi tale iudicium, cum sit iudicium viri prudentis, nam in hoc se conformat regulis rectæ rationis non solum quia tale est illud iudicium, sed etiam, quia recta ratio dictat, quod possimus sequi iudicium virorum prudentum, quando nos sumus in dubio.

Notat etiam Sanchez *lib.5 consil.mor. c.5. dub.5 nu. 28.* & probabile putat Martin. à s. Ioseph. *tom.1. mor. lib.2.tr.11. de ieiun.n.3.* Quod in dubio, an causa sit sufficiens ad soluendum ieiunium, aut edendas car-

nes potest Medicus declarare, cessare obligationem ieiunandi, & abstinendi à carnibus. Ratio est. Quia stante dubio, necessario adest aliquod motiuum iudicandi, quod ieiunium, aut abstinentia à carnibus possit nocere, alioquin secluso omni tali motiuo non oriretur dubium. Ex hoc autem motiuo formari potest probabile iudicium de damno sequuturo, & proinde quod probabile sit, posse solui ieiunium, aut carnes concedi. Et ita etiam tenet Leander à Murcia *in Cap. 3. Reg. s. Francisc. q. 7. n. 12.*

An stante causa dubia teneantur Regulares *petere dispensationem à superioribus? Decis.* 401.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium concessum Minoribus, quod non teneantur ieiunare si bono modo non possunt ieiunare.*
2 *Quid concedatur per hoc priuilegium.*
3 *Regulares in causa dubia, an teneantur ad ieiunium, non indigent dispensatione superioris.*

1 SIXTVS IV. concessit Fratribus Minoribus, quod non teneantur ieiunare, quando ob infirmitatem, aut debilitatem non possunt bono modo ieiunare, vt habetur in Monumentis Ordinis *Concess.* 99. & refert Sorbo *in Compend. priuileg. Mendicant. Tit.* Ieiunium *n.* 3. De quo priuilegio gaudent omnes Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum.

2 Per hoc autem priuilegium conceditur aliquid per modum dispensationis, & ideo habet locum, quando nimirum opus est dispensatione, atq; adeo quando causa est dubia, an sufficiat ad soluendum ieiunium, nam quando est certa, non est opus dispensatione, vt dictum est supra cum communi. Et hoc est, non posse bono modo ieiunare, quia ieiunando cum tali causa dubia, adest etiam dubium de periculo, & ideo non ieiunatur congruenti, & bono modo.

3 Resp. ergo. Stante causa dubia, non teneri Regulares petere dispensationem à superiori, dummodo communicent in priuilegijs. Ita etiam docet Rodriquez *p. 1. sum. c.* 24. *n.* 4. Loquens de Regularibus Minoribus, quibus concessum est priuilegium. Ratio est, quia vbi semel concessa est dispensatio a supremo superiore, non est opus alia dispensatione inferioris prælati; per prædictum autem priuilegium conceditur dispensatio, nam dirigitur immediate ad ipsos subditos.

An petens dispensationem in ieiunio absque causa peccet. Decis. 402.

SVMMARIVM.

1 *Petens dispensationem absque causa peccat secundum aliquos venialiter, secundum alios mortaliter.*
2 *Petens dispensationem in ieiunio superiori in propria lege absque causa non peccat.*
3 *Si petat ab inferiori in lege superioris, & proponat causam, quam non putet sufficientem, non peccat.*
4 *Petens dispensationem non tenetur discutere causam.*
5 *An si nullam proponat causam, peccet.*
6 *Acceptans dispensationem concessam ab inferiori absque causa non peccat.*
7 *Petens dispensari sine aliqua causa an peccet.*

1 QVod peccet, docent Arragon. 2. 2. *q.* 89. *ar.* 9. *circa finem.* Couarru. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 6. §. 9. *n.* 7. cui addit, forsam peccare mortaliter. Ledesma *p.* 1. *sum. tr. De matrim. c.* 27. *dub.* 1. *post* 4. *concl. ver.* Digo lo segundo. Rodriquez *p.* 1. *sum. c.* 235. *init.* qui vult peccare venialiter. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio disp.* 18. *n.* 8. & *lib.* 5 *Consil. mor. c.* 1. *dub.* 5. *n.* 7. Qui vult, peccare mortaliter, vel venialiter iuxta qualitatem materię: vnde quia in ieiunio materia est grauis, quia agitur de lege obligante sub mortali, peccabit mortaliter, nisi bona fide excusetur, & sequitur Trullench. *lib.* 3. *in Decal. c.* 2. *dub.* 7. *n.* 18. Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 21. §. 3. *n.* 115.

2 Sed ex dictis in superioribus sequitur, quod petens dispensationem in ieiunio in propria lege à superiori, nullo modo peccet. In tantũ .n. peccaret secundũ præcitatos Doctores, in quantum induceret ad malum, non autem inducit, quia potest superior sine vllo peccato in tali lege dispensare, vt visum est: vnde nulla interueniet inductio ad peccatum.

3 Si vero dispensatio petatur ab inferiori, & proponatur aliqua causa, quamuis proponens non existimet sufficientem, neque adhuc peccat. Ita Philiar. *tom.* 1. *De offic. Sacerd. p.* 3 *lib.* 4. *c.* 4. *ver. Altera difficul.* Nauar. *in Manual. prælud.* 9. *n.* 13. Ledesma *p.* 1. *sum. tr. de Matrim. c.* 27. *dub.* 1. *post* 4. *concl.* Sanchez *citato lib.* 8. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 9.

4 Ratio est, quia non pertinet ad petentem dispensationem discutere, an causa sit *sufficiens,* sed tantum ad dispensantem: vnde *neque intendit* inducere ad malum, sed tantum *proponit* causam, qua mouetur ad petendam dispensationem, vt ab ipso discutiatur, & concedat, si est concedenda.

5 At si petat dispensationem in lege ieiunij ab inferiori non potente dispensare absque causa, & nullam proponat causam, neq; adhuc peccabit. Ratio est, quia, dum petit dispensationem, credit sibi profuturam, atque adeo putat stante ipsa posse licite soluere ieiunium, alioquin si crederet non sibi profuturam, non peteret. Ex alio autem capite non pertinet ad ipsum examinare iurisdictionem superioris, & expendere, quo vsque se extendat. Et ideo neque facit aliquod contra rectam rationem, cum non intendat inducere ad malum superiorem, sed relinquat ipsi considerandum, quid possit facere, vel non facere; nec omittit aliquid facere, quod teneatur facere. Vnde nunquam, qui scit talem dispensationem fore nullam, illam petet, nisi intendat per se malum, in quo tunc ratione intentionis malæ peccabit.

6 Hinc sequitur contra Sanchez *citato lib.* 8. *de Matrim. disp.* 18. *n.* 8 Bonac. *disp.* 1. *de legib. quæst.* 2. *punc.* 3. *n.* 15. Bossium *tom.* 3 *mor. tit* 21. §. 3. *n.* 117. Nõ peccare acceptantẽ dispensationẽ vltro concessã absq; causa.

Quia

Quia licet concedens de iure ordinario non possit, concedere, præsumi debet, nisi oppositum constet, quod possit de iure extraordinario ex speciali concessione supremi superioris, nam semper præsumendum est pro superiori Cap. *Si quid culpatur* 23. q. 1. & Cap. *In præsentia*. *De renunciatione*. Et ita tenet Suarez *lib. 6. de legib. c. 18. n. 13.*

7 In omnium autem sententia si petens dispensationem proponat causam bona fide, non peccabit, etiam si non sit sufficiens, quia non pertinet ad ipsum examinare sufficientiam causæ, sed ad dispensantem; & ita inter alios notant Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 5. n. 7.* Suarez *lib. 6. de legib. c. 18. nu. 12.* Pontius *lib. 8. de matrim. c. 14. n. 15.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 5. n. 63.* Palaus *p. 1. oper. mor. tr. 3. disp. 6. punt. 8. §. 1. n. 6.*

An si potens dispensare in ieiunio, dicat alicui, quod soluat ieiunium, censeatur dispensasse. Decis. 403.

SVMMARIVM.

1 *Si potens dispensare dicat alicui, quod non ieiunet, si adsit causa censendus est dispensare.*
2 *Rursus censendus est dispensare, etiam si non adsit causa, dummodo agatur de propria lege, in qua potest sine causa dispensare.*

1 Resp. quando adest iusta causa dispensandi, censeri dispensasse. Et ita docent Rodriquez *p. 1. sum. c. 24. n. 7.* Lopez *p. 1. Instruct. c. 4.* Ledesma *p. 2. sum. tr. 27. c. 2. dub. 2. post 5. conclus. ver. Digo lo quarto. in fine.* Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 20.* Ratio est, quia non est præsumendum, quod superior, ad quem pertinet cura animarum, & eas dirigere ad salutem, velit inducere ad peccatum, sicut induceret, si non dispensaret; nam, vt dicebatur in fine Decis. *præcedentis* semper præsumendum est in fauorem superiorum; & ideo censendum est quod dispenset.

2 Rursus etiam, si nulla adsit causa soluendi ieiunium, si superior potens dispensare absque causa, dicat alicui, quod non ieiunet, adhuc censendus est dispensare. Militat enim eadem ratio, quia nimirum si non intenderet dispensare, induceret ad peccatum. Si vero non agitur de dispensatione in lege propria ipsius, præsumi debet, quod loquatur ex suppositione, quod adsit debita causa, quæ cum non adsit, neque etiam censendus erit dispensare.

An, quæ dicta sunt de dispensatione in ieiunio, valeant etiam in dispensatione quo ad carnes, & lacticinia, horam comedendi, &c. Decis. 404.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio in ieiunio, & quo ad carnes, &c. eodem pacto proportionaliter procedunt.*
2 *Vtraque dispensatio fundatur in eadem iurisdictione, & iisdem causis.*
3 *Maior tamen causa requiritur pro dispensatione carnium.*
4 *Facilior est dispensatio quò ad lacticinia, quam quò ad carnes.*

1 Resp. affirmatiuè. Vnde qui possunt dispensare cum causa, aut absque causa in ieiunio, poterunt etiam dispensare quò ad carnes, & lacticinia, & horam comedendi eodem modo, aut etiam abrogare legem iuxta facultatem propriam, quam habent. Vnde etiam dispensatio erit valida absque causa, si fiat in propria lege, inualida si in lege superioris. Vsus ipsius erit licitus, quoties valida est. Erit necessaria, quando causa est dubia, non autem quando est certa, aut iudicio medici, confessarij, aut alterius prudentis viri erit sufficiens, & eadem proportionaliter dicenda erunt de petente dispensationem. Et licet hæc omnia non exprimant in particulari, ita tamen quò ad substantiam docent Syluester *verbo* Ieiunium *q. 7. n. 20. in fine.* Caiet. 2. 2. *q. 147. ar. 4 dub. 1.* Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8. post 4. concl. §. Præsente igitur Episcopo.* Sanchez *lib. 5. Consil. mor. c. 1. dub. 5. n. 21.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp. 54. n. 37.* Quintanadueñ. *de Iubil. c. 8. n. 15.* Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 31.* & alij communiter.

2 Ratio est, quia, qui est superior in ordine ad ieiunium, est superior in ordine ad cœtera, quę coniuncta sunt ieiunio, & ideo habet facultatem dispensandi, vt constat etiam ex praxi. Rursus dispensatio est in eodem genere, & ideo eodem modo proportionaliter accipienda est.

3 Est tamen aduertendum, vt docent etiam cōmuniter, quod grauior causa requiritur ad dispensandum in abstinentia à carnibus, quam in ieiunio. Quia cum causa fundetur in aliqua indigentia illius, cum quo dispensatur, & minor sit, & minus frequens indigentia carnium, quam plurium comestionum; ideo etiam causa dispensandi in carnibus minus frequens est, & grauior esse debet. Vnde plures causæ, quæ soluunt obligationem ieiunij, aut sufficiunt ad dispensationem, vt sunt omnes, quæ fundantur in labore corporali, non soluunt obligationem abstinentiæ à carnibus, nec sufficiunt, nisi concurrant aliæ circumstantiæ ad dispensationem. Et ita etiam notauit Bossius *tom. 3. moral. tit. 21. § 3. num. 162.*

4 Quod autem spectat ad dispensationem in lacticinijs, minor causa requiritur, vt communiter docent. Et inter alios notat Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 6. n. 5.* & in praxi habetur, quia cum minus obstent ieiunio, imo possit cum ipsis saluari ieiunium, facilius obligatio abstinentiæ relaxari potest. Et hoc valet in ieiunijs quadragesimæ, nam in cœteris, non adest obligatio abstinendi ab ipsis, vt dictum est suo loco. Imò cum ieiunium stet cum lacticinijs, facilius in ipsis dispensari potest, quam in ieiunio, vt notat etiam Bossius *n. præced. citat.*

An superiores regulares, quando Regula prohibet carnes, possint dispensare cum subditis in esu carnium.

Decis. 405.

SVMMARIVM.

1 *Carnes prohibentur de iure canonico omnibus Monachis.*
2 *Regula prohibendo quadrupedia Benedictinis, prohibet omnes carnes.*
3 *In iure conceditur Abbatib. vt possint cum infirmis, & debilibus dispensare quo ad carnes in infirmaria.*
4 *Item aliquando etiam cum cæteris extra Refectorium.*
5 *Ex priuilegio possunt dispensare etiam extra monasterium, quando id expediens fuerit.*
6 *Monachi ex dispensat. Abbatis possunt inuitati, aut in itinere edere carnes.*
7 *Possunt etiam ex consuetudine.*
8 *Superiores Minimorum non possunt dispensare in abstinentia carnium.*
9 *Nec etiam superiores Carthusianorum.*
10 *Quid de superioribus cæterorum Regularium.*

1 CVnctis Monachis prohibentur carnes etiam in solemnitatibus loquendo de iure canonico. Vt habetur ex cap. *Cum ad monasterium. De statu monach. §. In Refectorio.* & ex cap. *Carnem. De consecrat. Dist.* 5. & prohibitio generalis est, ita vt afficiat omnes: habetur enim ibi. *Nullus omnino carnes vescatur.*

2 Adest etiã specialis constitutio Benedictinorum ex Regula s. Benedicti, quæ omnibus prohibet comestionem carnium quadrupedum exceptis infirmis, & debilibus, vt habetur ex *Cap.* 39. dictæ *Regulæ.* Prohibet autem carnes quadrupedum; non quia permittat alias carnes, quasi D. Benedictus voluerit, suos Monachos vesci tantum volatilibus, & delitiose viuere, vt aliquis ridiculè scripsit, Sed quia prohibitis crassioribus carnibus censeantur omnes prohibitæ, vt notat Tamburin. *tom.* 2. *de iure Abbat. disp.* 12. *q.* 11. *n.* 1. quia prohibitio minori censetur prohibitum etiam maius argum. ex Cap. *Cum in cunctis. De electio.* vbi Glos. *verbo, Multo fortius.* Io: Andr. Panor. Imola, & cœteri Canonistæ.

3 In eodem tamen Cap. *Cum ad monasterium. De statu monach.* Conceditur Abbatibus monachorum, quod possint dispensare cum infirmis, & debilibus quod vesci possint carnibus in infirmaria. Vnde stante tali concessione poterit Abbas dispensare cum Monachis, vt edant carnes in infirmitorio non solum quando indigentia est euidens, sed etiam quando est dubia, quia ad dispensandum sufficit causa dubia, vt de dispensatione ieiunij dictum est supra cum communi.

4 Rursus in dicto Cap. *Cum ad monasterium* conceditur etiam Abbatibus, vt ex indulgentia possit interdum Monachos nunc hos, nunc illos ad propriam cameram aduocare, & edere carnes simul cum ipsis. Quod autem dicitur de propria camera, non ita accipi debet, quasi hoc fieri non possit in alio cubiculo, dummodo extra refectorium, sed vt ostendatur, quod indulgentia est extra regulam. Nec similiter necesse est, Abbatem comedere carnes, vt alij comedere possint, sed ita decernit Pontifex, vt extendat indulgentiam etiam ad Abbatem qui poterit Monachis carnes indulgere, & ipse abstinere.

5 Præterea Sixtus IV. concessit Cisterciensibus *in Idib. Decemb.* 1475. vt habetur in *Bulla* 47. eiusdem Pontificis *in collect. Bullar. Apostol. pro Regularibus* facta à Rodriquez, vt possint ab Abbate secundum ipsius discretionis arbitrium per se, vel per alium dispensari ad edendas carnes etiam extra septa Monasterij absque incursu alicuius pœnæ, aut conscientiæ scrupulo. Et ideo poterit Abbas ad relaxandos animos, & corpus concedere aliquando, vt carnibus extra monasterium se recreent. Et hoc priuilegio gaudent etiam cœteri Monachi, qui habent communicationem priuilegiorum. Et per ipsa abrogata est constitutio Benedicti XII. quæ imponebat certas pęnas Monachis comedentibus carnes, & Abbatibus permittentibus. Hoc autem priuilegium extendit ipse Pontifex etiam ad Moniales eiusdem ordinis.

6 Ex hoc autem sequitur, quod stante rationabili causa, possint Abbates dispensare cum Monachis, vt edant carnes, vt si nimirum inuitentur à Principe, aut aliquo Magnate: vt notat Tamburinus *tom.* 2. *De iure Abbatum disp.* 12. *q.* 11. *nu.* 5. aut quando itinerantes non inueniunt alios cibos satis congruos. Et præsertim si adesset aliqua necessitas, vt si non adessent alij cibi præter panem, & caseum; tunc enim excusantur ab obseruatione regulæ, quia aliter necessitas exigit argum. ex cap. *Consilium in fine. De obseruat. ieiunior.* & cap. *Licet De pœnitentijs*, vt notat idem Tamburin. *citatus.*

7 Qui etiam ibid. addit. cum Cardinali in dict. Cap. *Cum ad monasterium. De statu monach.* Panor *ibid. n.* 18. & in Cap. *Deus n.* 3. *De vita, & honest. Clericor.* Graf. *p.* 2. *Decis. lib.* 3. *c.* 21. *n.* 10. Quod ratione consuetudinis, vbi introducta est, possunt Monachi comedere carnes, quia abstinentia à carnibus non pertinet ad substantialia Regulæ, & ideo per consuetudinem abrogari potest.

8 Quod autem spectat ad cęteros Regulares superiores Minimorum non poterunt dispensare cum subditis, vt etiam ex rationabili causa extra præscriptum regulæ comedant carnes; neque enim talis facultas est ipsis concessa, quia regula præscribit, & taxat casum, in quo Poterunt edere: & proinde ad hanc abstinentiam quarto solemni voto se adstringunt. Poterunt tamen superiores in dubio declarare, an casus sit ille, in quo regula permittit carnes.

9 Superiores vero Carthusianorum neque ipsi poterunt in carnibus dispensare ex quacunque causa. Quia Regula ipsorum excipit omnem casum, & proinde non relinquitur ipsis facultas dispensandi.

10 At superiores cęterorum Regularium considerare debent proprias Constitutiones, quæ si solum prohibent carnes, nec prohibent dispensationem, nec consuetudo ita illas interpretatur, vt censeantur prohibitæ semper absque vlla vnquam relaxatione, nec præscribunt casus, in quibus liceat comedere, tunc censendum est, quod non prohibeant,

beant, nisi ad modum præcepti ecclesiastici, & secundum eamdem mensuram; & ideo relinquere locum, vt possint concedi ex dispensatione ex rationabili causa, sicut conceduntur ijs, quibus prohibentur ex præcepto. Et tunc poterunt superiores dispensare proprios subditos.

An superiores Regularium possint dispensare suos subditos, vt in ieiunijs Ecclesiasticis edant oua, & lacticinia.

Decis. 406.

SVMMARIVM.

1 *Fratres Minores ex consuetudine in quibusdam prouincijs vtuntur lacticinijs in ieiunio.*
2 *Prouincialis potest apud Minores dispensare quo ad lacticinia in ieiunijs.*
3 *Priuilegium concessum Regularium superioribus dispensandi quo ad lacticinia.*
4 *Quomodo accipiendum hoc priuilegium.*

1 APVD Fratres Minores in quibusdam prouincijs obtinuit consuetudo, vt testatur Hieronim. Rodriquez *in Compend. q. Regul. Resol.* 75. *nu.* 7. vt in ieiunijs Ecclesiasticis lacticinijs vescantur: & credo, quod loquatur solum de ieiunijs extra quadragesimam, saltem in locis, vbi in quadragesima nec etiam in sæcularibus lacticinia licita sunt.

2 Et subdit, quod Prouincialis cum consilio Discretorum dispensare potest cum subditis iuxta ipsorum Regulam, vt in ieiunijs comedant lacticinia, quod etiam docent Emanuel Rodriquez *tom.* 2. *q. Reg. q.* 101. *ar.* 3. Corduba *in Reg. s. Francisci c.* 3. *q.* 2. *punc.* 4. Leander à Murcia *in c.* 3. *Regul. s. Francis. q.* 7. *nu.* 6. Quia autem hoc habent ex peculiari Constitutione, non est commune cum cæteris Regularibus.

3 Adest tamen priuilegium Eugenij IV. concessum Fratribus S. Hieronimi, per quod tribuitur facultas superioribus, vt in ieiunijs etiam quadragesimæ possint dispensare subditos quo ad oua, & lacticinia, Quod etiam concessit Clemens VII. Minoribus, vt refert Rodriquez *tom.* 2. *q. Regul. q.* 101. *ar.* 3. Et ideo Superiores Regulares in virtute huius priuilegij, si habent communicationem priuilegiorum, poterunt cum suis subditis dispensare, vt in ieiunijs edant oua, & lacticinia.

4 Quia autem hoc habent etiam ratione ordinariæ iurisdictionis, ideo, vt priuilegium aliquid operetur, dicendum est, quod possint dispensare etiam in ijs casibus, ad quos ordinaria iurisdictio non se extendit, atque adeo quod acceperint maiorem aliquam facultatem, quam sit facultas ordinariæ iurisdictionis, quæ non potest esse alia quam facultas delegata, qua vti potest summus Pontifex.

Est autem aduertendum cum Leandro à Murcia *in c.* 3. *Regul. s. Francis. q.* 8. *n.* 3. Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 6. *n.* 5. quod minor causa requiritur pro dispensatione in ouis, & lacticinijs, quam pro dispensatione in carnibus, aut ieiunio. Ratio est. Quia hæc est minor dispensatio; nam dispensatio in carnibus, est etiam dispensatio in ieiunio, & dispensatio in ieiunio est dispensatio in eo, quod de iure stat aliquando cum comestione ouorum, & lacticiniorum, quæ de iure non prohibentur in ieiunijs extra Quadragesimam. Vnde cum Ecclesia admittat ieiunia cum ouis, & lacticinijs, fit, quod difficilius sit relaxandum præceptum de ieiunio.

Quanam sit causa sufficiens ad dispensandum in ieiunio, & cibis vetitis.

Decis. 407.

SVMMARIVM.

1 *Causa sufficiens pro dispensatione ieiunij, & ciborum prohibitorum.*
2 *Dispensatio ex causa supponit legem esse solito onerosiorem, sed non ita, vt desinat obligare.*

1 RESP. esse omnem illam, quæ de se non est sufficiens, vt soluat obligationem ieiunandi, est tamen in eo genere, vt possit soluere, si certa sit, & grauis Ita Sanchez *lib.* 5. *consil. mor. c.* 1. *dub.* 6. *n.* 2. De causis autem soluentibus obligationem ieiunandi dictum est in superioribus.

2 Ratio est. Quia, vt habeat locum dispensatio in lege ex rationabili causa, oportet, quod obseruantia legis euadat onerosior consueto, & ex alio capite non debet obligatio legis esse ablata, alioquin per dispensationem non relaxaretur, & ideo sufficit causa reddens ita onerosum ieiunium, vt non pertingat ad soluendam obligationem ieiunij.

An difficultas in ieiunando sit causa sufficiens ad dispensandum in ieiunio.

Decis. 408.

SVMMARIVM.

1 *Difficultas in ieiunando non sufficit pro dispensatione secundum aliquos.*
2 *Sufficit secundum alios, quod est probabilius.*

1 NEgatiue respondet Angles *in Florib. q.* 5. *De ieiunio dub.* 2. *post* 4. *difficul. proposit.* 2. Ludouic. à S. Io. *p.* 1. *sum q. de ieiun. ar.* 6. *diffic.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. quia talis difficultas assiduitate mollescit.

2 Sed tenendum est, quod sufficiat, nisi sit difficultas vitiosa. quia lex ieiunij talibus valde onerosa est, & longe, quam cæteris. Quod est sufficiens ratio pro dispensatione. Deinde per dispensationem obuiatur peccato, & tollitur notabile periculum violandi

landi præceptum, & hanc sententiam tradit Medina *Cod. de ieiunio q. 9. ver. Ad hoc breuiter.* Ortiz *c. 19 sum. prec. 2. n. 13.* Sa *verbo.* Ieiunium *n. 10.* Sequitur Leander *in prac. Eccl. tr. 5. disp. 10. q. 32.*

An, qui obligatur ex voto, aut iuramento ad ieiunium, aut ad aliquam abstinentiam, possit dispensari. Decis. 409.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium ex voto, aut iuramento mutari potest in melius, aut æquale absque causa.*
2 *Cum causa dispensari potest à superiori ordinario.*
3 *Cur votum non reseruatum maneat sub iurisdictione superioris ordinarij.*
4 *Ieiunium, aut abstinentia ex voto solemni non potest dispensari, nisi à summo Pontifice.*
5 *A quo dispensari possint ieiunia pro pœnitentia iniuncta.*

1 IN ieiuniis, aut alijs abstinentijs ex voto, dispensari potest etiam absque causa per commutationem materiæ in aliquid melius. Et hoc certum est ex *c. 2.* De *voto*, & notat Angles *in Florib. q. 5. De ieiunio dub. vlt. post 4. diffic. proposit. 1.* Et hoc nedum potest fieri à superiori, vt ipse ait, sed etiam ab eo, qui vouit, vt docent communiter in materia de voto, & à me alibi dictum est. Imo etiam commutari potest in rem æqualem, si conferat ad maius commodum voventis. Hæc tamen est proprie commutatio non vero dispensatio.

2 Quò ad dispensationem vero ex causa. Dicendum est, quod possit Superior proprius dispensare, Episcopus quidem respectu sæcularium. Superior vero Localis respectu Regularium. Ita docent Ledesma *2. p. sum. tr. 27. c. 2. dub. 3. post 1. concl. difficul. 3. ver. A esta difficultad se ha da responder.* Sotus *lib. 2. de iust. & iure q. 7. ar. 3.* Rodriquez *p. 1. sum. c. 24 n. 9. concl. 6.* Villalob. *par. 1. sum. tr. 23. diffic. 4. n. 24.* Trullench. *lib. 3. in Decal. c. 2. dub. 7. n. 21.* & alij communiter in materia de voto.

3 Ratio est, quia, cum non sit votum reseruatum, manet sub iurisdictione Prælati ordinarij tanquam quid spirituale concernens esse spirituale voventis, quod dirigi, & moderari debet à Prælato ordinario, & ideo poterit talis Prælatus in hoc voto dispensare.

4 Si tamen votum de ieiunio, aut abstinentia sit solemne, vt de abstinentia à carnibus apud Minimos, non poterit dispensare, nisi à Summo Pontifice, cui soli reseruantur vota solemnia. Ipse autem poterit ex iusta causa dispensare, quia solemnitas est de iure positiuo. Vt habet Gregorius XIII. *in Bulla 89. Bullarij Veteris §. 18.* ibi *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse.*

5 Quo ad ieiunia vero pro pœnitentia iniuncta dicendum est, quod poterunt relaxari, vel commutari auctoritate alterius confessarij maioris, vel æqualis auctoritatis, vt docent communiter Doctores in materia De Pœnit. & notat Angles *in Florib. q. 5. de ieiunio dub. vlt. post 4. diffic. proposit. 2.* est enim eadem ratio, ac de cœteris pœnitentijs. Idem etiam docent Vega *p. 1. sum. c. 14. De ieiunio. Casu 36.*

An possit tota aliqua communitas dispensari in ieiunio, & cibis vetitis. Decis. 410.

SVMMARIVM.

1 *Tota aliqua communitas dispensari potest in ieiunio, & cibis vetitis.*
2 *Quando pro tota communitate sit necessaria dispensatio.*
3 *A quo concedenda sit talis dispensatio.*
4 *Quando causa dispensandi censenda sit communis toti communitati.*
5 *An Episcopus possit absque causa commutare ieiunia communitatis.*

1 REsp. affirmatiue, & ita debent communiter sentire, dum concedunt posse fieri dispensationem in ieiunio, & cibis vetitis à Pontifice, & Episcopo ex rationabili causa, militat enim eadem ratio in tota communitate, quando causa dispensandi est communis toti communitati, vt facile potest contingere ratione penuriæ, aut pestilentiæ, aut ex aliquo alio capite. Et ita in speciali docet Palat. *in 4. dist. 15. disp. 8 post 4. concl. 5.* *Obseruandum est autem,* & asserit illo anno, quo scribebat, Lusitanos dispensatos fuisse, vt ederent carnes in quadragesima. Sanchez *lib. 5. consil. mor. c. 1. dub. 6. n. 4.* Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. num. 8. in fine.* Leander *in prac. Eccl. tract. 5. disp. 10. q. 33.*

2 Est autem aduertendum, quod tunc est necessaria dispensatio, quando causa est dubia, quia si esset euidens, de se solueret obligationem legis, nec opus esset dispensatione, vt notat Palat. *citat.*

3 Pertinet autem ad Episcopum concedere tales dispensationes pro tota communitate, quia sicuti potest concedere singulis in particulari, quia est ipsorum Prælatus, ita cum sit Prælatus proprius totius communitatis, & habeat iurisdictionem circa ipsam, poterit etiam concedere toti communitati. Quod valet etiam si adsit tempus recurrendi ad Romanam curiam, quia iam consuetudine, & præscriptione tribuente iurisdictionem habet supra dispensationem in hoc præcepto iurisdictionem ordinariam.

4 Sed difficultas est, an, vt causa dicatur communis toti communitati, debeat esse communis omnibus, & singulis, an vero sufficiat, quod sit communis maiori parti. Resp. sufficere quod sit communis maiori parti, quia licet aliqui non habeant illam causam, dum tamen sparsim in maiori parte reperitur, censetur communis. Sic etiam electio censetur communis, dum fit à maiori parte. Vnde facta dispensatione pro tota communitate, poterunt etiam illi de ipsa gaudere, in quibus seorsim non adest causa dispensationis, quia tanquam partes & membra communitatis participant de eo, quod

pro

pro toto corpore sit, ratione cuius censetur etiam ipsis esse communis causa dispensationis. Sic etiam omnes subiacent legi, licet pro aliquibus non esset necessaria.

5 An autem possit Episcopus commutare absque causa ieiunium totius communitatis. Resp. affirmatiuè. Vega *p.* 1. *sum.c.* 14. *De ieiunio. Casu* 36. Vnde à fortiori posset hoc facere interueniente aliqua causa, vt pote festiuitatis, publicæ lætitiæ &c. Sed iuxta dicta in superioribus hoc tantum habet locum in ieiunijs localibus ab ipso, aut prædecessoribus indictis, nam in cęteris de iure communi potest tantum ex causa dispensare, aut transferre, non autem potest commutare.

An, qui potest cum alijs dispensare in ieiunio, possit confessario committere, vt secum dispenset. Decis. 411.

SVMMARIVM.

1 *Qui potest cum alijs in ieiunio dispensare, non potest alijs committere, vt secum dispensent secundum aliquos.*
2 *Potest dispensari ab ijs, quibus commisit iurisdictionem dispensandi.*
3 *Committens iurisdictionem alteri, potest eidem iurisdictioni se subijcere.*
4 *Iurisdictio dispensandi in precepto se extendit ex natura sua ad omnes, qui subduntur precepto.*

1 NEgatiue respondent Suarez *tom.*2. *de Relig. lib.*6. *De voto c.* 11. *nu.* 4. Cum Glos. *in Cap. Magna.* verbo Noluisti. De voto. Panormit. *ibid.* Syluestro *verbo* Votum 4. *q.* 3. *ver. Vndecimum.* Angel. *ibid. n* 7 Quia nemo dat, quod non habet, vnde cum non possit secum dispensare, nec etiam poterit committere cœteris, vt secum dispensent.

2 Sed communis sententia, & vera est in oppositum, quam tradunt Paludan. *in* 4 *dist* 38. *qu.* 4. *ar.* 4. *concl.*4. *n.*41. Gabriel. *Dist.*17. *q.*2. *ar.*3. *dub.*2. *init.* D. Antonin. 3. *p. tit.*17. *c.*2. §. 2. *init.* & 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 9. ver. *Item non potest.* Tabiena verbo. Absolutio. *n.* 37. Henriquez *lib* 6. *sum. c.* 4. *n.* 3. *in com. littera* I *& lib.* 7. *de indulgent. c.* 28. *n.* 1. *in com. littera* H & *lib* 14. *c.* 18. *in fine.* Gomez *in Bullam cruciatæ. Claus.* 10. *num.* 85. Auila *De censur. p.* 7. *disp.* 10 *dub. vlt.* Maiol. *lib.* 2. *De irregularit. c.* 2 *n.* 12. & *lib.* 5. *c.* 51. *n.* 7. Sayrus *in Thesauro tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 14 *n.* 5. Sà *verbo* Confessor. *nu.* 16. ver. *Confessor. Episcopi.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 11 *n.* 3. & *lib.* 4. *sum. c.* 37. *n.* 42. Laiman. *lib* 1. *Theol. mor. tr* 4. *c.* 22. *n.* 33. Garzia *De benef. p.* 11. *c.* 10. *num* 139. Pontius *lib.* 8. *De Matrim. c.* 4. *nu.* 9. Palaus *p.* 1. *Operis mor. tr.* 3. *disp.* 5. *punc* 7. §. 1. *n.* 1. Et alij Decis. *sequenti citandi.* Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 10. *qu.* 36.

3 Ratio est. Quia, qui potest cum alio dispensare, potest etiam conferre alteri iurisdictionem ad dispensandum siue per delegationem, siue quocunque alio modo, & qui habet talem iurisdictionem sibi commissam, potest dispensare cum omnibus, qui tali iurisdictioni subijciuntur, quicunque autem indiget dispēsatione, potest se subijcere tali iurisdictioni nā sicut iurisdictio respicit dispēsationem, & mediante dispensatione indigentiā, ita quicunq; indiget, est capax exercitij huiusmodi iurisdictionis, atque adeo etiam subiectionis. Quod præsertim verum est, quia iurisdictio de se pręscindendo á persona, in qua est, trahit ad subiectionem personas, circa quas ratione capacitatis exerceri potest, ita vt saltem sint capaces subiectionis, & ideo qui aliàs subiectus non est, potest se subijcere, cum sit capax vt erga se exerceatur iurisdictio.

4 Neque quod opponitur, est alicuius momenti, nam dato, quod non posset dispensare cum seipso, neque adhuc dat, quod non habet, quia communicat iurisdictionem ad dispensandum in tali præcepto. Facta autem tali communicatione iurisdictio communicata se extendit ex natura sua ad omnes, qui ligantur eodem præcepto, quia est iurisdictio supra relaxandam obligationem talis præcepti.

An, qui potest alios dispensare in ieiunio, possit etiam dispensare seipsum in lege propria. Decis. 412.

SVMMARIVM.

1 *Potens alios dispensare in propria lege, non potest seipsum secundum aliquos.*
2 *Potest dispensare seipsum, atque adeo etiam in lege ieiunij.*
3 *Cur legislator possit etiam cum seipso dispensare in lege.*
4 *Directio dictaminis naturalis dictat, quod sicut legislator debet seruare propriam legem, ita etiam possit secum in ipsa dispensare.*
5 *Quæ iurisdictio requirat distinctionem personarum, & quæ non requirat.*
6 *Dispensatio est actus iurisdictionis legalis.*

1 NEgatiuam sententiam tradunt Anton. *in c.* 1. *num.* 10 *De constit.* Imola *ibid. n.* 7. Alexan. de Neuo *n.* 66. Beronius *nu.* 108. Decius *consil.* 151. *nu.* 10 *vol.* 1. Supplem. Gabr. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *ar.* 5. quia nemo potest in seipsum exercere iurisdictionem. *l. Illa, à quo ver.* Tempestiuum ff. Ad Trebel. & *l. penult.* ff. De *recep. Arbitr.* & tradit D. Th. *in* 4. *dist.* 20 *q.* 1. *ar.* 5. *quæstiun.* 4. *ad* 1. Vnde potens conferre beneficiū, nō potest seipsum instituere Cap. *fin.* De *Instit.* quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio.

2 Certa tamen, & communis sententia est, quod quilibet possit secum dispensare in propria lege, atque adeo in ieiunio, quando est per propriam legem institutum. Ita Felin. *in c.* 2. *n.* 20. *De sponsalib.* & *in c.* 1 *n.* 33. *De constit.* Decius *ibid. in* 2. *lectura edit vlt. n.* 24 Abbas *in c. Magnæ. n.* 2. *not.* 1. De *voto* & *in c. At si Clerici.* §. *De adulterijs n* 10. De *iud.* Anton *ibid. n* 17 Hippolit. *nu.* 10. Alexander de Neuo *nu.* 17. Milis *in Repert. littera* D. *n.* 23. verbo. *Dispensatio. ver. Dispensare potest.* Rosella *verbo* Votum 5. *n.* 2. Tabiena *verbo* Iurare *q.* 20. *n.* 21. Borgas. *p.* 6. *De irregularit. tit. De voto. n.* 161.

n. 161. Gomez *in Bullam Cruciatæ Clausula* 10. *num.* 87. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *ar.* 4. *concl.* 4. *n.* 41. Caiet. 2. 2. *qu.* 96. *ar.* 5. *circa finem.* Corduba *lib.* 5. *q.* 31. Barbosa *in Collect. in cap. Magna. De voto n.* 14. Bonacina *disp.* 1. *De legib. q.* 2. *punc.* 1. *n.* 9. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *q.* 1. *n.* 295. Leander *in prac. Eccl. tr.* 5. *disp.* 10. *q.* 34. & alij quos *Decis. sequenti* pro posteriori sententia citabimus. Suarez autem *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *De voto c.* 11. *n.* 2. id tantum concedit Summo Pontifici, & *n.* 4. negat. Prælatis inferioribus. At *lib.* 6. *de legib. c.* 12. *n.* 11. concedit, vbi asserit, hoc esse extra controuersiam.

3 Ratio autem est, quia dispensatio est relaxatio obligationis, quę imponitur per legem: ergo qui habet potestatem supra ipsam legem, potest etiam relaxare eiusdem obligationem. Legislator autem habet potestatem supra legem, à cuius voluntate pendet, ita vt adæquate secundum totam extensionem, quam habet, proueniat à Principe, seu quocunque alio legislatore, & dependeat in conseruari ab eadem voluntate: vnde potest ipsam tollere ad libitum, quamuis si hoc cederet in detrimentum notabile communitatis peccaret; & ideo potest etiam in ordine ad seipsum relaxare obligationem illius. Confirm. Dispensat in propria lege cum alijs: ergo poterit etiam dispensare cum seipso; quia dispensatio, seu relaxatio obligationis legis fit per actum voluntatis, quo dispensans vult, legem non obligare talem personam, & virtute huius voluntatis cessat obligatio, potest autem habere hunc actum voluntatis etiam erga seipsum, & proinde relaxare obligationem legis, cum dependeat in conseruari ab habituali voluntate legislatoris.

4 Dices. Non obligari ad seruandam propriam legem ex sola voluntate, sed etiam ex lege naturali, quæ dictat, quod teneatur seruare. Sed hoc non officit, quia dato, quod teneatur directiuè ex lege naturali, quatenus ita exigit bonum commune, tenentur etiam subditi ex dictamine legis naturalis seruare leges, quatenus dictat, quod debeant obedire superioribus, & in obseruandis legibus cooperari bono communi, & ipse princeps ex eodem dictamine tenetur procurare obseruantiam legum, & tamen potest hoc non obstante dispensare cum subditis, quia adhuc lex ligat ex voluntate ipsius, & lex naturalis dictat, quod dispensatio licita sit: ergo poterit etiam dispensare cum seipso, quia lex naturalis dictat, quod ita lex obligat ipsum, vt sit capax dispensationis, sicut etiam sunt cęteri: & quia dictamen naturale de seruanda lege solum subintrat, quando per voluntatem legislatoris est posita lex, vnde cessante voluntate ipsius, cessat etiam dictamen.

5 Neque obstat fundamentum oppositæ sententiæ. Nam iurisdictio alia est in ordine ad actus iustitiæ, alia vero in ordine ad actus legales. Prima non potest exerceri circa seipsum, quia dicit exercitium iustitiæ, quæ est ad alterum, cum debeat ponere æqualitatem, vnde ob hanc rationem potens conferre beneficium non potest instituere seipsum, quia collatio est actus iustitiæ distributiuæ, non potest confessarius se ipsum absoluere: quia est actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ versatur circa delicta; non potest quis seipsum baptizare, quia est actus iustitiæ distributiuæ, quo à ministris christi distribuitur gratia Sacramenti pro hominum salute instituta. Iurisdictio vero in ordine ad actus legales non requirit necessario distinctionem personarum, quia respicit regimen in ordine ad finē reipublicæ; hoc autem regimen ita potest exerceri erga alios, vt possit etiam exerceri erga seipsum. Imo caput Reipublicæ tenetur exercere, quia tenetur se ordinare ad eumdem finem, & ideo potest exercere in seipsum iurisdictionem in ordine ad actus legales.

6 Dispensatio autem in lege pertinet ad iustitiam legalem, quia pertinet ad regimen in ordine ad perducendum hominem ad debitum finem, & ad ordinanda media pro assecutione illius, quia sicut lex, ponit medium, ita dispensatio tollit hoc medium vel quia non sit necessarium, vel quia aliquis alio modo sit ordinandus in finem, & ideo potest exerceri circa seipsum. Vnde sicut legislator potest obligare per legem seipsum exercendo in se iurisdictionem legalem directiuam, ita etiam potest seipsum dispensare per eamdem iurisdictionem.

An potens dispensare cum alijs in ieiunio à superiori imposito, possit etiam dispensare cum seipso.

Decis. 413.

SVMMARIVM.

1 *Potens dispensare cum alijs in ieiunio à superiori imposito non potest cum se ipso secundum aliquos.*

2 *potest dispensare etiam cum seipso.*

3 *Habens potestatem directiuam legis, potest eam dirigere etiam in ordine ad se ipsum.*

4 *Dispensans in lege superioris qua potestate vtatur.*

5 *Propria voluntas est vnicuique subdita in regimine directiuo.*

1 NEgatiuam sententiam tradunt ij, quos duabus Decisionibus *praced* citaui pro priori sententia, & etiam ferè omnes citati in *praced proxima Decis.* pro posteriori sententia, & specialiter Decius *in c. At si Clerici.* §. De *adulterijs. n.* 109. *in noua edit.* De *iud* Hyppolit. *n.* 105. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 4. *ar.* 4. *concl.* 4. *n.* 41. Rodriquez *tom* 1. *q. Reg q.* 45. *ar. vlt.* Collector. *priuileg. Mendicant. verbo* Accedere ad monasteria *quæst. vlt.* Corduba *ibid. in Addit. in fine.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 15. *quæst.* 6. *in fine.* Hieron. Rodriquez *in Compend. q. Regul Resol.* 12. *n.* 39. Mirand. *in Manual. tom.* 2. *q.* 31. *ar.* 3. Quia, cum voluntas propria nemini sit subdita, sicuti est subdita voluntas inferiorum superioribus, non potest secum agere tanquam cum subdito. Vnde Innocentius III. *Cap. Magna De Voto.* Laudat Episcopum Trecensum, quod absque consilio Apostolicæ Sedis noluerit, se exemptum à voto, quod emiserat, iudicare. Vnde volunt, quod aut superiorem adeat, aut sibi prouideat de aliquo, cui committat posse dispensare.

2 Hoc tamen non obstante tenenda est opposita sententia, quam tradunt D. Th. 2. 2. *qu.* 185. *ar.* 8. *in corpore. in fine.* Caiet. 2. 2. *q.* 56. *ar.* 5. *circa finem.* Turrecrem. *cap. De Monachis* 16. *q.* 1. D. Antonin. 3. *p. tit.* 20. *c.* 2. §. 7. Angelus *verbo* Monachus *n.* 7. Syluester *verbo* Religio 6. *q.* 10. & Religio 7. *q.* 12. Tabiena *verbo* Episcopus *q.* 6. Armilla *n.* 8. Viguer. *c.* 27. *Instit. Theol.* §. 1. *ver.* 21. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 3. *n.* 8. & *lib.* 4. *sum.*

sum.c.37.n.45. Sotus *in 4.dist.21.q.1. ar. 4 in fine corpor.* Lopez 2.p. *Instruct c.5. De indulgen.* ver. *Sed vtrum indulgentiæ.* Salas *Disp.20. De legib sect. 12. num. 105.* Pontius *lib.8. de Matrim. c.4. nu.9.* Rodriquez *tom.2. sum. c.32 n.4.* Azor. *p.1. lib.7. c.18. q 6.* loquens in particulari de ieiunio. Reginal. *lib.4. Praxis fori pœnit. n.226.* ver. *Tertium est.* Villalob.*tom.1. sum.tr.23. diffic.4 n.23.* Palaus *p.1. oper.mor. disp. 5. de dispensat. leg. punct.7.§.1.n.2.* Diana *p 1.tr.9. de ieiunio. Resol. 15.* ver. *Notandum est.* Laiman. *lib.1.Theol.mor. tr.4. c.22.nu.32.* Tamburin. *De iure Abbatum tom.2. disp.12.q.8. n.1. & 2. in noua Editione.* Bossius *tom. 3. mor.tit. 21. §.3.nu. 147.* Leander *in prac. Eccl.tr.5. disp.10 q.35.* & alij in materia de legibus, quia non debent esse deterioris condicionis quam cœteri, quod tamen non habet locum, quando possunt alteri committere dispensationem.

3 Ratio ergo est, quia quando possunt dispensare in lege superioris, habent facultatem dirigendi obligationem legis iuxta exigentiam communitatis, atque adeo illam relaxandi ex rationabili causa; hoc enim exigit communitas, ne, dum lex prodesse intendit, noxia aliquibus fiat. Dum ergo habet potestatem directiuam circa obligationem legis, potest etiam dirigere eamdem obligationem in ordine ad se ipsum, atq; adeo relaxare, quãdo aliqua causa id exigit, siquidem habet potestatem directiuam etiam supra se ipsum, cum se debeat dirigere
4 ad vltimum finem mediante fine legum. Confir. cum lex sit lata à superiore, & subsistat in virtute iurisdictionis ipsius, quando inferior dispensat, non potest vti potestate iurisdictionali, siquidem non habet supra iurisdictionem superioris, sed tantum potestate directiua, qua dirigit, & moderatur legem prout opus fuerit; potest autem in se ipsum vti potestare directiua.

5 Hinc quando agitur de regimine directiuo vnicuique est subdita propria voluntas, nam pertinet ad ipsum illam regere, & ordinare, & ideo remanet subdita etiam in ordine ad dispensationem in lege, quia dispensatio est quoddam regimen, quo extra legem dirigitur voluntas, & ab ipsa tollitur obligatio legis. Ex Cap. autem *Magnæ. De voto,* nihil colligitur contra hanc Decisionem, siquidem Pontifex laudat Episcopum Trecensem, non quia satisfecerit alicui obligationi, sed quia præstitit opus laudabile. dum noluit fine consilio Apostolicæ sedis propriam sententiam sequi.

An delegatus ad dispensandum vniuersaliter pro aliqua communitate in ieiunio possit secum dispensare.

Decis. 414.

SVMMARIVM.

1 *Delegatus ad dispensandum vniuersaliter in ieiunio, potest etiam dispensare seipsum.*
2 *Delegatio non limitata se habet instar iurisdictionis ordinariæ.*
3 *Quando quis non possit esse iudex in propria causa.*

1 RESP. affirmatiuè cum Rodriquez *p.2. sum.c.32. nu 4.* Sanchez *lib.8. de Matrim. disp.3.nu. 10. & lib.4. sum.c 37 num.45.* Salas *disp.20. De legib. sect. 12. n.105.* Miranda *tom.2. Manual. Prælat. q.31. ar.5.* Sequitur Leander *in prac.Eccl.tr.5. disp.10. qu.37.*

Et ratio est, quia, cum in delegatione non sit limitata facultas ad certas personas, extenditur ad omnes indifferenter, quæ sunt de tali communitate propter eius vniuersitatem, & se habet instar ordinariæ iurisdictionis, vt notat Glos. *in cap. Cum causam. verbo* Delegatus. *De Appellation.* & Bal. *in l. Si vi proponis* 1. C. *Quomodo, & quando iud.* & ideo ipse quoque quatenus ligatus lege compreuditur sub facultate solutiua legis per dispensationem, & ideo potest seipsum dispensare.

3 Contra tamen hæc, & quæ dicta sunt in *præcedenti Decis.* militat difficultas, quod nemo est bonus iudex in causa propria, & ideo quando quis potest dispensare in lege superioris, non debet censeri ipsi concessum, quod etiam dispenset seipsum, quia debet recognoscere causam, ob quam concedenda est dispensatio. Resp. quod nemo potest esse iudex in causa propria, quando iudiciali modo procedendum est, quia, cum sit administranda iustitia, requiritur distinctio personarum, at quando exercenda est solum vis directiua, cum quisque possit dirigere se ipsum, ideo in tali casu potest esse iudex, quia non est proprie iudex, sed director, vt contingit, quando alicui conceditur dispensatio, aut quando quis dispensat cum seipso.

An superiores Regulares possint dispensare seipsos in ieiunio, quando possunt dispensare alios.

Decis. 415.

SVMMARIVM.

1 *Superiores Regulares secundum aliquos non possunt secum dispensare in ieiunio.*
2 *Possunt dispensare etiam cum seipsis.*
3 *Superiores reguntur eadem vi directiua, qua subditi.*
4 *Aliqua priuilegia inseruiũt solũ pro sedandis conscientijs.*

1 VIdetur negatiue respondendũ. Quia, vt refert Sorbo *in Compen. priuileg.* Eugenius IV. concessit Fratribus S. Hieronimi, quod prior, & Vicarius possit obtinere licentiam à confessario non ieiunandi; vnde, si possent se ipsos dispensare, non indigerent priuilegio. Et ita tenent Collector *priuileg. Mendicant. verbo* Accedere ad Monasteria *qu. vlt.* Rodriquez *tom.1. q. Regul. q.45. ar.vlt.*

2 Nihilominus dicendum est, quod possint seipsos dipensare non secus, ac suos subditos. Ita docent Armilla *verbo* Monachus *num. 9.* Syluester *verbo* Lex *q. 14.* Sotus *in 4 dist.18. q.1 ar.3.* & *lib.1 De iust. & iure q.6.ar.1. in fine.* Rodriquez *p.2.sum.c.32 n.4.* & *in Bullam cruciatæ §.8 dub.6 n.11.* Caiet.1.2.q.96 ar.5. *dub.vlt.* Molina *tom.1 De iust. & iure disp.247.* ver. *Prælati in Religione.* Azor. *p.1.lib.7.c.18 q.6.* Sà *verbo* Religiosus *n.47* Sanch. *lib.8. de Matrim. disp.3.n.9.* Tābur. *tom.2 De iure Abbat. disp. 12 q.8 n.1 & 2. in noua editione.* Corduba *in Addict. ad Collect. priuileg. Mendicant. verbo* Accedere ad Monasteria *in fine.* Mirāda *tom 2. manual.*

Prælat.q.31.ar.5. Facundez *præc.4.Eccl.lib.1.c.9.n.6.* Lezana *in sum. verbo* Ieiunium *nu.10.in fine.* Leander *in præcep. Eccl.tr.5.disp.10.q.27.*

3 Et est eadem ratio de ipsis, ac de cęteris, qui dispensare possunt in lege ieiunij à superioribus maioribus condita. Faciunt enim cum suis subditis vnum corpus, quod subest eidem directioni, & ideo illa directio, quæ se extendit ad totum corpus extenditur etiam ad ipsum superiorem, qui tanquam caput debet se ipsum dirigere simul cum subditis, & ideo potest etiam respectu sui ipsius relaxare legem ieiunij, cum hoc pertineat ad superioritatem, & vim directiuam.

4 Nec obstat priuilegium, de quo *in nu.1.* quia licet non necessarium, est tamen vtile pro sedandis conscientijs respectu illorum, qui oppositam opinionem sequuntur; quamquam possent etiam alio modo propriam conscientiam quietare, si nimirum delegarent facultatem dispensandi alicui, quam ipsi habent respectu subditorum, & postea à delegato dispensationem petere. Vnde ex illis priuilegijs, quæ sunt tantùm declaratiua illius quod aliàs est concessum, vt in Cap. *Quia* De *procurat.* & in Cap. *&* *si Christus in fine.* De *iure iur.* & de alijs refert Nauar. *De orat.c.19. n.84.* & notat Gloss. in citat. tex.

Quidnam concedant Regularibus priuilegia Summorum Pontificum in ordine ad ieiunium. Decis. 416.

SVMMARIVM.

1 *Regulares non potentes ieiunare bono modo, non tenentur ex priuileg. Sixti IV.*
2 *Regulares possunt in ieiunio anticipare, & postponere horam comedendi ex priuil. Leonis X.*
3 *Regulares itinerantes possunt transferre ieiunium in alium diem ex priuil. Leonis X.*
4 *An hæc translatio expediat.*
5 *Priuilegium sumendi refectiunculam hora prandij, & vespere cœnandi in ieiunio.*
6 *Priuilegium sumendi panem, & vinum, & fructus in refectiuncula ieiunij.*
7 *Superior Regularium localis potest dispensare subditos in ieiunio, & cibis vetitis ex priuilegio.*
8 *Extenditur priuilegium ad Familiares.*
9 *Quinam sint Familiares.*
10 *An requiratur, vt habitent intra septa.*
11 *Priuilegium dispensandi cum septentrionalib. vt solum aliquoties in hebdomada ieiunent in quadragesima.*

1 SIXTVS IV. concessit Fratribus Minoribus, quod non potentes ieiunare bono modo propter infirmitatem, vel debilitatem, non teneantur. Refert Sorbus *in Compendio priuileg. Mendicant. verbo* Ieiunium *nu.4.* Quid autem operetur huiusmodi priuilegium, & quomodo accipiendum sit, dictum est supra.

2 Leo autem X. concessit Fratribus Minoribus, præcipuè actu concionantibus, quod seruato ieiunio possint anticipare, vel retardare horas comestionis, & serotinæ refectiunculæ iuxta ipsorum cōsolationem. Sorbus *ibid.n.5.* Per quod priuilegium eximuntur ab obligatione seruandi horam statutam in ieiunio, & cum nullam mensuram præscribat pro anticipatione, vel retardatione poterunt anticipare, vel retardare, prout libuerit. Vnde ieiunium constabit solum ex vnica comestione cum cibis concessis, & refectiuncula absq; vlla prescriptione horæ.

3 Idem Pontifex concessit ijdem Fratribus Minoribus, quod quando iter habent possint transferre in alium diem ieiunium coincidens cum die itineris Sorbus *ibid.n.3.* Vt autem hoc priuilegium aliquid operetur, debet accipi de ieiunio, quod adhuc in itinere obliget, & proinde quando iter, vel ratione breuitatis, vel quia commodè fit, non sufficit, vt
4 excuser à ieiunio. Vnde equitantes poterunt in alium diem transferre ieiunium, vt notat etiam Martin. à s.Ioseph. *tom.1.mor.lib.2.tr. 9. de ieiun. n. 5.* Et intelligitur priuilegium de omnibus ieiunijs Ecclesiæ ex voto, & regulæ, & etiam Iubilei, quia priuilegium est absolutum, nec restringitur ad ieiunia certæ speciei. Puto tamen, quod huiusmodi translatio non expediat, quando scandalo esse potest nam sæculares videntes religiosos itinerantes non ieiunare, nec iter esse tale, quod excusentur, parum credent translationi, sed ansam sument violandi ieiunium.

5 Sixtus IV. item concessit Monachis Benedictinis Congregationis S. Iustinæ de Padua, quod itinerantes equitando possint mane sumere vespertinam refectiunculam, & vespere cœnare, quando ex præcepto ieiunandum est. Refertur in Compendio *priuileg. Societatis Iesu Tit.* Ieiunium §. 1. & à nostro Peregrino *in Compend. nostrorum priuileg. eodem Tit.* Ieiunium §. 1. Sed hoc est vnum ex illis priuilegijs, quod concessum est ad sedandas conscientias, cum nihil concedat, quod absque priuilegio non possit fieri, vt dictum est supra suo loco.

6 Idem Sixtus IV. concessit Fratribus Minoribus, quod in ieiunijs ex præcepto possint Priores secundum ipsorum conscientiam, Fratres vero, & domestici iuxta cōsilium, & licentiam Superiorum, quando aliqua infirmitate, vel debilitate grauantur, sumere pro refectiuncula panem, & vinum, & fructus. Sorbus *loco citato n.6.* Quod similiter priuilegium nihil prodest, quia concedit, quod omni ieiunanti est licitum; nisi forte ijs Regularibus, quibus per Regulam id prohibetur, in hoc enim casu concedit superiorib. quod dispensare possint, si alias non possent.

7 Extat autem aliud priuilegium Eugenij IV. concessum Fratribus Minoribus. Quod superior localis, etiam Vicarius in absentia illius possit concedere licentiam de consilio Medici; siue sine ipso subditis Fratribus, & etiam Familiaribus Monasterij infirmis, seu debilibus, vt comedant carnes sine licentia Diocesani, vel quod non ieiunent in diebus ieiunij ex præcepto, vt refert Sorbus *in Compend.priuileg.Tit.* Ieiunium *n.7.* Sed hoc priuilegium concedit, quod de iure conuenit omnibus superioribus, vt visum est in superioribus.

8 Quod autem spectat ad Familiares possunt Superiores Regulares dispensare in ieiunio, & in cibis vetitis, vt habetur ex prædicto priuilegio, & docent. Azor. *p.1.lib.7.c.18.qu.6.* ver. in compendio Pottel. *in dub.Regular.verbo* Ieiunium. *n.5.* Tamburin.

De

De iure Abbat. tom. 2. disp. 12. q. 8. n. 3. in noua editione. Bordonus *in Resolut. varijs Resol.* 18. *n.* 7. Martin. à S. Ioseph. *tom. 1. mor. lib. 2. tr. 9. de ieiun. n. 2.* In quo neque quicquam de nouo conceditur, quod non sit à iure, quia cum tales familiares sint incorporati familiæ exemptæ, sortiuntur & ipsi exemptionem tanquam pars familiæ, & ideo sunt sub iurisdictione Superioris familiæ.

9 Est tamen aduertendum, quod, vt quis censeatur Familiaris Regularium ex decreto concilij Tridentini *sess. 24. c. 11. De Reformat.* requiritur, quod actualiter inseruiat Religiosis, & degat intra septa Monasterij sub obedientia Regularium, non quidem qualis est obedientia Regularium, sed vt obedientia, quæ conuenit seruis, vt notat Suarez *tom. 4. de relig. tr. 3. lib. 9. c. 4. n. 11.* alioquin concilium requireret conditionem incompossibilem.

10 An autem requiratur vtraque conditio coniunctim, an sufficiat altera ipsarum. Peirin. *De priuileg. Constit. 1. Iulij 11. §. 15. n. 15.* vult requiri vtramque coniunctim. Suarez *citatus n. praeced. n. 15. illius cap.* vult non requiri, quod habitet intra septa Monasterij: Quod quidem probabile puto, quia sufficit, quod quis sit addictus seruitio, & recognoscat superioritatem Regularium: nam habitatio intra septa materialiter se habet ad incorporationem in familia. Vnde hic Romæ familiares Papæ, & Cardinalium, qui tales ratione seruitij censentur, vt plurimum non habitant in Palatijs Dominorum.

11 Insuper Laiman. *lib. 4. Theol. mor. tr. 8. c. 3. n. 6. ver. Adde.* refert priuilegium concessum Patribus Societatis à Pio IV. *anno* 1563. in fauorem populorum septentrionalium; nimirum vt possint dispensare cum iis ex illis populis, qui non possunt adduci, vt tota quadragesima ieiunent, ne semper ieiunent, sed solum aliquoties in hebdomada. Quo priuilegio fruuntur omnes alij Regulares, qui habent communicationem priuilegiorum, & proinde ipsi quoque cum ijsdem personis poterunt dispensare.

DE IEIVNIO NATVRALI ET NECESSARIO PRO EVCHARISTIÆ SVMPTIONE.

Quid nomine cibi, & potus soluentis ieiunium naturale intelligatur. Decis. 417.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum ieiunij pro communione.*
1 *Duplex acceptio cibi, & potus.*
2 *Cibus & potus debet esse aptus conuerti in substantiam viuentis.*
3 *Debet ordinari ex natura sua in cibum humanum.*
4 *Qualis debeat esse actio, vt sit commestio, & potatio.*
5 *Quomodo extrinseca substantia debeat ordinari ad stomacum, vt actio sit comestio, & potatio.*
7 *Regula quod solum violet ieiunium; quod per modum cibi & potus sumitur.*

1 Qvamuis Christus instituerit Eucharistiam post cœnam, atque adeo Apostolis non ieiunis ministrauit, non tamen hoc reliquit tanquam necessarium, quia verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, referuntur tantum ad substantiam sacrificij, non autem ad cęteras circumstantias, sed accidentalia reliquit dispositioni Ecclesiæ, vt notat D. Aug. *Epist.* 118. *c.* 6. Ecclesia autem disposuit, quod à ieiunis Eucharistia sumeretur, vt ob reuerentiam ipsi debitam esset primus cibus, sicut notat Concil. Matesconen. 2. *Can.* 6. quod præceptum desumitur ex Concil. Cartagin. 3. *c.* 29. & 48. Africano *Can.* 8. Bracharensi 1. *Can.* 16. Tolet. 7. c. 2. vbi habetur, Eucharistiam neque per minimum cibum, potumque conficiendam esse. Quod extenditur etiam ad sumptionem, vt in Concil. Constantien. *sess.* 13. Vnde ieiunium debet esse naturale excludens omnem cibum, & potum. Hoc autem præceptum obligare sub mortali tradunt Doctores omnes cum D. Th. 3. *p. qu.* 80. *ar.* 8. & ratio desumitur ex materiæ grauitate, & ex verbis Concil. Toletani, nam vtitur verbo, *Præsumat* quod importat grauem prohibitionem, quæ prohibitio extenditur etiam ad minimum cibum, & potum.

2 Cibus, & potus dupliciter consideratur: vel secundum materiam, vel secundum formam; Materia est id, quod assumitur ad manducandum, vel bibendum. Forma verò est illa actio comestiua, & potatiua; quæ dicitur forma, quia facit, quod materia sit in actu exercito cibus, & potus. Requiritur autem tam materia, quam forma, vt aliquid dicatur su-

mi per modum cibi, aut potus: vt inter alios notat Lugo *disp.* 15. *De Sacram.Eucharist.sect.*2.*n*.28. quia si altera deficiat, non erit nec cibus, nec potus. Dubitatur autem, quomodo vtraque accipi debeat.

3 Conueniunt omnes, quod vt aliquid sit cibus, aut potus, debeat esse aptus ita alterari in stomaco; vt conuerti possit in substantiam viuentis; quia enim sumitur in ordine ad conseruationem, & augmentum viuentis, ideo debet esse aptum, vt conuertatur in eiusdem substantiam; vnde quod caret hac conditione, non potest defectu materiæ soluere ieiunium naturale.

4 Existimo tamen, hoc non sufficere: sed insuper requiri, quod si tale, vt ex natura sua ordinetur in cibum humanum: ita vt moraliter censeatur cibus humanus. Si enim non sit cibus aptus ad nutriendum hominem, absolutè non potest dici cibus illius; quia cibus constituitur per aptitudinem ad nutriendum. Dum autem non est cibus, nec etiam opponitur cum ieiunio, quod est essentialiter abstinentia à cibo; Vnde qui illud sumet, non soluet ieiunium: quia adhuc erit verum, quod abstinuerit à cibo.

5 Actio autem comestionis, & potationis, quæ est forma, qua cibus, & potus fiunt in actu exercito; importat, quod id, quod est aptum, vt si cibus, & potus ab extrinseco adueniens ingrediatur in stomacum. Quia tamen hoc potest diuersimodè contingere, idcirco, vt sit vera comestio, & potatio, debet humano modo fieri; fit autem modo humano, quando res apta ad comedendum, aut potandum ordinatur ad ingressum in stomacum; quia cum hoc pacto sit substantia extrinsecus accepta apta conuerti in substantiam viuentis, & constituatur in statu, vt possit conuerti, iam adest actio, quæ sit comestio, & potatio; nam talis actio non est aliud, quam constitutio substantiæ extrinsecus acceptæ, in statu proximo, vt possit nutrire.

6 Vt autem extrinseca substantia ordinetur ad nutriendum, non est necesse, quod adsit intentio ordinandi in eo; qui comedit; nam etiam si ab alio, etiam per vim, & contra intentionem comedentis ordinetur, vt contingere potest in infantibus, aut ægrotis, adhuc tamen habet rationem cibi; Sufficit ergo, quod ordinetur quocunque modo, via tamen à natura instituta ad comestionem; vnde debet ingredi per os, & motu oris transmitti in stomacum: alioquin non erit comestio vera: quia non fiet actione comestiua à natura instituta.

7 Ex dictis colligitur, quomodo sit accipienda illa regula communiter recepta, quod in ordine ad Eucharistiam, illud solum frangat ieiunium naturale, quod per modum cibi, aut potus sumitur, includendo etiam quod sumitur per modum medicinæ, vt notant D. Th. *3.p.q.*80.*ar.* 8.*ad* 4. Suarez *disput.* 78. *de Euchar. sect.*4. Azor. *p.*1.*lib.* 10. *c.*30.*qu.*2. Coninch. *de sacram.q.*80.*ar.*8.*n.*47. Reginal.*lib.*29. *praxis fori pœnit. n.*118. Filliuc. *tr.*4. *c.*8 *nu.*336. Bonac.*disp.*4.*de sacram.q.*6. *pun.*2.*n.*6. Villalob.*p.*1. *sum. tr.*7 *diffic.*39. *n.*1. Palaus.*p.*4.*oper.mor.tr.*21.*pun.*13.*n.*7. Facundez *prac.* 3. *Eccles. lib.*3.*c.*5.*n.*14. Lugo *disput.* 15. *de Euchar. n.*23. Henriquez *lib.*8 *sum.c.*50.*n.*4 Nauar. c.21.*Manual n.*53. Laiman. *lib.* 5.*theol.mor.tr.*4.*c.*6.*n.*18. Scorzia *lib.*2. *de sacrif.miss. c.*7.*n.*1. Tabiena *verbo.* Communicare *n.* 49. Sà *verbo.* Eucharistia *n.*27. debet enim accipi moraliter, & physice, itaut interueniat substantia physica cibi, aut potus; & quod sit talis in morali æstimatione, & etiam quod in morali æstimatione sumatur tanquam cibus, aut potus; nam si non ingrederetur stomachum per modum cibi, aut potus, non violaret hoc ieiunium vt magis constabit ex dicendis. Quare requiritur substantia cum tali quantitate, & qualitate, & cum modo traijciendi, vt moralis æstimatio iudicet esse comestionem, & potationem. Quod etiam notat Dicastil. *tr.*4. *de sacram. disp* 9.*dub.*17.*n.*278.

An sit regula vniuersalis, quod illud non frangat ieiunium naturale, quod integrum in excrementis emittitur.

Decis. 418.

SVMMARIVM.

1 *Esse regulam vniuersalem, quod quæ non alterantur in stomaco, non soluunt ieiunium naturale.*
2 *Non tamen omne, quod alteratur soluit.*
3 *Solum frangit ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano.*
4 *Qui oppositum sentiant.*
5 *Quale ieiunium prærequirat reuerentia Eucharistiæ.*

1 Affirmatiue resp. Io. de Lugo *disp.*15. *de Eucharistia sect.* 2.*n.*31. Addit tamen hoc esse intelligendum de eo, quod ex natura sua non est alterabile à stomaco humano: nam si per accidens non possit alterari, si sumatur, violabit ieiunium naturale. Quam tamen regulam non admittit Dicastillus *de sacram tr.*4. *disp.* 9 *dub.* 17 *n.* 276.

2 Verum, licet quicquid à stomaco humano ex natura sua alterari non potest, non violet ieiunium naturale: quia, dum non potest alterari, nec etiam potest conuerti in substantiam: vnde non habet rationem cibi; cum sit de ratione cibi, vt possit conuerti in substantiam viuentis: non tamen censeo, debere includi intra terminos cibi quicquid quocunque modo est alterabile. Aliqua enim possunt alterari, nec tamen habentur pro cibo; vt sunt aliqua venena, quæ non sortiuntur suum effectum nisi in stomaco alterentur, & alterata transmittantur ad alias partes corporis, & præcipuè ad cor. Quis autem dicat, quod cum cibus ordinetur ad conseruandum hominem, & venenum ad interimendum, habeat venenum rationem cibi?

3 Itaque existimo hoc totum metiendum esse secundum moralem existimationem, vt id solum frangat ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano. Ieiunium enim, vt etiam in *superioribus* dictum est, essentialiter est abstinentia à cibo; vnde quamdiu saluatur totaliter hæc abstinentia, saluatur etiam naturale ieiunium: quando autem, quod assumitur, secundum moralem æstimationem non est cibus humanus, potest intellectus formare prudens iudicium, quòd adsit abstinentia à cibo: nam tale iudicium habet firmum fundamentum nempe moralem æstimationem.

4 Con-

4 Contra traditam doctrinam sentiunt omnes, qui putant, etiam per non comestibilia solui naturale ieiunium, & præsertim Palud. *in 4. dist. 9. q. 2. ar. 2 concl. 2.* Persicus *lib. 1. de Officio Sacerdotis c. 3. dub. 5. n. 43.* quia ob reuerentiam Eucharistiæ attenditur
5 quod nihil prius ingrediatur in stomachum. Quod tamen non rectè procedit; quia reuerentia in eo consistit, quod non ingrediatur aliquid per modum cibi: quia cum Eucharistia sit cibus spiritualis, debet in illa die vt dignior præcedere omnem alium cibum, atque adeo reperire stomacum ieiunium; quod bene saluatur, si non reperiat aliquid ex natura sua ordinatum ad nutritionem.

An si deglutiatur aliquid non comestibile ex natura sua, vt parum, papyri, impediat sumptionem Eucharistiæ.

Decis. 419.

SVMMARIVM.

1 *Si deglutiatur aliquid non comestibile, secundum aliquos soluit ieiunium naturale.*
2 *Quid sit mens D. Thom.*
3 *Deglutire aliquid non comestibile non soluit ieiunium naturale.*
4 *Papyrus degluititus non soluit ieiunium naturale.*
5 *Ieiunium naturale non soluitur, nisi per verum cibum, aut potum.*
6 *Cur, quod in magna quantitate non soluit ieiunium Ecclesiasticum, non soluat in parua naturale.*
7 *Si deglutiatur dedita opera, quod non est cibus, aut potus, non soluit ieiunium naturale.*
8 *Nec etiam, si in magna quantitate sumatur.*
9 *Officcula cerasorum &c. non violant ieiunium naturale.*
10 *Aliqua non comestibilia violant.*

1 IMpedire sumptionem Eucharistię, & soluere necessarium ieiunium docent Henriquez *lib. 8. c. 49. nu. 2.* Scortia *De Sacris. Missæ lib. 2. c. 7. n. 1.* Reginald. *tom. 2. Praxis fori pœnit. lib. 29. n. 118.* Layman. *lib. 5. tr. 4. c. 6. n. 18.* Naldus *in sum. verbo* Eucharis: *n. 10.* Bonacina *disput. 4. De sacram. q. 11. punc. 2. n. 10.* Persicus *lib. 1. de Officio Sacerd. c. 3. dub. 5. n. 43.* Villalobos *p. 1. sum. tr. 7. diffic. 39. n. 1.* Palud. *in 4. dist. 9. q. 2. ar. 2. concl. 3.* Syluester *Eucharist. 3. q. 3. n. 8* Facundez *in prac. Eccl. p. 3. lib. 3. c. 5. n. 5.* Io. Præposit. *3. p. q. 80. ar. 8. dub. 1. ver. Ex dictis etiam.* Nugnus *3. p. q. 80. ar. 8.* Leander *tom. 1. de sacram. p. 2. disp. 5. q. 5.* Vasquez *3. p. disp. 211. c. 3. nu. 18.* Syluius *q. 80. ar 8.* Suarez *disp. 66. de Eucharist. sect. 4.* Lublinus *in summa verbo,* Communio. *casu 11.* Ledesma *1. p. 4 q. 21. ar. 8. dub 3.* Marchiñ. *De Sacram. Ordin. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 5.* Azor. *p. 1. lib. 10. c. 3. q. 2.* Thomas Hurtad. *p. 2 moral. resol tr. 11. c. 8. n. 247.* Ianner. *tom. 4. disp. 5. q. 8 dub. 4 n. 78.* Quod etiam videtur sentire D. Thom. *ibid. ad 4.* dum ait, quod non refert, an quod assumitur nutriat, an non, dummodo assumatur per modũ cibi; quia sẽper siue nutriat, siue non, soluit naturale ieiunium. Videntur enim hæc habere rationem cibi.

2 Verum D. Th. non loquitur de ijs, quæ ex natura sua nutritiua non sunt, sed tantum de ijs, quæ per accidens non sunt nutritiua ratione paruitatis materiæ; & hæc ait soluere ieiunium, quia habent rationem cibi. Rursus cum dicat, Nec refert, an aliquid huiusmodi nutriat, referuntur hæc verba ad præmissa, vt constat ex dictione, *Huiusmodi,* & præsertim ad medicinam, quæ non solet nutrire.

3 Tenenda est ergo opposita sententia. Quod nimirum non soluat ieiunium pro sumptione Eucharistiæ necessarium, cum Summa Corona *p. 4. c. 4. n. 65.* Vega *in speculo Curat. to. 1. c. 10. §. 17. nu. 161.* Ledesma *1. p. sum. c. 13. De Eucharist. conclus. 4.* Ludouico de S. Iuan. *p. 1. sum. tr. De Euchar. qu. 7. ar. 10.* Io. à cruce *in Direct. Conscient. p. 2. qu 5. De Eucharist. concl. 2.* Io. Sanctio *in disp. select. De sacram. disp. 43. n. 23.* Diana *p. 2. tr. 14. Resol. 52. ver. Sed hæc.* & *p. 3. tr. 4. Resol. 38.* & *p. 5. tr. 13. Resol. 1.* Bauny *p. 1. Theol. mor. tr. 10 q. 22. ver. Consentiens.* Io. de Lugo *disp. 15. De Sacram. Eucharist. sect. 2. n. 30.* Qui tamen *num. 32.* dubitat de papyro: quia non ita difficile alteratur, cum conficiatur ex tela, quæ tandem est herba tenuissima, Boss. *tom. 1. mor. tit. 1. n. 119.* & *tom. 3. tit. 22. n. 15.* Amico *tom. 7. Curs. theol. disp. 27. n. 4.* Machad. *de perfect. Confess. tom. 1 lib. 2. p. 4. tr. 8. docum. 4. n. 4.* Auersa *q. 8 de Euchar. sect. 8. ver.* Septimo Martin. à s. Ioseph. *tom. 1. mor lib. 1. tr. 8. de Euchar. n. 7.* Garzia *in sum tr. 3. diffic. 5 dub. 2. punc 30 n. 31.*

4 Verum non de papyro ego dubito: Quia etiam si esset alterabilis, & per accidens nutriret, sufficit, quod ex natura sua non ordinetur in cibum præsertim hominis: vnde non potest dici sumi per modum cibi; Nec obstat, quod sit ex herba: tum quia non est in substantia herba, aut saltẽ non censetur herba, atque adeo nec cibus, qualis esset illa verba: tum quia nec herba, ex qua conficitur tela, est cibus humanus.

5 Ratio à priori est. Quia ieiunio naturali opponitur tantum cibus, & potus tanquam id, per quod soluitur; vnde quidquid transglutiatur, & descendat ad stomacum, quod ex natura sua non sit cibus, aut potus, non contrariatur ieiunio nec illud soluit. Sic papyrus quia ex natura sua non est cibus, ideo non soluit ieiunium. Nec obstat, quod hæc non comestibilia patiantur in stomacho aliquam alterationem, quia hæc alteratio non sufficit, vt habeant rationem cibi. Neque enim cibus constituitur in ratione cibi per id, quod abhoretur à stomacho, sed per id, quod sit aptum nutrire; vnde nec comestio in morali æstimatione habetur, nisi versetur circa rem ordinatam ad cibum seu ad nutriendum, itaut in morali æstimatione habeatur pro cibo.

6 Ex hoc autem fit, quod valeat arguere, quod illud, quod in magna quantitate sumptum non soluit ieiunium Ecclesiasticum, nec in parua quantitate soluat naturale; ideo enim non soluit ieiunium Ecclesiasticum, quia ex natura sua non est cibus: & ob eamdem rationem nec in parua quantitate soluit naturale.

7 Insuper. Sequitur, quod etiam si aliquid tale deglutiatur, non inaduertenter, sed dedita opera, adhuc non soluit ieiunium: quia in ieiunio naturali attenditur sumptio ipsa materialis cibi, vel potus, siue fiat ex intentione siue non: quia non intentio opponitur ieiunio naturali, sed ipsa sumptio cibi,

vel

vel potus; vnde quando ipsa non concurrit, non soluitur ieiunium; quando sumitur, quod ex natura sua non est cibus, aut potus, etiã si dedita opera sumatur.

8 Deniq. Etiam si in magna quantitate sumatur, quod ex natura sua non est cibus aut potus, non soluit ieiunium necessarium pro sumptione Eucharistiæ; Quia respectu ieiunij naturalis nõ consideratur quantitas, sed ipsa sumptio cibatiua, aut potatiua, quæ est id; secundum quod cibus, & potus opponitur ieiunio naturali. Quæcunq; autem sit quãtitas quæ sumitur, si non fit illius, quod ex natura sua est cibus, aut potus; nunquam est sumptio cibatiua; aut potatiua.

9 Ex dictis colligitur contra Leandrum *num.* 1. citat sumentem ossicula cerasorum, et alia huiusmodi non soluere ieiunium naturale, quia licèt includant aliquid comestibile, non tamen alteratur à stomacho, nec illi inseruit vt cibus cum integra egerantur

10 Colligitur 2. cum Dicastil. *De Sacram. tract.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *num.* 282. Aliqua; quæ non videntur cibus in humana æstimatione, violare ieiunium naturale, si ex ijs sint, quæ aliquando ad aliquem effectum ordinantur, ad quem ordinatur cibus, aut medicina, vt puluis Margaritarum, laminæ auri, aut puluis, argillæ rubræ &c.; si sumantur in ordine ad hos effectus tunc enim in morali æstimatione interuenit comestio, aut potatio.

An sumere terram, & traijcere in stomacum, vel ob delectationem, vel ob minuendum colorem, & soluat naturale ieiunium. Decis. 420.

SVMMARIVM.

1 *Terra soluere ieiunium, quando sumitur ob delectationem, vel ob minuendum colorem, qui doceant.*
2 *Non soluit.*
3 *Ex eo quod sumitur cum delectatione, non arguitur, quod sit cibus.*
4 *Nec quando sumitur ob minuendum colorem soluit ieiunium.*

1 AFFIRMATIVE respõdet, quãdo fit ob delectationẽ, vel ob minuendum colorẽ, *Io. à Cruce par.* 2. *Direct. Cõsciẽt. q.* 5. *De Eucharist. cõclus.* 2. cui videtur cõsẽtire Diana *par.* 2. *tract.* 14. *Resol* 52. *ver. Sed hæc opinio.* Bauny *par.* 1 *Theol: mor. tract.* 10. *q.* 22. *ver. Consentiens* Ioan autem de Lugo *disp.* 15. *de Eucharist. sect.* 2 *nu.* 32. ait, se de hoc dubitare, Hieronym. Garzia *in sum. tract.* 3. *difficult.* 5. *dub.* 2. *pun.* 3. *num.* 31.

2 Quod spectat ad sumptionem terræ, quando fit etiam cum delectationem, nullam habeo difficultatem, quod non frangat ieiunium; quia cum nullo modo sit cibus ex natura sua, nec etiã eiusdem sumptio opponi potest cum ieiunio naturali, cum quo solum, quod habet rationem cibi, opponitur. Nec obstat, quod fiat cum delectatione: quia delectatio non facit, quod sit cibus: quia cibus primò, & per se dicit, quod ordinetur ad conuersionẽ in obstantiã viuẽtis, sine quo nõ potest aliquid habere rationẽ cibi.

3 Dices. Ex eo, quod sumitur cum delectatione argui, quod habeat rationem cibi; quia cum sit delectatio pertinens ad gustum, est proprietas cibi. Sed hoc non rectè procedit; quia non omnia, quæ sapida sunt, habet rationem cibi, vt patet in sulphure; gustus enim habet vim perceptiuam saporis, vt sciat discernere, quæ noxia, & quæ non noxia sint; vnde non statim, ac aliquid est sapidum, etiam cibus, præsertim si sit sapidum ex mala affectione palati; vt puto contingere, quando terra ipsa est sapida.

4 Maiorem difficultatem habet, quando sumitur terra ob minuendum colorem; quia tunc videtur se habere per modum medicinæ: & idcirco soluere ieiunium. Sed neque tunc soluit ieiunium; quia nec est cibus, nec propriè medicina; sẽper enim est elen ẽtũ primum, quod nõ est alterabile à stomaco, quamuis secundum aliquas tenues particulas diffundatur cum sanguine per totum corpus. Medicina enim semper continet aliquas partes, quæ ex natura sua possunt habere rationem cibi, & conuerti in substantiam viuentis & ideo soluit naturale ieiunium. Hoc bonum habet in rigore loquendo, quia tamen moralis æstimatio illam putat esse comestionem cum ordinetur ad aliquem effectum corporalem, ideò probabilius est, quod violet ieiunium.

An, si quis non aduertenti mittat in os aliquid cibi, & causa transglutiatur, soluat ieiunium naturale. Decis. 421.

SVMMARIVM.

1 *Cibus, aut potus ab alio in os immissus non volenti, & casu traiectus in stomacum soluit ieiunium.*
2 *Etiam si deglutiatur ratione respirationis.*
3 *Sola respiratio non sufficit vt attrahatur.*
4 *Sola sumptio passiua cibi obstat fini præcepti, & ideò etiam præcepto.*

1 RESP. soluere ieiunium naturale, & impedire sumptionem. Eucharistiæ. Ita etiam tenet Io. de Lugo *disp.* 15. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 35. Auersa *quæst.* 8. *de Euchar. sect.* 8. *vers. sexto.* Dicastill. *de Sacram. tract.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *n.* 272. Et ratio est, quia supponitur esse verus cibus, & eadem intẽtio illius, qui ipsum mittit in os, quod descendat ad stomacum; vnde interuenit assumptio externe substantiæ, & actio deductiua ipsius in stomacum; & proinde licet sit cõtra intentionem traijcientis, est tamen manducatio, aut potatio: quia nimirum cibus, aut potus traijcitur in stomacum motu ordinato ad hoc ipsum. Et sicuti solueretur ieiunium Ecclesiasticum, si in magna quantitate ita trijceretur ita soluitur naturale, dũ traijcitur in parua quantitate.

2 Quod etiam est verum, si huiusmodi traiectio fiat ratione respirationis; quia respiratio non est totalis causa traiectionis, cum supponat motum per se ordinatum ad immittendum in stomacum, & ipsa sit veluti completiua talis motus, & tamquam quid accessorium se habeat addiuuans priorẽ motum; cum

autem

autem accessorium sequatur naturam principalis, & prior principalis motus sit ordinatus ad comestionem, aut potationem, etiam posterior accessorius ordinabitur.

3 Contra supradicta sentit Bossius *tom. 3. mor. tit. 22. n. 21.* asserens, non violari naturale ieiunium. Primò quia non intrat per modum cibi, aut potus, seù per actionem vitalem manducatiuam, aut potatiuam, sed per modum respirationis, & respiratio est causa totalis traiectionis, sed hoc constat esse falsum, quia si interueniret sola actio respiratiue, cibus, seù potus attraheretur per canalem respirationis, & tenderet ad suffocationem. Dum autem ingreditur stomachum, oportet, quod interueniat actio manducatiua, aut potatiua, & proindè quod respiratio solùm causet aliquem motum in cibo, aut potu, ratione cuius applicetur canali tendentur ad stomachum, quo vrgente ingressum natura prouocata exeat in actionem manducatiuam, aut potatiuam.

4 Secundò obijcit. Celebratio, & sumptio Eucharistiæ solum prohibetur post minimum quemlibet cibum, aut potum sumptum. In casu autem præsenti non potest dici cibus, aut potus sumptus, propriè loquendo, quia sumptio dicit actionem voluntariam, & moralem. Et debet intelligi de propria sumptione, quia termini in omni dispositione formaliter, & propriè sunt accipiendi, vt notat Caiet. communitèr receptus *verbo* Excommunicatio *n.* 1 Resp. sumptionem posse sumi actiuè, & passiuè prout dicit receptionem. Si sumatur actiuè, aut actiuè, & passiuè simul dicit actionem voluntariam; at si sumatur passiuè tantùm, non dicit talem actionem, sed tantum receptionem. Quando autèm post cibum sumptum, aut potum prohibetur celebratio, & sumptio Eucharistiæ intelligitur de quacumque sumptione etiàm passiua tantùm, vt colligitur ex fine legis, quæ vult, quod Eucharistia sit primus cibus; sola autèm sumptio passiua obstat huic fini æque ac, etiàm actiua, nam facit, quod præcedat alius cibus, & Eucharistia non sit primus.

An, si quis respirando traijciat aliquid, quod possit esse cibus, vt culicem, soluatur naturale ieiunium.
Decis. 422.

SVMMARIVM.

1 *Si quid respirando attrahatur in stomacum, non soluitur naturale ieiunium.*
2 *Attractio per respirationem non est comestio, aut potatio.*
3 *Quid doceat* Tabiena, *quando ex intentione attrahitur.*
4 *Si quid dedita opera attrahatur per os soluit ieiunium.*
5 *Secus autem, si per nares.*

1 RESP. Non soluere naturale ieiunium, nec impedire Eucharistiæ sumptionem, siue attrahatur per os, siue per nares. Ita communiter Palud. *in 4 dist. 8. qu. 2. ar. 2. concl. 6.* Henriquez *lib 8. de Eucharis. c. 50. n. 4.* Nauar. *c. 21. Manual. n. 53* Angelus *verbo* Missa *nu. 5.* Tabiena *verbo* Communicare *q. 45. n. 51.* Sà *verbo* Eucharis *n* 27. Reginal. *lib. 29. Praxis fori pœnit. c. 6. nu. 119. notab.* 1. Suarez *3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 4.* ver. *Quares rursus.* Facundez *in prac. Eccl. p. 3. lib. 3. de 3. precep. c. 5. n. 14.* Pitigian. *in 4. tom. 2. disp. 8. q. 3. ar. 2.* Villalob. *tom. 1. sum. tr. 7. diffic 39. n. 1.* Bonacina *disp. 4. de Sacram. q. 6. punc. 2. n. 6.* Diana *p. 3. tr. 4. de Sacram. resol. 37.* ver. *Notandum est.* & *par. 5. tr. 13. qui est 1. Miscellan. resol. 1.* ver. *Hoc supposito.* Lugo *disp. 15. de Eucharis. sect. 2. n. 34.* Trouset. *in Thesauro Eucharis. p. 2 sect. 27.* ver. *Minima etiam.* Persicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. c. 3. dub. 6. n. 54.* Io. Præpositus *3. p. q. 8. 80. ar. 8. dub 1. nu. 40.* ver. *Ex dictis* Gaspar Hurtad. *disp. 9. de Euchar. diffic. 15.* ver. *Obseruandum.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 22. n. 15.* Amicus *tom. 7. Curs. theol. disp. 27. n. 4.* Auersa *q. 8 de Euchar. sect. 8. vers. Tertio. & vers. sexto.* Martin. à S. Ioseph *tom. 1. moral. lib. 1. tr. 8. de Eucharis. n. 5.* Hieronymus Garzia *in sum. tr. 3. diffic. 5. punc. 3. n. 44.* Francis. Lugo *lib. 4. de Sacram. c. 7. q. 4. n. 29. & 31.* Dicastil. *de Sacram. tr. 4. disp. 9. dub. 7. n. 279.*

2 Ratio est, Quia ad soluendum ieiunium naturale requiritur comestio, aut potatio; vt autem interueniat comestio, aut potatio, debet interuenire ne dum materia comestibilis, aut potabilis, sed etiam actio comestiua, aut potatiua. Quando autem attrahitur aliquid per respirationem, siue per os, siue per nares, non interuenit actio comestiua, aut potatiua, sed respiratiua; & ideo non soluitur ieiunium, quia non adest comestio, aut potatio.

3 Sed maiór difficultas est, si non casu, sed ex intentione aliquid attrahatur per respirationem. Tabiena *loco citato* videtur sentire, quod neque adhuc soluatur ieiunium; & ita videtur dicendum, quia neque adhuc illa actio est comestiua.

4 Existimo autem, diuersam esse rationem, si attrahatur per os, vel per nares. Si enim attrahitur per os violat ieiunium naturale: quia licet actio, & motus respirationis non sit actio manducatiua, aut potatiua (quia non est ordinata à natura ad trãsmittendum cibum, aut potum in stomacum) ordinatur tamen in hunc finem ab ipso respirante; & ideo vt stat sub intentione ipsius induit rationem talis actionis; vnde moraliter censetur actio manducatiua, vel potatiua; & ideo cum materia interueniat, & actio debita, interuenit etiam manducatio, aut potatio. Et sequitur Bossius *tom. 3. mor. tit. 22. n. 15.*

5 Si vero attrahatur per nares, puto non violare ieiunium, quia nares non ordinantur ad transmittendum aliquid in stomacum, sicut ordinatur os, sed per accidens est, si quid per ipsas ingressum descendat ad stomacum: vnde neque intentio, quę facit, vt aliquid attrahatur per nares, potest esse intentio per se aliquid transmittendi in stomachum; quia intentio per se eligit media per se ordinatą ad finem; vnde si talis intentio esset per se, eligeret os, & non nares. Dum autem intentio non est per

se,

se, nec actio est ex natura sua manducatiua, aut potatiua, non interueniet comestio, aut potatio, atque adeo nec violatio ieiunij.

An aqua hausta per nares soluat ieiunium naturale. Decis. 423.

SVMMARIVM.

1 *Aqua hausta per nares non soluit naturale ieiunium.*
2 *Aqua hausta per nares non est potus.*
3 *Si quis faciem lauans attrahat aquam per nares, potest adhuc sumere Eucharistiam.*
4 *Nisi assuetus sit attrahere, & vti naribus loco oris.*
5 *Quid si moretur prius in ore.*

1 RESp. negatiuè, etiam si ad stomachum descendat: ab cum Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 68 *sect.* 4. ver. *Quares rursus*. Facundez *in prac. Eccl. p.* 3. *lib.* 3. *de* 3. *prac. c* 5. *nu.* 14. Bartholom. à S. Fausto. *lib.* 1. *de Euchar. q.* 382. Cœlestin. *in Compend. Theol. mor. tr.* 8. *c.* 3. *dub.* 5. Bossius *tom* 3. *mor. tit.* 22. *n.* 15. Alphonsus de Leone *de offic. Capel. q.* 8. *sect.* 17. *casu* 2. *n.* 134. Francisc. Lugo *lib.* 4. *de sacram. c.* 7. *q.* 4 *n.* 33 quod videtur approbari etiam à Diana nostro *p.* 5. *tr.* 13 *resol.* 1. ver. *Hoc supposito*. Bonacina *disp.* 4. *de Sacram. q.* 6. *punc.* 2. *n.* 6.

2 Ratio eadem est, ac superioris præcedentis Decis. Nam quod attrahitur per nares, etiam si dedita opera fiat, non attrahitur actione comestiua, aut potatiua: & ideo aqua illa non habet rationem potus; atque per accidens descendit ad stomacum.

3 Vnde, si quis, dum faciem lauat, hauriat per nares aliquid aquæ, etiam si descendat ad stomachum, poterit, hoc non obstante, illa die sumere absque vllo scrupulo Eucharistiam; siquidem non per hoc censetur aliquid potus sumpsisse.

4 Hoc tamen limitandum est, nisi fortè assuetus sit per nares attrahere, & in stomacum traijcere liquores; quia tunc, si dedita opera id faciat, soluet ieiunium. Licet enim illa actio non sit ex natura sua potatiua, est tamen talis ex institutione, & consuetudine attrahentis; nam naribus vtitur loco oris; & ideo censetur moraliter potum sumere.

5 Quòd si aqua per nares attracta in os prius descendat, & ibi aliquantulum commoretur, & postea in stomachum descendat, neque adhuc soluit naturale ieiunium: quia non descendit in stomacum per modum potus, sed per modum distillationis, quæ fiat à capite, & per modum pituitæ, quæ non soluit naturale ieiuninm in quacunque quantitate descendat.

6 Ex dictis colligitur, quod si tempore pestilentiæ quis summo mane attrahat acetum, aut alium liquorem per nares ad confortandum caput, & sibi præcauendum ab infectione, etiam si aliquid ipsius descendat in stomachum, poterit celebrare, aut Eucharistiam sumere. Quia tunc non descendit per modum potus, nec censetur bibisse, & proinde non potest secundum moralem æstimationem verificari, quod biberit. Vnde nec etiam potest in virtute præcepti prohibentis Eucharistiam post cibum, & potum priuari iure certo, quod habet ad ipsam. nam vt priuaretur deberet esse certa comestio, aut potatio. Et quamuis Marchant. *in q. pastoralib. tr.* 4 *c.* 2. *in* Append. ver. *Addo*, hoc non videatur approbare, est tamen iuxta Doctrinam Doctorum, quos *n.* 1. citaui.

An odor, & suffitus carnium frangat ieiunium tam naturale, quàm Ecclesiasticum. Decis. 424.

SVMMARIVM.

1 *Quidam putant odorem, & suffitum soluere ieiunium naturale.*
2 *Odor, & suffitus restaurat corpus.*
3 *Odor, & suffitus deferunt secum tenuissimas partes substantiæ, quo se nobis communicant.*
4 *Odor, & suffitus cuiuscunque rei non soluit naturale ieiunium.*
5 *Ieiunium soluitur solum per cibum, aut potum.*
6 *Qualis sit finis ieiunij.*
7 *Finis intenditur à lege, vt stat sub materia proxima legis.*
8 *In ieiunio prohibetur effectus cibi non quomodocunque, sed vt proueniens à cibo.*

1 QVidam plus æquo scrupulosi arbitrati sunt, odorem ipsum carnium frangere ieiunium Ecclesiasticum; & quorumcunque ciborum frangere ieiunium naturale; vnde fugiebant, quotiescunque in huiusmodi odores inciderent, antequam celebrassent Missam.

2 Quòd autem talis odor, aut suffitus dedita opera adhibitus ad refocillationem frangat ieiunium, videtur suaderi posse; quia in ieiunio prohibentur carnes ob macerationem corporis, huiusmodi autem odor, & suffitus valde restaurat corpus: vt patet etiam in alijs odoribus; vnde Medici ad restaurandam naturam, & ad retundendam vim morbi solent suffitus, & odores congruos adhibere.

3 Præterea, odor, & præsertim suffitus secum defert tenuissimas, & spirituosas partes substantiæ, quæ nostro corpori se se incorporant, & ipsum restaurant, vnde videtur præstare eundem effectum quem præstat cibus; quia in tantum nutrimur ex cibo, in quantum aliquæ partes ipsius nostro corpori sese commiscent, & in eiusdem substantiam transeunt. Et ideo quod soluat ieiunium naturale, tenet Antonius de Leone in *q. Moralib. de Cochelate p.* 2. §. 4. *n.* 10. *& sequentib.*

4 Dicendum tamen est; odorem, siue suffitum carnium, siue alterius nullo modo frangere ieiunium, etiam si in hunc finem adhibeatur, vt restauretur natura contra macerationem, quæ prouenit à ieiunio. D. Th. *in* 4 *dist.* 15. *q.* 3. *ar.* 4. *q.* 1. *ad* 4. Abulen. *q.* 167. *in c.* 6. *Matth.* Reginald. *lib.* 4. *praxis c.* 14. *n.* 172. Anglesf. *in floribus q.* 9. *de ieiun. ar.* 2 *diffic.* 2. *ap. pend.* 2. Vega *p.* 1. *sum. c.* 14. *casu* 32. Molfes. *par.* 1. *sum.*

sum. tr. 10. c. 5. n. 11. Facundez pr. ec. 4. Eccl. lib. 1. c. 4. n. 14. Leander in prac. Eccl. tr. 5. disp. 5. q. 38. Bossius tom. 3. mor. tit. 22. n. 17. Ita Granad. loquens de fumo 3. p. Controuers. 6. de Sacram. tr. 10. disp. 3. n. 4.

5 Ratio resolutionis est. Quia in ieiunio per se primò prohibetur cibus carnium; restauratio autem corporis ex carnibus non est per se primò prohibita, sed tantum vt consequens ex cibo carnium: ille autem suffitus, quamuis restauret corpus, & ex parte compenset macerationem ex ieiunio, non est tamen cibus, & ideo in virtute ieiunij non est prohibitus. Item alij odores, & suffitus non sunt cibus, aut potus, & ideo non soluunt ieiunium etiam naturale.

6 Sed dices in lege attendendum esse finem, & ideo censendum est, prohiberi omne id, quod est contra finem: vnde cum lex praecipiens ieiunium, intendat macerationem corporis, & ideo prohibeat carnes, quatenus restaurant corpus, censendum est, prohiberi omnem restaurationem ex carnibus, quocunque modo fiat.

7 Verùm quando dicitur, in lege attendenda esse finem, debet intelligi de fine, pro vt stat sub materia proxima legis: alioquin si attenderetur, pro vt quocunque modo haberi potest, nimis ampla esset prohibitio legis, & praeceptum. Materia autem proxima legis prohibentis carnes in ieiunio est cibus ipsarum; quia lex ieiunij respicit exercitium temperantiae circa cibum; & ideo sola restauratio ex carnibus, prout habent rationem cibi, est prohibita.

8 Et per haec patet ad ea, quae in oppositum afferebantur n. 2. & 3. Nam in ieiunio non prohibetur quomodocunque effectus cibi, sed solum vt proueniens ab ipso cibo; quia non ratione sui prohibetur, sed ratione cibi.

An, si quis casu deglutiat, & traijciat in stomacum notabilem quantitatem aquae, vt si cadat in flumen, censeatur ieiunus. *Decis.* 425.

SVMMARIVM.

1 *Qui censeant ieiunium deglutientem praeter intentionem bonam quantitatem aquae.*
2 *Communis sententia, quod non sit ieiunus.*
3 *Talis deglutio non potest esse alia actio, quam potatio:*
4 *Si liquor praeter voluntatem haustus statim eijcitur totaliter, seruatur ieiunium.*
5 *Quomodo in hoc casu in praxi procedendum.*
6 *Obiectiones Bossij*
7 *Quid requiratur vt cibus habeat rationem cibi in esse exercito.*
7 *Paria sunt non fieri, & non sortiri effectum.*
8 *Quid requiratur vt potatio sit moraliter potatio.*
9 *Terminus comestionis vt actionis vitalis.*
10 *Liquores amicos stomacho est moraliter impossibile totaliter eijci.*
11 *Ecclesia prohibet ante Eucharistiam cibum, & potum quocunque modo sumptum.*

1 Affirmatiuè respondent Tabiena verbo Communicare q. 45. n. 51. dummodo id contingat praeter voluntatem. Quod etiam intelligendum est de coeteris liquoribus; vt si quis caderet in dolium vini, aut olei: cum sit eadem ratio. Fundatur in eo, quod, vt aliquid sumatur per modum cibi, sumi debet ex intentione, & non casu Sequuntur Bossius tom. 3. mor. tit. 22. n. 19 quia talis aqua intrat per modum respirationis, non autem per modū potationis. Verū quāuis respiratio sit prima causa, & origo traijciēdi aquā, quia tamē aqua facit sibi viā per os, & impedit respirationē dū ingreditur, nō potest dici attrahi per modū respirationis, praesertim quia quod attrahitur per modum respirationis est in parua quantitate. Amicus tom. 7. Curs. theol. disp. 27. n. 4.

2 Communis tamen sententia oppositum sentit. Syluester verbo Eucharist. 5. q. 6. n. 8. Angelus verbo Missa n. 5. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. ar. 8. ad 4 Durand. dist. 8. q. 4. n 14. Victoria q. 83. de Eucharist. Nauar. c. 21 Manual. n. 53. Henriquez lib. 8. de Euchar. c. 50. n. 4. & in Glos. litera X. Tolet. lib. 2. c. 1. n. 3. Sà verbo Eucharistia. n. 27. Valent. tom. 4. disp. 6. q. 8. punc. 3. §. Secundo asserunt. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 4. §. Tertio infertur. Reginald. lib. 29. Praxis fori poenit. c. 6. n. 119. Vasquez 3. p. tom. 3. disp. 211. c. 3. n. 29. Persicus lib. 1. De offic. Sacer. c. 3. dub. 55. Dicastil. de Sacram. tr. 4. disp. 9. dub. 17. n. 279.

3 Et haec opinio procul dubio tenenda est; quia cum magna quantitas deglutiatur, non potest illa actio induere rationem alterius actionis, quam potationis: quantumuis violentiae, & praeter intentionem: est enim motus, quo per se primo aqua, vel alius liquor traijciatur in stomacum. Nec potest dici, quod sit respiratio, aut deglutio saliuae: quia in his actionibus, quod per se primò descendit ad stomachum, non est materia potabilis, sed aut aer, aut saliua. Cum igitur interueniat actio potatiua, meritò soluitur ieiunium.

4 Dubiū tamen est, quid dicendum, si aqua, aut alius liquor sic haustus eijciatur è stomaco, an censendū sit seruari ieiunium naturale. Resp. si probabiliter iudicetur esse eiectum totaliter illū liquorem, posse censeri adesse naturale ieiunium: siquidem non violatur, nisi per cibum, & potum: tunc autem ille liquor cum ingrediatur in stomacū prętet intentionē, & ab ipso eijciatur, non habet rationem potus, sed potius cuiusdam lauationis, qua stomacus lauetur, in tantum enim haustio illa facta praeter intentionē haberet rationem potationis, in quantum coniungeretur cum termino potationis: omnis enim motus est talis per coniunctionem cum suo termino: in tali autem casu non coniungeretur cum termino potationis; terminus enim potationis est permanentia liquoris in stomaco, vt possit alterari, & digeri.

5 In hoc tamen cautè procedendum est; & considerandae circumstantiae, vt possit iudicari, an totus liquor sit eiectus: si enim aliquo tempore permanserit in stomaco, aut facilè alterabilis, non poterit censeri totus eiectus: sed semper aliquam particulam alteratam fuisse. Deinde etiam si probabiliter censeatur totam fuisse eiectum, satius tamen erit abstinere à sumptione Eucharistię.

6 Contra dicta *n.* 4 sentit Bossius *tom.* 3. *mor. tit.* 22. *n.* 19. & arguit. Quia Eucharistia non esset primus cibus, nam prius esset sumptum aliquid nutritiuum, licet eiectum postea. Secũdo si illa actio est vera potatio, iam est violatũ ieiunium: Si non est, etiã si non eijciatur aqua, seruabitur ieiunium necessariũ pro Eucharistia. Tertio. Terminus formalis comestionis, & potationis non est permanentia cibi, & potus in stomacho, sed recepto in stomacho, & permanentia est quid cõsequens, & finis extrinsecus, licet intentus à natura. Quarto. Censendus esset ieiunus, qui dedita opera biberet magnam quantitatem vini, & postea eijceret, quia haberet rationem cuiusdam lauationis. Quinto. Non videtur de intentione Ecclesiæ ob casualem, & inuoluntariam deglutionẽ velle impedire celebrationem, & sumptionem Eucharistiæ, & addere afflictionem afflicto.

7 Ad 1. resp. Eucharistiam adhuc futuram primũ cibum, quia cibus dicit intrinsecum ordinem ad nutritionem, itaut in esse exercito applicatus sit ad nutriendum, qua applicatione sublata nõ potest quis dici cibatus: per eiectionem autem tollitur hæc applicatio, & destruitur, quod iam factum est, & idem dicendum de potu. Vnde cum simus in materia morali, subintrat illa Regula moralis, quod paria sunt non fieri, & non sortiri effectum *l.* 1. §. *Nihil. ff.* De *inoffic. testam. & l. Si quis sub condit. ff.* De *testam. tut.*

8 Ad 2. Illam actionẽ esse quidem verã potationẽ physicã, sed violentam, & proinde si eijciatur tota aqua, itaut nihil remaneat in stomacho, nõ haberi pro potatione in morali æstimatione; nã in morali æstimatione potatio ordinatur ad ita transmittendum potum in stomacum, vt in ipso permaneat; Vnde quando statim eijcitur totus potus, moraliter censetur non adfuisse potatio, quia est vacuo suo effectu, ad quem ordinatur. Sic etiam, quando comeditur aliquid, quod non est cibus ex natura sua, habetur comestio physica, sed non moralis, quia non obtinetur effectus comestionis.

9 Ad 3. Actionem comestiuã, & potatiuã posse considerari, & vt dicit motũ localem, & tunc habere pro termino receptionẽ cibi, aut potus in stomacho. Et vt est actio vitalis, & tunc habet pro termino aliquid vitale, quia omnis actio vitalis habet terminum vitalem. Cum autem vt talis ordinetur ad nutritionem, debet terminus ipsius esse aliquid vitale, in quo incipiat nutritio, & proinde erit subiectio cibi, aut potus alterationi ventriculi, quæ si non sequatur, sicut non sequitur, quando statim eijcitur, non completur actio, vt vitalis est, quia non pertingit ad suũ terminum; Vnde sicut qui incipit proferre verba, sed non complet ad exprimendum sensum, non dicitur loquutus, sic nec quis dicitur potasse, aut comedisse, nisi actio obtineat suum terminum.

10 Ad 4. resp. Ita sequi. Quia tamen est moraliter impossibile, quod vinum totum eijciatur, quia retinetur à ventriculo, tanquam aliquid sibi amicum, ideo nõ esset ille comedẽs ieiunus. Et si totalis eiectio est impossibilis ferè in liquoribus contrarijs stomacho; multo magis erit impossibilis in ijs, qui congruũt ipsi, & facile alterabiles sunt, sicut est vinum.

11 Ad 5. Quamuis illa traiectio aquæ sit casualis, & inuoluntaria, adhuc tamen dicit totum id, quod prohibetur ab Ecclesia, quia Ecclesia non prohibet causam, sed factum, nempe sumptionem Eucharistiæ post quemlibet cibum, aut potum: vnde cum habeatur potus in re, & in effectu, per accidens se habet ad finem, & intentionem Ecclesiæ, quod fuerit inuoluntarius, & casualis. Et ideo constat de intentione Ecclesiæ.

An, si aliquid cibi, vel potus intret in conductum respirationis, & eijciatur, soluat ieiunium naturale.

Decis. 426.

S V M M A R I V M.

1 *Quod existit in canali respirationis non soluit naturale ieiunium.*

2 *Etiam si intret ex vi actionis manducatiuæ, aut potatiuæ.*

3 *Si quid intret in stomacum, dum quis conatur eijcere, quod ingressum est canalem respirationis non soluit ieiunium naturale.*

1 Resp. negatiuè cum Palud. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *ar.* 2. *concl.* 3. *in fine.* Persico *lib.* 1. *de officio Sacerd. c.* 3. *dub.* 6. *n.* 53. quia illa deglutio non pertinet ad manducationem: cum non ordinetur ad nutritionem; sed potius ad suffocationem.

2 Atque hoc etiam verum est, vt notant ijdem Doctores, si hoc fiat per actionem manducatiuam, & ex animo manducandi, aut potandi; quia dum descendit non in stomacum, sed in canalem respirationis, non completur manducatio, aut potatio; quia non est in termino, nisi fiat transmissio in stomacum: vnde descensus cibi, aut potus in stomacum est pars manducationis, qua sublata, non frangitur ieiunium, cum soluatur solum per completam manducationem, aut potationem.

3 Addo etiam, quòd si, dum quis conatur eijcere, quod in canalem transpirationis est ingressum, aliquid modicum de ipso in stomacum transglutiat, non soluitur naturale ieiunium, quod enim intrat in stomacum est præter intentionem, & ex vi actionis egestiuæ, quæ opponitur manducatiuæ, aut potatiuæ & ideo non potest ingredi per modum manducationis, aut potationis: vnde non soluit ieiunium naturale. Sequitur Bossius *num.* 1. citat.

An reliquiæ cibi præcedentis diei, quæ remanent inter dentes soluant ieiunium naturale, si deglutiantur. Decis. 427.

S V M M A R I V M.

1 *Reliquiæ cibi diei præcedentis non soluunt naturale ieiunium, si casu deglutiantur.*

2 *Soluunt verò secũdum aliquos, si ex proposito deglutiãtur.*

3 *Secundum alios non soluunt.*

4 *Quid tenendum, & an hæ reliquiæ faciant nouam comestionem.*

5 *Quid dicendum, si hæ reliquiæ sint alicuius considerabilis quantitatis.*

1 Con-

1 Conueniunt communiter, quod non impediant, quando casu deglutiuntur; quia descendunt in stomacum non per modum cibi, sed per modum saliuæ. D.Th. 3.p.q.80.ar.8. ad 4. Durand. in 4.dist.8.q.4.n.14. Palud. q.2.ar.2.concl.2 Riccar.ar.2.q.3.Sotus dict.12.q.1.ar.8.ad 4. D.Antonin.3.p.tit.13.c.6.§.8. Angelus verbo Missa n.4.Syluester verbo Euchar.3.q.3.n.8. Victoria q.83.de Euchar.Nauar.c.21.Manual.n.53. Rodriquez p.1.sum.c.66.concl.3.Henriquez lib.8. de Euchar.c.50.n.4.Reginal.lib.29.Praxis fori pœnit.c.6.n.119.Suarez 3.p.tom.3.disp.68.sect.4.ver. Dices ergo.Vasquez tom.3. disp.211.c.3.n.30.& 31. Nugnus q.80. ar.8. Io.Præpos.ibid.dub.1.n.40.ver.Idem dicendum.Filliucius tom.1 tr.4.c.8.n.236.Molfes.tom.1.sum tr.3.c.10.n.13. Pitigian.in 4.tom.1.dist.18.q.3.ar.3. Chamerota tr. 4. de Sacram.c.10.dub.9.Coninch.3.p.q.80.ar.8.dub.1.n.47 Layman.lib.5.Theol.mor.tr.4.c.6.num.18. Facundez in præc.Eccl.p.3.lib.3.de 3.prac.c.5.n.14. Bartholomeus ab Angelis in exam.confess.dial.4.§.214. Murtinus in Theol.mor.quæst.10.de Euchar. Diana p.3.tr.4.resol.37. Trousset.p.2.Thesauri Sacram.Euchar.sect.27.ver. Idem etiam dicitur. Persicus lib.1.de Offic.Sacer.c.3.dub.6.nu.57 Lugo disp.15.de Euchar.sect.2.n.36. Chellison.3.p.q.80.ar.8.ver.Notandum est,Bonacina disp.4.de Sacram.q.6.punc.2.n.6. Ledesma p.1.sum.c.13.de Euchar.concl.4.Gaspar Hurtad.disp.9 de Euchar.diffic.15.ver. Obseruandum.Bauny.p.1.Theol.mor.tr.10.q.22.Marchât. in q.pastoral.tr.4.c.12.vers. Tertius, Amicus tom.7. curs. Theol.disp.27.n.4.

2 Difficultas est, an si ex proposito deglutiantur, soluant ieiunium naturale. Plures ex supracitatis Doctoribus docent, quod non soluunt, si deglutiantur casualiter, & inter alios D.Th. non tamen dicunt, quod soluant, si ex proposito deglutiantur. Quod autem soluant ieiunium, si ex proposito deglutiantur, docent Palud. Vasquez, Nugnus, Præpositus, Filliucius, Layman. Reginal. Persicus, & alij his videntur adhærere, quamuis non ita clarè. Quibus adde Gauantum in Rubr.p.3.tit.9 Thomam Hurtad.p.2.resol.mor.tr.11.c.8.n.256. Tanner.tom.4 disp.5.q.8.dub.4.n.79. Dicastill.de Sacram.tr.4.disp.9 dub.17.n.280.

3 Alij tamen inferunt, quod etiam si ex proposito deglutiantur, non soluunt ieiunium. Ita Tabiena, Henriquez lib.8.de Euchar.c.50.num.4. in Glos. Littera V. & probabile putat Io. à Cruce p.2. Direct. conscient.de Euchar.dub.4.concl.2.Diana,Suarez,Rodriquez citati. Quibus adde Matthæum de Rubeis c.9. Adnot.in Rubr.Missalis n.3. Alphon.de Leone qu.8. de Offic.Capel.sect.17.n.144. Conninch.q.80.de Sacram. ar.8.n.47. Molfes.p.1.sum.tr.3.c.10.num.13. Auctor Casuum conscien.Bononiens.Anni 1638.Casu 2. Septemb. quæsito 2. Leandrum de Sacram.p.2.tom.1.disp.15.q.8. Bossium tom. mor.tit.1.n.1717. Francis.Lugo lib.4. de Sacram.c.7.q.5.n.39.Lugo verò citat.n.præced. asserit, quod tunc solum soluunt ieiunium, quando haberentur sensibiliter in lingua, & ex industria deglutirentur: posse tamen nos permittere, vt cum saliua, vel respiratione deglutiantur.

4 Hanc posteriorem sententiam absque vlla restrictione, censeo, posse amplecti, absque vllo scrupulo. Non enim deglutiuntur actione manducatiua: quia non assumuntur ab extrinseco, sed vt immixtæ saliuæ: & ideo non se habent per modum cibi: quod verum est, etiam si in lingua sensibiliter sentiantur; quia saliua quoque sensibiliter sentitur, & tamen non tenemur expuere; sensibiliter enim sentiri non constituit rationem cibi, aut manducationis. Accedit etiam, quod illæ reliquiæ habentur, vt cibus iam manducatus: quia sunt ille cibus, qui pridie fuit ori impositus, dentibus contusus, & per accidens est, quod simul cum alio cibo non fuerint transmissæ in stomacum; siquidem aderat intentio transmittendi, & actio etiam ordinata ad transmittendum, & proinde habent moralem connexionem cum cibo præcedentis diei; & ideo transmissio ipsarum in stomachum non est noua comestio. Vnde in morali æstimatione non censetur manducasse, qui has reliquias deglutiuit.

5 Sed quid, si huiusmodi reliquiæ sint aliqua notabilis quantitas. Resp. non posse ex cibo præcedenti remanere inter dentes, nisi exiguas particulas: hæ autem semper sunt reliquiæ comestionis præcedentis: & ideo sunt connexæ cum ipsa; vnde adhuc habent rationem cibi iam manducati, & si transglutiantur, non instituunt nouam comestionem, quæ soluat ieiunium naturale. Et sicuti Sacerdos post sumptam ablutionem, si reperiret in patena, aut corporali aliquas reliquias, seu fragmenta, posset eas sumere licet non ieiunus: quia moraliter non sumitur nouum Sacramentum, sed reliquiæ Sacramenti iam sumpti; ita in casu nostro reliquiæ huiusmodi non sunt nouus cibus, sed ipsemet cibus pridie sumptus; & ideo non soluunt naturale ieiunium, quia non important nouam manducationem: sed moraliter dicunt manducationem præteritam.

An, si quis lauando os, aliquas reliquias traijceret, solueret ieiunium naturale.

Decis. 428.

SVMMARIVM.

1 *Si aliquæ reliquiæ ex ablutione oris descendant ad stomacum, non soluunt ieiunium.*
2 *Hæc traiectio non fit per actionem manducatiuam, aut potatiuam.*
3 *Nec etiam, si hoc contingat in ablutione dentium.*
4 *Non requiritur, quod hæ reliquiæ sint inseparabiles à saliua.*
5 *Nec etiam soluit ieiunium naturale, si, dum os abluitur, descendat in stomacum aliqua gutta.*

1 Resp. negatiuè cum communi sententia, quam tradunt D. Th. 3.p.qu.80. ar.8.ad 4. Præposit. ibid.dub 1.nu.40. ver. Ex eo vero. Coninch. n.48. Suarez tomo 3. disp.68.sect.4.ver. Tertio infertur. Vasquez tomo 3.disp.211.c.3.n.29.Durand.in 4.dist.8.q.4.n.14.Palud.q.2.ar.2.concl.2 Riccar.ar.2.q.3. Sotus dist.12.q.1.ar.8.ad 4.Caietan. in sum. verbo Sacramentalis Communio c.1. Syluest. verbo Euchar.3.q.6.n.8.Tabiena verbo Communicare qu.44.§.50.Angelus verbo Missa q.5. D. Antonin. 3. p.tit.13.c.6.§.8. Sà verbo Eucharist. nu.27. Victoria q.85. de Eucharist. Nauar. c.21. Manual. num.53. Rodriquez 1.p. sum. c.66. conclus. 3. Bellarm. lib.

2. *de Missa c.14. tit.vlt.* §. 2. Tolet. *lib.2.sum.c.1.num.2.* Henriquez *lib.8.de Eucharist.c.50.n.4.* & *in Glos. littera* X. Valent. *tom.4.disp.6.q.8.punc.3.ver. Secundò asserunt.* Azor. *p.1.lib.10. c.3.q.2.* ver. *Quares etiam.* Reginald. *lib.29.Praxis fori pœnit.c.6.q.8.n.119.not.1.* Lugo *disput.15.de Eucharist.sect.2.n.23.* Trouisset. *p.2. Thesauri Euchar. sect.27.* ver. *Non frangitur.* Bonacina *disp.4 de Sacram.q.6. punc.2.n.6.* ver. *Dixi per modum cibi.* Villalob. *p.1.sum.tr.7.diffic 39.num.1.* Gaspar. Hurtad. *disp.9 de Euchar.diffic.15.* ver. *Obseruandum.* Persicus *lib.1.de Offic. Sacer.c.3 dub.6.n.50.* Ledesma *p.1.sum.c.13. de Euchar. concl.4.* Bossius *tom.3. mor. tit.22.n.15.* Marchant. *in qq. pastoral.tr.4. c.2. q.3.* ver. *Primus.* Tanner. *tom.4.disp.5.q.8.dub.4. n.79.* Auersa *q.8.de Euchar. sect.8. ver. Quarto,* Martin. à s. Ioseph *tom.1. mor. lib.1. tr.8. de Euchar. n.5.* Hieron. Garzia *in sum.tr.3. diffic.5. dub.2. punc.3. n.30.* Franciscus Lugo *lib.4. de Sacram. c.7.q.4.n.30.* Dicastill. *de Sacram. tr.4. disp.9.dub.17. n.279.*

2 Ratio est. Quia reliquiæ illæ immiscentur saliuæ, & simul cum ipsa descendunt in stomacum: vnde non interuenit actio manducatiua; aut potatiua: & ideo nec soluitur ieiunium: Sumus enim in rebus moralibus, quæ morali modo mensurandæ sunt.

3 Hoc etiam extendendum est cum *suprà citatis Doctorib.* ad reliquias, quæ possunt cum saliua descendere in stomacum, quando quis lauat dentes sale, & aceto, aut aliqua alia lauatione: est enim eadem ratio; quia non interuenit actio potatiua, aut comestiua, nec ex intentione, nec materialiter cum descendant simul cum saliua.

4 Quod autem aliqui addunt, quod huiusmodi reliquiæ debent esse tam minimæ quantitatis, vt non possint separari à saliua, est nimis scrupulosum; vt enim non descendant in stomacum per modum potus, sufficit, si debita diligentia adhibeatur ad expuendam lauationem, & descendant in stomacum per actionem, qua deglutiatur saliua.

5 Rursus, Si quis lauans os, aut dentes aliquid modicum casu traijceret, non solueret naturale ieiunium, vt notant nonnulli ex citatis auctoribus præsertim *D. Antonin. Palud. Syluest. & Azor.* Adhuc enim, quod traijcitur non habet rationem potus, aut cibi: quia descendit in stomacum præter intentionem, & ex vi actionis, quæ non ordinatur ad transmittendum cibum, vel potum.

An, si dum prægustatur aliquid, & expuitur, si quid remaneat saliuæ permixtum, & descendat in stomacum, soluatur naturale ieiunium.

Decis. 429.

SVMMARIVM.

1 *Quando aliquid prægustatur, quæ remanent reliquiæ non soluunt ieiunium naturale, si descendant in stomacum.*

2 *In prægustatione, & descensu reliquiarum ad stomacum non interuenit comestio, aut potatio.*

3 *Nec etiam soluitur ieiunium, si quid exiguum descendat ad stomacum, dum fit prægustatio.*

1 Eodem modo respondendum est etiam in hoc casu, cum sit eadem ratio: nimirum, Non solui ieiunium naturale, nec impediri sumptionem Eucharistiæ. Cum D. Th. *3.p.qu.80. ar.8.ad 4.* Palud. *in 4.dist.8.q.2 ar.3.concl.3.* Henriquez *lib.8.de Euchar.c.50.n.4.* Nauar. *c.21. Manual. nu.53* ver. *Octauò peccat.* Tabiena *verbo* Communicare. *q.45 n.51.* Syluest. *verbo* Eucharist. *3.q.6.n.8.in fine.* D. Antonin. *3.p.tit.13.c.5. §.8. in fine.* Rodriquez *1.p.sum.c.66. concl.5.* Ledesma *p.1. sum.c.13. de Eucharist. concl.4.* Trousset *p.2. Thesauri Eucharist. sect.27.* ver. *Idem dicitur.* Reginald. *lib.29. Praxis fori pœnit. c.6.n.119. not.1.* Villal. *p.1. sum. tr.2. diffic.39.n.1.* Bonacina *tom.1. disp.4.de Sacram.qu.6. punc.2. n.6.* ver. *Dixi per modum.* Coninch. *3.p.qu.80. ar.8.n.48.* Ioan. Præposit. *ibid. dub.1.nu.40.* ver. *Ex eo verò.* Suarez *tom.3.disp.68.sect.4. §. Tertio infertur,* post conclus. 2. Vasquez *tom.3. disp.111.c.3.n.29.* Persico *lib.1. de Offic. Sacer. c.3. dub.6. nu.51.* Bossius *tom.3. mor.tit.22.n.15.* Marchant. *in qq. pastoral. tr.4.c.2. q.3. ver. Secundus,* Tanner. *tom.4. disp.5.q.8. dub.4. nu.79.* Auersa *q.8. de Euchar. sect.8. ver. Quarto,* Hieron. Garz. *in sum.tr.3. diffic.5.dub.2. pun.3. n.30.* Francisc. Lugo *lib.4.de Sacram.c.4 q.4.n.30.*

2 In hoc enim similiter casu non interuenit nec comestio, nec potatio, ad comestionem enim, & potationem requiritur, quod cibus, & potus traijciatur in stomacum. Vnde in prægustatione fit quoddam experimentum saporis: quod autem aliquæ reliquiæ rei prægustatæ descendant in stomacum, id est per accidẽs, nec descendunt per modum cibi, aut potus, sed per modum respirationis, aut saliuæ: cum descendant per actiones, aut respiratiuam, aut transmissiuam saliuæ ad stomacum.

3 Atque hoc similiter extendi debet etiamsi, quando fit prægustatio, aliquid exiguum casu, & præter intentionem descendat in stomacum, quia nec adest materialiter actio comestiua, aut potatiua, nec etiam intentio, qua illud ad cibum, vel potum ordinetur.

An reliquiæ ablutionis, & prægustationis debeant prius conuerti in saliuam, quàm traijciantur in stomacum, ne soluant ieiunium naturale.

Decis. 430.

SVMMARIVM.

1 *Quòd reliquiæ ablutionis debeant præconuerti in saliuam ne soluatur ieiunium.*

2 *Non debent præconuerti.*

3 *Cur talis præconuersio non sit necessaria,*

4 *Etiam si in saliua percipiatur sapor reliquiarum, adhuc sine offensa ieiunij potest transglutiri.*

1 Affirmatiua opinio tribuitur à Suarez Durando *in 4. dist.* 8. & Gabrieli *lect.* 10. *in Canonem Missæ*. Quod tamen apud ipsos non reperi: & solus Durandus ait, reliquias istas debere esse quasi conuersas in saliuam, nimirum ratione mistionis.

2 Resp. ergo cum communi sententia, non esse necesse, quod huiusmodi reliquiæ præconuertantur in saliuam, sed etiam si maneant in sua substantia, non soluere ieiunium naturale. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2 *ar.* 2. *concl.* 2. Syluester *verbo* Eucharist. 3. *q.* 6. *num.* 8. *in fine*. D. Antoninus 2. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 30. *qu.* 2. ver. *Quares etiam*. Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. ver. *Tertio infertur*. Vasquez *tom. item* 3. *disp.* 211. *c.* 3. *n.* 30. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit c.* 6. *n.* 119. *not.* 1. Persicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. c.* 3. *dub.* 6. *n.* 52. Gaspar Hurtad. *disp.* 9. *de Euchar. diffic.* 6. ver. *Obseruandum*. Bossius *tom.* 1. *mor. tit.* 1. *nu.* 1714. Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5 *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 79. Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 27 *n.* 4. Martin. à s. Ioseph *tom.* 1. *mor. lib.* 1. *tr.* 8. *de Euchar. n.* 5.

3 Quod autem non sit necessaria talis præconuersio; ex eo constat, quia non est necessaria, vt tollatur ratio manducationis, aut potationis; quia hæc sufficienter tollitur, per id, quod non adsit actio manducatiua, aut potatiua; & ideo non adest, quia fit transmissio in stomacum per actionem trãsmissiuam saliuæ. Vnde solùm esset necessaria hæc præconuersio, vt fieret mutatio substantiæ; quæ tamen mutatio non est necessaria; quia dato quod fieret; & si alioquin interueniret actio manducatiua, aut potatiua, solueretur ieiunium naturale, sicut solueretur, si quis alienam saliuam ori imponeret, & deglutiret.

4 Addo, quòd si quis, postquam lauit os, aut aliquid prægustauit, & expuit, percipiat palato saliuam suam admixtam aliqua reliquia, & illam transglutiat, neque adhuc soluere ieiunium naturale: quia adhuc reliquiæ illæ descendunt per modum saliuæ, cum sint ita ipsi permixtæ, vt moraliter censeantur saliua: neque adhuc interueniat actio manducatiua, aut potatiua.

An, si quis, quando it cubitum, assumat aliquid in ore liquefaciendum, & duret post mediam noctem, censeatur die subsequenti ieiunus.

Decis. 431.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua opinio atque adeo posse sumere Eucharistiam.*
2 *Non est ieiunus.*
3 *Quando aliquid in ore liquefaciendum ponitur, durat comestio toto illo tempore, quo durat liquefactio.*

1 Affirmatiuam sententiam docet Tabiena *verbo* Communicare. *qu.* 43. *nu.* 49. *in fine*. Bartholomeus ab Angelo, *Exam. Confess. dialogo* 4. §. 214. *Littera* A. Et fundantur in illa regula, quam tradit D. Th. *in* 4. *dist.* 8. *qu.* 1. *ar.* 4. *q.* 2. *ad* 3. Quòd nimirum illud solum soluat ieiunium, quod sumitur ab extra: in tali autem casu post mediam noctem nihil sumitur ab extra: Videtur etiam consentire Amicus *tom.* 7. *Curs. Theol. disp.* 27. *n.* 4. Si liquor descendat per modum saliuæ: Quod tamen non videtur possibile, si sit notabilis quantitas, nam semper in morali æstimatione descendet per modum cibi.

2 Opposita tamen sententia mihi certa videtur; vt nimirum soluatur ieiunium naturale, & impediatur sumptio Eucharistiæ. Quam tradunt Palud. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2 *ar.* 2 *concl.* 2. Facundez *in præc. Eccl. p.* 3. *lib.* 3. *præc* 3. *c.* 5. *num.* 16. Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. ver. *Dices ergo* Vasquez *tom. item* 3. *disput.* 211. *c.* 3 *n.* 31. Coninch. *q.* 80. *ar.* 8 *n.* 49. Præpos. *dub.* 1. *n.* 39. ver. *Ex dictis*. Syluius *eodem ar.* 8 Molfes. *tom.* 1. *sum. tr.* 3. *c.* 10. *n.* 13. Reginal. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit: c.* 6. *n.* 119. Bonacina *tom* 1. *disp.* 4 *de Sacram. q.* 6. *punc.* 2. *n.* 7. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 51. Sanctius *in selectis disp. de Sacram. disp.* 42. *n.* 21. Persicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. c.* 3. *dub* 6. *n.* 60. Lugo *disp.* 15. *de Euchar. sect.* 2. *n.* 37. Gaspar Hurtad *disp.* 9. *de Euchar. diffic.* 15. Filliucius *tr.* 4 *n.* 236. Matthæus de Rubeis *in Rubr. Missal. c.* 9. *n.* 3 Alphon. de Leone *q.* 8. *De Offic. Capel sect.* 17. *casu* 2. *n.* 146. Ioan. Sanch. *in select. de Sacram. disp.* 42. *n.* 21. Bossius *tom* 1. *mor. tit.* 1. *nu.* 1727. Marchant *in qq pastoral. tr.* 4. *c.* 2. *ver. Tertius*, Auersa *q.* 8. *de Euchar. sect.* 8. *verb. Addit*, Hier. Garz. *in sum. tr.* 3 *diffic.* 5. *dub.* 2. *pun.* 3. *n.* 32. Francis. Lugo *lib.* 4. *de Sacram. c.* 7. *q* 4. *n.* 41.

3 Ratio autem est; quia in tali casu post mediam noctem continuatur comestio, quæ prima nocte incœpit; dum enim imponitur ori tale quid liquæfaciendum, ita vt debeat descendere in stomachum iuxta liquefactionem, incipit quædam comestio continuata, & proportionata liquefactioni; vnde tamdiù durat, quamdiù durat liquefactio: quæ cum duret post mediam noctem, durat etiam comestio, & totum est sumptum ab extra in eo sensu, in quo loquitur D. Th.

An, quando quis mittit in os aliquid ante mediam noctem consumendum, sed durat post mediam noctem, & deinde traijcitur in stomacum, sit ieiunus.

Decis. 432.

SVMMARIVM.

1 *Si per accidens maneat in ore post mediam noctem, quod mittitur in os consumendum, soluitur ieiunium naturale.*
2 *In tali casu per totum illud tempus continuatur comestio.*
3 *Quid si statim, ac euigilat, illud expuat.*
4 *Quid si parum aliquid remaneat immixtum saliuæ aut adhærens dentibus, &c.*

1 Resp.

1 Resp. in tali casu solui ieiunium, atq; adeo impediri sumptionem Eucharistiæ. Ita docent Palud. *in 4.dist.8.q.2. ar.2.concl.2.* Vasquez *3.p.to. 3.disp.211.c.3.n.31.* Persicus *lib.1.de Offic.Sacerd.c.3.dub.6 n.61.* Gaspar Hurtad. *disp.9. de Sacram.Euchar.diff.c.15.ver. Obseruandum.* Bossius *tom.1.mor.tit.1.n.1723.*

2 Ratio est. Quia adhuc in tali casu continuatur manducatio etiam post mediam noctem; tandiù enim durat manducatio, quandiù durat materia, quæ ponitur intra os ad manducandum: dummodo non sit aliqua reliquia, quæ per accidens remaneat intra os, quando completur comestio. In casu autem nostro, quod positum est in os ad manducandum, durat post mediam noctem, & post ipsam traijcitur in stomacum, & non remanet vt reliquia præteritæ manducationis, sed vt materia sufficiens ad continuandam incœptam manducationem.

3 Sed quid dicendum, si post mediam noctem reperiat quis, se habere adhuc in ore, quod prima nocte sumpsit, & statim illud expuat? Resp. In tali casu esse considerandum, an sit materia, quæ liquefieri possit, an non. Si enim non potest liquefieri, poterit expuendo sumere Eucharistiam; quia non erit ieiunium naturale solutum. Quod etiam sequutus est Bossius *tom.1.mor.tit.1.n.1725.* & Francis. Lugo *lib.4.de Sacram.c.7.q.4.n.42.* Si verò liquefieri potest, tunc est considerandum, an probabile sit, quod post mediam noctem aliquid in stomacum descenderit, an non. Si enim probabile sit, quod nihil descenderit, poterit sumere Eucharistiã: quia censendus erit ieiunus: secus autem, si putet, quod aliquid in stomacum descenderit.

3 Est tamen aduertendum, quod si aliquid parum remaneret inter dentes, aut immixtum saliuæ, aut super labijs, non impediret sumptionem Eucharistiæ, vt notauit etiam Bossius *tom.1.mor.tit.1.num.1723.* Quia eadem est ratio; ac de reliquijs cibi diei præcedentis, & proinde non sufficit, vt dicatur comestionem fuisse continuatam. Et ita etiam docet Dicastillus *de Sacram.tr.4.disp.9.dub.17.n.283.*

An, si quis, cum it cubitum, aliquid sumat consumendum antequam dormiat, sed somno oppressus non consumat, & post mediam noctem euigilet, atque totum reperiat consumptum, sit ieiunus.

Decis. 433.

SVMMARIVM.

1 *Sententia Dianæ negatiua.*
2 *Si probabile sit, totum consumptum ante mediam noctem, censetur ieiunus.*
3 *Secus autem, si non sit probabile.*
4 *Quid dicendum, si adsit probabilitas pro vtraque parte.*
5 *Quid si sit dubius.*

1 Resp. Diana *p.6.tr.7. Resol.15. ver. His tamen.* Non posse sumere, si nescit, an ante mediam noctem consumptum fuerit, cum sit verus cibus. Et citat nonnullos alios Doctores, qui tamen non loquuntur in casu præsenti, sed in casibus duarum *Decisionum præcedentium.*

2 Verum in tali casu debet iste considerare, an probabile sit, quod materia illa sit consumpta, & transmissa in stomacum ante mediam noctẽ. Quod indagare poterit considerando qualitatem materiæ, an facile solui possit, & alias circumstantias, nempe quantitatem, tempus, quod præcessit, ante mediam noctem, quomodo, quando euigilat, experiatur proprium os: an nimirum sit recens à transmissione illius rei in stomacum: quantum temporis, quando expergiscitur, à media nocte effluxerit; atque si his omnibus pensatis probabile putat, totum transglutisse ante mediam noctem, poterit Eucharistiam sumere.

3 At si ijsdem pensatis, probabile putat, non transglutisse totum ante mediam noctem, non poterit Eucharistiam sumere; quia faceret contra præceptum non sumendi post solutum ieiunium; nam stante illo iudicio probabili, debet se gerere, ac si non esset ieiunus, sicut, stante iudicio probabili opposito, potest se gerere, ac si esset ieiunus.

4 Dubitari tamen potest, quid illi faciendum, quando habet probabilitatem pro vtraque parte: quia videlicet ex vno motiuo potest iudicare, quod tota illa materia consumpta sit ante mediam noctem, ex alio verò, quod non sit consumpta: an nimirum se debeat gerere, vt dubius. Resp. Non esse necesse, quod se gerat vt dubium, sed posse sequi vtramque partem; possumus enim sequi quamcunque opinionem probabilem: & stante motiuo pro vtraque parte, potest formare iudicium, quod adsit opinio probabilis pro vtraque parte, & sequi quam voluerit.

5 Quod si omnibus pensatis non scit certus, se aliquid post mediam noctem transglutisse, poterit adhuc sumere Eucharistiam, vt docet Bauny *tom.1. Theol.mor.tr.10.q.22. ver. Mihi ea mens.* quia stante incertitudine potest vti iure suo, quod habet ad sumendam Eucharistiam, quod non impeditur ex eo, quod adsit huiusmodi dubium, nam ex natura rei dubietas non præualet contra certitudinem; & sicuti intellectus non potest relinquere assensus certos, vt adhæreat rei dubiæ, ita nec in moralibus potest quis priuari iure certo ob dubium de opposito. Quod etiam tradit Bossius *tom.1.mor.tit.1.n.1724.*

An ante sumptionem Eucharistiæ liceat aromata imponere, & dentibus conterere ad confortandum caput.

Decis. 434.

SVMMARIVM.

1 *Licet ante sumptionem Eucharistiæ aromata dentibus conterere ad confortandum caput.*
2 *Quid requiratur ad complendam comestionem, quæ soluat ieiunium.*

1 Resp.

1 RESp. affirmatiuè, dummodo non deglutiantur. Ita tenent Coninch. 3. p. de Sacram. q. 80. ar. 8. num. 48. ver. Licet item. Mercerus ibid. notab. 1. Bonacina tom 1. disp. 4. de Sacram. q. 6. punc. 2. nu. 9. Petrus Marthæus in Rubricas Missalis c. 9. nu. 3. & alij Decis. subsequenti citandi. Bossius tom. 1. mor. tit. 1. n. 714. Marchant. in qq pastor. tr. 4. c. 2. in append. ver. Quæstio. Isambut. 3. p. q. 80. disp. 4. ar. 2. ver. Si quæres primo, Dicastil. de Sacram. tr. 4. disp. 9. dub. 17. n. 283.

2 Ratio autem est. Quia, etiam si dentibus conteratur, non habetur completa comestio, sed tantum inchoatio quædam. tunc enim solum comestio completur, quando cibus transmittitur in stomacum; nam comestio est actio ordinata ad communicandum substantiam nutritiuam viuenti, vt possit nutriri; & ideo debet constituere cibum in statu proximo, vt possit conuerti in substantiam viuentis: quod non fit, nisi traducatur in stomacum. Vnde cum non interueniat in casu proposito comestio completa, nec etiam soluitur ieiunium: cum soluatur per solam comestionem proximè ordinatam ad nutriendum, atque adeo completam.

An, si aliquid de his aromatibus præter intentionem descendat cum saliua in stomacum, liceat adhuc sumere Eucharistiam.

Decis. 435.

SVMMARIVM.

1 *Si quid ex aromatibus dentibus contusis saliuæ immixtum descendat in stomaco, licet adhuc Eucharistiam sumere.*

2 *Cur in tali casu non violetur ieiunium.*

1 RESp. affirmatiuè Faustus lib. 1. de Sacram. Euchar. q. 381. Tannerus tom. 4. disp. 5. q 8. dub. 4 n. 79. Bossius tom. 1. mor. tit. 1. n. 1713. qui plures alios citat & nu. seq. Francis. Lugo lib. 4 de Sacram. c. 7. q. 4. n. 30. Et ita etiam tenere debent ij, qui hoc ipsum docent ne reliquijs descendentibus in stomacum, quando aliquid prægustamus: cum sit eadem ratio.

2 In vtroque enim casu, quod descendit in stomacum non descendit per modum cibi, sed per modum saliuæ; tum quia est ipsi immixtum, & veluti ab ipsa absorbetur, atque adeo moraliter censetur saliua; tum quia non stat sub actione manducatiua, sed transmissa saliuæ in stomacum.

An, si quis assumat aliquod granum aromaticum ad confortandum caput, & casu in stomachum descendat, soluat ieiunium.

Decis. 436.

SVMMARIVM.

1 *Granum assumptum dentibus conterendum, si casu traijciatur in stomacum, non soluit ieiunium.*

2 *Si casu descendat in stomacum, est probabile, quod non soluat.*

3 *Probabilius est quod soluat.*

1 ADhuc licere Eucharistiam sumere, inquit Lorichius in Thesauro verbo Missa nu. 21. §. 3. Bossius tom. 1. mor. tit. 1. n. 1713. Francis. Lugo lib. 4. de Sacram. c. 7. q. 4 n 30. quia non videtur interuenire violatio ieiunij.

2 Quod suaderi potest Quia non interuenit actio manducatiua, nec ab aliquo ordinatur in cibum, vt quando infantes, & ægroti degluriunt cibum ab alio ipsorum ori immissum; quia licet hoc sic contra intentionem ipsorum, non tamen contra aliorum intentionem: & proinde adest actio ordinans cibum ad descensum in stomacum: quod sufficit, vt interueniat manducatio; in casu autem nostro nulla actio interuenit, quæ ordinet illud granum ad descensum in stomacum; nam solum est intenta contusio facienda per dentes in eum finem, vt caput confortetur; & quod descendit in stomacum est per accidens per actionem ad aliud ordinatam ex natura sua; vnde cum non interueniat actio manducatiua; quæ ex natura sua ordinetur ad transmittendum cibum in stomacum, stante paruitate materiæ, descendet aut per modum saliuæ, quia erit ipsi immixtum: aut per modum respirationis, quia descendet cum aere ordinato ad respirationem.

3 Probabilius tamen est, quod violet naturale ieiunium, vt tenet Thomas Hurtad. p. 2. resol. mor. tr. 11. c. 4. n. 134. nam assumptio talis grani in os coniungitur cum traiectione in stomachum, quæ licet a casu fiat, defert tamen cibum ad stomachum, & ita habetur completa manducatio.

An, si ex capite, aut gengiuis descendat sanguis, aut alius humor in stomacum, soluatur ieiunium naturale.

Decis. 437.

SVMMARIVM.

1 *Sanguis, aut alius humor descendens à capite non soluit ieiunium naturale.*

2 *Quod non prouenit ab extrinseco, non soluit ieiunium.*

3 *Sanguis defluens à capite se habet, vt substantia extrinseca.*

4 *Sanguis defluens à capite in stomacum non soluit ieiunium, quando non ordinatur vt nutriat.*

5 *Secus si ordinetur.*

6 *Idem dicendum etiam, quando est in magna quantitate.*

1 NON soluit ieiunium, nec impediri sumptionem Eucharistiæ respondent communiter D. Th. in 4. dist. 8. q. 1 ar. 4. quæst. 2. ad 3. Durand. q. 4 n. 14. Riccar. ar. 2. q. 3. Palud, q. 2. ar. 2. concl. 2. Sotus dist. 12. q 1. ar. 8. ad 4. Angelus verbo Missa n. 4. Syluester Eucharist. 3. q. 6. n 6. Caiet. verbo Sacramentalis Communio c. 1. D. Antonin. 3 p. tit. 13. c 6. §. 8. in fine.

Ta-

Tabiena *verbo* Communicare. *q.* 43. *n.* 49. Armilla *verbo* Communio. *n.* 2. Nauar. *c.* 21. *Manual. num.* 53. ver. *Octauo peccat.* Tolet. *lib.* 2. *sum. c.* 1. *n.* 2. Rodriquez 3. *p. sum. c.* 73. *concl.* 3. Naldus *verbo* Eucharist. *n.* 10 Victoria *q.* 83. *de Euchar.* Bellarm. *lib.* 2. *de Missa c.* 14. *tit. vlt.* §. 2. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *punc.* 3. ver. *Secundo asserunt.* Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. c.* 50. *n.* 4. & *in Glo. littera V.* Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 39. *q.* 2. ver. *Quares etiam.* Suarez 3. *p. tom* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. ver. *Quares rursus.* Vasquez *tom. item* 3. *disp.* 211. *c.* 3. *n.* 29. Coninch. *q.* 88. *de Sacram. ar* 8. *n.* 47. ver. *difficultas autem.* Chellison., *ibid.* ver. *Notandum est.* Præposit. *dub.* 1. *num.* 40. ver. *Ex eo.* Reginald. *lib.* 29. *Praxis fori pœnit. c.* 6. *num.* 119. Facundez *in precep.* 3. *Eccl. p.* 3. *lib.* 3. *c.* 5. *nu.* 15. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 4. *de Sacram. q.* 6. *punc.* 2. *n.* 6. ver. *Dixi per modum cibi.* Trousset *p.* 2. *Thesauri sect.* 27. ver. *Non frangitur.* Persicus *lib.* 1. *de Offic. Sacer. c.* 3. *dub.* 5. *n.* 44. Gaspar. Hurtad. *disp.* 9. *de Eucharist. diffic.* 15. ver. *Obseruandum.* Bossius *tom.* 3. *mor tit.* 22. *n.* 15. Thom. Hurtad. *p.* 2. *resol. mor tr.* 11. *c.* 2. *nu.* 58. Marchant. *in qq. pastoral. tr.* 4 *c.* 2. *ver. Quartus,* Amicus *tom.* 7. *Curs. theol. disp.* 27. *n.* 4. Auersa *q.* 8. *de Eucharist. sect.* 8. *ver. Tertio,* Hieron. Garz. *in sum. tr.* 3. *diffic.* 5. *cap.* 2. *punc.* 3. *n.* 30. Dicastil. *de Sacram. tr.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *n.* 281.

2 Fundatur autem hæc decisio in ea regula, quã tradit D.Th. citatus, quod de ratione cibi est, quod proueniat ab extrinseco: cuius rei ratio esse videtur; quod cibus debeat esse extranea substantia: quia ordinatur, vt conuertatur in substantiam viuentis; quod fieri non posset, nisi ab extrinseco accederet.

3 Quæ regula, licet vera sit, non videtur tamen in præsenti nostro casu rectè applicari; quia sanguis defluens à capite, & gengiuis fit extraneus homini, quamuis non sit extra hominem: & potest habere rationem cibi, quia potest nutrire, & posset quis illo vti ad nutritionem, & cibum: & proinde videtur habere rationem cibi, & soluere ieiunium.

4 Dicendum est tamen, quod non soluat ieiunium, quando descendit per illam actionem, qua defluit: quia tunc descendit, vt fluxio quædam causata à natura, aut ab aliqua vi externa, quæ non ordinatur ad manducationem: vnde non interuenit nec manducatio, nec potatio. Sicut nec cum descendit sequens motum alicuius actionis à natura in alium finem institutæ, vt esset respiratio, ob eandem rationem non soluit ieiunium.

5 Si verò quis dedita opera ipsum traijceret in stomacum ea intentione, vt hauriret sanguinem, existimo, quod solueret naturale ieiunium; quia descensus sanguinis in stomacum ex intentione traijcientis, & ex motu causato ab hac intentione, ordinaretur ad potationem. Nec obstat, quod non accederet ab extrinseco: quia æquiualeret substantiæ extraneæ; quia, quando sanguis est extra proprium locum, habetur pro substantia extranea. Nec subsistit obiectio Francisci Lugo *lib.* 4. *de Sacram. c.* 7. *num.* 32. quod scilicet non sit comestio, quia non adducitur ab extrinseco. Nam virtualiter adducitur ab extrinseco, siquidem actio per quam à natura eijcitur, ordinatur ad extra mittendum, & hæc actio interrumpitur per actionem, qua exercetur comestio, aut potatio, aut attrahit, quod deberet eijci, quod sufficit ad comestionem.

6 Et hoc ipsum dicendum est, etiam si sanguis, aut alius humor descendat ad stomacum in notabili quantitate: quia, si descendit præter intentionem, & actione, quæ non sit ordinata ad manducationem, non soluit ieiunium, sicut nec soluunt fluxiones capitis, quæ nocte præsertim fiunt ad stomachum, etiam si in magna quantitate fiant, nemo enim censebit, eum soluisse ieiunium, cui nocte aliqua magna fluxio catharri facta est ad stomacum. Si vero, dedita opera actione ad hoc ordinata transmittatur in stomacum, à fortiori soluet ieiunium.

An sumptio tabachi in folio, vel puluere, soluat ieiunium. Decis. 438.

SVMMARIVM.

1 *Sumptio tabachi in puluere, aut in folio soluit ieiunium, secundum aliquos.*
2 *Non soluitur ieiunium, nisi vera comestione, aut potatione.*
3 *Sumptio tabachi in folio, aut puluere non soluit ieiunium.*
4 *In tali sumptione non interuenit comestio, etiam si per accidens aliquid in stomachum descendat.*
5 *Quid dicendum, si sumatur per os.*
6 *Sumere tabachum ante Eucharistiam continet irreuerentiam.*

1 Affirmatiue resp. Antonius *de Leone in q. mor. de Cocholat p.* 2. §. 4. *n.* 10. *& sequentib.* & affert duo Concilia Prouincialia id prohibentia, nimirum Limense III. *ar.* 3. *c.* 10. & Mexicanum III. *lib.* 3. *tit.* 15. §. 13. Quæ tamen apud nos nihil valent; quia faciunt, quod vsus tabachi sit illicitus tantum apud eos, qui tenentur obedire illis Concilijs. Deinde neque *etiam* explicant, quod prohibeant, quia soluat *ieiunium*, imò si censuisset soluere, non prohibuissent: quia iam supponerent prohibitum: sed solum declararent, esse prohibitum, quia soluit ieiunium.

2 Mouetur. Quia ad soluendum ieiunium naturale non requiritur, quod sumatur aliquid vere comestibile, aut potabile; sed sufficit, quod aliquid mittatur in stomacum: semper autem aliquid tabachi descendit in stomacum: Quod tamen non est verum, vt constat ex supra dictis, quia ieiunium naturale non soluitur, nisi per sui oppositum; non opponitur autem nisi cum comestione, & potatione, quæ requirunt cibum, aut potum, & actionem comestiuam, aut potatiuam, vt docent quam plures Doctores ex ijs, quos *in superioribus decisionibus* citauimus: & est communis omnium doctrina, quod vt aliquid frangat ieiunium naturale, debet sumi per modum cibi, & potus, hoc est per actionem comestiuam, aut potatiuam.

3 Itaque tenendum est cum Alphonso de Leone *q.* 8. *de Offic. Capel. sect.* 17. *casu* 2. *n.* 114. Diana *p.* 5. *tr.* 13 *Resol.* 1. vbi late de hoc agit. Leandro *tom.* 2. *de Sacram. tr.* 7. *disp.* 5. *q.* 10. Bossio *tom.* 3. *mor. tit.* 22. *n.* 16. Thoma Hurtado *p.* 2. *theol. mor. tr.* 11. *c* 4. *nu.* 124. Auersa *q.* 8. *de Eucharist. sect.* 8. *vers. Tertio.* Hieron. Garz. *in sum. tr.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 2. *pun* 3. *n.* 47. Franc. Lugo *lib* 4. *de Sacram. c.* 7. *q.* 4. *n.* 34. Leandro à Murcia *in c.* 3. *Reg. S. Franc. c.* 2. §. 2. *n.* 52. quod non soluat. Et ita videtur esse communis sensus: cum nemo de hoc scrupulum sibi faciat, neque etiam cæteri, qui non vtuntur, alijs scrupulum inijciant.

4 Ra-

4 Ratio est. Quia siuè sumatur in folio, siuè in puluere, semper per nares attrahitur, & ordinatur ad caput. Vndè nec interuenit actio comestiua, nec quicquam ordinatum ad stomacum. Et, si quid in stomacum descendit, id est per accidens, & non descendit per modum cibi; cum descendat aut ratione respirationis, aut ratione alteriùs actionis, quæ non est comestio: & ideo non soluit ieiunium.

5 Si autem sumatur in folio per os, & aliquid in stomacum descendat, certum est, quod soluat ieiunium: vt docent Præposit. 3. *parte q* 80. *ar.* 8. *dub.* 1. *num.* 39. Alphonsus de Leone, & Diana *citati*. Descendit enim in stomacum per modum cibi. Si verò sumatur, vt tantùm, aut dentibus conteratur, aut vt permaneat per aliquod tempus in ore, non soluit ieiunium, vt ijdem docent. Si autem quid minimum in stomacum descendat ex casu, & præter intentionem, eadem est ratio, & idem dicendum, quod diximus de aromatibus, dùm dentibus conteruntur. Ex quibus constat, non rectè me citari ab erudito Thoma Hurtado *p.* 2. *resol. moral. cap.* 4. *tract.* 11 *nu.* 127. pro contraria opinione. Quia nisi expuatur succus immixtus saliuæ nõ quid minimum in stomacum descendet, sed quid notabile. Vndè à fortiori violabitur ieiunium naturale, vt notat Hurtatus citatus, si globuli tabachi descendunt.

6 Verùm licèt non soluat ieiunium, sicut nec etiã in fumo, vt dicetur, negari tamen non potest, quin contineat irreuerentiam, siquidem causat grauem fetorem, conspurcat os, causat purgationem immũdam, vt proindè ad tollendam hanc irreuerentiam emanauerint prohibitiones de quibus *nu.* 1. Imò potest esse talis irreuerentia, vt ex natura sua sit peccatum mortale, vt notat Francisc. Lugo *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 7. *q.* 4. *num.* 55.

An sumptio tabachi in fumo soluat ieiunium naturale. Decis. 439.

SVMMARIVM.

1 *Cur tabachus in fumo soluat ieiunium naturale secundum aliquos.*
2 *Fumus licèt nutriret, non soluit ieiunium.*
3 *Tabachus in fumo non soluit ieiunium naturale.*
4 *Fumus non potest sumi per modum cibi, aut potus.*
5 *Fumus dedita opera attractus in stomacum non soluit ieiunium.*
6 *Hurtadi opinio.*
7 *Concil. Mexicanum prohibet sumptionem tabachi ante Eucharistiam.*
8 *Quid requiratur, vt aliquid sumatur per modum cibi aut potus.*
9 *Tabachus cur prohibitus ante Eucharistiam.*
10 *Fumus, & exhalationes adorifica an nutriant.*

1 Affirmatiuè similitèr respond. Anton. de Leone *in cit. quæst. moral. de Cocholate par.* 2. *§.* 4. *num.* 10. *& sequentib.* Ioann. Præposit. 3. *p. q.* 80. *ar.* 8. *num.* 39. Lezana *in sum. verb. Eucharistia quoad Regulares num.* 16. Quia semper aliquid fumi descendit in stomacum: & fumus potest nutrire, & multi per solum fumum nutriti per multos dies vixerunt.

2 Verùm dato, quod fumus nutriret, quatenùs rursus in stomaco condensari potest, & se reducere ad materiam nutritiuam, non tamen ex hoc licèt inferre, quod soluat ieiunium; quia etiam humores, qui è capite descendunt in stomacum, nutrire possunt, nec tamen soluunt ieiunium; quia non descendunt in stomacum per actionem ordinatam ad comestionem.

3 Vndè respondendum est cum citatis Alphonso de Leone *de Offic. Capel. q.* 8. *sect.* 17. *casu* 2. *num.* 134. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *Resol.* 1. non soluere ieiunium, nec impedire sumptionem Eucharistiæ. Quod sequutus est Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 22. *nu.* 16. Escobar. *tract.* 7 *exam.* 6. *cap.* 5. *num.* 62. *in fin.* Auersa *quæst.* 8. *de Euchar. sect.* 8. ver. *Tertio*, *& ver. Sexto*, Marchant. *in qq. pastor. tract.* 4. *in append. ad cap.* 2. Martinus à S. Ioseph *tom.* 1. *moral. lib.* 1. *tract.* 8. *de Euchar num.* 6. Hieron. Garz. *in sum. tract.* 3. *diffic.* 5 *dub.* 2. *pun.* 2. *num.* 47. Francis. Lugo *lib.* 4. *de Sacramen. cap.* 7. *q.* 4. *num.* 34. Leander à Mursia *in cap.* 3. *Reg. S. Franc. cap.* 2. *§.* 2. *num.* 52.

4 Ratio est. Quia fumus non est cibus, nec potus; vndè nec actione comestiua, aut potatiua assumi potest, sed tantum per attractionem respirationis; vndè etiam si aliquid de ipso descendat in stomacũ, descendit per modum respirationis, & non per modum cibi, & proindè non frangit ieiunium.

5 Imò addo, quod si quis dedita opera attrahere fumum cuiuscunq; rei eo fine, vt descenderet in stomacum, neque adhuc solueret ieiunium. Sicut enim apud moralem, & prudentem æstimationem fumus non habet rationem cibi, aut potus: ità nec per attractionem ipsius in stomacum prudenter dicetur quis comedisse, aut bibisse: & proindè prudenter quoque iudicabitur ieiunus, & consequenter posse sumere Eucharistiam, sequitur Bossius citatus.

6 Ex dictis constat, quòd Thomas Hurtadus non poterat me citare pro opinione, quòd fumus tabachi per os in stomachum attractus non violet naturale ieiunium, nam nihil de ore loquor, cùm bene per nares in stomachum attrahi possit, sicut citauit *p.* 2. *Suar. Moral. resol. trac.* 11. *cap.* 4. *nu.* 165. Quidquid tamen sit, latè probat, quod fumus tabachi per os descendens in stomachum violet ieiunium naturale.

7 Primò. In tantum, quod traijcitur in stomachum per modum respirationis, non violat ieiunium; quia traiectio est inuoluntaria: at fumus tabachi voluntarie traijcitur, atque adeo non per modum respirationis, quia hic modus excludit intentionem deglutiendi, sed per modum cibi, quia attrahitur per actionem vitalem ab extrinseco, & terminatur in ventrem, alioquin si quis respirando attraheret vinum, aut cibum aliquem pulurizatum non violaret ieiunium, quia non attraheret per comestionem, sed per respirationem. Secundo. Concilium Mexicanum 3. confirmatum à Sixto V. & Vrbano VIII. prohibet, quod ob reuerentiam debitam Eucharestiæ ante communionem non sumatur Tabachus medicamenti causa per modum fumalis respirationis, aut quouis alio modo. Ergo cum ratio finalis prohibitionis sit illa ob aquam prohibetur cibus, & potus, oportet quod violet ieiunium sicut cibus, & potus. Tertio. Fumus, & exhalationes odoriferæ verè nutriunt, & sunt alimentum, & calor vitalis conuertit illam substantiam fumosam in chilum: vnde Plinius *lib.* 7. *natur. hist.* habet populos Astomaros supra Gan-

gem cum careant ore; alii odore fructuum, & florum.

8 His tamen non obstantibus probabilissimum est, quod fumus tabachi per os sumptum, & descendens in stomachum non violat naturale ieiunium, quia neque est cibus, neque descendit per modum cibi, vt constabit ex dicendis: solum autem ea, quæ sunt cibus, & potus comprehendendo etiam medicinam, & sumuntur per modum cibi, potus, aut medicinæ, violant naturale ieiunium. Vnde ad primum respondetur negando maiorem: nam in Comestione, aut potatione non attenditur, quod actio sit voluntaria, vel inuoluntaria, sed quod sit illa actio vitalis instituta à natura ad sumendum nutrimentum, & quod versetur circa suam materiam proportionatam, quæ debet habere qualitates cibi, aut potus. Vnde sanguis descendens à capite, quamuis decluciatur, & habeat rationem cibi, non tamen descendit per modum cibi, vt communiter docent cum S. Thoma *in 4. dist. 8. q. 1. ar. 4. quæstiun. 2. ad 3.* quia scilicèt non est, quid extrinsecus ingressum, quod ad cibum requiritur. Vt ergo aliquid sumatur per modum cibi, aut potus, debet esse substantia ab extrinseco ingesta, & quæ de se habeat rationem cibi, aut potus, & sit apta transmitti actione vitali mandocatiua, aut potatiua, quæ secundum ipsum Hurtadum consistit in exercitio labiorum, Palati, faucium, & loringis, cæterorumque instrumentorum, quibus exterior cibus ad stomachum transmittitur. Et proinde quæ sunt apta transmitti his actionibus, assumuntur per modum cibi, aut potus, licèt respiratione attrahantur, quia hoc est per accidens, dum voluntarie fit, nam deberent attrahi consueto modo, si iuxtà ipsorum naturam attraherentur, & ideo violant ieiunium, quia talis attractio est in fraudem. Verum fumus nec est cibus, aut potus, nec est aptus, vt attrahatur actione vitali comæstiua, aut potatiua, & ideo non attrahitur per modum cibi.

9 Ad secundum: si aliquid probaret, conuinceret, quod Tabachus etiam per nares sumptus in puluere violaret ieiunium, quod tamen non admittit ipse Hurtadus *dicta p. 2. resol. moral. tract. 11. cap. 4. nu. 224.* Nam Concilium ob reuerentiam debitam Eucharestiæ prohibet sumptionem tabachi non solum per fumum, sed etiam quouis alio modo: vnde si licet inferre ex hac ratione, quod fumus Tabachi violat ieiunium, quia ex hac eadem ratione prohibetur sumptio cibi, aut potus, licebit etiam inferre, quod violet sumptus quocunque alio modo. Respondetur argumento: Quod sicuti exhibetur reuerentia Sacramento seruando ieiunium, ità etiam exhiberi potest alijs modis, & proindè reuerentia habet latitudinem, & potest esse motiuum prohibendi ea omnia, quæ obstant reuerentiæ secundum totam suam latitudinem: sic quia est reuerentia conseruare os purum, & mundum, & expers tetri illius nidoris, quem causat Tabachus, sicuti est reuerentia ponere Eucharestiam in vase mundo, ità potest esse motiuum prohibendi quæ conspurcant os, & fœtens reddunt, qualis est Tabachus, sicut prohibetur, poni Eucharistiam in vase immundo. Et hæc est causa cum in plurimis Synodis prohibita sit sumptio Tabachi ante sumptionem Eucharestiæ.

10 Ad tertium, nego fumum, & exhalationes odoriferas nutrire, licet confortent spiritus, qui cum generentur ex sanguine purissimo in cerebro, & in corde generantur ex cibo prius conuerso in chilum, postea in sanguinem subeuntem alias transmutationes. Fumus autem, aut exhalatio non est apta conuerti in chilum, nisi prius condensetur, atque adeo in aliam substantiam transmutetur, quod cum fiat in stomacho, cum non sit sumpta per modum cibi, non violat ieiunium, sicut non violat sanguis descendens è capite, quia non sumitur per modum cibi, licet nutriat. Historia autem Astromororum non meretur fidem, cum illa Regio modò sit valdè nota, & nihil tale referant, qui eam peruagati sunt.

An paruitas cibi, aut potus sumpti ante Eucharistiam excuset à mortali ratione paruitatis, Decis. 440.

SVMMARIVM.

1 *Ex præcepto Ecclesiastico tenemur accedere ieiuni ad Eucharistiam.*
2 *Paruitas materiæ in cibo, aut potu ante Eucharistiam non excusat à mortali.*
3 *Fundamenta huius opinionis.*
4 *Quomodo, quando consuetudo interpretatur legem, debeat accipi interpretatio.*
5 *Quando interpretatio legis inducat grauem obligationem.*
6 *Quid in quacunque lege censeatur directè prohibitum. Et quid prohibeat lex de ieiunio seruando ante Eucharistiam.*
7 *Quomodo se habeat irreuerentia in sumptione Eucharistiæ post cibum, aut potum.*
8 *An abstinere à cibo ante Eucharistiam habeat significationem mysteriosam, & an destruatur ex paruitate materia cibi, aut potus.*
9 *An paruitas materiæ soluat ieiunium naturale.*
10 *Quando habeat locum paruitas materiæ.*
11 *Paruitas materiæ habet locum in Eucharistia sumptione post cibum.*
12 *Paruitas materiæ facit, quod cibus, & potus non se habeant moraliter per modum cibi, aut potus.*
13 *Post minimum cibum, aut potum prohibetur Eucharistia.*
14 *Quæ paruitas materiæ in cibo, & potu impediat sumptionem Eucharistiæ.*
15 *Aliqua paruitas minima cibi, & potus non fundat manducationem, aut potationem.*
16 *Paruitas minima cibi facit, vt descendat in stomacum per modum saliuæ.*
17 *Cur stilla aqua non frangat ieiunium naturale.*
18 *Quomodo assignanda paruitas cibi, & potus, quæ non violet ieiunium naturale.*
19 *Paruitas non violans ieiunium naturale cur fundat peccatum veniale, si ante Eucharistiam sumatur.*
20 *Quod transmittitur saliua mixtum, non violet ieiunium.*
21 *Intentio non facit, quod sit comestio, quæ non est.*

1 EX præcepto Ecclesiastico tenetur quisque accedere ieiunus ad sumendam Eucharistiam: Vt habetur ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ emanauit ab Apostolis: vt cum pluribus obseruat Persicus *lib. 1. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 4. nu. 34.* & sumitur hoc præceptum ex pluribus Concil. Cartaginens. 3. *can. 29.* quod refertur in cap. *Sacramenta. De Consecrat. dist. 1.* Concil. African. *sub Bonifacio I. can. 8.* Matisconensi II. *can. 6.* Toletano VII. *can. 2.* & refertur in Cap. *Nihil 7. q. 1.* vbi statuitur pœna excommunicationis in eum, qui præsumit Missas facere post cibum, potumuè quamlibet minimum. Braccarensi II. *sub Honorio I.* Antisiodorensi *can. 16.* Difficultas autem est, an ratione paruitatis materiæ excusetur à mortali, qui post aliquem minimum cibum, aut potum sumit Eucharistiam:

2 Quòd autem paruitas materiæ non excuset à mortali tribuitur Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53. ver. Octauo peccat.* & *cap. 25. num. 83. in fine*; qui tamen in his locis nihil loquitur de paruitate materiæ; Tenet autem ità Suarez *3. par. tom. 3. disp. 68. sect. 4. ver. Sed quares:* Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 49. num. 2. & in fine. Littera O.* Azor. *1. par. lib. 10. cap. 30. q. 2. ver. Quares etiam.* Facundez *par. 3. de 3 præcept. Eccles. lib 3. cap 5. num. 24.* Persicus *lib. 1. de Offic. Sacer. cap. 3. dub. 5. num. 46.* Lugo *disp. 15. de Euchar. sect. 2. num. 22.* Vasquez *3. par. tom. 3. disp. 211. cap. 3.* Præpos. *q. 80. ar. 8. dub. 1. num. 39* Sanctius *in select. de Sacram. disp. 50. num. 1.* Ochagauia *tract. 2. de Euchar. q. 12. nu. 7.* Turrian. *tom. 1. de Iust. & Iure disp. 22. dub. 1. num. 6.* Diana *par. 5. tract. 5. resol. 12.* Gaspar Hurtad. *de Sacram. Eucharistia disp. 9. difficul. 15. vers. Et quamuis* Francis. Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 6. q. 3. num. 17.* Solent citari etiam alij Auctores præsertim Durand. *in 4. dist. 8. q. 4. nu. 11.* sed tantum loquuntur de modico cibo, quale non solueret ieiunium Ecclesiasticum. Citant etiam D. Th. *3. par. quæst. 80. art. 8. in corpore*, vbi tamen de paruitate materiæ ne verbū quidem. Solum *in resp. ad 4.* ait quod post cibum, & potum etiam in parua quantitate non licet sumere hoc Sacramentum. Sed intelligit de parua quantitate, quæ tamen adhùc moraliter retineat rationem cibi, & potus, vt fusius infrà.

3 Et habet hæc opinio sua fundamenta. Primū. Quia consuetudo, & praxis Ecclesiæ ità interpretatur hoc præceptum. Secundùm. Quia non prohibetur sumptio cibi ante Eucharistiam, sed sumptio Eucharistiæ etiam post minimum cibum; vndè materia, quæ est obiectum prohibitionis, est sumptio Eucharistiæ post cibum, quæ non admittit paruitatem. Tertium. Dato quòd materia parua nō possit prohiberi grauiter ab Ecclesia potest tamen prohiberi, aut præcipi, quando est magna in ordine ad significationem: sic præcipitur gutta aquæ in Calicem mittenda; cibus autem in quacunque minima quantitate est materia grauis in ordine ad significādum, quod Christus sit primus noster cibus.

4 Sed posset his rationibus aliquis respondere; & ad primam quidem, quod ex consuetudine non adsit talis interpretatio; nàm quando consuetudo interpretatur legem negatiuam per abstinentiam ab eo, quod prohibetur, debet accipi de substantia ab eo, à quo non abstineretur, si non adesset lex sic interpretata. In casu autem nostro, si non adesset lex sic interpretata, non abstineremus à cibo, & potu in tam parua quantitate, quæ esset paruitas materiæ respectu ieiunij naturalis: sed sumeretur aliquid cibi, quale solet sumi in aliquem vsum proficuum: nàm paruitas materiæ ad nihil proficeret. Quare solum consuetudo interpretatur præceptum de abstinentia à cibo apto in vsum proficuum, non autem in quo habeat locum paruitas materiæ.

5 Deindè tunc solùm interpretatio legis inducit grauem obligationem, quando est circa substantiam; quæ exigitur ad finem legis, non autem quando est de aliquo, sine quo manet substantia legis, & finis. Sic etiam in ieiunio Ecclesiastico consuetudo interpretatur, quod sit prohibita omnis comestio carnis, & etiam omnis cibus extrà illam vnicam comestionem, & ientaculum serotinum: & tamen in vtroque admittitur paruitas materiæ: quæ licèt censeatur prohibita, non tamen sub peccato mortali; vndè etiam in casu nostro posset dici, quod consuetudo interpretatur quidem prohibitam paruitatem materiæ in cibo, aut potu, non tamen sub mortali: quia hoc non violat legem secundum substantiam.

6 Ad secundum. In quacunque lege id censeri per se directè prohibitum, quod obstat fini intento à lege, & proindè secum affert deformitatem aliquam. Vndè cum lex prohibet incedere noctu cum armis per ciuitatem, id quod directè, & immediatè prohibetur, non est incessio noctu per ciuitatem, sed sunt arma; quia hęc obstant fini intento à lege. Vndè cum lex prohibens sumptionem Eucharistiæ post sumptum cibum, aut potum, habeat pro fine reuerentiam Sacramenti, prohibebit directè, & immediatè, quod obstat reuerentiæ: obstat autem cibus sumptus ante Eucharistiam, non autem sumptio Eucharistiæ post cibum, quia irreuerentia non est in sumptione, sed in sumente, quia non est ieiunus; vndè materia prohibita erit cibus, & potus, in quo datur paruitas.

7 Deindè. Dato quod ipsa sumptio esset prohibita, non esset prohibita, nisi prout est cum irreuerentia: non est autem cum irreuerentia, nisi in ordine ad cibum, & potum præcedentem, vndè si cibus, & potus erunt parua materia, ita vt pro nihilo habeantur; quia refunditur in sumptionem ab ipso cibo, & potu, atque adeò cum proportione: ita vt æqualitèr debeant æstimari; & proindè si pro nihilo etiam habetur cibus pro nihilo etiam habebitur irreuerentia.

8 Ad tertium. Negari posset, quod abstinentia à cibo habeat significationem mysteriosam, cum sit tantùm instituta ob reuerentiam Sacramenti; quod existimo verùm. Sed dato, quod adesset talis significatio, ità vt requireretur ieiunium naturale ad significandum Eucharistiam esse primum cibum, posset dici, quod non tollitur hæc significatio, nisi per cibum, aut potum, qui habeat proficuum vsum in ordine ad nutriendum, qualis non habetur stante paruitate materiæ; quia sicut pro nihilo reputatur; ità etiam, aut nulla fit nutritio, quia in alteratione, quæ fit in stomaco, euanescit: aut est tàm exigua, vt pro nulla habeatur; atquè adeo adhùc Eucharistia sumitur, vt primus cibus, quod præsertìm verùm est,

quia ratione paruitatis materiæ non censetur solutum ieiunium naturale.

9 Pro opposita autem sententia, quam suppresso nomine Auctoris refert Suarez *citatus*, & quam tradunt Portel. *in dub. regul. verb. Ieiunium num. 11.* & Summa Dianæ *verb. Ieiunium num. 6.* dum dicit, quod ex eo, quod Communio post modicissimum cibum, aut potum sit illicita, non valet inferre, quod contineat peccatum mortale, adsunt non contemnendæ rationes, quæ *in superioribus* insinuatæ sunt. Et prima esse potest. Quod ratione paruitatis materiæ non censeatur solui ieiunium naturale: & proindè post cibum, & potum in paruitate materiæ possit sumi Eucharistia, absque mortali. Ideo enim non soluitur ieiunium Ecclesiasticum, si per diem sumatur aliquid cibi, qui sit paruitas materiæ, quia, cum non aduersetur notabiliter fini ieiunij, qui est maceratio corporis: nec etiam notabiliter aduersatur præcepto intendenti finem, nec rectæ rationi. Sed etiam id, quod censeri potest paruitas materię respectu ieiunij naturalis, vt esset granum milij, non aduersatur notabiliter fini præcepti de ieiunio naturali, qui est subtrahere corpori alimentum corporale, quousque anima recipiat spirituale, quia paruitas materiæ in ordine ad nutriendum non præstat effectus alicuius considerationis, cum non possit præbere aliquam substentationem; vnde moraliter censetur corpus non cibatum, quia non recepit cibum proficuum sibi; vndè censebitur ieiunum, nec aduersabitur notabiliter præcepto, & rectæ rationi:

10 Præterea. Tunc habet locum paruitas materiæ fundans tantum peccatum veniale, quando dissonantia ad rectam rationem non consistit in materia indiuisibili, sed diuisibili; sic quia dissonantia furti consistit in ablatione rei alienæ, quæ potest esse maior, & minor, crescit etiam, & minuitur dissonantia iuxtà rem ablatam: & potest esse tam parua, vt fundet tantum peccatum veniale. Et quia dissonantia mendacij consistit in eo, quod verba discrepent à conceptu mentis, & hæc discrepantia potest esse in re graui, & leui, datur mendacium, quod sit tantum peccatum veniale ex leuitate materiæ. Sed etiam in casu nostro dissonantia ad rectam rationem in comestione ante sumptionem Eucharistiæ consistit in materia diuisibili: quia consistit in alimentatione corporis præmissa alimentationi animæ, quæ potest esse maior, & minor: & proinde etiam tam parua, vt non sit alicuius considerationis, atque adeo non censeatur soluere ieiunium, nec irrogare irreuerentiam notabilem Eucharistiæ.

11 Et hoc etiam habet locum, si dicatur, quod præceptum non prohibet cibum ante Eucharistiam, sed sumptionem Eucharistiæ post cibum: nam adhuc stante paruitate materiæ in cibo, sumptio Eucharistiæ non habet notabilem dissonantiam ad præceptum, & rectam rationem. Dissonantia enim cōsistit in eo, quod Eucharistiæ non tribuatur prior locus, sed sumatur post cibum corporalem; vndè cum oriatur ex præcessione cibi corporalis debet æstimari etiam secundùm quod æstimatur talis præcessio; quia sumptio non fit irreuerens, nisi ratione præmissionis cibi corporalis; Ergo quando cibus corporalis non est ratione paruitatis materiæ alicuius æstimationis, sed pro nihilo reputatur, sumptio Eucharistiæ non fit notabilitèr irreuerens; quia cum tota irreuerentia resoluatur in cibum, qui præcessit, erit maior, aut minor, prout solutio ieiunij naturalis, seù alimentatio corporis erit maior, aut minor, & proindè etiam leuis, quando erit leuis, & nullius considerationis alimentatio ipsa.

12 Rursus, quod non sumitur per modum cibi, & potus non soluit ieiunium naturale, vt omnes cōmuniter docent: non alia ratione, nisi quia non interuenit manducatio, aut potatio, & ieiunium tantùm soluitur per manducationem, & potationem; sed posita paruitate materiæ non interuenit moralitèr manducatio, aut potatio, nec quod sumitur, se habet moralitèr per modum cibi, aut potus; quia de ratione cibi, aut potus est, quod ordinetur ad alimentationem corporis; vndè quando non potest præstare hunc effectum, non censetur moralitèr cibus, aut potus: quia caret illa virtute, per quam cibus constituitur inesse cibi: paruitas autem materiæ facit, quod non possit præstare hunc effectum, quia priùs resoluitur, quam conuertatur in substantiam viuentis: aut si conuertitur, est insensibilis talis conuersiò, & ideò pro nihilo reputatur. Quare cum secundùm moralem æstimationem non interueniat manducatio, aut potatio, nec etiam secundum moralem æstimationem soluetur ieiunium naturale.

13 Sed rursus insurgit P. Diana *par. 6. tract. 8. Miscell. Resol. 8.* quia Concil. Tolet. 7. *cap. 2.* & refertur in Cap. *Nihil. 7. quæst. 1.* statuit, vt excommunicetur quicunque celebrare præsumpserit post cibum, potumque quamlibet minimum. Et quia Rubrica Missalis *cap. 9.* docet, non posse aliquem communicare, & celebrare post sumptionem potus, & cibi in quantumcunq; parua quantitate. Et quia in Cap. *Ex parte. De celebrat. Missar.* statuitur. Quod Sacerdos, qui in Missa sumpsit ablutionem, non possit progredi ad vlteriorem Missam celebrandam.

14 Verùm neque hæc sunt tanti momenti, vt valeant excludere paruitatem materiæ, de qua modo loquuti sumus, & procedunt, quia non distinguitur inter paruitatem materiæ, quæ *continet* adhuc morali modo formam *potationis*, & cibationis, & inter paruitatem, *quæ ratione* exiguitatis non continet. Certum est enim, quod, quando aliquid cibi, aut potus transmittitur in stomacum, & non per modum cibi, aut potus, seù cum forma manducationis, aut potationis, vt cum communi sententia docuimus, non impeditur *sumptio* Eucharistiæ, vt contingit, quando abluendo os aliquid deglutitur, vt notat Rubrica Missalis *capit. 9.* quam pro se citat P. Diana, aut quando deglutiuntur reliquiæ cibi præcedentis diei, quæ remanserunt inter dentes, quia licèt tunc interueniat substantia cibi, & potus, quæ ad stomacum defertur, non est tamèn comestio, aut potatio moralis. Et proindè, quæ *num. præcedenti* allegata sunt, debent intelligi de minima quantitate cibi, aut potus, in qua saluetur moralis ratio comestionis, & potationis, quia quando non saluatur, non soluetur ieiunium naturale, vt docent communitèr, & ipse quoque dixi *num. 12.*

15 Paruitas autem materiæ potest esse, tàm exigua, vt non habeat formam cibationis, aut potationis; atquè adeo non sit moralitèr cibus, aut potus,

quod

quod ex eo constat, quia forma manducationis, & potationis ex tribus constat, nempè assumptione externæ substantiæ, probatione substantiæ assumptæ per gustum, quod sit idonea ad alimentationem, & transmissione in stomacum. Talis autem probatio facta per gustum est necessaria ad manducationem, quia manducatio est actio vitæ sensitiuæ, cùm sit propria illorum tantùm, in quibus est vita sensitiua, & ideò exerceri debet per sensitiuam actionem, qualis est gustatio. Potest autem materia esse tàm exigua, vt respectu gustus insensibiliter se habeat, & moraliter non sit aliquid gustabile, atque adeò, nec moralitèr manducabile.

16 Rursus, quia reliquiæ cibi diei antecedentis, aut reliquiæ ablutionis oris immixtæ saliuæ tra ijciuntur in stomacum, & saliua superat in quantitate, non violant ieiunium naturale ex supradictis cum ipso P. Diana, & communi sententia, & non interuenit actio, quæ moraliter sit manducatio, etiam si gustu percipiantur, quia deficit altera actio requisita ad manducationem moralem, nempè transmissio substantiæ alimentatiuæ per modum cibi, quia transmittuntur per modum saliuæ eò, quod deglutiantur ipsi immixtæ, etiam si dedita opera deglutiantur, vt ipse P. Diana concedit cum Doctoribus allegatis, *Decis. 427 num. 3.* In casu autem nostro stante exiguitate paruitatis materiæ saliua superabit, & illa exigua paruitas poterit tantùm deglutiri immixtà saliuæ, atque adeò solùm per modum saliuæ. Nec est eadem ratio de ablutione, quæ sumitur in missa. Quia cùm hæc interuiat abluendo calici, & ori, necessariò est quantitas notabilis, ità vt non possit vt immixtà saliuæ deglutiri, atque adeò debeat deglutiri per modum potus, sicut etiam esset aqua, quàm putamèn auellanæ caperet. Quàm Idelphonsus Rodriquez apud Granad. 3. *par. De Sacram. controuer. 6. tract. 10. disput. 8. nu. 8.* ait, esse minimam.

17 Sed adhùc instat Pater Diana. Stilla aquæ violaret ieiunium, si non sumeretur per modum saliuæ, vt desumitur ex Rubrica Missalis: ergo non datur paruitas materiæ, quia non potest dari minor paruitas, quàm stilla. Verùm quid si esset medietas stillæ, numquid non esset minor paruitas? Sed ideò stilla aquæ non impedit sumptionem Eucharistiæ ex Rubrica, quia descendit per modum saliuæ; semper autem ratione suæ exiguitatis descendit per modum saliuæ, quia ità saliuæ immiscetur, vt ab ipsa superetur, & proindè non possit descendere, nisi transglutiatur saliua, & ideò semper erit paruitas materiæ, quæ non impediet communionem.

18 Denique vrget. Quia aperiretur via multis absurdis in assignata paruitate, quia, si quis diceret, vnam stillam esse paruitatem materiæ, alter diceret, quare non duæ, aut tres, aut quattuor. Verùm, si hoc esset alicuius momenti, in nulla re posset assignari paruitas materiæ. Nàm illa assignata, semper posset dici, cur non aliquid amplius? Vndè cum ipse *par. 5. tract. 5. de paruit. mater. Resol. 11.* assignet in ieiunio Ecclesiastico pro paruitate materiæ duas vncias, dicam ego: Cur non tres? cur non quattuor, & quod ipse respondebit, applicabo ego præsenti casui. Respond. tamèn, non sequi tale absurdum, quia in præsenti casu assignanda est pro paruitate materiæ solùm illa quantitas, quæ nō sufficit ad moralem manducationem, & potationem, & si assumatur ità possit commisceri saliuæ, vt non descendat per modum cibi, aut potus, sed solum per modum saliuæ.

19 Sed ex dictis videtur sequi, quod sumendo talem paruitatem materiæ, neque peccaretur venialitèr, quia iam non haberet rationem cibi, aut potus, atque adeò nec aliquid leue fieret contra ieiunium naturale. Resp. Hoc non sequi, quia interuenit aliquid imperfectum in genere manducationis, quod licèt non pertingat ad perfectam manducationem moralem, quæ sufficiat ad soluendum ieiunium naturale, habet tamèn aliquam similitudinem leuis cuiusdam manducationis, & ideò ex hoc capite interuenit peccatum veniale. Et sicuti actus, qui non est plenè deliberatus, est peccatum veniale, & mortale, si sit plenè deliberatus. Ità ista manducatio, quia non est plena, & moralis, est solum peccatum veniale. Hæc pro hac opinione dici possunt, quæ tamen lectori ponderanda relinquo, nolens in hac re aliquid decernere. Et quamuis opposita opinio communis sit, non tamèn hæc ex rationibus contrà ipsam hucusque allatis probabilis censenda est, cùm non sint satis efficaces, vt constat ex dictis, & quæ pro ipsa faciunt, non sint minoris efficaciæ.

20 Cùm hæc, quæ hucusque dicta sunt, concordent cum communi doctrina de reliquijs cibi diei præcedentis, nàm quantitas est eadem, & idem modus transmittendi ad stomachum, de quibus docent communiter, quod non violent naturale ieiunium; recitèrid Alcastellus tract. 4. de Sacramen. disput. 9. dub. 171 num. ad intentionem asserens, transmissionem reliquiarum cibi, ablutionis &c. non esse comestionem si transmittuntur absque intentione comedendi, aut bibendi. Verùm non euacuat difficultatem. Quia, si transmittuntur ex intentione transmittendi, adhùc non soluunt ieiunium, nàm etiam transmittuntur per modum saliuæ reliquiæ ablutionis, cibi diei præcedentis cum intentione transmittendi, & tamen non soluunt ieiunium, quia in morali æstimatione, neque illa transmissio est comestio, neque transmittuntur per modum cibi, aut potus, quia quod primò, & per se transmittitur est saliua, neque possunt transmitti ex intentione comedendi, aut bibendi, quia non potest intenti vt comestio, aut potatio, quod de se non est. Hoc ipsum autem contingit in paruitate materiæ, de qua in præsenti, nàm ratione exiguitatis non potest transmitti, nisi vt immixtà saliuæ, atque adeò solùm per modum saliuæ: & proindè intentio transmittendi non facit, quod in morali æstimatione sit potatio, aut comestio.

21 Confirmatur. Comestio, & potatio sunt actiones physicæ, pro quibus requiritur substantia cum tali qualitate, vt in communi æstimatione deseruiat cibo, aut potui, & insuper actio illa vitalis physica, quæ est instituta à natura ad transmittendum cibum, & potum in stomachum. Ergo quando non interuenit esse physicum comestionis, & potationis, non potest intentio facere, quod sit comestio, aut potatio, cùm non valeat

valeat immutare actiones in esse physico. Ergo si quando materia est tàm exigua, vt non possit traijci, nisi vt immixta saliuæ, atquè adeò solùm per modum saliuæ, sicuti seclusa intentione non fundaret comestionem, aut potationem, ita neque posita intentione.

A quonàm tempore, debeat incipere ieiunium naturale pro sumenda Eucharistia,

Decis. 441.

SVMMARIVM.

1 *Quando Ecclesia incipiat diem, & quando ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia.*

2 *Præceptum, quod Eucharistia à ieiunis sumatur, est vniuersale.*

3 *Quid dicendum de regionibus, in quibus per aliquos menses est continua nox, aut continuus dies.*

4 *In his regionibus est seruandum præceptum secundum capacitatem illarum.*

5 *Quomodo præfigendi sint termini in his regionibus, à quibus incipiat ieiunium in ordine ad Eucharistiam sumendam.*

6 *Quid dicendum de regionibus, in quibus nox est breuissima, si non soleant negotia protrahi in noctem.*

7 *Quid si negotia soleant protrahi in noctem, an, & quomodo obliget præceptum.*

8 *Post omnia horologia potest sumi cibus, aut potus si iuxtà sydera nondum sit media nox.*

1 ECCLESIA incipit diem à media nocte, & ducit in aliam mediam noctem subsequentem; ideo autem incipit à media nocte, quia tunc sol incipit ascendere ad nostrum Orizontem, & proinde incipit etiam motus Solis allatiuus diei. Vnde naturale ieiunium in ordine ad sumptionem Eucharistiæ pro illa die, in qua est sumenda, vsque dum sumpta fuerit, debet consequentèr incipere à media nocte antecedente, vtpote quia tunc incipit dies, in qua est sumenda. Atque ita communis consuetudo Ecclesiæ interpretatur, & tradunt communiter cum D. Thom. 3. *par. qu.* 80. *ar.* 8. *ad* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *ar.* 8. *ad* 5. Durand. *dist.* 8. *q.* 4. *nu.* 15. Palud. *q.* 2. *art.* 3. *conclus.* 2. Caietan. *in Sum. verbo* Sacramentalis Communio. *ver. secundum.* Armilla *nu.* 2. Angel. *Eucharistia* C. *q.* 3. *num.* 15. Syluest. *q.* 7. *nu.* 9. Tabiena *verbo* Communicare. *q.* 46 *s.* 52. D. Antonin. 3. *par. tit.* 13. *cap.* 6. *§.* 8. Nauar. *cap.* 21. *Manual. nu.* 53. Rodriquez 1. *par. Sum. cap.* 66. *concl.* 3. *in fine.* Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap.* 30. *qu.* 2. ver. *Quæres, quispiam.* Reginald. *lib.* 29. *Prax. fori pœnit. cap* 6. *nu.* 148. Facundez *par.* 3. *lib.* 3. *præcep.* 3. *cap.* 5. *num.* 17. Gaspar Hurtad. *disp.* 9. *de Eucharist. difficul.* 15. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. disp* 68. *sect.* 4. *conclus.* 3. Vasquez *tom. item* 3. *disp.* 211. *cap.* 3. *nu.* 32. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *punc.* 3. ver. *Sed cum hoc,* Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 49. *num.* 2. & *in Glosa litera M. & P.* Persicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 49. Lugo *disp.* 15. *de Euchar. sect.* 2. *num.* 40. Couarru. *lib.* 4. *var. cap.* 20. Villalob. *p.* 1. *sum. trat.* 7. *diffic.* 39. *num.* 7. Filliuc. *trat.* 4. *cap.* 8. *num.* 237. Bonacin. *disp.* 4. *de Sacram. qu.* 6. *pun.* 2. *num.* 11. Scortia *de Sacrif. Missæ lib.* 2. *c.* 7. *num.* 1. Palaus *p.* 4. *oper. moral. tract.* 15. *pun.* 13. *num.* 9. Layman. *lib.* 5. *Theol. Moral. trat.* 4. *cap.* 6. *num.* 14. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 22. *num.* 29. Thom. Hurtad. *p.* 2. *resol. moral. tit.* 11. *c.* 3. *nu.* 73.

2 Aduertendum autem est. Quia hoc præceptum est impositum ab habentibus iurisdictionem supra totam Ecclesiam vniuersalem, nempè à Pontificibus, & Concilijs generalibus, obligat etiam totam Ecclesiam: præsertim quia vniuersaliter loquitur, nec aliquam regionem excipit, aut aliquas personas; omnis namque lex obligat subditos legislatoris.

3 Difficultas tamen est, quid dicendum de illis regionibus, in quibus per sex menses anni est perpetua nox, & per alios sex perpetuus dies, nempe ab vno æquinoctio in alterum, vt contingit in regionibus prope polum Arcticum. Suarez *disp.* 66. *de Euchar. Sect.* 4. Ianner. *tom.* 4 *sum. disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 4. *nu.* 80. Persicus *citatus* ait, nondum esse aliquid determinatum pro his regionibus, sed opus esse lege Ecclesiastica, quæ diuidat dies proportionatos nostris diebus Ecclesiasticis naturalibus aliquo modo artificiales, designando principium, & finem. Quod etiam tenet Rubeus *in Adnot. ad rubricas Missalis cap.* 9. *num.* 4. *ver. Secundo petes,* & Alphonsus de Leone *De Offic. Capel. q.* 8. *sect.* 17. *num.* 141.

4 Ego tamen existimo, non esse opus hac regula, sed præceptum esse seruandum secundum capacitatem consuetudinis illius regionis. Quia enim in nostris regionibus in media nocte absoluuntur communiter ab omnibus, quæ spectant ad illum diem, & præsertim comestio, & corpus traditur quieti, & ideo Ecclesia præcipit seruandum ieiunium à media nocte, vt ab illo tempore, in quo communiter est absoluta comestio præcedentis diei, & cætera omnia, quæ pertinent ad talem diem.

5 In illis ergo regionibus tam quando durat perpetuus dies, quàm perpetua nox, necesse est, quod habeant certos terminos, in quibus cessent ab operando, & tradant corpus somno, & quieti, quæ absolutè est necessaria pro ipsius conseruatione: &, quod infrà vnum, & alterum terminum quietis sumant sufficiens alimentum pro substentatione corporis. Erit ergo notandus ille terminus, in quo apud omnes regulariter loquendo, solet incipere quies, & claudi vnica periodus operationum, quæ solent exerceri, & habendus pro termino mediæ noctis, in quo incipiat subsequens dies, seù noua periodus: & ab ipso opus erit incipere ieiunium naturale pro sumptione Eucharistiæ. Quod tamen ità debet intelligi, vt scilicèt accipiatur ille terminus in quo communiter solent cessare ab operando, licèt non omnes cessent, & quamuis antea illum plures cessent. Nam etiam apud nos plures cessant antè mediam noctem, & aliqui etiam protrahunt vltra ipsam. Et itá postea tradidit etiam Thomas Hurtadus p. 2. *resol. moral. trac.* 11. *cap.* 3. *nu.* 77.

6 Rursus dubitari potest, quid dicendum pro illis regionibus, in quibus tempore æstatis nox est breuissima, vt sunt nonnullæ regiones Boreales, an ibi quoque debeat ieiunium illud incipere à media nocte. Respondeo, quod si non adsit consuetudo pro trahendi negotia diei in noctem, & regulariter

riter sumatur cibus vltimus illius diei ante mediam noctem, & corpus ante ipsum regulariter tradatur quieti, debet seruari ieiunium à media nocte, vt possit sumi Eucharistia, quia potest commodè ibi seruari præceptum, sicut seruatur apud nos.

7 Si verò negocia protrahantur in noctem, ita vt ante mediam noctem non sit regulariter sumptus vltimus cibus, tunc non debet ieiunium incipere à media nocte, sed secundum capacitatem consuetudinis regionis. Quia præceptum Ecclesiasticum, quale est istud, non obligat, nisi secundum capacitatem obligationis, quæ induci potest, moraliter autem non potest induci obligatio ieiunij à media nocte, stante illa consuetudine: quæ non est auferenda, cum de se non sit mala, præsertim quia adhuc præceptum seruari potest, & obtineri finis ipsius, nempe reuerentia erga Sacramentum. Obseruandum ergo erit ille terminus, in quo regulariter claudi solent negotia diei, & corpus refectum tradi quieti, sumendo illud vltimum, in quo solent omnes hæc compleuisse, & habendus pro initio, in quo incipiat naturale ieiunium.

8 Est autem aduertendum, quod si postquam omnia Horologia conuertunt, ex aspectu syderum constet, nondum esse mediam noctem, quia scilicet sydus oppositum soli nondum sit in meridiano, aut nondum oriatur, aut occidat sydus debens oriri, aut occidere, quando sol incipit ascendere ad nostrum meridianum, tunc poterit ieiunium regulari iuxta medium noctis ex syderibus obseruatum, & proinde post omnia horologia sumi cibus, aut potus, & die sequenti Eucharistia. Quod etiam notauerunt Bossius *tom.1. mor.tit.* 1. *nu.* 1733. Martin. à s. Ioseph. *tom.1 mor.lib.1. tract.8. de Eucharist. num.18.*

An, si in aliqua Prouincia esset diuersa consuetudo sumendi initium diei, posset licitè seruari in ordine ad ieiunium naturale.

Decis. 442.

SVMMARIVM.

1 *Non esse seruandam consuetudinem aliter incipiendi diem in ordine ad ieiunium naturale pro Eucharistia, qui deceant.*

2 *Esse seruandam, si adsit approbatio Ecclesiæ alij docent.*

3 *Præceptum de ieiunio præcedente Eucharistiam est seruandum, sicut est iam introductum.*

4 *Lex non obligat, nisi eo modo, quo est introducta.*

5 *Præceptum de ieiunio requisito ad Eucharistiam non obligat, quod dies incipiat hac, vel illa hora.*

6 *Si præceptum hoc sit de nouo introducendum, est habenda ratio consuetudinis regionis.*

7 *Finis huius præcepti saluatur quacunque hora incipiat dies.*

1 TAlem consuetudinem non esse seruandam, sed semper ieiunium incipiendum esse à media nocte docet Henr. *lib.* 8. *de Euchar. c.49. nu.2. & in Glos. littera M.*

2 Alij verò inquiunt, quod standum est consuetudini, si Ecclesiæ decreto sit recepta. Ita Sotus *in 4. dist.12. q.1. ar.8. ad 5. in fine.* Valent. *tom.4. disp. 6. q.8. punc. 2. ver. Sed cum hoc.* Suarez *3.p.tom.3. disp.68. sect.4. concl.3.* Persicus *lib.1. de Offic. Sacerd. c.5. dub.5. n.49.* Bossius *tom.3. mor. tit. 22. n. 29.* Quod quidem nullam difficultatem patitur, quia Ecclesia potest declarare, immutare restringere, & tollere propria præcepta.

3 Sed difficultas est, quando adest consuetudo, & non adest aliqua approbatio, vel declaratio Ecclesiæ. In quo casu existimo distinguendum esse. Vel enim agimus de præcepto iam introducto secundum consuetudinem regionis, vel de præcepto de nouo introducendo. Si præceptum sit introductum: tunc, quia leges positiuæ, etiam Ecclesiasticæ, non obligant, nisi quatenus sunt in vsu, huiusmodi præceptum non obligat, nisi secundum quod introductum est, habita ratione consuetudinis regionis, præsertim quia iam adest consuetudo seruandi tali pacto præceptum; & cum consuetudo legem interpretetur, non debet censeri, quod aliter obliget, 4 quam secundum modum, quo est in vsu. Quod præsertim est verum, quia parum refert ad finem præcepti, quod hoc, vel illo modo seruetur, dummodo finis obtineatur, qui in casu nostro est reuerentia erga Sacramentum.

5 Deinde secundum substantiam habetur obseruantia præcepti: quia non obligat præceptum, nisi ad ieiunium pro illa die, in qua est sumenda Eucharistia, vsque ad tempus sumptionis: non autem, quod dies incipiat hac, vel illa hora; & ideo sufficit ad substantiam obseruationis, quod seruetur ieiunium ab illa hora, à qua incipit dies.

6 Si verò de nouo introducendum est præceptum, vt contingere potest in ijs regionibus, in quibus missionarij disseminant catholicam fidem, puto non esse alienum à mente legislatoris, seu Ecclesiæ, quod introducatur eo modo, quo potest, habita ratione regionis, & consuetudinum ipsius; esset enim nimis difficile conuellere consuetudinem, quæ in ordine ad lumen naturale non est mala; vnde etiam redderet difficilem introductionem præcepti.

7 Ratio est. Quia finis legis est mensura obligationis ipsius; vnde cessante fine, cessat etiam lex, & ideo non plus obligat, quam necessarium sit ad assequendum finem. Finis autem præcepti de ieiunio naturali seruando pro illa die, in qua est sumenda Eucharistia, vsque ad sumptionem ipsius, est reuerentia exhibenda Sacramento, vt ipsum sit primus cibus illius diei. Hoc autem obtinetur introducendo præceptum de ieiunio iuxta consuetudinem regionis; quia si ante sumptionem Eucharistiæ seruetur ieiunium incipiendo ab illa hora, in qua iuxta consuetudinem regionis incipit, adhuc erit primus cibus ipsa Eucharistia, & eadem reuerentia exhibebitur Sacramento. Præsertim, quia in tantum apud nos præcipitur ieiunium à media nocte, in quantum tunc apud nos incipit dies naturalis.

An

An ieiunium necessarium pro sumptione Eucharistiæ debeat incipere à primo pulsu horæ designantis mediam noctem.

Decis. 443.

SVMMARIVM.

1 *A primo pulsu horæ designantis mediam noctem debet incipere ieiunium pro Eucharistia.*
2 *Hora non completur, nisi quando sonuerunt omnes pulsus.*
3 *Quomodo horologium sit tantum testis.*
4 *Non indicat complementum horæ, nisi vltimo pulsu.*
5 *Tempus inceptionis huius ieiunij quomodo mensurandum.*
6 *Præceptum non obligat, nisi prout moraliter seruari potest.*
7 *Ecclesia præcipit ieiunium solum à media nocte*
8 *Dimidium mediæ noctis naturalis non potest mathematice mensurari.*
9 *Cur Ecclesia non possit nos obligare, vt in sumendo dimidio noctis nos conformemus horologijs.*
10 *Exigua pars temporis post mediam noctem potest computari pro media nocte.*
11 *Possumus sequi vltimum horologium pro inceptione diei, & primum pro desitione.*
11 *Quod licet existentibus pluribus horologijs licet etiam existente vnico.*
12 *Comestio continuata post medium tempus à media nocte trahetur ad diem antecedentem moraliter.*
13 *Quantum temporis post mediam noctem naturalem sumi possit pro paruа materia in ordine ad ieiunium.*
14 *Media nocte an in Italia iuxta horologia attendenda.*
15 *Nec refert, quod subsequantur motum Solis.*

1 QVod statim à primo pulsu horæ designantis mediam noctem, debeat incipere ieiunium pro Eucharistia sumenda, ita vt, si tunc quis bibat, & continuet, etiam si quando sonat vltimus pulsus finierit, non possit Eucharistiam sumere, docent Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 40.* Facundez *in præc. Eccl. p. 3. de 3. præcep. lib. 1. c. 10. n. 3.* Io. Sancius *in select. de Sacram. disp. 42. n. 20.* Villalobos *p. 1. sum. tr. 1. diffic. 2. n. 8.* Diana *p. 3. tr. 4. de Sacram. resol. 36. ver. Notandum est.* Alphonsus de Leone *de Offic. Capel. q. 8. sect. 17. n. 140.* Præposit. *in 1. 2. qu. 19. ar. 6. dub. 5. n. 8.* Auctor *Casuum Conscient. Bononiensium Anni 1637. Casu 2. Mensis Septemb. qu. 4.* Bresserus *lib. 4. de consc. c. 11. n. 107.* qui tamen addit probabile esse horam durare vsque ad vltimum sonum, Auersa *q. 8. de Eucharist. sect. 8. ver. Decimo,* qui tamen subdit, id solum habere locum, si horologium exactissime procederet, quod non est humanæ industriæ, sed vix Angelica subtilitate obtineri posset, Martin. à S. Ioseph *tom. 1. mor. lib. 1. tr. 6. de Eucharist. n. 18.* Lugo *disp. 15. de Euchar. sect. 2. n. 37.* Qui addit, quod, quando ante pulsus designantes horas, sonant etiam pulsus designantes quadrantes horæ, tunc ad primum pulsum horum quadrantium debet incipere ieiunium, ita vt post ipsum non possit aliquid sumi, etiam si sumatur antequam sonent pulsus horæ.

2 Quod tamen mihi non placet; quia licet illa rota, quæ pro quadrantibus mouetur, sit diuisa in quatuor partes æquales secundum spacia quatuor quadrantum, non tamen quando pertransitur quartum spacium rotæ, est hora completa, sed tantum, quando sonuerunt etiam omnes pulsus horam indicantes; quod ex eo patet, quia motus rotarum pro hora subsequenti non incipit, nisi postquam omnes pulsus omnium campanarum sonuerunt: & consequenter neque etiam, nisi tunc, incipit hora subsequens. hora autem præcedens durat, quousque incipiat subsequens: alioquin daretur aliquod tempus, quod non esset pars alicuius horæ, nempe tota illa spacia, in quibus campanæ sonant. Sequitur Bossius *tom. 1. mor. tit. 1. n. 1731. & 1732.* Thomas Hurtad. *p. 2. resol. mor. tr. 11. c. 3. n. 86.* Hieron. Garz. *in sum. tr. 3. diffic. 5. dub. 2. p. 3. n. 42.*

3 Fundamentum huius opinionis est. Quia horologium est tantum testis indicans horam esse completam: & ideo quando auditur primus pulsus, iam est hora expleta, & per accidens est, quod alij subsequantur, quia nimirum non potest indicari complementum cuiuslibet horæ vnico tantum pulsu.

4 Quod tamen fundamentum non mihi videtur magni faciendum, facilè enim corruit, si dicatur, quod horologium, quando sonandi sunt plures pulsus, incipit indicare complementum horæ antequam sit completa, ita vt solus vltimus pulsus indicet completam: quia nimirum non potest hora esse completa, vt modo dicebamus, nisi quando immediatè incipit hora subsequens, incipit autem solum sonato vltimo pulsu. Quod etiam probabile putat Bresserus *lib. 4. de Conscient. c. 11. n. 107.*

5 Itaque hæc opinio mihi semper rigorosa visa est, nec puto in rebus moralibus ita scrupulosè procedendum esse. Sed cum probabile sit, quatenus horologia non exactè procedant, & possim eligere quod libuerit, & proinde possim detrahere, aut addere aliquam exiguam partem temporis diei ieiunij sequendo vltimum, aut primum: aut etiam non possim diuidere vnum diem ab alio iuxta indicium horologiorum, quia non adsint, aut non audiantur, terminus diuidens vnum diem ab alio in puncto mediæ noctis, non erit certus, & idem apud omnes, sed solum erit designandus iuxta prudens iudicium tenendum ex probabilibus signis mediæ noctis naturalis, & habebit latitudinem; ita vt ab vno ante, ab alio post designari possint, iuxta diuersa motiua sui prudentis iudicij.

6 Moueor autem, quia nullum præceptum obligat, nisi quatenus moraliter est possibilis adimpletio ipsius: & ideo exigitur obseruantia cum proportione, & mensura ad consuetum, & regularem modum operandi humanum. Et hoc est principium omnino certum, secundum quod est mensuranda obligatio cuiuscunque legis, & præcepti; alioquin lex esset intolerabilis, quia moraliter esset impossibilis obseruantia ipsius. Vnde Tridentinum *sess. 6. c. 11. De iustificat.* Loquens de diuinis præceptis ait; *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat, vt possis. Cuius mandata grauia non sunt, cuius iugum suaue est, & onus leue.*

7 Certum est etiam, quod Ecclesia præcipit ieiunium incipiens à media nocte naturali, quæ tunc

est, quando Sol incipit ascendere ad nostrum hemisphærum: & ex vi huius præcepti non obligantur anticipare comestionem; ita vt sit completa ante mediam noctem, sed potest protrahi vsque ad dimidium noctis, & proinde relinquit mensurandum dimidium noctis eo modo, quo potest mensurari.

8 Est autem impossibile moraliter loquendo ita mensurare hoc dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguam partem temporis ante, vel post mediam noctem naturalem, quia est impossibile habere instrumenta ita perfecta, quæ exactè correspondeant motu solis; Ergo erit etiam impossibile obseruare præceptum ita exactè, vt statim à vera media nocte incipiat obseruantia ipsius.

6 Neque etiam potest Ecclesia nos obligare, vt nos conformemus horologijs; Tum quia hæc non sunt obuia vnicuique, vt per ipsa possit se regulare: vt contingit in oppidis; & villis, & etiam in ciuitatibus: quia non vbique per totam ciuitatem audiuntur pulsus horarum. Tum quia est moraliter impossibile semper attendere ad pulsus horarum; Tum quia in aliquibus regionibus; vt in Italia, medium noctis non designatur aliquo pulsu horarum, cum vt plurimum contingat infra spacium alicuius horæ. Tum quia in Italia in aliquibus locis horologia diuersimodè procedunt, nam vigesima quarta hora sonat cum ipso solis occasu, vt Venetijs: in aliquibus autem locis cum horæ dimidio post occasum Solis: vnde cum eodem modo obseruandum sit præceptum ab omnibus, non tamen eodem modo mensurari potest tempus, in quo incipiat obligatio; & proinde impossibile est, sequi ductum horologij ad vnguem; vnde nec obligabit præceptum ad sequendum ita exactè, vt nulla sit discrepantia ab ipso, cum sufficiat secundum prudens iudicium designari punctum mediæ noctis.

10 Cum igitur non possit tempus mediæ noctis exactè obseruari, nec etiam quatenus benè, vel malè indicatur ab horologijs, vt constat ex dictis: remanet, quod præceptum non obliget ad exactè obseruandam mediam noctem quocunque modo nobis innotescat: sed quod sufficiat, quod secundum prudens iudicium ieiunium incipiat à media nocte, seu ab illo tempore, quod habetur pro media nocte: atque adeo quod exigua pars temporis post medium noctis naturalis computetur pro ipsa media nocte; itaut etiam si post medium noctis naturalis, aut vt indicatum per horologia, comedatur, aut bibatur, dummodo per exiguum tempus id fiat, itaut secundum probabile iudicium non censeatur elapsa media nox, possit adhuc censeri ieiunium incipere à media nocte.

11 Confirmatur. Potest quis sequi quoad inceptionem diei vltimum horologium, & quoad desitionem primum vt tradit Dicastil. *de Sacram. tr. 4. disp. 9. dub. 16. n. 321.* & approbat Diana *p. 10. tr. 15. resol. 29. in fine.* Ex hoc autem sequitur, quod dies ieiunij non erit integer 24. horarum, etiam vt indicatus per horologia; cum sequendo vltimum inceptione diei est moraliter certum, si sint quinque, aut sex horologia, quod media nox sit iam elapsa præsertim in Italia, vbi horologia subsequuntur solem dimidia hora circiter, vnde protrahetur cœna post mediam noctem per tempus considerabile. Sequendo verò primum in desitione diei, est moraliter certum, quod anticipet tempus debitum, & proinde aut nondum sit media nox solarij, aut vix sit, præsertim si primum discreparet ab vltimo per dimidiam horam, vt contingere solet, & quod non sint elapsæ 24. horæ ab vltimo horologio noctis præcedentis. Et proinde debitur antipatio, sicut postpositio per exiguum tempus. Rursus. Sit vnicum tantum horologium, postquam pulsauit mediam noctem, non possunt comedere, possem autem comedere, si adessent alia horologia quæ postea pulsarent, quia illa possem sequi, cum non constaret de errore. Ergo possum etiam edere post pulsationem vnici horologij, quia quod adsint plura, non facit, quod tunc solum sit media nox, quando vltimum pulsat; & adhuc existente vnico tantum post modicum tempus à pulsatione possum formare iudicium, quod non quia horologium ad vnquam non procedat, sit media nox, quale iudicium tantum possum formare sequendo præcisam pulsationem ipsius.

12 Præterea si continuetur comestio post exiguũ tempus post mediam noctem etiam indicatam per horologia, sicut comestio est diei præcedentis, ita etiam partum illud tempus, quo continuatur, trahitur ab ipsa comestione, vt ab operatione diei præcedentis, vt moraliter censeatur tempus diei præcedentis; quia cum non sit dies præcedens separandus à die subsequenti, nisi secundum prudens iudicium, potest operatio diei præcedentis, trahere ad se aliquid modicum de die subsequenti, & facere, quod fiat separatio completa operatione ratione etiam operationis continuantis pars vnius diei trahitur ad partem alterius. Cap. *Quod à Patribus dist. 75.* & cap. *Litteras de temp. ordin.*

13 Dubitari tamen potest, quantum temporis in tali casu possit haberi pro minimo. Resp. debere esse solum tantum, quantum detrahi potest à subsequenti die, ita tamen, vt adhuc dies censeatur integer, & possit prudenti modo præfigi terminus separans vnum diem ab alio iuxta prudentis iudicij mensurum, alioquin si non censeretur integer, neque etiam censeri posset, quod esset seruatum ieiunium pro illa die. Hoc autem non debet esse aliqua integra hora, quia cum qualibet hora sit pars integralis diei, si vna deficiat non erit dies integer. Et ita etiam notat Caramuel *citatus.*

14 An autem in Italia attendenda sit media nox secundum cursum solis, an secundum horologia, quæ non conformantur Soli, sed media hora circiter indicant tempus post cursum Solis. Affirmat Auersa *q. 8. de Eucharist. sect. 8. ver. Decimo.* Sed cæteri communiter oppositum tenent, dum assignant vniuersaliter tempus, vt ostensum per horologium, Et ita quidem dicendum est; nam praxis obtinuit in Italia, vt media nos designetur iuxta id, quod indicant horologia.

15 Ex quibus reijcitur ratio Francisci Lugonis *lib. 4. de Sacram. c. 7. q. 5. n. 54.* quod scilicet audito primo pulsu, etiam quadrantium non liceat aliquid sumere, quia horologia subsequuntur horas solares saltem per quadrantem Nam si valeret, neque etiam per illum quadrantem liceret aliquid sumere; Et qui sumpsisset, non posset sumere Eucharistiam: nam si semel conceduntur horologia pro illa regula, illa attendenda sunt.

An, quando adsunt plura horologia liceat sequi, quod libuerit in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistiæ.

Decis. 444.

SVMMARIVM.

1 *Sequendum primum horologium in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistiæ, qui doceant.*
2 *Oppositum est tenendum.*
3 *Horologia non se habent, vt opiniones probabiles, sed vt testes.*
4 *Vnum horologium, aut plura simul pulsantia non faciunt tempus magis probabile, quam faciat aliud ante, vel post pulsans.*
5 *An in eadem nocte possimus sequi modò vnum horologium, modo aliud.*
6 *Possum sequi modo vnum, modo alterum horologium in eadem nocte, nisi antecedens vel subsequens dies ponatur in possessione temporis, quod mediat inter pulsationem vnius, & alterius horologij.*
7 *Quanam dies ponatur in possessione illius temporis intermedij.*
8 *Quando licet variare horologia.*

1 Negatiuè respondent Salas 1. 2. *tr.8. disp. vnica sect. 25. nu. 264.* Rodriquez *tom. 1. sum. noua editionis c. 105. n. 6.* Merolla *tom. 1. theol. mor. disp. 3. c. 3. corol. 11. nu. 139.* Sed volunt, sequendum esse horologium, quod primò pulsat; pro quo tamen nullam rationem afferunt.

2 Quare tenenda est sententia affirmatiua cum Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp. 41. n. 40. ver. Quod si diuersa.* Facundez *prae. 4. Eccl. lib. 1. c. 10. nu. 3.* Sancio. *in select. de Sacram. disp. 42. n. 18.* Villalob. *tom. 1. sum. tr. 1. diffic. 21. n. 7. ver. Item si ad diuersos.* qui citat etiam Vegam *lib 3. sum. c. 213.* Diana *p. 3. tr. 4. Resol. 36. ver. Sed mihi.* Lugo *disp. 15. de Eucharist. sect. 2. nu. 45.* Bonacina *de Sacram. in genere disp. 1. q. 2. punc. 2 § incidenti n. 9.* Bressero *lib. 4. de conscien. c. 11. n. 106.* Palao *p. 1. oper. mor. tr. 1. disp. 3. pun. 8. n. 9.* Bossio *tom. 1. mor. tit. 1. n. 1726.* Thoma Hurtado *p. 2. resol. mor. tr. 11. c. 3. n. 83.* vbi ait, præcipue attendendum ad horologium Ecclesiæ matricis. Verum horologia quoque Ecclesiarum matricum aliquando peius cæteris regulantur. Martino à S. Ioseph *tom. 1. mor. lib. 1. tr. 8. de Eucharist. n. 19.* Hieron. Garzia *in sum. tr. 3. diffic. 5. dub. 2. punc. 3. n. 42.* Franc. Lugo *lib. 4. de Sacram. c. 4. q. 5. n. 48.* Dicastil. *de Sacram. tr. 4. disp. 9. dub. 17. n. 288.* Auctore *Casuum Consciem. Bononiens. Anni 1633. Casu 2. Mensis Septemb. quæsito 3.* quod etiam postea reperi apud Caramuel. *in Regul. S. Benedicti disp. 101. n. 1328.* quia, inquiunt, quod plura horologia se habent vt plures opiniones probabiles: ex opinionibus autem probabilibus possum eligere, quam volo. Quod tamen limitant, supposito quod non constet de errore vnius, aut alterius horologij; neque enim possumus sequi illud, quod constet errare.

3 Hoc tamen mihi difficile videtur. Quia horologia indicant tantum tempus: & dum indicant, se habent vt testes testificantes de tempore: & proinde se tenent ex parte facti, de quo veluti deponunt & non ex parte iuris: opinio autem probabilis se tenet ex parte iuris: ex parte autem facti, non possum sequi quamcunque probabilitatem, sed debeo sequi, quod probabilius est.

4 Itaque horologia omnino accipienda sunt tanquam testimonia testantia de tempore; & quia sicut ex testimonijs singularibus, vnum non facit factum magis probabile, quàm faciat alterum; proinde possum sequi, si non cõstet de errore, quodcunque illorum; quod etiam verum est, licet plura simul sonent; quia non per hoc dant maiorem certitudinem de tempore: cum experientia constet. quod aliquando vnum magis accedit ad indicandum verum tempus, quam plura simul. In tantum enim plures testes contestes faciunt maiorem certitudinem, quia singuli supponuntur habere suam cognitionem, & veracitatem independenter ab alijs: horologia autem indicant, vt regulantur, & multoties etiam deflectunt à regula, & ij, à quibus regulantur, non habent, vt plurimum, exactam cognitionem temporis, & fieri potest, quod ille, qui regulat illud, quod seorsim ab alijs sonat, habeat de tempore cognitionem magis exactam, & proinde melius regulet; ideo quò ad hoc non eadem ratio de testibus, & horologijs: & sufficit quod plura non dent maiorem certitudinem, quam vnum.

5 Dubitari tamen potest, an possimus in eadem nocte sequi modò vnum, modò aliud horologium: ita vt, si sit dies ieiunij, ad pulsum primi horologij possim comedere carnes, ex eo quod sequenti die non sit ieiunium: deinde postquam comedi carnes, & sonat alterum horologium, possim relinquere primum, & sequi hoc posterius, & tunc incipere ieiunium naturale pro sumenda Eucharistia. Circa quam difficultatem plura habet Lugo *citata disp. 15. de Euchar. sect 2. n. 46. & sequentib.*

6 Breuiter tamen respondendum est, quod possum sequi modò vnum, modò alterum: ita vt si elegerim, quod primò sonat, possim ipsum relinquere, & eligere alterum, quod sequar. Sequuti sunt Bossius *tom. 1. mor tit. 1 n. 1728.* Thom. Hurtad. *p. 2 resol. mor. tr. 11. l. 3. n. 83.* dummodo tamen facta prima electione, aut dies antecedens, aut subsequens; non ponatur in possessione illius temporis, quod mediat inter, pulsationem vnius horologij, & pulsationem alterius; quia si ponitur, iam illud tempus est pars illius diei, pro quo est iam recepta vt pars (quia non potest non fuisse recepta pro illo die) ideo illi dies, & consequenter quæ sunt affixa illi diei sunt in possessione illius partis; & qui habent ius ad ea, quæ sunt affixa illi diei, habent ius ad illam partem pro ijs, quæ sunt affixa diei; & ideo non potest fieri mutatio; quia hæc mutatio esset cum alieno præiudicio; nam possent defraudari præcepta, & obligationes; & ideo qui eligit primum horologium, & manducauit carnes, quas antea non poterat manducare, iam incœpit diem sequentem, qui est in possessione illius temporis: & ideo non potest incipere ad pulsationem alterius horologij ieiunium naturale pro sumenda Eucharistia; quia, si tunc vellet incipere diem, tolleret possessionem illius temporis ab Ecclesia, ad quod habet ius pro exigendo ieiunio naturali: cum iam sit receptum

tum illud tempus pro parte sequentis diei: & fraudaretur præceptum de ieiunio sequentis diei.

7 Ille autem dies ponitur in possessione temporis intermedij inter pulsationem vnius, & alterius horologij, qui trahitur ad illud tempus per exercitium alicuius operationis, quæ sit annexa tali diei: ita vt debeat in tali die exerceri. Non est autem necesse, quod trahatur ad illud tempus secundum exercitium, sed sufficit, si destinetur in illud tempus; quia facta tali destinatione, cum talis operatio sit debita diei, est etiam debita illa pars temporis ratione operationis in ipsum translatæ; supposito, quod in alio tempore subsequente eiusdem diei non possit exerceri. Et hæc quoad substantiam sequitur Bossius *tom. 1. moral. tit. 1. nu. 1729.*

8 Notat etiam Ricastillus *de Sacram. trac. 4. disp. 9. dub. 16 num.* 321 quod possumus sequi modo vnum, modo aliud horologium, dummodo non sequatur elusio alicuius præcepti: vndè possum in inceptione diei sequi tardius, & in decisione celerius. Addit etiam *num.* 326. quod sequutus horologium ad soluendum ieiunium Ecclesiasticum vnius diei credens esse vltimum, si putans esse mediam noctem comederit, tanquam finito die procedenti, si post comestionem audiat aliud indicans medium noctis, non prohiberi, quin legerat vt ieiunum iuxtà probabilem sententiam secundi horologij, & si placuerit, sumere Eucharistiam. Quæ omnia approbat Diana *p. 10. trac 15. resol. 29. in fin.* Verùm hæc variatio horologij non est ex intentione variandi, de qua modo agitur, sed per accidens ex occasione erroris detecti.

An dubitans, an aliquid post mediam noctem deglutierit: ità vt dubium cadat supra comestionem, possit Eucharistiam sumere. Decis. 445.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an comederit, non potest, secundum aliquos, sumere Eucharistiam.*
2 *Alij asserunt posse. Qui sequendi sunt.*
3 *Præceptum non exigit; quòd dubij de comestione abstineant ab Eucharistia.*
4 *Debet tamen deponi dubium practicum, vt possit in tali casu sumi Eucharistia.*
5 *Obligatio legis quomodo debeat esse certa, vt obliget.*
6 *Dubius de homicidio cur irregularis.*
7 *In dubijs quando tutior pars eligenda.*
8 *Certus de voto, & dubius de adimpletione debet implere.*

1 NEGATIVE respondent Sanchez *lib. 2. de Matrimon. disp. 41. num. 40.* Villalobos *tom. 1. Sum. tract. 1. difficul. 21. num. 6.* Facundez *in præcep. Eccles. lib. 3 præcep. 3 cap. 5. num. 18.* Francisc. Lugo *in discur. præu. ad Theol. moral. p. 1. cap. 2. qu. 30. nu. 176* Ouiedo *1. 2. trac. 5. controu. 4. pun. 7. num. 44. & 45.* Ariaga *tom. 3. Theol. disp. 25. sect. 5. num. 54.* Palaus *p. 1. tract. 1. disp. 3. pun. 8. num. 9.* Gordon *lib. 3. Theol. moral. qu. 3. num. 10.* Bonacina *disp. 1. de inst. qu. 2. pun. 2. §. Incidenti num.* 8. Salas *1. 2. tract. 8. disp. vn. num. 264.* quia in dubio possessio est pro præcepto; & ideo cum sit melior conditio possidentis, abstinendum est ab Eucharistia.

2 Affirmatiuam tamen sententiam tradunt Medina *in Sum. in Declarat. 3. præcepti Ecclesiæ.* Layman. *lib. 1. Theol. moral. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 36.* Sancius *in Select. disp. de Sacram. disp. 42. num. 9.* Diana *par. 3. tract. 4. de Sacram. resolut. 29. ver. Sed his non obstantibus.* Lugo *disp. 15. de Euchar. sect. 2. num. 42. & 43.* Dicastill. *de Sacram. tract. 4. disp. 9 dub. 17. num. 297.* Caramuel *lib. 3. Theol. moral. cap. 1. disp. 1. num. 1353.* Bossius *tom. 1. moral. p. 2. tit. 1. §. 46 num. 1712.* Leander *tom. 2. de Sacram. tract 7 disp. 5 qu. 5.* Trullenk *lib. 3 de Sacram. c. 6. dub. 5. num. 24* Tamburin. *opusc. de Commun. cap. 2 § 7. num. 29* Bardus *de conscient. disp. 6. c. 11 p. 3. §. 1. n. 3* Hieron. Garz. *in sum. tract. 3. diffic. 5. dub. 2. pun. 3. num.* 40. Dicastill. *de Sacram. tract. 4. disp. 9. dub. 17. num. 297.* Et hæc sententia tenenda est.

3 Ratio est. Quia, quandiu quis manet dubius, an aliquid comederit, non adest sufficiens ratio, cur debeat se priuare Eucharistia: cùm alioquin habeat ius ad illam sumendam; eatenus enim deberet se priuare, quatenus exigeretur ex præcepto, Eucharistiam esse primum cibum, hoc autem non exigitur stante dubio, an solutum fuerit ieiunium; quia exigentia certa non potest fundari in re incerta; vnde solum exigit, quando est certum, quod ieiunium fuerit solutum; quia tunc vrget obligatio præcepti, & antequam sit certum, non obligat: quia tantum obligat, eos abstinere, qui non sunt ieiuni.

4 Est tamen necesse, vt aduertit Sancius *citatus*, quod stante dubio de comestione, deponatur dubium practicum, an liceat sumere; quia, si quis dubitaret, an, stante dubio de comestione, liceat sumere Eucharistiam, & sumeret cum tali dubio, operaretur cum conscientia dubia, atque adeo peccaret.

5 Contrà supradicta sentit Thomas Hurtadus *p. 2. resol. moral. tract. 11. cap. 7. num.* 234 & primo obijcit: obligatio legis est certa, quia agitur de die, in qua præceptū ieiunij obligat, factū autē incertū, quia est dubiū, an in illa eadē die comederit, vel nō comederit, atq; adeo an sit ieiunus. Non potest autem incertum vincere certum. Respondeo. Obligationem legis esse certam secundum se, non autem quoad applicationem: applicatur enim solùm non ieiunis pro quibus est lata: vndè si est incertum, an aliquis non sit ieiunus, est etiam incertum an sit ipsi applicata lex prohibitiua communionis, atque adeo an arceatur ab ipsa. Rursus possidet ius ad Communionem qua possessio, cùm sit certa, non potest deturbari ab incerta applicatione prohibitionis.

6 Secundò obijcit. Dubius de homicidio à se perpetrato est censendus irregularis *cap. ad audientiam. de homic.* quia scilicèt lex est certa, & factum dubium. Ergo dubius, an comederit debet censeri non ieiunus, & abstinere à Communione, quia lex est certa, & factum dubium. Respondeo negando conseq. quia hoc est speciale in homicidio: nam lex inducit præsumptionem stante dubio de homicidio, & facit, quod homicidium præsumatur. Stante autem præsumptione de homicidio habetur pro certo, & subintrat lex de irregularitate, & applicatur facto certo ex præsumptione. Non adest præsumptio inducta à lege pro violatione ieiunij, quando adest dubium.

7 Ter-

7 Tertiò objicit. In dubijs tutior pars est eligenda: ergo etiam in casu præsenti. Respondeo. In dubijs esse eligendam tutiorem partem, quando in opposita adest periculum peccati: nam ratio, cur tutior sit eligenda, est, vt vitetur peccatum. Quando autem adest dubium, an lex comprehendat casum, seù quando applicatio legis est dubia, vt in casu præsenti, non adest tale periculum; nàm nisi sit certa applicatio, lex non inducit obligationem.

8 Quartò objicit. Certus de voto, & dubius de adimpletione tenetur implere, vt tradunt Bonacina *disp. 1. de offic. diuin. qu. 6. pun. 2. num. 11.* & *disp. 1. de restit. in genere qu 2. pun. 2.* Mancin. *de hor. Can. qu. 18. num. 4.* Nauar. *de orat. cap. 20. num. 3.* Sanchez *lib. 1. sum. cap. 10. num. 2.* Naldus *verb. Dubium num. 5.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp. 42. num. 8.* & est certùm. Sic etiam dubius an recitauerit diuinum officium tenetur recitare: ergo dubius, an comederit, tenetur seruare legem, & abstinere ab Eucharistia. Respondeo negando conseq. nàm est diuersa ratio: nàm stante certitudine voti, & præcepti de officio diuino, est etiam certa obligatio cui non potest satisfieri per aliquid incertum. At stante dubio de comestione, non est certa prohibitio de abstinendo ab Eucharistia, neque dubia comestio trahit certam obligationem legis.

An certus quod comederit, vel biberit, dubius verò, an post mediam noctem, an ante, possit sumere Eucharistiam. Decis. 446.

SVMMARIVM.

1 *Certus, quod comederit, & dubius, an eadem die, non potest sumere Eucharistiam.*

2 *Quid certus de voto, & dubius, an in legitima ætate num. 7.*

3 *Certus, quod comederit, & dubius, an post mediam noctem, potest sumere Eucharistiam.*

4 *Habet ius certum sumendi, & debitum incertum abstinendi.*

5 *Sola comestionis coniunctio, cùm præsenti die impedit, sumptionem Eucharistiæ; quando est certa.*

6 *Dubitans, an comederit post mediam noctem, se habet vt reus, & contra ipsum est probandum, quod post mediam noctem comederit.*

7 *Certus de voto, & dubius, an post septenium emiserit, non tenetur implere.*

8 *Accedens cùm dubio, an sit ieiunus ad Eucharistiam, non se exponit periculo peccati.*

9 *Validitas voti infirmatur ex dubio penes conscientiam.*

10 *Præceptum sumendi Eucharistiam ieiunè quomodo semper obliget.*

11 *Ieiunium non est fundamentum iuris ad Eucharistiam.*

12 *Soluisse ieiunium impedit, non autem reddit indignum Eucharistiæ.*

13 *Qualitas quando est probanda.*

14 *Cur dubius de peccato mortali non possit sumere Eucharistiam, & possit dubius de ieiunio.*

1 NEGATIVAM sententiam tradunt similiter ij, quos *Decis. præcedenti nu. 1.* pro priori sententia citauimus. Quibus accedit Lugo *citata disp. 15. de Eucharist. sect. 2. num. 42. & 44.* Bresserus *lib. 4. de conscent. cap. 11. num. 104.* Qui tamen addit, oppositum tenendum, si sequeretur notabile incommodum, vt amissio plenariæ indulgentiæ. Arriaga *1. 2. disp. 25. sect. 5. num. 54.* Gordon. *lib. 3. theol. moral. qu. 3. num. 10.* Salas *1. 2. tract. 8. disp. vnic. num. 264.* Palaus *p. 1. oper. moral. tract. 1. disp. 3. pun. 8. num. 9.* quia, inquit ipse, in foro externo is, cui incumbit onus probandi, si maneat dubius, & non possit probare, condemnatur. Vndè etiam quando quis putat, se comedisse, & dubitat, an post mediam noctem, onus probandi, quod non fuerit post mediam noctem, manet apud ipsum; quia comestio aufert ius ad communionem pro illa die.

2 Sic etiam certus, quod emiserit votum, & dubitans, an ante, vel post septennium; quia de voto constat, & non de excusatione, vt ait Sanchez *in Decal lib. 4. cap. 1. num. 14.* Et si debeo dare tibi singulis diebus aureum, & dedi hodie, & tu petas alterum, quando dubitatur, an sit altera dies, debes tu probare, quòd sit, & esse finitam priorem; quia de solutione constat, non de nouo die. Ita Lugo.

3 Oppositum tamen tenendum est, cum Doctoribus, quos *Decis. præced. num. 2.* pro posteriori opinione attulimus; Et præterea cum Laiman *lib. 1. Theol. mor. tract. 1. cap. 4. num. 36. ver. Sed numquid.* Auctore *Casuum Conscientiæ Bononiensium Anni 1637. Casu 2. Mensis Septemb. quæsito 2.* Bauny *in Theol moral. par. 1. tract. 10. q. 22.* Bossio *to. 1. moral. tit. 1. n. 1705. & 1709.* Tho. Hurtado *p. 2. resol. moral tract. 11. cap. 7. num. 230* Spinola *de elect. agibil. disp. vl. sect 7. ad 3. dub.* Bardo *de conscien. disp 6. cap. 11 p. 3. §. 2. num. 2.* Caramuel *lib. 3. theol. moral. cap. 1 disp. 1. corol. 19.* Martino à S. Ioseph *tom 1. moral. lib. 1. tract. 8. de Euchar. num. 17.* Hieron. Garzia *in sum. tract. 3. diffic. 5. dub. 2. pun. 3. num. 41.* Dicastillo *de Sacram. tract. 4. disp. 9. dub. 17. num. 298.* ità vt, etiam si sit certa comestio, & dubium, an fuerit post mediam noctem, possit adhuc Eucharistiam sumere.

4 Ratio autem est. Quia in tali casu concurrit ius certum, quod vnusquisque habet sumendi quacunque die Eucharistiam, cum iure arcendi ab Eucharistia, quod habet Ecclesia ratione comestionis post mediam noctem; seù debitum abstinendi ab Eucharistia ob eamdem rationem; hoc autem ius Ecclesiæ, seù debitum ex parte dubitantis est dubiū: quia fundatur in eo, quod comestio fuerit post mediam noctem; quod, cùm sit dubium, solum potest fundare ius dubium, & debitum dubium. Concurrente autem iure dubio cum iure certo, aut debito dubio cum iure certo, debet certum dubio præferri etiam in foro externo iudiciali. Sic si quis debeat alicui centum, & debitum sit certum, & solutio dubia, quia dubium sit, an soluerit, tenetur adhuc soluere.

5 Deindè. Sola comestio non impedit communionem, sed quia sit facta in eadem die; vndè certitudo comestionis non facit ad impediendam communionem nisi quatenus coniungitur cum eadem die: & proinde requiritur talis coniunctio. Neque similitèr, quando certum est tempus, & dubia comestio,

mestio, impediri potest communio, nisi ratione coniunctionis eiusdem diei cùm comestione; vndè semper coniunctio est illa, quæ ponit impedimentum. Siuè autem comestio sit certa, & tempus incertum: siue certum tempus, & comestio incerta, est eadem ratio; quia semper coniunctio comestionis cùm eadem die, quæ est illa, quæ ponit impedimentum, est incerta; quia sufficit incertitudo, quæ se teneat ex parte cuiuscunque extremi. Quare est ad eadem ratio in vtroq; casu; & ideò, si in vno nō impeditur communio, neque impedietur in alio.

6 Atque id, quod affert Lugo pro sua opinione, retorqueri potest contra ipsum. Sequendo enim regulam fori iudicialis externi, ille condemnari debet, qui non probat, cum ipsi incumbat onus probandi. Iuxta autem eamdem regulam semper incumbit actori onus probandi contra reum. In casu autem nostro dubitans, an comestio sit facta post mediam noctem, se habet, vt reus; quia agitur de ipso, an possit accedere, vel non accedere ad Eucharistiam, & Ecclesia stat loco actoris; pertinet ergo ad Ecclesiam probare, quod non possit accedere; quod si non probetur, poterit dubitans vti suo proprio iure certo, & accedere.

7 Ad id, quod adducit de voto, puto oppositū esse tenendum; quia licèt emissio voti sit certa, non tamèn eius validitas: votum autem non est in possessione, vt obliget, nisi ratione validitatis: & ideò cùm sit incerta validitas, non est in possessione obligandi. Et ratio est, quia vbi validitas dependet ab vsu rationis, sine quo haberi non potest, vsus autem rationis à iure non præsumitur, nisi expleto septennio, & ideò si est dubium, an septennium fuerit expletum, quando votum fuit emissum, est etiam dubia validitas ipsius. E contra autem dubitans est in possessione sui iuris, & suæ libertatis: cui per aliquid incertum præiudicari non potest, cum ipsa certa sint. Alterum autem exemplum facit pro nostra opinione; Quia sicut in illo casu non teneor soluere aureum, quia non constat de altera die: & petenti aureum incumbit probare, quod sit incœpta altera dies; ita in casu nostro, cum comederim, & sit dubium, an hac die, an verò præcedenti, non teneor abstinere ab Eucharistia; quia non mihi constat, an hac die comederim: & qui vult, quod abstineam, debet probare, quod comestio sit facta hac die.

8 Nec obstat, quod in tali casu accedens ad Eucharistiam se exponeret periculo accedendi non ieiunus, atque adeò peccandi. Præceptum enim solùm prohibet, quod quis non ieiunus accedat: vndè cum quisque habeat ius accedendi, eo ipso, quod sibi non constat soluisse ieiunium, potest vti iure suo; nec vllo periculo peccandi se exponit: quia etiam si non esset ieiunus, non peccaret; quia accedit bona fide; & cum solutio ieiunij non sit certa, non habet, à quo impediatur, cum sola certa solutio ieiunij possit impedire.

9 Contrà superiùs dicta de voto obijci potest. Si quis promittat alicui centum aureos, & fidem suam instrumento obstringat, si producto instrumento excipiat minorem ætatem, in qua promisit, tenetur probare. Ergo etiam si quis contra votum excipiat septennium non completū, tenebitur probare. Respondeo, non solùm posse excipere minorem ætatem, sed etiam dubium de legitima ætate, nàm hoc sufficit ad reddendam dubiam validitatem promissionis. Debet autem probare, quia res agitur in foro externo, in quo fertur iudicium iuxtà allegata, & probata. Validitas autem voti iudicatur in foro conscientiæ, in quo fertur iudicium iuxtà dictamèn eiusdem conscientię; & ideò ad infirmandam validitatem voti sufficit, si conscientia dictet, dubium esse, an fuerit emissū completo septennio.

10 Contra autem principalem resolutionem congerit plura argumenta Palaus, & primo obijcit. Præceptum sumendi Eucharistiam ieiunè semper obligat. Ergo si dubitas, an sis ieiunus, debes stare præcepto, cùm non procedat possessio obligationem præcepti. Respondeo. Argumentum supponere præceptum diuerso modo se habere, ac se habeat; nàm supponit, quod sit præceptum affirmatiuum præcipiens ieiunium ante Eucharistiam, cum tamèn sit negatiuum prohibens sumptionem Eucharistiæ non ieiunis. Vndè licèt obliget semper, non tamen obligat omnes pro semper, quia sufficit solùm non ieiunos, atquè adeò tantùm pro tempore, in quo singulis diebus non sunt ieiuni. Et ideò ius communicandi potest possideri antequàm superueniat obligatio præcepti, nàm ius communicandi est pro singulis diebus, & quocunque die adueniente, aduenit etiam ius certum, & præceptum prohibitiuum non afficit, nisi certum sit, ieiunium esse violatum.

11 Instari potest. Adueniente die non acquiritur ius ad Eucharistiam, nisi stante ieiunio, quia competit tantùm ieiunis. Ergo, cùm adueniente die adueniat etiam dubium de ieiunio, non acquiritur ius ad Eucharistiam. Respondeo. Adueniente die acquiri statim ius ad nouam communionem independenter à ieiunio, quia ieiunium non est fundamentum talis iuris, quod conuenit ratione baptismi, & determinatè ad communionem pro singulis diebus ex determinatione Ecclesiæ. Violatio autem ieiunij est impedimentum talis iuris, qui trahit præceptum prohibitiuum, quod non trahitur, nisi posito impedimento certo. Vndè non ieiunis competit quidem ius, sed est impeditum.

12 Secundò obijcit. Dubius, an sit ieiunus, est dubius an sit indignus. Ergo debet abstinere, ne se exponat periculo manducandi indignè. Respondeo negando antecedens. Quia indignitas attenditur solùm secundùm dispositionem animæ: vndè non esse ieiunum ponit tantùm impedimentum, non autem facit indignum. Esse autem dubium, an adsit impedimentum, non possit impedimentum, nàm dubius de præsenti nescit, habere se impedimentū, cum paria sint nescire, & dubitare, *l. manifestissimi, C. de furtis*. Dum autèm nescit se habere impedimentum, potest se gerere vt expeditum.

13 Tertiò obijcit. Qualitas non præsumitur, nisi probetur, vt tradunt Iuristæ, præsertim Menochius *cons.* 1. *num.* 121. Qui autem est dubius de qualitate ieiunij, non potest illam probare. Respondeo. Qualitatem fundamentalem, seù quæ est fundamentum intentionis non præsumi, nisi probetur. At esse ieiunum non est fundamentum intentionis petendi Eucharistiam, cum fundamentum sit, esse Christianum, & esse ieiunum excludat solùm impedimentum positum ab Ecclesia, de quo, si non constat, non potest censeri impeditus. Vndè corruit etiàm alia obiectio, quod scilicèt quisque debet probare fundamentum suæ intentionis, *l. ei, qui dicit ff. De*

ff. De probat. Nàm esse ieiunum non est fundamentum iuris ad Communionem.

14 Quartò obijcit. Dubius de peccato mortali non potest sumere Eucharistiam, nisi præmissa confessione. Ergo neque dubius an sit ieiunus. Respondeo negando conseq. Nàm ideò dubius de mortali non potest sumere, quia requiritur status gratiæ, vt qualitas fundamentalis; nàm cibus spiritualis, qualis est Eucharistia, requirit pro fundamento vitam spiritualem. Ex quo fit, quod debeat positiuè constare de hoc fundamento, & ideò debet quisque, qui habet conscientiam peccati, se purgare per confessionem, vt accedat probatus iuxtà sententiam Apostoli *Probet autem se ipsum homo*: At esse ieiunum requiritur solùm vt remouens impedimentum comestionis, & ideò sufficit, quod non constet, adesse tali impedimentum. Imò retorquetur argumentum. Quia esse mundum à mortali requiritur vt qualitas fundamentalis pro sumenda Eucharistia, debet de ipsa constare. Ergo quia comedisse requiritur vt positiua qualitas fundamentalis, vt lex prohibens Eucharistiam habeat locum, debet de ipsa constare.

An ignorantia excuset accedentes non ieiunos ad Eucharistiam, etiam si sint Sacerdotes. Decis. 447.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia excusat accedentes non ieiunos ad Eucharistiam.*
2 *Quando ignorantia, licèt videatur crassa, non sit culpabilis.*
3 *Inaduertentia quoque excusat accedentes non ieiunos ad Eucharistiam.*
4 *Ignorantia non habet locum quoad Sacerdotes.*

1 Contingere potest, quod personæ simplices, etiam si sint Sacerdotes, putent, quod ea, quæ non soluūt ieiunium Ecclesiasticum, neque etiam soluant ieiunium necessarium pro sumēda Eucharistia; & proindè ante sumptionem Eucharistiæ sumant aliquid aromaticum, vel ad confortandum stomacum, vel ob bonum odorem &c. Dicendum est autem, hos excusari à peccato, vt docent Caiet. *in Sum. verbo* Sacrament. Communio *cap. 1. ver. 1.* Armilla *verbo* Communio *num. 2.* Persicus *lib. 1. De Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 6. num. 62.* Bossius *tom. 3. moral. tit. 22. nu. 2.*

2 Ratio est. Quia vbi non est voluntarium, ibi non est peccatum: & vbi est ignorantia, ibi non potest esse voluntarium; in isto autem casu supponitur ignorantia, quod sumptio harum rerum non soluat ieiunium seruandum ante sumptionem Eucharistiæ: & proindè is non accedit voluntariè cum impedimento ad sumendam Eucharistiam. Atque ignorantia (quamuis videatur crassa, quia potest facilè expelli) non est tamen culpabilis: quia iste talis putat, se scire omnia, quæ debet scire in ordine ad sumptionem Eucharistiæ: & quod sufficiat ieiuniū, quale ipse seruat, nec de opposito habet aliquod dubium.

3 Et quod dictum est de ignorantia, dicendum est etiam de inaduertentia, quando quis non aduertens se comedisse, aut sumpsisse aliquid medicinale, accedit ad sumptionem Eucharistiæ, quia eadem est ratio de inaduertentia, & de ignorantia, cum vtraque reddat actum inuoluntarium.

4 Hoc tamèn non habet locum quoàd Sacerdotes, vt notat Viuald. *in Candel. tit. 13. de Sacram. Euchar. §. de præparat. num. 58.* & sequitur Thom. Hurtad. *p. 2. resol. moral. tract. 11. c. 6. nu. 205.* quia talis ignorantia esset crassissima, & affectata; nàm ratione officij tenentur scire, necessarium esse ieiunum; vndè solùm ratione inaduertentiæ poterunt excusari.

An, si quis ex inaduertentia post sumptum aliquid cibi, aut potus accedat ad Eucharistiam, & quando accessit, recordetur, se non esse ieiunum, possit nihilominus sumere. Decis. 448.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum humanum non obligat contra ius naturale.*
2 *Potest, quando qui accessit ad Eucharistiam sumendam, recordatur, se non esse ieiunum, adhuc sumere, si recedendo generaret malam suspicionem.*
3 *In tali casu debet se regulare iuxtà id, quod sibi tunc rectum videtur.*

1 Resp. in hoc casu concurrere præceptum Ecclesiasticum cum iure naturali, quod vnusquisque habet tuendi, & conseruandi propriam famam, & bonum nomen; quia autem nullum præceptum humanum obligat contra ius naturale, ideò, stante iure naturali ad conseruandum bonum nomen, cessat præceptum Ecclesiasticum.

2 Debet ergo considerari in casu proposito, an ità accesserit ad locum, in quo sumenda est Eucharistia, vt constet adstantibus, se accessisse cum intentione sumendi, & an si recedat, generabit malam suspicionem sui ipsius; tunc enim, si putat, se non posse recedere absque eo, quod generat malam suspicionem sui ipsius, concurrit naturale ius ad conseruandum bonum nomen cum præcepto humano Ecclesiastico, vndè cessat præcepti obligatio, & poterit, non obstante, quòd non sit ieiunus, sumere Eucharistiam.

3 Quia tamèn difficilè est in tali casu ferre rectum iudicium, præsertim si persona non sit valdè prudens, & si oriatur aliqua perturbatio in mente, vt facilè oriri potest, ideò sufficit, quod faciat id, quod sibi tunc expedire videbitur, & esse conforme rectæ rationi. Et licèt posteà mente sedata, & re meliùs considerata, reperiat, se malè fecisse, nō per hoc sibi scrupulum facere debet; quia tantùm malè fecit materialitèr, non autem formalitèr, & ideò nō peccauit. Operatio enim debet dici mala, vel bona

iuxtà

iuxtà mensuram cognitionis, à qua dirigitur, & iuxtà iudicium conscientiæ, quod tunc habemus, quando operamur: non autem iuxtà iudicium subsequens; quia hoc non variat operationem iam transactam.

An, si cibus non sit digestus, possit nihilominus Sacerdos celebrare, & Laicus sumere Eucharistiam
Decis. 449.

SVMMARIVM.

1 *Si cibus non sit digestus, non posse Sacerdotem celebrare, aliqui docent.*
2 *Sed oppositum est tenendum.*
3 *Non constat de obligatione expectandi digestionem pro celebranda Missa.*
4 *Antiquitus aderat praeceptum de seruando ieiunio post Eucharistiam, sed est abrogatum.*
5 *Laicus potest sumere Eucharistiam, etiam si non digesserit cibum.*
6 *Potest Sacerdos celebrare in nocte Natalis etiam si paulò ante cœnauerit.*
7 *Post Eucharistiam potest statim cibus sumi.*

1 NEgatiuè respondent Glos. *in Cap. Nihil 7. q. 1. Verbo* Minimum, *fin.* & *Cap. Ex parte. De Celebrat. Missar. in fine.* vbi etiam Panor. *nu.* 4. Item Glos. *in Cap. Si constiterit. De Accusat. verbo* Dormitione, vbi etiam Panor. *num.* 3. & 4. Felin. *num.* 4. Aureol. *in* 4. *dist.* 9. *q* 2. *conclus.* 6. ver. *Per quod patet.* Riccar. *dist.* 8. *ar* 2. *q.* 3. Maiol *lib.* 3. *de Irregular. cap.* 24. *num.* 2. Fundantur in Cap. *Tribus gradibus. De Consecrat. dist.* 2. vbi habetur. Diaz *in prac. cap.* 34. Menoch. *de arbitr. cas.* 406. Scortia *lib.* 2. *de Sacrif. Missa cap.* 7. *nu* 1. Filiuc. *trac.* 4. *cap.* 8. *num.* 237. Bonacin. *disp.* 4. *de Sacram. q.* 6. *pun.* 2. *num.* 11. Layman. *lib.* 5. *Theol. moral. trac* 4. *c.* 6. *num.* 14. Palaus *p.* 4. *oper. moral. nu.* 15. *pun.* 13. *num* 9. Hunc sacrum cibum non esse cum alijs prophanis miscendum. Et in Cap. Si *constiterit. De Accusat.* vbi punitur præsbyter, qui cum pernoctasset in taberna, sequenti die, nulla præmissa dormitione, Missam cantauit.

2 Quod tamen cibus indigestus non impediat celebrationem, siuè id proueniat ex nimia repletione, siuè quia paulò ante sumptus sit, siuè ex quacunque alia causa, tenendum est cum D. Th. 3. *par. q.* 80. *ar.* 8. *ad* 5. Durand. *in* 4. *dist.* 8. *q.* 4. *num.* 15. Palud. *q.* 2. *ar.* 3. *conclus.* 3. Gabr. *lect.* 10. *in Can. Missæ. Littera* S. Syluestro *Euchar.* 3. *q.* 7. *nu.* 9. Angel. *verbo* Missa. *nu.* 6. Nauar. *cap.* 21. *Manual. nu.* 53. Sà *verbo* Euchar. *nu.* 28. Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 49. *nu.* 3. Rodriquez *par.* 1. *Sum. cap.* 66. *conclus.* 3. *in fine* Tolet. *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *ar.* 8. *ad* 5. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 3. *q.* 2. ver. *Quæret quispiam.* Suarez 3. *par. tom.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. *ver. Sed quid.* Vasquez *disp.* 211. *cap.* 3. *nu.* 33. & 34. Reginal. *lib.* 29. Praxis, *cap.* 3. *num.* 33. & 34. Persicus *lib.* 1. *de Offic. Sacerd. cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 54. Lugo *disput.* 15. *de Eucharist. sect.* 2. *num.* 39. Bossius *tom.* 4. *moral. tit.* 22. *num.* 30. Marchant. *in quæst. pastor. trac.* 4. *cap.* 2. *ver. Quintus,* Tanner. *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 8. *dub.* 4. *num.* 80. Amicus *tom.* 7. *curs. Theol. disp.* 27. *num.* 4. Auersa *q* 8. *de Euchar. sect.* 8. *ver. Octauo.* Hieron. Garzia *in sum. trac.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 2. *pun.* 3. *num.* 44. Franciscus Lugo *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 7. *q.* 5. *num.* 44. Dicastillus *de Sacram. trac.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *num.* 283.

3 Ratio est, quia non debet introduci obligatio, quando de ipsa non constat: non constat autem de alia obligatione quò ad cibum corporalem, quàm de ea, qua obligamur, ità accedere ieiuni, vt nihil illa die cibi, vel potus sumpserimus.

4 Ad Cap. *Tribus gradibus num.* 1. allatum Resp. ibi Pontificem loqui de cibo prophano sumēdo post sumptam Eucharistiam: & imponit præceptum ieiunandi etiam post sumptam Eucharistiam per aliquod tempus; quod tamen præceptum est abrogatum. Ille autem Clericus, de quo in Cap. *Si constiterit.* punitur, non quia cum cibo indigesto celebrauerit, sed ob irreuerentiam, & scandalum populi, dùm è taberna iuit ad celebrandum.

5 Ex his colligitur. Quod etiam Laicus sumere potest Eucharistiam, etiam si cibum non digesserit; quia in ratione cibi non habet aliam prohibitionem, aut præceptum, quàm illud, quod habent Sacerdotes.

6 Colligitur secundò. Sacerdotem, qui propè mediam noctem cœnauit in Vigilia Natiuitatis (vt quando contingit in die Dominico, aut si transferatur comestio ad noctem) posse statim post mediam noctem celebrare, etiam si nec digesserit cibum, nec dormierit, quia hæc non sunt necessaria: & alioquin sufficit ad celebrandum ieiunium ab initio diei. Quæ tamèn omnia limitanda sunt ex suppositione, quod nullum adsit periculum irreuerentiæ. Ità Bonacina *citat. & sequitur etiam* Bossius, & Amicus citati.

7 Colligitur tertiò. Quòd quamuis expediens sit post sumptam Eucharistiam abstinere à cibo, & potu, hoc tamèn non est necessarium, sed potest illico sumi, vt notant D. Thom. 3. *p. q.* 80. *ar.* 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *q.* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *ar.* 8. *ad* 5. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 22. *num.* 32. Suarez, Layman, Reginaldus, Filiucius, Palaus, Lugo, Villalobus, Bonacina *num.* 2. citati, & communitèr. Neque enim id est illicitum ex natura rei, aut ex aliquo positiuo præcepto.

An perturbatio mentis orta ex indigestione, vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut sumptionem Eucharistiæ.
Decis. 450.

SVMMARIVM.

1 *Quid doceant Doctores, an perturbatio mentis impediat celebrationem, & sumptionem Eucharistiæ.*
2 *Non impedit sumptionem Eucharistiæ, si non adsit periculum irreuerentiæ.*
3 *Impedit, si ex ipsa timeatur graue impedimentum in celebrando: Secus non timeatur.*

1 Vi-

1 Videntur affirm. resp. D. Th. 3. *par. q. 80. ar. 8. ad 5.* Durand. *in 4. dist. 8. q. 4. nu. 15.* Sotus *dist. 12. q. 1. ar. 8. ad 5.* Alij autem volunt, ex consilio tantùm esse abstinendum. Ità Nauar. *cap. 21. Manual. num. 53.* ità interpraetans D. Tho. Maiolus *lib. 3. de Irregular. cap. 24. nu. 2.* Alij denique, si adsit periculum vomitus, aut alteriùs irreuerentiæ, volunt esse peccatum mortale. Ità Suarez *3. p. tom. 3. disp. 68. sect. 4. conclus. 3.* Persicus *lib. 3. de Offic. Sacerd. cap. 3. dub. 6. num. 66. in fine.* Suarez tamen non explicat, an intelligat de peccato mortali.

2 Ego puto, esse diuersam rationem de sumptione Eucharistiæ, ac de celebratione. Si enim perturbatio mentis non sit talis, vt probabiliter timeatur irreuerentia aliqua notabilis, & quæ redundet in Sacramentum, non adest ratio, cur impediat sumptionem Eucharistiæ: secus autem, si adsit periculum.

4 Quod autem spectat ad celebrationem. Non solùm debet attendi periculum irreuerentiæ, sed etiam debet considerari, an perturbatio sit talis, vt possit impedire, ne Sacerdos debito modo celebret; quia si perturbatio sit talis, vt probabilitèr timeatur graue impedimentum, aut circa attentionem, aut circa prosecutionem: procul dubio peccabit mortaliter, qui se exponet tali periculo. Si autem non adsit periculum huiusmodi, nec etiam irreuerentiæ, non impediet celebrationem.

An in nocte Natalis Domini Cardinalis celebrans primam Missam post Matutinum coràm Pontifice, celebret absque ieiunio ex dispensatione.

Decis. 451.

SVMMARIVM.

1 *Cardinalis celebrans nocte Natiuitatis Domini coram Pontifice non est ieiunus.*
2 *Quomodo* Io. de Lugo *saluet, esse ieiunum.*
3 *Vndè hoc colligat.*
4 *Pontifex quotannis dispensat cum dicto Cardinali, vt celebret, quando non est ieiunus.*
5 *Non potest dici, quod in illa nocte dies subsequens anticipet in illo loco.*
6 *Si adesset talis anticipatio, posset alius in eodem loco celebrare.*
6 *Est alia inconuenientia sequerentur.*
6 *Dies non incipit pro vna actione, nisi incipiat pro omnibus.*
7 *An audiens Missam in nocte Natalis celebratã coram Pontifice satisfaciat praecepto audiendi Missam in die Natalis.*
7 *Praeceptum quando violari non potest per actus prohibitos, nec etiam impleri potest per actus praeceptos, si sit affixum tempori.*
8 *An satisfaciat Cardinalis celebrans.*
9 *Priuilegium non extenditur de casu ad casum.*
10 *An in nocte Natalis incipiat in Pontificia Capella priuilegium audiendi Missam.*
11 *An obligatio audiendi Missam coarctetur ad tempus praescriptum pro celebratione, & an audiens Missam celebratam extrà tempus praescriptum satisfaciat.*
12 *Cardinalis celebrans coram Pontifice nocte Natalis potest manè in vigilia Natalis celebrare.*
13 *An Cardinalis dictus possit adhuc in die Natali tres celebrare, cum primam Missam celebrauerit ante inceptionem illius diei.*
14 *Dictus Cardinalis post celebratam dictam Missam coram Pontifice potest comedere, & sequenti die celebrare.*
15 *Potest etiam post primam Missam ablutionem accipere, nec est contra rubricas Missalis.*

1 RATIO dubitandi est, quia Missa completur ante mediam noctem diei, in qua celebrans non est ieiunus.

2 Adhuc tamen celebrare, & assumere ieiunum contendit Io. de Lugo *disp. 15 de Sacram. Euchar. sect. 2. num. 56.* Quia cum Ecclesia computet dies à media nocte vsque ad mediam noctem, pro illa nocte anticipat diem sequentem, cum pendeat ab hominum placito, quando incipiat dies; vndè etiam Ecclesia potest pro illa vice anticipare diem sequentem per aliquot horas.

3 Quòd autem hæc sit mens Pontificis, probat ex pluribus inconuenientibus, quæ sequerentur, nisi ponatur talis anticipatio. Nam primò sequeretur non satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natalis? quod est contrà mentem Pontificis, qui facit celebrare illam Missam pro festiuitate Natalis. Secundò. Si vigilia sit in Dominica, posset quis nolle audire Missam, sed expectare illam Missam noctis. Tertio. Non posset celebrans mane præcedenti conficere, ne bis in eadem die celebraret. Quartò. Posset die Natalis sequenti tres, aliàs Missas celebrare; quia de iure conceditur omnibus in illa die ter celebrare: ipse autem primum sacrum non confecit intra illam diem. Quintò. Posset post Missam celebratam cœnare ante mediam noctem, & die sequenti secundam, & tertiam Missam celebrare: vt quando vigilia Natiuitatis contingit *in die dominico.* Sextò. Deberet post primam Missam absolutionem accipere post communionem: quia non impediret ieiunium pro celebratione in die sequenti. Quod tamen est contra rubricam illius Missæ, & contra praxim, si Cardinalis vult celebrare alias Missas.

4 Sed licèt hoc acutissimè excogitatum sit, non tamen conformatur cum praxi, Quia Pontifex quotannis aut dispensat cum Cardinali celebraturo, vt possit non ieiunus celebrare, expediens etiam aliquando super hoc speciale Breue, aut Cardinalis celebraturus manet toto die vigiliæ Natiuitatis ieiunus, & postquam celebrauit cœnat. Et proindè supponitur, quòd sit celebraturus intrà diem præcedentem diem Natiuitatis. Quòd etiam constat ex libro, cui titulus Ordo recitandi Officium diuinum Romæ impressus: nam in Vigilia Natiuitatis habet: *celebraturus antè mediam noctem ex priuilegio, vel legitima consuetudine non dispensatur in ieiunio necessario ad Missam; id est à pridiana media nocte ieiunet, nec in Missa Vigiliæ sumat purificationem. Et in eo casu, si in prima Missa sumat, purificationem, & cibum antè mediam noctem, potest celebrare secundam, & tertiam Missam Natiui-*tatis

tatis Domini. Ex quibus constat, quod aut seruari debet ieiunium, aut est necessaria Pontificia dispensatio, & proindè nõ habet locũ anticipatio diei.

5 Neque talis anticipatio diei præcedentis necessariò asseritur; quia quòd celebretur Missa ante mediam noctẽ, non magis facit, quòd anticipetur dies, quàm quod Pontifex censeatur tacitè dispensare cum celebrante: imò hoc potiùs colligitur, quia dispensatio cadere potest supra specialem personã, & specialem locum, & esse ex speciali occasione; quia est priuilegium, quòd respicit priuatam personam, & anticipatio diei ex natura sua est vniuersalis: quia debet esse secundum naturam temporis, quòd est omnibus commune: Et proindè, si admitteretur tacita dispensatio in casu, in quo non esset expressa, esset iuxtà naturam dispensationis; si autem admittatur anticipatio diei esset contrà naturam temporis: & ideo non posset admitti, nisi de hoc expresè constaret. Et certè mirabile esset, quod tempus, quòd est mensura motus, & attenditur secundum Cœlorum motum tanquam omnibus communem, efferret nouum diem Sacello Pontificio, & non afferret extrà, cùm vbique sit idem, & eodem motù mensuratum. Nec enim est contrà naturam temporis, vt is adeo contrà naturalem rationem; & ideo nec fictione potuit inclaui *l. Saul. de pecunia §. Necessim. ff. de vsufr cauf. rer. quæ vsu tertium*.

6 Deindè si adesset anticipatio diei pro illo loco, posset aliquis alius in eodem loco celebrare antè mediam noctem; quia iam esset inceptus dies; quòd tamen non censetur licitum. Et præter hoc alia etiam inconuenientia ex hac anticipatione diei deducit Dicastillus *de Sacram. trac. 4. disp. 9. dub. 17 num. 398. & seq.* & primum est, quòd in Sacello illo Pontificio posset quis edere carnes, & bene pactus exire fores antè mediam noctem, & tunc incipere ieiunium naturale, nam tunc inciperet dies Natiuitatis extra Sacellum, & mane celebrare. Secundum. Quod recitans Horas, & vesperas Natiuitatis in Sacello satisfaceret præcepto, quia recitauit die iam incepto; vndè extrà Sacellum dies superueniens non afferret obligationem recitandi sibi annexam, aut si afferret, posset liberari ingrediendo Sacellum, & ibi manendo donec expiret dies. Tertium. Si in Vigilia Natiuitatis quis non recitasset horas, & vesperas, non satisfaceret recitando in Sacello, dum Cardinalis celebrat, quia iam elapsa esset dies Vigiliæ Natiuitatis: & si è Sacello egrediatur antè mediam noctem tenebitur rursus recitare, quia ibi non est elapsus dies. Quartum. Si immemor antè ingressum Sacelli non recitasset horas Canonicas, licèt tunc recordaretur, non teneretur amplius recitare, quia esset elapsus dies, nec teneretur egredi, quia non tenetur quis ire ad locum, vbi præceptum obligat. Quintum. Possent ab vnoquoque in illo Sacello antè mediam noctem tria sacra celebrari. Et egressus posset tria alia Sacra facere, quia illa non celebrasset cœpto die extrà Sacellum. Sextum. Laicus posset communicare in Sacello ante mediam noctem, & postea edere ibi carnes; & egressus, si à media nocte remaneret ieiunus, posset rursus extrà Sacellum communicare. Dicere autem, quòd dies anticipetur tantum quoad illam actionem, & non quoad alias non est responsio digna phylosopho, quia dies anticipari non potest, nisi tempus antecedens computetur pro die sequenti. Vndè cum tempus sit communis mensura rerum omnium, fit, quod facta tali computatione, actiones omnes, quæ fiunt in illo tempore antecedenti computato pro die sequenti sint affinæ diei sequenti, quia sunt in ipsius mensura.

7 Ad primum ex ijs; quibus suadebatur hæc anticipatio diei. Respond. concedendo, non satisfacere præcepto audiendi Missam in die Natiuitatis Domini, qui illam auditet; quia licèt sit Missa diei, non est tamen in die: neque præceptum obligat ad audiendam Missam diei, sed missam in die. Vndè si in die festo celebraretur Missa, quæ non non esset Missa diei (vt contingere potest, si celebretur Missa solemnis votiua) qui illam audiret; satisfaceret præcepto. Neque hoc est contra intentionem Pontificis; quia aliud est, quod velit celebrari illam Missam pro festiuitate Natiuitatis: & aliud, quod velit celebrari in ordine ad satisfaciendum præcepto; non enim hoc intendit, sed tantùm primum. Neque dici potest, quod ex benigna mente Pontificis præsumi possit, quod dispenset pro assistentibus, vt satisfaciant præcepto audiendi Missam pro die Natalis, ne sine tali satisfactione cogantur illud onus subire. Tùm quia, si tenentur assistere, tenentur etiam assistere in sequenti die, atque adeò cùm adhùc in die Natalis debeant audire Missam, non indigent hac benigna dispensatione. Si verò voluntariè assistant, cessat seruitium exhibitum Capellæ, cuius intuitu debeat præsumi dispensatio. Tùm quia respectu ipsorum non cessat præceptum in die Natalis sanctificandi festum. Et ideò vt affixum diei obligat in tali die ad omnia, quæ præcipit, & præcipuè ad præcipuum actum sanctificationis, qui est cultus latriæ. Tùm quia Pontifex vult, eos quoque, qui gaudent priuatis oratorijs, conuenire cum cœteris ad publicas Ecclesias pro Missa, vt nimirum in illo die nullus absit à publico cultu sacrificij: vndè idem censendum est, velle etiam quo ad eos, qui die antecedenti intersunt Capellæ. Atque cum priuilegium, & dispensatio sit contra ius, quod Princeps præsumitur conseruare, non potest præsumi, nisi de ipsa constet. Neque iuuat dicere cùm Dicastillo *tract. 4 de Sacram. disp. 4. dub. 17. num. 407.* quod illa Missa sit intrà diem Ecclesiasticam Natiuitatis, qui à Vesperis incepit, & proindè audientem satisfacere. Nàm præceptum sanctificandi festa, cuius sanctificationis præcipuus actus est audire Missam, non est affixum diei Ecclesiastico, sed naturali, & ideo in ipso impleri debet. Et sicuti exercens opera seruilia incæpto die Ecclesiastica, & tunc in illo tempore, in quo Cardinalis celebrat, non violat præceptum sanctificandi festum Natiuitatis, quia solum incipit obligare à media nocte, ità neque exercens actum sanctificationis satisfacit præcepto, quia quando præceptum non potest violari per actus contrarios ex eo, quod nondum obligat, nec etiam potest impleri per opus exigitum in tempore, quo obligat. Alioquin dici posset, quod morantes Venetijs vbi in hyeme Missæ celebrantur quarta parte diei post meridiem in Ecclesijs, vbi solemnitèr aliquòd fe-

ctum celebratur, ità obtinente consuetudine, tunc audientes Missam, satisfacerent præcepto diei sequentis, quia iam incepit dies Ecclesiasticè. Rursus in quadragesima audiens Missam, dum Vesperæ cantantur, cùm tunc incipiat dies Ecclesiasticus, satisfaceret pro præcepto diei sequentis.

8 Sed maior difficultas est de Cardinali celebrante, videtur enim, quod saltèm pro ipso præsumi debeat benigna voluntas Pontificis, quod satisfaciat, ne iterùm in die Natiuitatis, aut celebrare teneatur, aut audire sacrum. At si in die Natiuitatis celebrare debeat, aut audire Missam, quodnam graue onus ipsi relinquetur, vt debeat præsumi benigna voluntas Pontificis, quod satisfaciat, præsertim quia adhùc in die Natalis solent Cardinales assistere Capellæ? Quare respiciendus est finis, ob quem Pontifex concedit contra ius commune, quod illa Missa celebretur prima nocte; cùm deberet celebrari post mediam noctem. Finis enim est prospicere commoditati totiùs Capellæ, atque adeò etiam ipsius celebrantis, & ideò est priuilegium concessum Capellæ contrà ius commune de ritu Ecclesiæ, atque adeò est locale. Quare cum priuilegium derogans iuri communi sit strictè interpretandum Cap. *Sanè*. Cap. *Porrò*. De *priuilegijs*. hoc quoque priuilegium strictè interpretandum est, atque adeò quod concedat solùm celebrare tali tempore, non autem quòd concedat satisfacere præcepto diei sequentis.

9 Prætereà priuilegium non extenditur de casu ad casũ ob identitatem, vel maioritatem rationis, vt docent communiter Panormit. *in Cap. Canonica*. *De sent. Excommunicat.* Felin. *in Cap. Translato. num.* 12. De *constit.* Rebuff. *tract.* De *decimis quæst.* 14. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. *quæst.* 2. Rodriquez *tom.* 1. *quæst. Reg. quæst.* 7. *art.* 2. Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.* 28. *num.* 11. Salas *disp.* 20. *de legibus, sect.* 11. Palaus *tom.* 1. *Oper. mor. tract.* 3. *disp.* 4. *punc.* 13. *num.* 1. Merol. *tom.* 3. *Theol. Moral. disp.* 6. *de priuileg. cap.* 6. *num.* 238. Quòd præsertim verum est, quando id, ad quod fit extensio, non continetur in expressè concesso. In casu autem nostro præceptum sanctificandi Festa præsertim per auditionem Missæ, in quo consistit principalis cultus, non continetur in præcepto celebrandi determinato tempore, ità vt si circa hoc concedatur priuilegium, censeatur concessum etiam circa illud, præsertim in tali die, quod ex solemnissimis est.

10 Ex quibus etiam colligitur, quod neque dici possit, quod obligatio audiendi Missam tunc incipiat in Capella Pontificia, quia obligatio iuris communis incipit vniuersaliter pro omni loco quando incipit, nec potest affirmari, quod anticipet pro aliquo loco, nisi constet de voluntate legislatoris, quia tota obligatio legis dependet à voluntate ipsius. In præsenti autem casu non habemus, quod Pontifex velit obligationem anticipare in illo loco, nec colligi potest ex eo, quod concedat celebrari in illo tempore, quia concedit solum celebrationem Missæ pro commoditate Capellæ; ex concessione autem vnius priuilegij non licèt inferre concessionem alterius priuilegij, quale esset, quod tunc inciperet obligatio audiendi Missam pro die Natalis. Vndè, cum tunc non vrgeat obligatio, nec etiam poterit impleri, quia solum, quando vrget præceptum, satisfit obligationi. Nec est simile de eo, qui sacris initiatur post recitatas matutinas preces, nam non tenetur repetere, quia licèt præceptum incipiat obligare post susceptum ordinem sacrum, attamen non respicit solam illam partem diei subsequentem talem susceptionem: sed integrum diem, & ideo sufficit, quod in illo die sint recitatæ matutinæ preces, quia sunt recitatæ in tempore, cui ex natura sua affixum est præceptum. Nec etiam est eadem ratio, quod ille censeatur adimplesse præceptum viatici, qui mane sumpta Eucharistia post prandium incidit in periculum mortis. Quia præceptum viatici non obligat pro articulo mortis formaliter, sed materialiter, hoc est pro tempore quod putatur *morti vicinum*: vt indè anima sumat vires spirituales pro tali occasione, & non est præceptum affixum certo, & determinato tempori, vndè sumi potest longe antè mortem. Et ideo, qui eodem die sumpsit Eucharistiam instante morte non tenetur rursus sumere, quia subintrat illa sumptio loco viatici exhibendo eosdem effectus, ac si manè adfuisset periculum mortis. Nec etiam obstat, quod liceat vespere recitare matutinas preces pro die sequenti, quia hoc licitum fecit vniuersalis consuetudo, quæ non adest pro anticipanda auditione Missæ.

11 Ad 2. Qui expectaret illam Missam, verè audiret Missam in die Dominica, in qua vrget præceptum; atque adeò satisfacere præcepto, dummodo præceptum non obliget ad audiendam Missam infrà illud tempus diei, intrà quod conceditur de iure communi posse celebrari. Quia autem audire Missam subordinatur celebrationi: ideò etiam præceptum audiendi Missam videtur subordinatum præcepto non celebrandi transacta tali hora diei: atque adeò videtur obligare ad audiendam Missam intra illud tempus, intrà quod de iure communi potest celebrari, atquè adeò nisi audiatur, non satisfieri præcepto. Quod etiam tenet Dicastill. *de Sacram. trac.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *num.* 408. præsertim, quia Missa illa noctis non computatur pro Missa illius diei.

12 Ad 3. Negatur non posse celebrantem eodem die manè celebrare; quia nocte sequenti celebrat ex speciali concessione; specialis autem concessio non tollit, quæ ius commune concedit. Quod autem non possit quis bis in die celebrare, procedit secundum ius commune: at ex speciali concessione potest. Hæc autem specialis concessio habetur, dum Pontifex dispensat, vt possit celebrans anticipare Missam diei sequentis, & celebrare, aut non ieiunus, aut ieiunus.

13 Ad 4. Negatur. Sequel. quia ius non concedit simplicitèr ter celebrare, sed celebrare ter secundùm præscriptum Missalis; vndè cùm celebrans die antecedenti semel celebrauerit secundùm præscriptum Missalis, potest tantùm bis celebrare iuxtà alias duas Missas, quæ præscribuntur. Hinc quando Pontifex dispensat, vt possit anticipari à non ieiuno Missa diei sequentis, transfert in diem antecedentem parum de eo, quod ius commune concedit pro die sequenti; & ideò ratione huius translationis non remanet concessum pro die sequenti, quod est translatum in diem antecedentem.

Vndè

Vnde specialis concessio non tollit, quod est concessum secundùm ius commune, sed dat anticipato modò.

14 Ad 5. conceditur Sequel. quia pro celebratione diei sequentis requiritur tantùm ieiunium sequentis diei, & ideò post celebratam Missam potest celebrans comedere non secùs, ac si non celebrasset, aut esset celebraturus. Et hoc esset secundùm praxim Venetiarum, vbi Primicerius Ecclesiæ Sancti Marci, qui in Vigilia Natiuitatis perseuerat ieiunus, quoadusque prima nocte celebrauerit, posteà cœnat, & die sequenti alias duas Missas celebrat, & secundùm præscriptum Ordinis recitandi Officium, vt dictum est.

15 Ad 6. Non esse contra rubricam Missalis ablutionem accipere post primam Missam, quia Missale dicit, quod non accipiatur: quia supponit, quod celebretur post mediam noctem; vnde etiam dicit, quod prima Missa celebretur post mediam noctem. Quod si supponeret, non celebrari post mediam noctem, hoc non præciperet, quia iam pro Missa sequentis diei non requiritur, nisi ieiunium eiusdem sequentis diei, quod à media nocte incipiat.

16 Ab his dissentit Dicastillus *de Sacram. trac.* 4. *disp.* 9. *dub.* 17. *num.* 411. nàm vult, quod celebrans neque cænare possit, neque ablutionem sumere, sed se gerere debeat, ac si incepisset media nox, si manè est celebraturus. Verùm hoc est contra id, quod habet Ordo Romanus recitandi Diuinum Officium, cuius verba relata sunt *num.* 4. & contrà praxim, vt constat ex supradictis, & ideò non est recedendum à dictis *num.* 14. & 15. Quæ autem in hoc volumine dicta sunt S. Romanæ Ecclesiæ censuræ omninò submitto, cui me semper in omnibus obsequentissimum profiteor.

APPENDIX

Expenduntur nonnulla circa consuetudinem. Decis. 452.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia non admittit ieiunia de præcepto tempore Paschali.*
2. *Stante in vigore lege non valet consuetudo contraria.*
3. *Voluntas præsumitur rationabilis.*
4. *Consuetudo quid dicat.*
5. *Actus facultatiui non inducunt consuetudinem obligatoriam.*
6. *Ieiunia ex consuetudine, & deuotionis an diuersa.*
7. *Lex non prohibet ieiunia ex deuotione tempore Paschali.*
8. *Consuetudo tantum habet, quantum tribuit obseruantia.*
9. *Consuetudo interpretatiua requirit actus certos, & vniformes.*
10. *Verba,* Debet, *&* necessariò, *quomodo importent necessitatem.*
10. *Dictum testis æquiuocum repellitur.*
11. *Circulus committitur in probanda consuetudine ieiunandi tempore Paschali.*
12. *Ecclesia putat non inducenda ieiunia tempore Paschali.*
13. *Ieiunia temporis Paschalis quomodo approbentur.*
14. *Ieiunia ex instinctu Spiritus Sancti non debent cadere sub præcepto.*
15. *Ieiunia instituta ab Ecclesia sunt afflictiones.*

1 PLura congerit Bordon. *decis. Miscellan,* 65. contra ea, quæ dixi supra *decis.* 171. & *in* 172. quæ tamen non euincunt intentum ipsius. Et primò dicit, quod ego suppono legem prohibentem ieiunium tempore Paschali, quod tamen non dixi, sed solùm, quod Ecclesia non admittit ieiunia de præcepto tempore Paschali, sed solum ex deuotione iuxta doctrinam D. Th. 2. 2. *q.* 147. *ar.* 5. *ad* 3. vt dixi *decis.* 171. *n.* 3. Quod autem Ecclesia tempore Paschali non admittat ieiunium ex obligatione, satis declarat ipsa praxis, & habetur ex cap. *Consilium.* De *obseruat. ieiun* qui text. est Innocentij III. Et proindè non admittens ieiunia ex præcepto, habet satis declaratam intentionem, quod in illo tempore ex obligatione de iure non ieiunetur.

2 Rursùs supponit, quod ego dixerim, quod non possit introduci consuetudo, quando est contraria legi, aut ab ipsa reprobatur; nam scio oppositum tradi à Doctoribus. Sed solum dixi, quod stante in vigore ipsa lege non inducatur consuetudo ipsi contraria, cum sit omnino impossibile, consuetudinem acquirere vim contra legem, & legem in suo robore manere.

3 Alterum est. Quod quando non constat, quo animo sit inducta consuetudo, debet censeri inducta ex modo, quo rationabiliter potuit induci: quia voluntas præsumitur rationabilis, nisi de opposito constet; & præsumitur conformis legibus *l. Heredes mei. §. Cum ita ff. Ad Trebell.* vbi Ripa in 5. q. & *l. Quæro §. inter locatorem. ff. locati.* Alciat. *Reg.* 3. *præsumpt.* 32. *n.* 2. vers. *Item sollum.* Bart. *in l. Insirmitas.* ibi *si liberi ff. de lib. et posth.* Menoch. *cons.* 370. *n.* 14. Atque adeo debet censeri inducta secundum mensuram legis.

4 Secundo dicit Bordonus, quod, quando dicitur aliquid de consuetudine, debet accipi consuetudo secundum propriam significationem, & potiorem sensum. Consuetudo autem secundum propriam significationem importat ius non scriptum pro lege susceptum. Cap. *Consuetudo dist.* 5. & habet parem vim cum lege *l. De quibus ff. de legib.,* & §. *Ex non scripto.* Instit. *de iure natur. gent.* Et succedit loco legis cap. *In his* 7. *Quæst.* 11. Verum si hæc essent vera, quæcunque sunt de consuetudine, caderent sub obligatione, & nulla esset consuetudo, quæ non obligaret, quia nomen consuetudinis in proprio sensu esset accipienda. Vndè consuetudines aspergendi se aqua benedicta in ingressu Ecclesiæ, sumendi cineres, palmas, recitandi salutationem Angelicam, & aliæ huiusmodi essent leges obligatoriæ, quod tamèn neque ipse Bordonus concedet. Quarè consuetudo de se, neque obligat, neq; nō obligat, sed potest vtrumque facere, quia est tantū in communi omnium vsu, seu dicit id, quod cōmuni consuetudine, seu communi more consueuit fieri. Vt notat Ias. *in l. De quibus n.* 81. *ff. De legib.*

5 Vnde quando aliquid est de consuetudine nō statim pronunciandum est, quod sit de obligatione; sed quando aliunde non constat de obligatione, considerandi est qualitas actuum, quibus constat consuetudo; Quia si sunt actus facultatiui, & aliunde non constat de obligatione, dicendum est, quod consuetudo non obliget, quia ex *actibus* facultatiuis non inducitur consuetudo *obligatoria,* vt tradunt Abbas *in cap. Ex parte n.* 7. De *concess. præbend.* & *in cap. Ad nostram. n.* 11. *De confir. vtil. vel inutil.* Calderin. *cons* 1. & 3. *de consuet.* Decius *cons.* 175. *n.* 6 vers. *Præterea* Rolland. *cons.* 53. *n.* 38. *lib.* 2. Surd. *cons.* 127. *n.* 81. Ludouic. *decis.* 162. *n.* 10. Rot. *decis.* 778. *nu.* 5. *p.* 1. *diuers.* & *decis.* 536. *n.* 4. *p.* 2 *recent.* Hinc plura festa seruantur ex deuotione, præsertim Romæ, quæ nullam tamen continent obligationem.

6 Tertio docet Bordonus, quod diuersa sunt ieiunia, quæ seruantur ex consuetudine, ac quæ seruantur ex deuotione. Quod quidem verum est, si loquamur de consuetudine inducta animo se obligando. Quod autem hæc, vel illa ieiunia sint de consuetudine obligante, non est asserendum, nisi de hoc constet.

7 Quartò dicit, quod consuetudo ieiunandi non potuit induci ex deuotione, quia nullus audet introducere deuotionem contra legem, cum deuotio sit actus bonus ex affectu erga Deum. Sed neque hoc rectè procedit. Quia lex non prohibet ieiunia

iunia ex deuotione tempore Paschali, imò admittit, & solum non admittit ex obligatione: & ideò ieiunium ex deuotione est secundum legem.

8 Quintò ait: Posse induci ex consuetudine obligante, quod inductum fuit ex deuotione; quia consuetudo tantam vim habet, quantam ei tribuit vsus, & obseruantia. *l. Quod verò* & *l. Quod non ratione. ff. De legib.* Vndè quando seruatur consuetudo, quia quisque se tenet obligatus, obseruantia subsequuta declarat, qualis sit obligatio, quia obseruantia interpretatur legem, etiam quoad qualitatem obligationis. Verùm neque hæc obtinent intentum. Nam quando obseruantia interpretatur qualitatem obligationis legis, non facit legem obligantem, sed supponit. Vndè ex hoc solùm infertur, quod tunc potest interpretari qualitatem, obligationis ipsius consuetudinis, quando supponit consuetudinem obligantem.

9 Rursus: Habet quidem consuetudo eam vim, quam ei tribuit obseruantia, verùm non est asserendum, quod habeat, nisi obseruantia sit vniformis. Quia consuetudo interpretatiua non habet vim, nisi constet actibus vniformibus, & certis, vt notant *Bart. in l. 2. init. ff. solut. matrim.* Dec. *consil. 215. num. 2.* Corneus *consil. 296. per totum. lib. 4.* Crauetta *cons. 313. num. 4.* Gratian *discept. forens. cap. 572. num. 87.* Rota *decis. 72. num. 28. par. 2. diuers.* & *decis. 722. num. 29. tom. 3. par. 4. recent.*

10 Sextò: Adducit in testem Gratianum *in cap. Scire. dist. 76.* vbi dicit: necessariò ieiunandum in Vigilia Pentecostes, & quod consuetudo generalis Ecclesiæ habet, quod debeat ieiunari. Verba autem, *Debeat*, & *Necessariò*, important præcisam necessitatem. Barbos. *dictione 77.* Sanchez *lib. 6. sum. cap. 4. num. 38.* & habetur ex cap. *Qui sitit. 33. quæst. 5.* & cap. *Querelam, De iureiur.* Verùm accipiendo verba Gratiani etiam, vt important necessitatem ieiunandi, ad huc tamen sunt æquiuoca, nam possunt accipi de necessitate proueniente ex obligatione; vel de necessitate proueniente ex æquitate seruandi vniuersalem morem Ecclesiæ, & conformandi se cum cæteris, in ordine ad quem finem ieiunium est necessarium; vel etiam de necessitate medij ad vitandam admirationem, & singularitatem. Et ideò tanquam dubia, & æquiuoca nihil probant, & faciunt, quod dictum Testis repellatur. Cap. *In præsentia. De probat.* vbi DD. Hyppolit. *cons. 20. num. 8.* Surd. *decis. 288. num. 45.* Mascard. *de probat. conclus. 1363. num. 6.* Seraphin. *decis. 332. num. 2* Rota alios allegans *decis.* *num.* *tom. 2. par. 4. recent.*

11 Septimò subdit, quod cùm consuetudo sit quid antecedẽs ad cõmunẽ sensũ, nõ cõmittitur circulus, quando dicitur, quod cõmunis sensus est iudiciũ inferens obligationẽ in cõsuetudine, quia circulus fit, quando idem per se ipsum probatur. Verùm si communis sensus supponit consuetudinem eã supponit cùm sua qualitate obligationis, si illam habet, non autem eam illi tribuit. Quòd autem committatur circulus satis constat. Nam si quæro, vndè habeatur, quod hæc consuetudo obliget, respondetur, quia communis sensus est, quod sit inducta animo se obligandi. Si rursus quæram; Vndè habeatur, quod sit inducta animo se obligandi, respondetur, quia ità habet communis sensus: & proindè communis sensus probatur per qualitatem consuetudinis, & qualitas consuetudinis per communem sensum, in quo sanè committi circulum non negabit, qui sciat, quid sit circulus. Rursus si quæram, vndè communis sensus sit, quod consuetudo obliget; Respondetur, quia ità cõmuniter tradunt Doctores. Si rursus quærã, cui ità communiter Doctores tradãt? quia ità habet communis sensus, an non committatur in hoc quoq; vitiosus circulus. Qualis autem sit communis sensus constat ex supradictis.

12 Octauò subiungit, quod licet Ecclesia tempore Paschali non indicat ieiunia, potest tamen indicere. Et ideò potest introduci etiam consuetudo obligatoria. Quis negat posse indici? si tamen cõcurrat causa rationabilis, quia non potest esse lex nisi sit rationabilis; Interim tamen non putat rationabile, quod indicantur, & proindè excludit ieiunium Vigiliæ Apostolorum Philippi, & Iacobi. Et non solùm negatiuè se habet, sed affirmat, non esse ieiunandum in Vigilia Apostolorum Philippi, & Iacobi, & reddit rationem, quia incidit in solemnitatem Paschalem ità cap. *Consilium. De obseruat. ieiun.* Vbicunq; autem habet locum ratio expressa in lege, habet locum etiam lex, & proindè disponit de quocunq; ieiunio, quod incidat intrà tempus Paschale excludendo præceptum.

13 Nonò habet, quod Superiores approbant consuetudinem ieiunandi intrà tempus Paschale, vt constat ex Rubricis Missalis, Breuiarij, & quia Summi Pontifices obseruant. Quis nescit approbari hæc ieiunia; sed difficultas est, an approbetur consuetudo tanquam obligatoria, quia cùm simus in ijs, quæ sunt de iure Canonico, cùm subditi non habeant facultatem statuendi in hac materia, nec etiam possunt inducere consuetudinem, nisi à superiore approbetur, vt notat Abbas *in cap. fin. nu. 8. De consuetud.* An autem Ecclesia approbet, vt obligatoriã consuetudinẽ ieiunandi intrà tẽpus Paschale, dum manutenet legẽ, quod nõ sint indicenda ieiunia intra tẽpus Paschale ex Rubricis nõ colligitur.

14 Deniq; asserit, quod D. Thom. 2. 2. *quæst. 147. art. 5. ad 3.* solùm vult, quòd ieiunia in tempore Paschali non sint de præcepto legis, non autem de præcepto consuetudinis. Et quod Spiritus Sanctus non solùm mouet ad deuotionem, sed etiã ad obligationes, vt sunt leges, voca quia mouet ad omne bonum. Sed textus D. Tho. hanc explicationem non admittit, nam inquit; *Quod ieiunium exultationis ex instinctu Spiritus Sancti procedit, qui est Spiritus libertatis, & ideò hoc ieiunium sub præcepto cadere non debet.* Si igitur ieiunium exultationis non debet cadere sub præcepto, quia est ex instinctu Spiritus Sancti, qui est Spiritus libertatis, & proindè debet relinqui liberum, ea ratione, qua excluditur præceptum, debet etiam excludi obligatio, nam præceptum excluditur, quia debet ieiunium procedere ex spiritu libertatis, & non ex coactione obligationis. Quod autẽ Spiritus Sãctus inspiret obligationes &c. nihil in præsenti facit. Quia D. Th. loquitur de instinctu Spiritus Sancti, quo facit, vt quisq; liberè operetur.

15 Deindè habet D. Thom. quod ieiunia instituta ab Ecclesia, sunt ieiunia afflictionis, quæ non conueniunt in diebus lætitiæ. Propter, quod nõ est ieiunium ab Ecclesia institutum in toto tempore Paschali, nec etiam in diebus Dominicis. Vndè per rationem D. Thom. excluduntur ieiunia, vt obligatoria. Hæc autem attuli, vt ostenderem amicissimũ P. Bordonum non rectè impugnasse, quæ in superioribus,

rioribus, attuli non autem, vt ea firmarem; nàm rursus declaro, quod in hac materia standum est communi sententiæ, quamuis rationes allatæ à Bordono non conuincant.

Quomodo obiget votum ieiunandi.
Decis. 453.

SVMMARIVM.

1 *Votum ieiunandi obligat instar præcepti.*
2 *Vouens ieiunare concipit ieiunium consuetum.*
3 *Vouens ieiunare an debeat abstinere ab ouis, & lacticinijs.*
4 *Abstinentia à carnibus, quomodo necessaria in ieiunio ex voto.*
5 *Stante voto de ieiunio an totiès violetur, quoties comeditur caro.*
5 *Abstinentia à carne quomodo trahatur à voto ieiunandi.*
6 *Abstinentia à carne in diebus ieiunij est ex speciali præcepto.*

1 VOtum ieiunandi obligare instar præcepti de ieiunio, tenendum est cum communi sententia. Ità Sotus *lib. 7. de iust. & iure quæst. 2. art. 1. in dub. post conclus.* vers. *Nihil in conclusione*, Corduba *quæst. 88. sum. pun. 1.* Aragon. *2. 2. quæst. 88. art. 3. in probat. 3. conclus.* Nauar. *cap. 18. Manual. num. 65.* Valent. *tom. 3. disp. 6. quæst. 6. pun. 4. quæst. 2. ver. Secundò nàm votum*. Sanchez *lib. 4. sum. cap. 11. nu. 31.* Laiman. *lib. 4. theol. moral. tract. 4. cap. 3. num. 3. vers. Qui vouit*. Suarez *lib. 4. de voto cap. 7. num. 9.* Palaus *par. 3. oper. moral. tract. 15. disp. 1. pun. 12. num. 11.* Leander *in præceptis Eccl. tract. 5. disp. 4. quæst. 24.* Boss. *tom. 3. moral. tit. 21. nu. 349.* Quod ità accipi debet, si vouens intendat tantum ieiunare; nàm si haberet aliquam specialem intentionem secundum ipsam esset mensurandum votum cum obliget iuxta intentionem vouentis.

2 Ratio est. Quia dùm quis vouet ieiunare, concipit ieiunium tanquàm actum virtutis solitum exerceri, atq; adeò secundùm illam mensuram, & formam, cum qua solet exerceri ex præscriptione Ecclesiæ, & ideò remanet obligatus ad consuetam formam ieiunij Ecclesiastici: & proindè debet abstinere à carnibus, semèl comedere, & esse contentus solita refectiuncula.

3 An autèm teneatur abstinere ab ouis, & lacticinijs, videtur negatiuè respondendum, nàm quamuis in aliquibus locis talis abstinentia sit in consuetudine, quando ieiunatur, non est tamèn de iure; vndè cùm censeatur se obligare ad ieiunium iuxtà formam, quam habet de iure, non videtur obligatus ad talem abstinentiam. Verùm tenendum est, quòd talis abstinentia sit necessaria, si quando vouit erat in loco, vbi ieiunium celebrari solet cum tali abstinentia, & ibi erat ieiunaturus, quia est verisimile, quod conceperit ieiunium secundum formam regionis. Si tamen accenderet ad locum, vbi cum ouis, & lacticinijs celebraretur, posset ijs vti, quià cum se obligauerit ad ieiunium conceptum iuxtà consuetudinem loci, habuit etiam voluntatem interpretatiuam celebrandi cum alia forma consueta, si contigeret alibi morari.

4 Difficultas autèm est. Quomodò in hoc ieiunio obliget abstinentia à carnibus. Azor *par. 1. lib. 11. cap. 20. quæst. 6.* Suarez *lib. 4. de voto cap. 7. num. 9. & 12.* Palaus *par. 3. oper. moral. tract. 15. disp. 1. pun. 12. num. 15.* volunt quod obliget sicùt in cæteris ieiunijs, & proindè pro toto die itaùt toties violetur votum, quotiès comeditur. Quia, inquiunt, votum obligat instar præcepti Ecclesiastici. Hoc autèm obligat ad abstinentiam à carnibus pro toto die.

5 At ex hac regula potiùs oppositum colligitur: vndè tenendum est, quod abstinentia à carnibus non obliget, nisi quatenus est necessaria pro ieiunio, & proindè violato semel ieiunio, vel per comestionem carnis, vel per secundam comestionem, carnes non esse ampliùs prohibitas. Ità Sanchez *lib. 4. sum. cap. 11. num. 42.* Laiman. *lib. 4. Theol. moral. tract. 4. cap. 3. num. 3.* Diana *par. 1. tract. 9 resol. 44. ver. Notandum.* Et ratio est, quia votum est tantum de ieiunando. Ergò non trahit in obligationem abstinentiam à carnibus, nisi quatenùs necessariam pro ieiunio, atque adeò non per se primò, sed in consequentiam ad ieiunium. Ergò si semèl ieiunium non habet amplius locum, quia sit iàm violatum, nec etiàm abstinentia à carnibus cadit ampliùs sub obligatione.

6 Quod etiàm sequitur ex natura præcepti, nàm præceptum de ieiunio de se non infert abstinentiam à carnibus, nisi quatenùs necessariam pro substantia ieiunij, & solùm est necessaria pro tota die, & independentèr à ieiunio in diebus ieiunij, quia per se primò præcipitur, & independentèr à ieiunio, quod ex eo satis constat, quià hæc obligatio afficit eos, qui aliàs non obligantur præcepto ieiunij, & ideò est diuersum præceptum, quod de se subsistit independentèr à præcepto de ieiunio. Quod euidentèr confirmat praxis. Ergò, cum votum sit tantùm de ieiunio, inferet solam illam obligationem, quàm infert præceptum de ieiunio, non autèm quàm infert aliud præceptum de abstinentia à carnibus.

An liceat ex mero libito assumere laborem incompatibiem cùm ieiunio in finem non ieiunandi. Decis. 454.

SVMMARIVM.

1 *Non licet assumere laborem in finem non ieiunandi.*
2 *Peccat contra præceptum qui ponit impedimentum proximum obseruantiæ.*
3 *Euentus prohibitus imputatur ponenti causam ex intentionis illius.*
4 *Quando liceat nolle seruare præceptum.*
5 *Impedimentum antecedens obligationem præcepti, ipsam auertit, non destruit.*
6 *Assumens laborem incompatibilem cùm ieiunio in die ieiunij, ne ieiunet, peccat.*
7 *Impediens ius Creditoris lædit iustitiam.*
8 *Quando violatur ieiunium.*
9 *Labor assumptus in finem deturbandi præceptum ieiunij, est contra præceptum.*
10 *Quando finis est deturbatio præcepti, media sunt contra præceptum.*
11 *Inferior non habet ius ad deturbandum præceptum.*

12 Stante

12 *Stante fine non ieiunandi assumptio laboris incompatibilis est virtualis solutio ieiunij.*
13 *Causa, vt relaxatiua obligationis ieiunandi non potest poni, nisi ab habente auctoritatem.*
14 *Labor ex quo oritur impotentia ieiunandi, non est contra præceptum si assumatur, antequam superueniat obligatio.*
15 *Præceptum non violatur, nisi quando in se, aut in causa obligat.*
16 *Labor non est contra præceptum ieiunij, antequam incipiat obligare.*
17 *Assumens laborem ex fine non ieiunandi quomodo peccat.*
18 *Non potest quis impedire iurisdictionem Ecclesiæ, ne ab ea ligetur.*
19 *Impediens iurisdictionem Iudicis punitur.*
20 *Directè prohibitum non potest fieri indirectè.*
21 *Cur possit quis se subtrahere legi municipali, & non Iuri communi.*
22 *Cur possit quis ire, vbi ius commune non obligat.*
22 *Cur non possit quis se reddere impotentem ad ieiunium, quando alicubi est abrogatum.*
23 *Quando non faciat alicui iniuriam, qui iure suo vtitur.*
24 *Impedire præceptum, quando actu obligat, est contra præceptum.*
25 *Impedire ne superueniat obligatio præcepti, an sit contra præceptum.*
26 *Ecclesia prohibet solùm impedimentum directè contra præceptum.*
27 *Quando peccat ponens causam euentus prohibiti.*
28 *Tenetur quisq; se subijcere præceptis aduenientibus, nisi rationabiliter eximatur.*

1 HANC difficultatem supra pertractaui *decis.* 320. & plures attuli pro negatiua sententia, quibus nunc addo Philiarum *par.* 1 *de offic. Sacerdot. lib.* 3 Lessium *lib.* 4. *de iust. & iure. cap.* 2 *dub.* 6. *num.* 44. Facundez *præcep.* 4 *Eccles. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 17. Filliuc. *tract.* 27. *cap.* 6. *num.* 123. Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 1. *dub.* 7. *num.* 11. *& seq.* Fernandez *par.* 2. *exam. theol. moral. cap.* 8. *num.* 2. Homobonum *par.* 2. *examin. Eccles. tract.* 8. *cap.* 7. *quæst* 23. & *tract* 9. *cap.* 4. *quæst.* 74. Leandrum *in præcep. Eccles. tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 158. Bossium *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 1. *num.* 3. *& sequent.* vbi latè oppositum reijcit, & citat alios Doctores præsertim D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 2. Caiet. *ibidem* qui tamèn de hoc ibi nihil habent, sed solùm hæc sententia deduci potest ex ijs, quæ habet in *resp. ad* 3 Verùm nihil noui infert, quod ex fundamentis oppositæ sententiæ dissolui non possit.

2 Prob. igitur. Qui ponit causam proximam, aut impedimentum proximum præuidens, aut præuidere debens ammissionem obseruantiæ alicuius præcepti, peccat peccato omissionis contra illud præceptum, vt docent communitèr cùm D. Th. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 5. vt qui in die festo se inebriat, aut dormit, aut vacat venationi per præuidens se omissurum sacrum; qui proijcit Breuiarium in mare præuidens se omissurum officium diuinum, qui se reddit impotentem ad faciendam restitutionem &c. Qui autem in hunc finem in die ieiunij, aut pridiè assumit laborem incompossibilem cùm ieiunio in hunc finem, ne ieiunet, ponit proximam causam, & impedimentum præuidens, & volens omissionem ieiunij. Confir. Quamuis Ecclesia non prohibeat laborem secundum se siue in hoc, siue in illo exercitio, nisi aliàs exercitium sit de se malum, prohibet tamen quatenus est impedimentum ieiunij.

3 Secundò. Qui ponit causam ex qua necessariò sequitur euentus prohibitus ex ea intentione, vt sequatur, peccat directè contrà præceptum, quia directa intentione tendit contra præceptum, vt tradunt communitèr cum D. Th. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 5. Et hoc est verùm, quamuis aliàs talis causa, etiam cùm præuisione euentus, potuisset poni absq; peccato, quia nimirum malitia non oritur ex positione causæ, sed ex intentione tendente contrà præceptum. Talis autem intentio est in eo, qui assumit laborem in hunc finem, ne ieiunet, nam intentio tendit directè contrà præceptum.

4 Tertiò. Tunc solùm licitè potest quis velle non seruare præceptum, quando præceptum omninò cessat, & prorsus non obligat, vel sub tractionem materiæ, vt cum quis consequens plenariam indulgentiam ratione subtractionis materiæ, nempè debiti satisfaciendi, facit cessare obligationem pœnitentiæ iniunctæ. Vel ob non subiectionem personæ, vt cum quis existens, vbi obligat festum, se transfert ad locum, vbi non obligat. Non autem quando durat vis præcepti, manente eadem materia, & subiectione. Quando autem quis assumit laborem in hunc finem, nec ieiunet, vult non obseruare præceptum, quando obligat, & ideo peccat contra ipsum, licèt impotentia superueniens excuset omissionem ieiunij, quando violatur, quia tunc non est peccatum in se, sed tantum in causa.

5 Verùm hæc omnia, quæ affert Bossius solui possunt ex dictis dicta *decis.* 320. nec distinguit, quando labor assumitur eo die, in quo est ieiunandum, & quando assumitur in aliquo antecedenti die, quod tamèn plurimum interest. Nam quando assumitur in ipsa die ieiunij, assumitur quando præceptum est iam in possessione obligandi: Dum verò assumitur in aliquo antecedenti die, assumitur, quando nondùm adest obligatio præcepti, vnde primo modo assumitur ad destruendam obligationem: Secundo modo assumitur ad anteuertendam.

6 Si ergo labor incompatibilis cum ieiunio assumatur in ipso die ieiunij in hunc finem, vt non habeat locum ieiunium, peccatur contra præceptum ieiunij. Ratio est. Quia tàm intentio, quam actus assumptus tendunt directè contra præceptum ieiunij, quatenus hic, & nunc actu obligans, siquidem ponit impotentiam, quæ facit cessare obligationem præcepti, & ius ipsius ad exigendum ieiunium. Ergo violat præceptum, nam subtrahit, quod ab ipso exigitur, dum facit, quod non possit exigere, quod actu esset soluendum, dum ponit impotentiam, quæ reddit cassam exigentiam præcepti.

7 Confir. Non minus læderet iustitiam, qui nollet soluere quod hic, & nunc tenetur soluere, quàm qui impediret ius creditoris, ne posset creditum exigere, aut cœlando scripturas, aut dilapidando, quod tenetur soluere, præsertim in hunc finem, ne soluat, aut aliquo alio modo. Qui autem in hunc finem, ne ieiunet assumit laborem excusantem à ieiunio, lædit

iux-

ius præcepti, ne exigat, quod sibi debetur, nempe ieiunium, & proinde facit contra præceptum.

8. Confir. 2. Tunc violatur præceptum ieiunij, quando ponitur multiplex comestio contra formam præscriptam pro ieiunio, & intentio ponendi est intentio violandi. Quando autem in die ieiunij assumitur labor incompossibilis cum ieiunio in hunc finem non ieiunandi, non intenditur solus labor, sed labor vt coniunctus cum multiplici comestione, & proinde adest intentio violandi ieiunium.

9 Dices. Non adesse intentionem violandi ieiunium, quia dum intenditur multiplex comestio vt annexa cum labore incompatibili cum ipso, intenditur, vt iam facta licita ratione talis laboris. Contra. Intenditur, quando præceptum iam obligat in actu, itaut intentio feratur ad deturbandum præceptum à sua possessione obligandi. Ergò multiplex comestio, vt annexa cùm labore deturbatiuo præcepti de sua possessione, & cadens sub eadem intentione, dicit violationem præcepti, quia hoc coniunctum laboris, & multiplicis comestionis dicit adæquatam contrarietatem cùm præcepto, cùm contrarietur in forma comestionis, & in oppositione ad præceptum.

10 Confir. 3. Intendens laborem incompatibilem cùm ieiunio in hunc finem, ne ieiunet, quando actu obligat præceptum, habet pro fine solutionem ieiunij pro tempore, pro quo obligat, & ad hunc finem obtinendum eligit impotentiam ortam ex labore assumpto tanquam medium ad deturbandum præceptũ à possessione obligandi, & proindè intẽdit deturbationẽ præceptũ à possessione obligãdi, & proindè intendit deturbationem præcepti, tanquã finẽ subordinatum fini non ieiunandi. Ergò cùm actus humanus recipiat speciem ex fine, vt communitèr docent cùm D. Tho. 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *in corpore*, electio talis laboris, & impotentiæ erit mala, sicut est malus finis, nempè deturbatio præcepti, quæ sicut tendit contrà præceptum, ita etiam tendet electio.

11 Dices. In hoc posse vnumquemq; vti iure suo, & extinguere obligationem præcepti per media, quæ alias non sunt illicita. Contra. Interior non habet aliquod ius supra præceptum superioris, nec potest ipse à se auertere, nàm in hoc faceret contra intentionem legitimam superioris. Ergò intentio tendens ad deturbandum præceptum à sua possessione non est intentio vtendi iure suo, sed deturbandi alienum, & electio procedens ex hac intentione contrahit eandem malitiam finis, quia ex intentione finis redundat bonitas, vel malitia in ea, quæ sunt ad finem iuxtà communem doctrinam, quam tradit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 7. *in corpore*.

12 Confir. 4. Assumens laborem in die ieiunij in hunc finem, nè ieiunet, in assumptione talis laboris est volita solutio ieiunij, tanquam in causa inferente dictam solutionem, itaut causa sit volita tanquam solutiua ieiunij. Ergò non obseruantia præcepti ieiunandi, quãdo obligat, est voluntaria in causa, itaut intendatur violatio ieiunij non in se, sed in causa, nàm iuxtà communem doctrinam cùm D. Th. 1. 2. *quæst.* 77. *art.* 7. *in corpore*, quando voluntas fertur in causam, effectus est voluntarius in causa.

13 Dices. Non obseruantiam ieiunij esse quidem volitam in causa, non quidem inferente violationem præcepti; sed inferentem absolutionem à ieiunio. Vndè sicut potest quis velle non ieiunare intendendo dispensationem tanquam causam relaxantem obligationem, ità etiam potest quis velle, non ieiunare in alia causa soluente obligationem ieiunandi. Contra tunc licèt velle, & ponere causam absoluentem ab obligatione præcepti, quando causa est ex natura sua legitima, itaut non tendat directè contrà præceptum; & si tendit auctoritatiuo modo, tendat sicut tendit dispensatio, cùm fiat ab eo, qui habet auctoritatem relaxandi obligationem legis. Et ratio est, quia præceptum hic, & nunc auctoritatiuè obligat; & ideò non potest poni causa relaxatiua obligationis in hunc finem, vt relaxetur, nisi ab habente auctoritatem supra præceptum, si quidem quæ auctoritatis sunt, non nisi per auctoritatem dissolui possunt. Labor autem incompatibilis cùm ieiunio, dum assumitur in hunc finem, vt soluat obligationem ieiunandi, tendit directè ad soluendam obligationem, & non auctoritatiuo modo, & ideò continet factum violatiuum in causa præcepti, quia in ipsa intenditur solutio ieiunij non auctoritatiua.

14 Secundò addendum est. Assumere laborem, vndè oriatur impotentia ieiunandi, antequam superueniat obligatio ad ieiunium, non est contra præceptum ieiunij. Hoc sequitur ex opposito sensu, ex huc vsque dictis. Quia in tantùm assumptio talis laboris est contra præceptum ieiunandi, in quantùm præceptum est in actu obligandi, & in possessione. Ergò non erit contra præceptum, si nondum superuenit ipsius obligatio.

15. Ratio autem est. Quia præceptum non potest violari, nisi quando actu obligat, siuè in se, siuè etiàm in causa; quia causa non est violatiua præcepti, nisi tendat contra præceptum, quod sit in possessione obligandi. Quando autem quis antequam superueniat præceptum ieiunij, assumit laborẽ causantem impotentiam ad ieiunandum non facit contra præceptum siuè in se, quia non dum aduenit, & proindè cum non sit, violari non potest. Siuè in causa, quia causa de præsenti non contrariatur præcepto, cùm non sit: nec etiam de futuro ratione effectus consequentis, quià quando aduenict tempus obligationis præcepti, obligatio non ponetur, neque ipsum afficiet, siquidèm afficit tantùm potentes ieiunare, vndè cum ipse vt impotens non subijciatur præcepto, nèc etiam causa contrariabitur præcepto, quia in tantùm posset cõtrariari inquantùm poneretur in eo, qui subijceretur præcepto.

16 Confir. Assumens laborem causantem impotentiam ad ieiunandum, antequam adueniat dies ieiunij, non intendit violare præceptum, sed solùm impedire, nè sibi superueniat obligatio præcepti. Ergò non facit contra præceptum. Conseq. prob. Non potest quis violare, seù facere contra præceptum; nisi aliquandò ipsi subijciatur, si quidèm non fit contrà præceptum ab eo, qui nunquam ab ipso obligatur; qui autèm ante diem ieiunij assumit laborem, ex quo fit impotens ad ieiunandum, nunquã obligatur, antequàm adueniat præcepto ieiunij, nàm non obligatur, antequàm adueniat dies ieiunij, quia cùm præceptum sit affixum diei, obligare solùm potest in tali die; nèc etiam, quando adest dies ieiunij, nàm tunc est impotens, præceptum autem nõ est positum impotentibus, itaut ex natura sua ad ipsos non extendatur.

17 Ter-

17 Tertiò addendum est. Quod assumens laborem, ad quem consequatur impotentia ad ieiunandum in hunc finem, vt fiat impotens, licèt non faciat contra præceptum ieiunij, si assumat antequã incipiat obligare præceptum, itaut superueniat impotentia ante diem ieiunij peccat tamèn grauitèr contra obsequium debitum Ecclesiæ, & lædit iurisdictionem ipsius. Et in hoc debet fundari communis sensus, quod sit illicitum reddere se impotentem ad ieiunandum dedita opera nè ieiunetur.

18 Ratio est: Quià vnusquisq; subijcitur iurisdictioni Ecclesiæ, & proindè tenetur suscipere præcepta; quæ ab ipsa imponuntur, & ea exequi. Dùm autèm quis se reddit impotentem ad ea suscipienda in hunc finem, ne ea suscipiat, renuit se subijcere Ecclesiæ quoad eiusdem præcepta, & impedit, nè suprà seipsum exerceat iurisdictionem, quam exercet suprà cæteros, quod est perturbare iurisdictionem Ecclesiæ: & proindè lædit Ecclesiam in sua iurisdictione, & subtrahit ipsi debitum obsequium, quod est peccatum graue.

19 Confirm. Si quis impediret iudicem, ne supra se exerceret iurisdictionem, quam aliàs posset, & vellet exercere, ponendo aliquod impedimentum perturbaret iurisdictionem ipsius, & peccaret, atq; adeò posset grauitèr puniri *l. vnic. init. ff. Si quis ius dicen. non obtemp.* & Cap. 1. *De offic. de leg.* & Cap. *Dilecto. De sent. excommunicat. in 6.* Qui autem se reddit impotentem ad ieiunandum in hunc finem, ne adstringatur præcepto Ecclesiæ perturbat iurisdictionem ipsius, & quoad se reddit frustratoriam quoad imponendum præceptum, itaut si semèl id liceret, semper liceret, cum sit eadem ratio; & consequentèr posset quis se subtrahere omnibus ieiunijs contra voluntatem Ecclesiæ, quæ intendit, quod omnes exerceant ieiunia, & quod sua præcepta omnes afficiant, si aliàs habiles sint. Nec de mente ipsius est, quod quis dedita opera se subtrahat, sed vult, quod non se subtrahant, si aliàs subsint: Vndè qui se subtrahit reddendo se impotentem, habet voluntatem contrariam voluntati Ecclesiæ.

20 Confirm. 2. Quod directè prohibetur, non potest fieri indirectè iuxtà regulam Iuris. *l. scire oportet, §. Si mater, ff.* De *tut. & curat. dat. ab his.* & Cap. *Cum quidem. De regul. iur. in 6.* Si quis autèm directè nollet ieiunare, quando instat præceptum, faceret directè, quod sibi est prohibitum, nàm prohibetur vnicuiq; se subtrahere præceptis Ecclesiæ. Ergò si in hunc finem, ne subsit præcepto Ecclesiæ de ieiunio, se redderet impotentem, indirectè faceret, quod sibi est prohibitum, nàm indirectè iret contra præceptum Ecclesiæ, impediendo, nedùm aduenit, ab ipso ligetur.

21 Dices. Potest quis non solum antequam vrgeat præceptum, sed etiam quando vrget, discedere à loco, vbi obligat, & aliò pergere, vbi non obligat in hunc finem, ne subsit præcepto, vt dictum est; *Decis. 214. num. 3.* & sequent. Ergò poterit etiam se reddere impotentem, ne subsit obligationi ieiunandi. Resp. neg conseq Quia est diuersa ratio: Nam quando agitur de lege municipali, licèt vnicuiq; se subtrahere mutando locum, quia non obligat absolutè, sed tantùm contemplatione loci, & ideò non est de intentione absoluta legislatoris, quod seruetur, sed tantum quod seruetur in tali loco, nèc obligat aliquẽ ad permanendum in illo loco; & ideò relinquit liberum, vt possit vnusquisq; discedere etiam in hunc finem, nè seruet præceptum. At quandò agitur de iure communi, quia absolutè obligat independentèr à loco, & est de mente legislatoris, quod absolutè ab omnibus seruetur, non relinquitur locus ad se subtrahendum obligationi in hunc finem, ne seruentur præcepta ipsius; & ideò non potest quis se reddere impotentem, ne ipsi subsit.

22 Instabis. Potest quis ire ad locum, vbi ius commune est abrogatum in hunc finem, ne ipsum seruet, aùt ad locum, vbi non est receptum. Ergò eadẽ est ratio de iure communi, ac de iure municipali. Resp. neg. conseq. Quia solùm sequitur, quod possit quis se subtrahere iuri communi, quando adest tacita saltem voluntas legislatoris, vt contingit, quando in aliquo loco est abrogatum ius commune: nàm tunc, sicùt legislator tacitè consentit abrogationem, ità etiam detrahitur vniuersali voluntati ipsius, qua vult ab omnibus absolutè seruari, & coarctatur, vt velit seruari solum vbi viget, & ideò relinquit locum, vt possit quis se subtrahere secundum mensuram voluntatis ipsius consentientis abrogationi, & pergere ad locum, vbi est abrogatum, vt non seruet, quia in hoc voluntas subditi non discrepat à voluntate legislatoris.

23 Instabis secundò. Ergò tunc saltem poterit quis se reddere impotentem ad ieiunandum, quando præceptum ieiunij est abrogatum in aliquo loco. Resp. neg conseq. Quia stante voluntate Ecclesiæ, quod ieiunia iuris communis absolutè seruentur ab omnibus, non potest quis se subtrahere, nisi secundum mensuram voluntatis ipsius, quà concedit talia ieiunia non seruari. Solùm autem concedit non seruari, vbi præceptum abrogatum est: atq; adeò ratione solius abrogationis, non autem consentit, quòd quis se reddat impotentem: & ideò qui se reddit impotentem, vt non seruet, contrariatur voluntati Ecclesiæ.

24 Dices 2. Potest quisq; vti iure suo, & in hoc nemini facit iniuriam *l. 3. vers. Is tamen. ff. De liber. hom. exhib.* & Cap. *Nullus videtur. De reg. iur. in 6.* Ergò cum quisq; habeat ius ad laboriosa exercitia poterit ea assumere, vt se reddat impotentem ad ieiunandum. Resp. Non facere iniuriam alicui, qui iure suo vtitur, quando procedit cum recta intentione in vsu ipsius, vt nimirùm vtatur commodo, quod indè sibi resultat non autem quando vtitur iure suo, vt conuertat in præiudicium alterius, itaut habeat hanc expressam intentionem de alieno præiudicio; nàm tunc voluntas habet pro obiecto alienum damnum, & ideò est iniusta. Sic potest quis procurare vtilitatem suam, licèt inde sequatur damnum alterius; non tamèn, & intentione, vt damnum inferat, vt deciditur in *l. 1 §. Deniq; Marcel. ff.* De *aqua pluuia arcen.* vt ibidem notat etiam Glos. verbo. *Habere.* Quando ergò quis assumit exercitia laboriosa in hunc finem, vt non seruet præceptum Ecclesiæ, eius intentio tendit in præiudicium Ecclesiæ, quia intendit se subtrahere præcepto, & iurisdictioni ipsius, quæ est intentio iniqua.

25 Ad 1. autem argum. Bossij resp. solum valere, quando præceptum actu obligat, nàm tunc solùm ponere causam proximam, aut impedimentum proximum, ex quo sequatur non obseruantia præcepti, tendit contrà præceptum, cùm tunc solum sit in possessione obligandi. Et in hoc sensu loquitur

D. Tho. & cæteri Doctores cùm ipso: & procedunt exempla, quæ solent afferri, vt de eo, qui se inebriat, aut dormit, aut vacat venationi in die festo, & omittit missam. Et de eo, qui cùm teneatur recitare horas Canonicas, proijcit Breuiarium, atq; de eo, qui se reddit impotentem ad restituendum; nàm in his casibus, quando ponitur impedimentum præceptum est in possessione obligandi. Si verò ponatur impedimentum antequam superueniat obligatio, non fit contrà præceptum, sed contrà obsequium debitum Ecclesiæ de se subijciendo præceptis ipsius, si tamen fiat ex intentione non seruandi præceptum.

26 Et pro maiori intelligentia est notandum, quod aliud est ponere impedimentum, seù causam, quæ immediatè impedit exequutionem præcepti; & aliud ponere causam, quæ post se relinquat aliquem effectum, quæ non fit contra exequutionem præcepti, sed impediat ortum obligationis ipsius. Primò modo, etiam si ponatur, antequam superueniat præceptum, dummodò tamèn præuideatur duraturum, etiam quando vrgebit præceptum, fit contra præceptum, quia voluntas se extendit ad impedimentum etiam pro tempore, in quo impediet præcepti obseruantiam. Secundò modo non fit contra præceptum, quia cum impediatur, ne superueniat obligatio ipsius, non potest violari, cùm non habeat locum violatio, nisi obligante præcepto.

27 Ad confir. Quod Ecclesia non prohibeat laborem, quatenùs est impedimentum ieiunij, satis constat ex eo, quod potest assumi etiam absq; necessitate, vt docent ij Doctores, quos pro hac sententia citaui *Decis.* 317. *num.* 8. & admittit etiam ipse Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. § 1. *num.* 13. Vndè solùm prohibet poni impedimentum directè contra ieiunium ex intentione non ieiunandi, quod solum habet locum, quando impedimentum tendit contra præceptum, prout est in possessione obligandi.

28 Ad 2. Similitèr resp. Quod solùm probat, peccare ponentem causam, ex qua sequatur euentus prohibitus, dùm prohibitio est in possessione: Nàm si non sit in possessione, non sequitur euentus prohibitus, vt prohibitus formalitèr, sed solùm materialitèr, quia nimirum esset prohibitus, nisi impediretur, ne superueniret prohibitio. Et hoc habet locum, si fuit ex intentione tendendi contra prohibitionem.

29 Ad 3. Verùm esse totùm, quod assumitur, sed non rectè applicari: imò ex illa regula colligi oppositum. Si enim potest quis velle non seruare præceptum, quando cessat omninò obligatio ipsius, & potest cessare ob non subiectionem personæ, sequitur, quantum est ex hoc capite, quod, antequam adueniat dies ieiunij, possit reddere se ipsum non subiectum præcepto ieiunij, reddendo se impotentem, atq; adeò non subiectum, cùm præceptum subijciat sibi tantum potentes ieiunare. Et hoc pacto nolle seruare præceptum. Quod tamèn dici non potest, quia cùm sit subiectio in habitu, seù in actu primò, non solùm quatenus subijcitur iurisdictioni Ecclesiæ, sed etiam quatenùs præceptum ieiunij est iàm impositum actu exerciturum suam obligationem aduenientibus diebus præscriptis, tenetur quis se subijcere huic actuali obligationi, nisi rationabilitèr eximatur, itaùt non possit habere voluntatem in oppositum, nàm hæc voluntas esset contra ius Ecclesiæ.

An Fratres Minores ante annum vigesimum primum teneantur ad ieiunia Ecclesiæ extrà Quadragesimam.

Decis. 455.

SVMMARIVM.

1 *Fratres Minores ante vigesimum primum annum teneantur ad ieiunia Quadragesimæ.*
2 *An etiàm teneantur ad ieiunia extrà Quadragesimam.*
3 *Inducta ad augendum non debent operari diminutionem.*
4 *Declaratio Clementis V. circà ieiunia Fratrum Minorum.*
5 *Regula Sancti Francisci non tollit ieiunia Christianorum.*
6 *S. Franciscus voluit, quod sui Fratres sequantur morem Ecclesiæ Romanæ.*
7 *Ieiunia Regulæ Minorum non minuunt ieiunia Ecclesiæ.*

1 SVpponendum est, Fratres Minores ratione Regulæ teneri ad ieiunium Quadragesimæ: & proindè ex duplici præcepto, nempè Ecclesiæ, & Religionis; Vndè Professi tenentur ieiunare, etiam si non peruenerint ad ætatem, quæ eos subijciat Ecclesiæ præcepto. Et ratio est, quia Regula *cap.* 3. iniungit, quod ieiunent in Quadragesima, & posteà subdit, *Alijs autèm temporibus*, (nempè excepta Quadragesima, & cæteris præscriptis) *non teneantur, nisi in sexta feria ieiunare.* Et ideò si in alijs non tenentur, in præscriptis tenentur. Quando autem Regula vtitur verbo, *teneantur*, imponit obligationem sub mortali, vt declarauit Clemens V. *in Clement. Exiui. De verb. significat.* Et ita tradunt Corduba *in Reg. cap.* 3. *quæst* 2. Miranda *cap.* 44. *de Mursia in cap.* 3. *cap.* 2. § 1. *num.* 2.

2 Quod autem spectat ad ieiunia extrà Quadragesimam Prima sententia asserit, Minores teneri ad ipsa ex vi quoq; Regulæ, atque adeò ante annum vigesimum primum. Ità Miranda *in Reg. S. Francisc. cap.* 44. *difficul.* 3. *in Reg.* 2. *impress.* Petrus Nauari *quæst.* 3. *conclus.* 3. Franciscus *Luengus in cap.* 3 *Regul. contrauer.* 9. *sect.* 2. *nu.* 3. Prob. Quia quatuor magistri, Hugo, Pisa, Lucerna, Geruasius, ità tradiderunt docentes, Regulam non excludere ieiunia Ecclesiæ. Secundò. In Clem. *Exiui*, § *Deinde*. De *verb. signif.* declaratur, quod dùm Regula dicit, quod Fratres non tenentur ad alia ieiunia, præterquàm ad enumerata, intelligitur de alijs ieiunijs, quæ non indicuntur ab Ecclesia. Tertiò S. Franciscus voluit, quod sui Fratres sequerentur morem Ecclesiæ, vt cõstat ex *cap.* 1. & 12. *Regulæ*. Ergò etiam in ieiunio. Quartò, quod est inductum ad augendum, non debet operari diminutionem Glos. *in Clem. Exiui not.* 3. Ieiunia autèm Regulæ sunt inducta ad augendum.

3 Secunda sententia negat obligari ex vi regulæ, & ideò ante annum vigesimum primum non teneri. Ità Ouand. *in* 4. *dist.* 38. *in addit. proposit.* 14. *de voto*. Corduba *in cap.* 3. *Reg. quæst.* 2. *pun.* 3. Martin. à S. Ioseph *cap.* 8. *num.* 3. Politus *cap.* 3. *num.* 52. Rodriquez *tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 100. *art.* 6. Portel.

tel. *in dub. Regular. verbo* Ieiunium, *num.* 2. Lander de Murfia *in Regul. S. Francisci in cap.* 3. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 5. qui alios citat.

4 Et hæc posterior sententia mihi videtur probabilior, & desumitur ex Clem. *Exius*, §. *Deinde*, De *verb. signif.* si rectè ponderentur verba; Dubitabatur enim, an S. Franciscus per illa verba Regulæ *cap.* 3. *Alijs autem temporibus* (exceptis præscriptis) *non teneantur ieiunare*, abstulerit ieiunia Ecclesiæ infrà annum. Et respondet Pontifex, Nequaquam abstulisse, & reddit rationem his verbis. *Non est enim verisimile, quod vel institutor Regulæ, vel etiàm Confirmator absoluere eos intenderit à seruandis illis ieiunijs, ad quæ de communi statuto Ecclesiæ obligantur cæteri Christiani.* Ergò iuxtà hanc declarationem in tantùm tenentur, in quantùm regula non absoluit ab his ieiunijs. Ergò ij solùm tenentur, quos ligat præceptum Ecclesiæ. Confir. Regula neq; imponit nouum præceptũ quoad hæc ieiunia, aliàs non fuisset dubitatum, an Patres remanerent absoluti ab his ieiunijs, neque absoluit, sed relinquit in suo statu. Ergò non obligat ante annum vigesimum primum.

5 Ad 1. Illos quatuor Magistros tantùm dixisse, quod ieiunia Ecclesiæ non sint sublata quoad Fratres, & addunt rationem, quòd sicut Religio Fratrum Minorum non aufert Christianitatem, sic nec tollit ieiunium Christianorum. Vndè nil aliud volunt, nisi quod obligentur ad hæc ieiunia, qui aliàs ad ipsa tenentur. Et hoc etiàm voluit Clemens V. vt constat ex dictis.

6 Ad 3. Dùm S. Franciscus voluit, quod sui Fratres sequantur morem Ecclesiæ Romanæ; voluit solũ, quod expleto anno vigesimo primo teneantur ad ieiunia, quæ non præscribuntur à Regula, nàm mos Ecclesiæ est, quod solùm in tali ætate hæc ieiunia obligent.

7 Ad 4. Ieiunia Regulæ non operari diminutionem ieiuniorum Ecclesiæ, sed relinquere in suo statu, itàut obligent iuxtà præceptum Ecclesiæ, & ità inducunt augmentum, non verò diminutionem.

An edens carnes, & lacticinia simùl quando prohibentur committat duplex peccatum. *Decis.* 456.

SVMMARIVM.

1 *Edere carnes, & lacticinia, quando prohibentur, an duplex peccatum.*
2 *Comestio carnis continet trasgressionem comestionis lacticiniorum.*
3 *Prohibitio carnis in die ieiunij dat formam ieiunio, & quomodo.*
3 *Quomodo se habeat prohibitio ouorum, & lacticiniorum.*
4 *Carnes, & lacticinia quomodo in die ieiunij prohibeantur duobus præceptis.*
5 *Edens secunda vice carnes non facit contra præceptum ieiunij.*
6 *Edens carnes, & lacticinia in die ieiunij non sufficit, si in confessione dicat, edisse cibos prohibitos, seù lacticinia.*

1 Difficultas procedit, quando in eodem die prohibentur, vt in diebus Quadragesimæ. Quod autẽ comedens carnes, & oua, seù lacticinia committat duplex peccatũ, explicandum in confessione seorsim; tradunt Io. Sanchez *in selectis de Sacram. disp.* 51. *num.* 27. Diana *par.* 1. *tract.* 9. *resol.* 45. Coninch. *de Sacram. disp.* 7. *num.* 42. Boss. *tom.* 3. *moral. tit.* 21. *nu.* 225 Roccaful. *in praxi tract.* 6. *de præcep. Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 37. Probatur, quia carnes, & lacticinia prohibentur diuersis præceptis; nàm feria sexta, & Sabbato non prohibentur lacticinia, prohibentur tamèn carnes, sicut etiam in alijs diebus. Sic etiàm dispensatus ad oua, & lacticinia non est dispensatus ad carnes.

2 E contra verò Ouied. t. 2. *tract.* 6. *controuer.* 5. *par* 2. *num.* 19. & 20. & *par.* 6. *num.* 26. Quamuis videatur admittere, quod sint duæ transgressiones, vult tamèn, quod sufficiat explicari in confessione comestionem carnium, quamuis adiunctam habuerit comestionem ouorum, seù lacticiniorum. Quià transgressio comestionis carnium continet virtualitèr, seù formalitèr transgressionem comestionis ouorum, aut lacticiniorum, cum hæc nunquàm prohibeantur, nisi etiam prohibitis carnibus, & è contrà prohibeantur carnes, ouis, & lacticinijs non prohibitis.

3 Mihi tamèn probabiliùs videtur, quod comestio carnium, & ouorum, seù lacticiniorum in die ieiunij sit vnica tantùm transgressio contra vnicum præceptum, & proindè esse vnicum peccatum. Ratio est. Quia prohibitio carnium in die ieiunij non solùm est per se primò intenta, sed etiam vt dans formam ieiunio, & ideò præceptum negatiuum abstinere à carnibus est in subsidium positiui de ieiunio, itaut continentur in ipso. Et proindè comedens carnes violat præceptum negatiuum de abstinentia, non quomodocunque, sed vt contentum in positiuo de ieiunio, & vt partem ipsius, nàm violat formam ieiunij, sine qua non potest subsistere, & committit vnicum peccatum contra adæquatum præceptum ieiunij coalescens ex illo duplici præcepto. Ergò si comedat etiàm oua, aut lacticinia, non committit nouum peccatum, nàm hæc comestio tendit similitèr contrà formam ieiunij consistentem in qualitate ciborum: Consistit enim substantialitèr in abstinentia à carnibus, & secundùm quamdam integritatem, & perfectionem in abstinentia ab ouis, & lacticinijs. Ergò non est nouum peccatum, quia euersa forma ieiunij secundum substantiam, neq; integritas potest habere locum, cùm debeat adhærere substantiæ, & ideò illa sublata, nõ censetur hæc ampliùs prohibita.

4 Ad fundamentum oppositæ sententiæ respond. Carnes, & lacticinia prohiberi in die ieiunij duobus præceptis, non quidèm æquè primarijs, sed vno principali, & altero accessorio, & vtroq; ordinato ad vnã formam ieiunij. Hinc corruente principali, nempè de abstinentia à carnibus, corruit etiàm accessorium de abstinentia à lacticinijs, quia corruit etiàm substantialis forma ieiunij quòad qualitatem ciborum. Et ideò violato præcepto de abstinentia à carnibus, si edantur simùl oua, censetur violari vnicum præceptum, quià cum sint principale, & accessorium in ordine ad eamdem formam ieiunij, se habent per modum vnius præcepti.

5 Ex dictis colligitur. Quod si in die ieiunij semel comedantur carnes, præceptum de abstinentia ab ipsis non obligat amplius in ordine ad ieiunium, quia cum sit violata forma substantialis ieiunij, sine qua non potest stare, non habet amplius locum ieiunium pro illa die, & ideò cessat præceptum de ieiunio; præceptum verò de abstinentia à carnibus, quod prius obligabat in ordine ad ieiunium, incipit obligare de per se. Et ideò qui secunda vice comedit carnes, non peccat contra præceptum ieiunij, sed solùm contra præceptum de abstinentia à carnibus.

6 Colligitur secundò cum Ouiedo *num.* 2. citato. Non sufficere exprimere in confessione, comedisse oua, seù lacticinia, siuè etiàm cibos prohibitos, quando in die ieiunij prohibentur, si etiam interuenerit comestio ouorum, seù lacticiniorum; nàm non continet totam malitiam, sed solum accessoriam, quia dicit violationem solius præcepti accessorij, non autem principalis, & substantialis: Et proindè non explicaretur substantialis malitia peccati. Si aut explicaretur solùm comestio ciborum prohibitorum, quia potest intelligi tàm de carne, quàm de lacticinijs, neque adhùc sufficientèr explicaretur malitia peccati.

An comedens pluries carnes in ieiunijs ex voto totiès peccet.

Decis. 457.

SVMMARIVM.

1 *In ieiunijs ex voto totiès peccatur, quotiès eduntur carnes, si aliàs prohibeantur.*
2 *Qui si eo die non sint à iure prohibitæ.*
3 *Abstinentia à carnibus quomodò obliget in ieiunijs ex voto.*
4 *Cur in ieiunijs Ecclesiæ totiès peccetur, quotiès carnes eduntur.*
5 *Votum ieiunij quomodo obliget instar præcepti.*
6 *In ieiunijs iniunctis pro pænitentia an totiès peccetur, quotiès carnes eduntur.*
7 *Ieiunans in die Natalis ex voto an totiès peccet, quotiès carnes edit.*
8 *Religiosi in ieiunijs ex sola regula an totiès peccent, quotiès carnes edunt.*

1 SI ieiunia ex voto coincidant cum diebus, in quibus aliàs carnes prohibētur, certum omninò est, totiès peccare, quotiès carnes comedit, quia totiès violatur præceptum quod tanquam negatiuū semper obligat, & pro semper. Vndè solum difficultas est, quandò aliàs carnes sunt licitæ, & solùm ratione ieiunij ex voto remanent prohibitæ.

2 Prima sententia asserit, totiès peccare, quotiès comedit. Ità Azor. *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæst.* 8. Suar. *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 12. Fundamentum est: Quia votum de ieiunio obligat instar præcepti: Ergò sicùt præceptum de ieiunio ità obligat ad abstinentiam à carnibus, vt totiès peccetur, quotiès eduntur, eodem modo obligabit etiam votum.

3 Secunda sententia docet, quod tantum prima vice peccet. Ità Laiman. *lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Sanchez *lib.* 4. *Summ. cap.* 11. *num.* 41. Faustus *lib.* 1. *Thesauri, quæst.* 140. *num.* 2. Leander, *tract.* 5. *in præcep. Eccl. disp.* 8. §. 8. *quæst.* 13. Et hæc sententia mihi videtur probabilior. Quia abstinentia à carnibus non cadit sub intentionem vescentis, nisi quatenùs est necessaria pro ieiunio, quia quod principalitèr intendit vouens, est, ieiunium, non autèm alio modo intendit abstinere à carnibus, cùm intendat talem abstinentiam, vt inclusam in ieiunio. Ergò si semel violatur ieiunium, nèc ampliùs habet locum obseruantia voti, nèc etiàm tenebitur ad abstinentiam à carnibus, cum ad illam non *se obligauerit*, vt ad quid seorsìm à ieiunio, sed *vt in ieiunio* inclusam: Votum non obligat, nisi secundùm mensuram intentionis vouentis.

4 Confir. In tantum in cæteris ieiunijs Ecclesiæ violato ieiunio adhùc totiès peccatur, quotiès eduntur carnes, quia abstinentia ab ipsis præcipitur seorsim à ieiunio, & per se; Vndè dispensatus in ieiunio non est dispensatus ad carnes, sed requiritur specialis causa pro tali dispensatione. Ergò cùm in voto non adsit per se specialis obligatio, & seorsim pro abstinentia à carnibus, cessante ieiunio, cessabit etiam obligatio abstinendi à carnibus.

5 Ad fundamentum in oppositum resp. Votum obligare instar præcepti Ecclesiastici de ieiunio quoàd modum obligationis, & qualitatem, non autem quoad mensuram extensiuam, nàm, præceptum habet annexam specialem obligationem abstinendi à carnibus seorsim à ieiunio, quam non habet votum, vt constat ex dictis.

6 Ex his colligitur; Quod si ieiunia indicantur pro pænitentia certis diebus determinatis, si *in his* diebus aliàs carnes non sint vetitæ, comedens carnes secunda vice, aut quando iam per secundam comestionem est violatum ieiunium, non peccabit de nouo, quia in his quoq; ieiunijs abstinentia à carnibus est iniuncta tantùm vt inclusa in ieiunio, non autem per se primò, & seorsim ab ipsa.

7 Colligitur 2. Eum, qui tenetur *ad ieiunium* etiam in die Natiuitatis Domini *incidente* in feria sexta, aut Sabbatho, ratione voti semèl tantùm peccare comedendo carnes, nempè primaùice, aut nullo modo peccare, si iam per secundam comestionem violauit ieiunium. Ratio est. Quia ratione festiuitatis remanet sublatum præceptum abstinendi à carnibus, & consequentèr remanet sola obligatio *voti*: & proindè est eadem ratio, ac de ieiunijs ex voto.

8 Tertiò colligitur. Quid dicendum de ieiunijs ad quæ ratione regulæ tenentur aliqui Regulares sub mortali, quando talia ieiunia coincidunt cum diebus, in quibus de iure communi non prohibentur carnes. Respiciendum est enim ad ius proprium singularum Religionum, & ad obseruantiam subsequutam, & iuxtà ipsa ferendum iudicium. Nam si aut ratione iuris scripti, aut ratione obseruantiæ subsequutæ abstinentia à carnibus pro illis diebus obligat per se seorsim, toties peccabunt Religiosi quotiès edent carnes. Secùs autem si obliget, vt inclusa in ieiunio. Obseruantia enim subsequuta nedum declarat ius cap. *Dilectus* De *consuet.* sed etiam constituit nouum ius. *l. Obseruare* §. 5. *ff.* De *offic. pro consul.* & *l. Nulli. ff.* Quod *cuiusq; vniuersit.* Et ideò ratione obseruantiæ, & consuetudinis Fratres Minores totiès pec-

peccare, quotiès edunt carnes in ieiunijs, ex Regula, etiam si de iure communi non sint prohibitæ, tradit Leander à Murtia *in cap. 3. Reg. S. Francisc. quæst. 13. num. 5.* asserens ità docere omnes expositores dictæ Regulæ.

An dies ieiunij debeat esse integer viginti quatuor horarum completarum. Decis. 458.

SVMMARIVM.

1 *Dies ieiunij non necessariò constat 24. horis.*
2 *Annus probationis habetur pro completo, etiam si desint aliquot horæ.*
3 *Quod parum distat à complemento, & perfectione, habetur pro completo, & perfecto.*
4 *Sponsalia valent licèt contracta sint non expleto vltimo die septennij.*
5 *Anniculus dicitur, si incæpit vltimus dies anni.*
5 *Annus quomodo computetur.*

1 AD esse necessarium quod alios ieiunij constet integri viginti quattuor horis resoluendum est iuxtà communem sententiam asserentem posse in inceptione diei 1. ieiunij eligi quodcunq; horologium, & etiam in desitione eiuidem diei, & proinde in inceptione diei possit eligi vltimum horologium, & in desitione primum. Ità ij quos supra citaui *Decis. 444. num. 2.* Et in specie Dicastillus. *De Sacramentis tract. 4 disp. 9. dub. 16. num. 321.* Diana *par. 10. tract. 15. resolut. 29. in fine.*

2 Et præter Doctores citatus, ità tenere debent, qui volunt esse integrum in annu Nouitiatus, etiam si desint aliquot horæ, & validus esse annus probationis, & validam professionem. Ità Rodriquez. *tom. 3. quæst. regul. quæst. 15. art. 4.* qui alios citat. Marchant. *in regul. S. Francisc. ad cap. 2. tit. 2. quæst. 4* & *tom. 3. Tribunalis Sacram. tract. 3. tit. 1. quæst. 6. conclus. 2. ver. An. vero.* Pellicion. *præst. illustr. 45. vers. Adhuc tamen.* Neq; enim minus completus debet esse annus probationis, quàm sit dies ieiunij; si ergò defectus aliquot horarum non officit, nec etiam proportione seruata officiet diei ieiunij defectus alicuius modici temporis: præsertim quia etiam seruato rigore momenti ad momentum potest habere locum talis defectus, vel quia horologia non exactè indicent tempus, & incipiente ieiunio tardius designent mediam noctem, & celeriùs mediam noctem subsequentem, vel quia modò vnum, modò alterum assumatur ad tempus mensurandum.

3 Prætereà. Cùm præcepta humana morali modò accipienda sint, dies quoq; ieiunij debet ità accipi, vt sufficiat æstimationem esse integrum. Quod autèm parum distat à complemento, & perfectione, habetur pro completo, & perfecto, vt notant D. Thom. *in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 7.* Siluester *verbo.* Sponsalia *num. 2.* Tabiena *num. 5.* & communitèr Canonista *in cap. Litteras.* De *desponsat. impuber.* Ergo etiam dies ieiunij erit integer, & perfectus, etiam si in principio, aut in fine modicum tempus detrahatur postponendo, aut anticipando comestionem.

4 Quod etiam confirm. ex communi doctrina de Sponsalibus; vt enim sponsalia valeant requiritur septennium expletum. Cap. *Litteras*, & cap. *Accepit.* De *desponsat. impuber.*, & tamèn vt valeant, sufficit attigisse vltimum diem septimi anni, etiam si non sit expletus, vt communitèr docent Theologi cum D. Thoma *num. præced. cit.* Summistæ *verbo Sponsalia.* Canonistæ *in dist. cap. litteras*, & alij plures apud Sanchez. *lib. 1. de matrim. disp. 16.* Quia nimirum secundum communem æstimationem computatur septennium, & ideò cæpto vltimo die habetur pro completo. Ergò cùm dies quoq; ieiunij eodem modo mensuretur, non obstabit defectus alicuius modici temporis, quin habeatur pro completo.

5 Et ratio horum omnium desumitur ex *l. Anniculus non statim. ff.* De *verbor. significat.* vbi lex decidit, quod natus dicitur anniculus, hoc est habens annum, quando à natiuitate incæpit vltimus dies anni, licèt non sit completus, ibi. *Incipiente planè non exacto die.* Et tex. reddit rationem. Quia annum ciuilitèr, non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus. Ergò quia dies quoq; non numeratur ad momenta temporum, sed ad horas, incipiente vltima hora habebitur pro completo, & nondùm elapsa prima hora habebitur pro incæpto, itaut quæ in illa hora incipiunt censeantur incipere cùm ipso die.

An peccet qui secum dispensat in propria lege ieiunij absque causa. Decis. 459.

SVMMARIVM.

1 *Dispensares secum in propria lege ieiunij absq; causa an peccet.*
2 *Non præiudicat bono communi, si secum dispenset.*
3 *Quid, si absq; causa dispensaret, secum in omnibus ieiunijs.*
4 *Legislatorem posse secum dispensare absque causa in propria lege, rectè stat cùm obligatione legis.*

1 QVOD peccat legislator secum dispensans in propria lege ieiunij absq; causa tradunt Caiet. *1. 2. quæst. 96. art. 5 circa 3. argum.* Suarez. *lib. 6. de legib. cap. 18. num. 1.* Bonac. *disp. 1. de legib. quæst. 2. par. 3. num. 6.* Pontius *lib. 8. de matrim. cap. 14. num. 15.* Palaus *par. 1. oper. moral. tract. 3. disp. 6. num. 8. §. 1. num. 8.* Boss. *tom. 3. moral. tit. 21. §. 3. num. 134.* Qui tamén loquuntur de omnibus legibus in communi. Fundamentum, quia ridicula esset obligatio, qua tenetur suis legibus, si posset ad libitum sine causa secum dispensare.

2 Sed iuxtà dicta in superioribus *Decis. 382. nu. 9.* tenendum est, quod non peccet dispensando secū in ieiunio absq; causa. Quamuis, si ad praxim respiciamus, aderit vt plurimum causa sufficiens pro dispensatione. Ratio autem est. Quia in tantum peccaret, in quantum faceret contrà exigentiam boni communis, quæ facit, quod Princeps debeat seruare proprias leges cooperando in hoc publico bono, & proindè dùm se dispensaret absq; causa,

faceret contrà exigentiam boni communis. Sed hoc non sequitur. Quia quod legislator non seruet ieiunia suæ legis, nullum infert præiudicium bono communi, quia ieiunia non ordinantur ad bonum communitatis, sed ad bonum proprium vniuscuiusq; & non habent pro fine publicam vtilitatem, sed ordinantur ad vltimum finem supernaturalem. Vndè est eadem ratio quo ad hoc de dispensatione cum se ipso ac cùm cæteris. Diuersa verò, quando agitur de dispensatione in lege, quam ab ipso quoq; seruari, exigit bonum publicum, nàm tunc subintrat lex naturalis, quæ obligat ad ipsam seruandam tanquam regulam ad rectam administrationem necessariam.

3 Si tamèn secum dispensaret in omnibus ieiunijs absq; causa; tunc peccaret. Quia cum ieiunia sint ordinata ad satisfaciendum Deo, & pro exercitio talis virtulis: & proindè censeantur necessaria in ordine ad ipsorum finem, subintrat lex naturalis, quę ipsum obligat ad amplectendum medium, quod alijs præscribit, tanquam necessarium ad finem salutis morali quadam necessitate: Et ideò detrectans omnia ieiunia, faceret contrà legem naturalem. Detrectaret autem si in omnibus secum dispensaret sine causa.

4 Nec fundamentum oppositæ sententiæ subsistit. Nàm non fit ridicula obligatio ex eo, quod legislator possit secum sine causa dispensare in propria lege, quando dispensatio non lædit bonum commune: nàm adhuc stat, quod non possit dispensare, quando præiudicaretur bono communi, & quod non possit absolutè relaxare totalem obligationem.

An legislator validè secum dispenset in propria lege ieiunij sine causa.

Decis. 460.

SVMMARIVM.

1 *Legislator an validè secum dispenset sine causa in propria lege ieiunij, & num. sequenti.*
3 *Quid requiratur vt dispensatio sit valida.*
4 *Lex vt directiua pendet à voluntate legislatoris.*
5 *Legislator, quando, & quas leges ex proprijs teneatur seruare.*

1 NON dispensare validè, tradit Suarez *lib. 6. de legib. cap. 19. num. 17.* Cuius fundamentum est. Quia legislator non obligatur proximè suis legibus, atque adeò, nec ex volūtate sua; sicuti obligantur subditi, sed ex vi legis naturalis dictantis debere seruare, quod per legem suam statuit pro tota communitate, quando materia legis est communis, & vniformitatem postulat in capite cum corpore. Dispensatio autem sine causa non aufert obligationem legis naturalis.

2 At validè dispensare, licèt nō interueniat causa, tradunt Caiet. *1. 2. quæst 96. art. 5. circa 3. argum.* Bonacin. *disp. 1. de legib. quæst. 2. par. 3. nu. 6.* Quia cum lex dependeat quoad esse ab eius voluntate, potest validè ad libitum auferri.

3 Tenendum itaq; est, quod quando quis secum dispensat in propria lege, dispensatio sit valida, licèt sit absq; causa. Et proindè erit valida dispensatio sine causa in propria lege ieiunij. Ratio est. Quia vt dispensatio sit valida quoad ipsum legislatorem non debet relaxari obligatio legis naturalis, sed obligatio legis humanæ; nàm obligatio naturalis non subintrat, nisi stante humana. Hæc autèm cùm dependeat à sola voluntate legislatoris tàm in fieri, quā in conseruari, potest validè ad libitum tolli, etiam respectu legislatoris.

4 Dies. Legislatorem non subesse legi, nisi vt regulæ directiuæ: directionem autèm non posse tolli, quia eo ipso, quod lex permanet, habet semper locum directio respectu legislatoris. Contra. Lex est posita tàm quoad vim coactiuam, quàm quoad directiuam à voluntate legislatoris, à qua dependet quoad vtramque, & per dispensationem relaxatur, quoad vtramq;. Ergò etiàm relaxatio vis directiuæ pendet à sola voluntate legislatoris, quoad se ipsum.

5 Ad fundamentum in oppositum. Resp. Legislatorem obligari ad seruandas proprias leges à iure naturali supposita existentia earumdem legum. Vndè si auferatur lex in totum, vel quoad ipsum legislatorem, seù suspendatur etiàm, quoad vim directiuum, consequutiuè cessat obligatio legis naturalis, quia non habet locum, nisi supposita lege humana obligante directiuè, seù supposito, quod Princeps velit subesse directioni propriæ legis. Non tenetur autē semper velle subesse, sed solùm aliquando, quando lex naturalis ob aliquam specialem rationem id exigit, sicut exigit, quod subsit aliquibus ieiunijs, vt proindè sine causa non possit legislatore secum dispensare in omnibus ieiunijs, vt dictum est *decis. præced. num. 3.*

An tempore pestilentiæ possit Episcopus dispensare totam Ciuitatem abstinentia à carnibus.

Decis. 461.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus an tempore pestilentiæ possit dispensare totam Ciuitatem in abstinentia à carnibus, & num. seq.*
2 *Adest causa sufficiens dispensandi.*
3 *Hac dispensatio non est de reseruatis,*
4 *Recursus ad Pontificem pro hac dispensatione non est moraliter possibilis.*
5 *Abstinentia à carnibus in causa dubia est dispensabilis.*
6 *Episcopus potest dispensare in abstinentia à carnibus cum tota Communitate ex quacunque rationabili causa.*
7 *Dispensata tota Communitate non abrogatur lex.*
7 *Dispensatio pro Communitate valet, licet causa non sit sufficiens quoad singulos.*

1 QVOD non possit Episcopus dispensare totam Communitatem tradunt Marthinus *de peste par. 6. cap. 2. num. 6.* Nazar. *tom. 2. opuscul. 3 casu primo*, Diana *par. 10. tract. 14. resol. 3.* Prob. Inferior non potest ex toto abrogare legem superioris, præsertim

fertim quando ad superiorem est facilis accessus, ergò nèc dispensare cum tota Communitate in esu carnium. Secundò. Dispensatio in lege superioris est nulla non existente iusta causa. Causa autèm non potest esse iusta, quoad omnes, cum plures sint assueti cibis quadragesimalibus, & robusti. Tertiò. Dispensatio ieiunij quadragesimalis non spectat de iure speciali, sed de consuetudine ad Episcopos, quæ fuit inducta quoad singulares personas ob periculum in mora. Ergò non se extendet ad dispensandum totam Communitatem.

2 Secunda sententia asserit, posse dispensare. Ità qui doceat, posse dispensare cum Communitate, quoad carnes in communi ex quacunque iusta causa, quos citaui, & sequutus sum, dum hanc difficultatem in communi tractarem. *Decis.* 410. *num.* 1. nempè Palat. *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. *par.* 4. *concluf.* § *Observandum est*; asserens, illo anno, quo scribebat, Lusitanos dispensatos, vt ederent carnes in quadragesima. Sanchez. *lib. consil. moral. cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 4. Laiman. *lib.* 4. *theol. moral. tract* 8. *cap.* 3. *num.* 8. *in fine*, quatenùs docent ex publica causa posse à Prælatis dispensari in ieiunio cum Communitate. Specialitèr autèm ità tenet Homobonus *in consult. vol.* 1. *par.* 2. *resp.* 57. Vener. *lib.* 4 *Examin. Episcop. cap.* 46 *nu* 53. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 3. *num.* 164.

3 Dicendum est igitur cum hac sententia, quod possit Episcopus dispensare in esu carnium totam Communitatem tempore pestilentiæ. Ratio autem est. Quia causa est sufficiens ad dispensandum; siquidèm affecti pestilentia absq; alia dispẽsatione non tenentur abstinere à carnibus. Qui verò non sunt affecti, sunt in propinquo periculo, quod afficiantur, & cum corpora malè disposita faciliùs contrahant contagium, dùm nutricãtur cibis mali nutrimenti, & generantibus cruditates, atquè adeò nociuis in illo præsertim tempore. Et ideò dispensationem ad carnes pro præseruando tantùm, admittunt habere locũ tam ij, qui putant sic dispensatum eo die teneri ad ieiunium, quo non comedit carnes, quàm qui putant non tenere, quos pro vtraq; parte citaui *decis.* 268. Ergò cum causa sit sufficiens, & sit communis toti Ciuitati, poterit Episcopus dispensare. Tùm quià licèt lex ieiunij sit superioris, est tamèn dispensabilis per ipsum: & si est dispensabilis quoad singulares personas, erit etiàm dispensabilis quoad totam Communitatem, quià solùm obstare potest, quod sit lex superioris, quod cùm non obstet quoad particulares, nec etiàm obstabit quoad Communitatem. Tùm quià etiàm adest praxis, vt constat ex eo quod asserit Palat. *num.* 1. *cit.* & Archiepiscopus Panormitan. grassante lue dispensauit, vt testantur acta Panormitana pænes Homobonum citat. *num.* 2. Tùm quià stante consuetudine, quod lex ieiunij, & abstinentiæ à carnibus dispensetur, nedùm ab Episcopo, sed etiã à quolibet superiore immediato, hæc consuetudo declarat, quod non sit lex seruata in ordine ad dispensationem, & quod sit talis naturæ, vt debeat dispensatio in ipsa esse commissa cuicumq; superiori, & ideò erit in facultate Episcopi dispensare etiam Communitatem.

4 Confir. Ideò non posset Episcopus dispensare, quia esset recurrẽdum ad Summum Pontificem. Sed non potest fieri recursus, nisi ad summum ab ijs, qui Romæ admodum vicini sunt; nàm quando recursus requirit aliquot dies, damnum ex recursu esset notabile, nèc posset repræsentari status causæ, in qua deberet fundari dispensatio, siquidèm intrà paucos dies potest morbus notabilitèr variari: & si anticipetur recursus, in quo erit Ciuitas, quando erit dispensandum. Ergò cùm non possit ferri certum iudicium de causa dispensationis pro tempore, pro quo petitur, erit remittenda facultas dispensandi Episcopo. Ergò censenda est iam concessa tamquam ea, quæ non potest poni prudentèr in exequutione à Pontifice.

5 Dices. Causam dispensationis non esse certam, sed dubiam, & ideò non posse Episcopum dispensare. Contrà. Lex ieiunij est dispensabilis nedum ab Episcopo, sed etiam cæteris superioribus minoribus in causa dubia quoad particulares. Ergò etiam quoad Communitatem, cùm eodem modo tam quo ad ipsos, quam quoad Communitatem sit dispensabilis. Deindè non est causa dubia, cùm minor causa sufficiat, vt constat ex praxi.

6 Ex his colligitur cùm Bossio *tom.* 3 *moral. tit.* 21. *num.* 166. posse Episcopum dispensare cùm tota aliqua Communitate etiam ex alia iusta causa, vt esset fames, obsidio Ciuitatis, quando ad esset penuria ciborum concessorum in ieiunijs, aut aliqua aliænàm hæ causæ reddunt præceptum nimis graue, atq; adeò dispensabile.

7 Ad 1. neg. conseq. Quia dispensare non est abrogare, quia abrogare dicit totalem ablationem legis, quod non fit, quando dispensatur certa aliqua communitas pro certo tempore, nec recursus est facilis, vt constat ex dictis *num.* 4. Ad. 2. neg. causam non esse iustam quoad omnes, cùm omnes sint expositi periculo infectionis. Deindè, vt dispensatio pro communitate valeat, sufficit, quod causa sit iusta quoad Communitatem, licèt non sit talis quoad singulos, quia sicut lex non considerat quæ in singulis occurrunt, sed quæ in plurimis, ità etiam dispensatio communis. Ad 3. Consuetudinem declarare, quòd lex ieiunij sit absolutè dispensabilis ab inferiori, atq; adeò etiàm quoad Communitatem, vt constat ex dictis *num.* 3.

An dispensatus ad carnes pro Quadragesima possit illis vesci in quatuor temporibus Quadragesimæ.

Decis. 462.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatus ad carnes in Quadragesima, an possit vti in quatuor temporibus, & num. seq.*

3 *Ratio extendit dispositionem, & dispensationem, prout ipsa inest.*

4 *Dispensatio ad carnes in Quadragesima non se extendit ad quatuor tempora.*

5 *Dispensatio vndè accipiat mensuram.*

6 *Dispensatus ad carnes in Quadragesima, an possit vesci in Vigilia S. Matthiæ tunc occurrente.*

7 *Dispensatus ad carnes pro feria sexta, & Sabbatho potest vesci etiam in quatuor temporibus.*

1 Affir-

1 AFfirmatiuam sentētiam tenet Diana *par.* 10. *tract.* 13. *resol.* 43. vers. *sed hæc*. Primò, quia Medicus cōcedēs carnes in Quadragesima scit occurrere quatuor tempora, & nō excipit illos dies. Secundò, quia causa dispensationis militat etiam in illis diebus. Tertiò, quia ieiunium quadragesimæ est strictiùs, quàm ieiunium quatuor temporum. Ergò si in illo conceduntur carnes, etiàm in isto. Quartò, quia plures fideles comedunt vigore dictæ licentiæ, nec confessarij inijciunt scrupulum.

2 Oppositum tenet Bauius in Miscellan. *tom.* 2. *opus.* 3. *quæst.* 305. Ratio ipsius est; quia ex vi dictæ licentiæ nemò auderet infrà annum in temporibus edere carnes. Ergò nèc in temporibus quadragesimæ cum sint eiusdem rationis. Verùm hæc ratio nihil concludit, quià dispensatio non est facta pro aliquo die extrà Quadragesimam. Vndè parùm refert, quod sint eiusdem rationis, aut diuersæ, cum difficultas dependeat, an dispensatio eos dies complectatur.

3 Itaq; neq; absolutè affirmandū, neq; absolutè negandum existimo. Sed licentiā esse interpretandam iuxtà mensuram indigentiæ; cùm enim finis dispensationis sit subuenire indigentiæ, debet tantùm extendi, quantùm extenditur indigentia. Ratio enim facit, quod dispositio, atq; adeò dispensatio extendat suos terminos, & restringat iuxta id, quod ipsa insit, vel non insit. *l. De quibus, ff.* De *legib.* & *l. His solis. ver. Satis etiàm cautè*. C. De *reuocan. donat.* Et ideò si indigentia carnis erit pro singulis diebus, se extendet dispensatio etiàm ad dies temporum: secùs autèm si posset dispensatus vno, aut altero die abstinere à carnibus absquè notabili incommodo, quod innotescere potest diuersimodè, vel ab experientia, vel ex qualitate complectionis, vel ex radice, vndè nascitur indigentia carnium, vel aliquo alio modo.

4 Confir. In illis diebus ex duplici præcepto prohibentur carnes, nempè ratione temporis quadragesimalis, & ratione ieiunij indicti pro illis diebus. Ergò dispensatio ad carnes intuitu temporis Quadragesimalis non se extendit ad illos dies; tùm quia dispensatio est stricti iuris, & proindè non potest extendi vltra obligationem, quæ affertur à tempore quadragesimali. Tùm quia relaxatio vnius vinculi non est relaxatio alterius, nisi exprimatur. Tùm quia potest adesse specialis causa dispensandi pro quadragesima, & non pro quatuor temporibus, quia nimirum abstinentia à carnibus pro tot diebus esset valde nociua, non autem pro solis diebus quatuor temporum.

5 Ad 1. Non opus esse quod illi dies excipiantur à Medico, quia remanent excepti ex speciali præcepto, nisi ratio dispensationis ad ipsos quoq; se extendat. Ad 2. Non sufficere, quod causa dispensationis perseueret in illis diebus, sed oportet vt sit talis, vt ponat exigentiam etiam pro illis diebus. Ad 3. parum referre, quod ieiunium Quadragesimæ sit strictius, quia dispensatio non mensuratur secundum obligationem magis, vel minus strictum, sed secundum indigentiam. Quia autem ieiunium Quadragesimæ extenditur ad plures dies, & facit, quod abstinentia à carnibus, vtpotè diuturnior, sit magis damnosa, ideò est facilius relaxabile. Ad 4. Ideò comedentibus non enijci scrupulum, quia supponitur indigentia etiam pro illis diebus, regulariter tamèn vidi dispensatas ad carnes ijs diebus abstinere, nisi habeant specialem causam edendi.

6 Ex his colligitur. Dispensatos ad carnes, quando per vnum, aut alterum diem possunt abstinere, non posse edere in Vigilia S. Matthiæ Apostoli, quando occurrit in Quadragesima, licèt oppositum sentiat Diana citat. suprà *num.* 1. Ratiò clara est, quia dùm potest absq; graui incommodo abstinere, causa finalis dispensationis non habet locum contrà illud speciale præceptum, & idem dicendum, si ex lege municipali occurreret aliud ieiunium.

7 Colligitur 2. cum eodem Diana citato. Dispensatum ad carnes continuo comedendas in feria sextà, & Sabbatho, posse edere etiam in quatuor temporibus. Quia talis dispensatio supponit talem indigentiam, vt dispensatus non possit abstinere pro vno, aut altero die, & ideò causa dispensationis militat etiam in diebus temporum. Imò etiam in temporibus Quadragesimæ, & feria sexta, ac Sabbatho eiusdem temporis posset edere, nàm adhuc militet ratio finalis dispensationis.

An dispensatus ad carnes possit eas comedere quoties libuerit. *Decis.* 463.

SVMMARIVM.

1 *Medici debent esse cauti in concedendis carnibus.*
2 *Peccant grauitèr concedendo vltra necessitatem.*
2 *Edens carnes vltra concessionem peccat.*
3 *Si alicui concedantur carnes, an possit vti quoties libuerit.*
3 *Cessante causa finali cessat dispensatio.*
4 *Aliud causa finalis concedendi carnes, & aliud necessitas edendi.*
5 *Causa finalis concedendi carnes pro prandio, valet etiam pro cœna.*
6 *Durante causa finali potest multiplicari comestio carnium ad libitum.*
7 *Ex cessatione necessitatis edendi carnes in maiori quantitate, aut plures, non infertur cessatio causæ finalis, ob quam conceduntur.*

1 EADEM est ratio de dispensatione, ac de licentia Medici, quia cùm per talem licentiam declaretur, adesse necessitatem edendi carnes, æquiualet dispensationi. Est autem certum, quod Medici debent cautè procedere in concedendis carnibus, vt notatum Palat. *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. *circa fin.* Tolet: *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. Medina C. *de ieiunio quæst. De ijs, qui ad Ecclef. ieiun. tenent.* Tobiena *verbo.* Ieiunium. *num.* 22 Syluester *quæst.* 7 Io: Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 51. *num.* 16. Qui alios citat Roccaful. *in praxi. tract.* 6. *de precep Eccles. lib.* 3 *cap.* 11. *num.* 211 & communitèr. Et ratio clara est, quia non habent facultatem auferendi obligationem legis, sed solùm declarandi, quod lex hic, & nunc non obliget; & proindè considerare debent, an interueniat iusta, & sufficiens causa pro soluenda obligatione legis, quæ solum

lum esse potest considerabile nocumentum superuenturum ex abstinentia à carnibus. Quo secluso peccant grauiter concedendo talem licentiam, & excusantur carnes edentes, quia bona fide edunt. Imò debent mensurare licentiam cùm exigentia necessitatis, nàm adhùc grauitèr peccabunt, si concedant carnes vltrà talem exigentiam; Vndè si in Quadragesima sufficerent carnes pro tribus, vel quatuor diebus in hebdomada, peccarent concedendo singulis diebus, vt docent Medina *citat.* Beia. *par.* 1. *Decis. casu* 45. Io. Sanchez *num.* 14. *citat. disput.* Et eadem est ratio de dispensatione, nàm non debet extendi vltrà necessitatem, quando fit ab inferiori.

2 Ex quo fit, quod si Medicus comedat carnes solùm pro prandio, aut fiat dispensatio solum pro prandio, peccabit mortalitèr, qui vtetur etiam in cæna, vt notant Medina *C. de ieiun. quæst. de ijs qui ad Eccles. ieiun. denen.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp.* 51. *num.* 15. Roccaful *in Praxi. tract. 6. de præcep. Eccles. lib. 3. cap. 11. num.* 210. Et ratio clara est, quia præceptum tanquam negatiuum prohibet comestionem carnium pro omni tempore: Vndè si cessat prohibitio ob dispensationem, vel declarationem, & vltrà talem dispensationem, aut licentiam extendatur comestio, erit contrà præceptum, vt potest extrà limites licentiæ, seù dispensationis. Solùm difficultas est. An, si fiat dispensatio, aut detur licentia edendi carnes pro aliquibus diebus absq; alia restrictione, possint edi illis diebus quoties libuerit.

3 Et quidem conueniunt communitèr, quod si carnes concedantur ob infirmitatem, vel debilitatem, poterit continuo ijs vti. Si verò concedantur sano ad præcauendum, quia scilicèt pisces noceant, non posse adhiberi, nisi quantum exigit necessitas, & proindè, si sufficit adhiberi in prandio, non posse adhiberi in cœna. Ità Martin. à S. Ioseph. *tom.* 1. *moral. lib.* 2 *tract.* 5. *de ieiunio. num.* 6. Prob. Quia dispensatio facta ab inferiori, aut licentia, non se extendit vltra necessitatem. Secundò cessante causa finali cessat etiam concessio Cap. *Suggestum.* De *decimis*, & Cap. *cum cessante.* De appellat. & *l. Generalitèr.* C. De *Episcop. & Cler.* Cessante autem necessitate, cessat causa finalis, & resurgit præceptum.

4 Verùm licèt hæc vera sint, non videntur tamèn rectè applicari. Quia aliud est causa finalis concedendi carnes, & aliud necessitas edendi; nam causa finalis est illa quæ mouet ad concedendum: Necessitas autem oritur ex exigentia nutritionis, & proindè fieri potest, quod durante causa finali, cesset necessitas, vt si quis simplicitèr indigeat carnibus, sed possit substentari per vnicam comestionem, non solùm carnis, sed etiam aliorum ciborum, tunc enim necessitas non solùm non exigit plures comestiones carnis, sed neq; etiam aliorum ciborum, & tamen potest durare causa finalis edendi carnes.

5 Itaq; tenendum est, quod possit edere quoties libuerit in eodem die, & si edat vltra mensuram, peccaturum contrà temperantiam. Ratio est. Quia causa finalis concedendi carnes, siuè sit præsens indispositio, siuè ad præcauendam indispositionem, quia scilicèt noceant pisces, aut ex aliquo alio capite, durat pro tota die. Ergò cum sit sufficiens ad concedendas carnes, vt supponitur, sit est sufficiens pro prandio, erit enim sufficiens pro cæna.

6 Ad 1 dispensationem factam ab inferiori non extendi quidem vltrà causam finalem, itaut non valeat, quando habet tractum successiuum, nisi durante causa finali: Posse tamèn extendi vltrà necessitatem, quia non mensuratur iuxtà necessitatem, sed ex motiuo causæ finalis tollit obligationem legis, quam cùm tollat absolutè quamdiù durat finalis causa, remanet in libertate illius cui carnes conceduntur quantitas, & multiplicatio comestionum, alioquin dispensatus pro prandio, si indigeret vnica libra, quæ esset sufficiens, peccaret, si ederet vnàm cùm dimidia: aut dispensatus ob præsentem infirmitatem absolutè peccaret edens maiorem quantitatem, quòd sibi necessaria esset, etiam contrà præceptum edendi carnes.

7 Ad 2. Non rectè argui à cessatione necessitatis ad cessationem causæ finalis in comestione carnis, si loquamur de necessitate, quæ respiciat quantitatem carnis, & ad multiplicationem comestionis. Nàm causa finalis exigit concessionem carnis habita ratione qualitatis vbi, vndè quantitas carnis, & multiplex comestio illius non est secundum mensuram causæ finalis, quæ solùm exigit talem cibum quoad qualitatem, sed secundum mensuram indigentiæ alimenti, atq; adeò mensuranda est iuxtà terminos temperantiæ Imò cùm causa finalis, quæ manè consideratur, duret etiam vesperem, durabit etiam concessio carnium?

An cessante causa cesset dispensatio in ieiunio. Decis. 464.

SVMMARIVM.

1 *Cessante causa an cesset dispensatio in ieiunio, & num seq.*
3 *Cessante causa finali cessat effectus.*
3 *Causa regulat intentionem dispensantis.*
4 *Causa est forma dans rationabilitatem dispensationi, & ideò corruit sine ipsa.*
5 *Dispensatio habens tractum successiuum successiue tollit obligationem legis iuxtà mensuram causæ.*
6 *Datur cum ordine ad durationem causæ.*
6 *Dispensans, vt sit fidelis, non debet extendere dispensationem vltra durationem causæ.*
6 *Obligatio voti tota simul soluitur.*

1 PRIMA sententia asserit non cessare: Io. Sanchez *lib* 5. *consili moral cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 15. qui tamèn addit, quòd tunc vt dispensatione esset peccatum veniale, quia pars non concurreret toti. Bossius *tom.* 3. *moral. tit.* 21. §. 3 *num.* 131. qui citat Salas. *disp.* 20 *de legib. Sect.* 6. *num.* 65. & 6. qui tamèn ibi solùm refert hanc sententiam non autem approbat. Prob. Stante iusta causa dispensatio absoluta extinguit obligationem legis. Obligatio autèm semel extincta non amplius reuiuiscit, nisi ab aliqua causa sufficienti inducatur. Quod valet etiam si dispensatio habeat tractum successiuum, nàm adhùc extinguit obligationem legis. Confir. Dispensatio datur tota simul, cùm oppositum non constet ex verbis dispensationis. Ergo pro toto tractu successiuo extinguit

obligationem legis. Confirm. 2. Vt dispensans sit fidelis, sufficit, si tempore dispensationis existat, sufficiens causa. Confir. 3. sequeretur quòd idem esset dicendum in dispensatione in voto castitatis ob periculum incontinentiæ, nàm cessaret cessante hac causa. Confirm. 4 sequeretur quod vsus dispensationis esset validè obnoxius scrupulis.

2 Secunda sententia, cessare dispensationem in ieiunio cessante causa, sicut etiam cessante causa cessat omnis dispensatio, quæ habet tractum successiuum. Ità idem Sanchez *lib.* 8. *de matr. disp.* 30. *num.* 14. Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 30. *num.* 7. & 12. Laiman. *lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 15. Pontius *lib.* 8. *de matrim. cap.* 20. *num.* 4. Palaus *par.* 1. *oper. moral. tract.* 3. *disp.* 4. *pun.* 15. *num.* 4. Bonac. *disp.* 1. *de legib. quæst.* 2. *par.* 10. §. 3 *num.* 6, & communitèr, & miror, quòd Bossius, qui se scrupulosum ostendit in quibusdam minoris momenti concernentibus ieiunium, concedat exemptionem à ieiunio dispensatis ex causa cessante ipsa causa; atq; adeò quod sinè causa non subijciantur præcepto.

3 Tenendum itaq; est, quod cessante causa finali dispensationis, cesset quoq; dispensatio, atq; adeo dispensatus teneatur ieiunare. Hoc autem conuincitur ex generali regula, quòd cessante causa finali, cessat effectus, desumpta, & *l. si Pater. ff.* De *hæred. instit.* & *l. Adigere. §. Quamuis ff.* De *Iure patron.* & cap. *Magnæ in fine* De *voto*, & Cap. *cum cessante.* De *appellat.* Et explicat Tiraquell. tract. *Cessante causa.* Quæ ità accipitur, vt quando causa refertur ad fieri, ea cessante, cesset etiam effectus: quando verò refertur ad esse, cesset effectus quòad esse, quamuis sit factus, quia tunc dependet à causa in conseruatione, vt cum Bal. *in l. Ad comparandas num.* 4. *C. mandati* Rip. *in l. p. num.* 3. *in fine ff.* De *legib.* 1. tradit Mantica *decis.* 131. *num.* 5. Causa autem dispensandi in ieiunio est causa quoad esse; nàm cùm dispensatio concedatur intuitu causæ, quæ trahit voluntatem superioris ad concedendum, & dispensatio habeat tractum successiuum, vt proindè extendatur ad plura præcepta successiuè occurrentia, non potest vlteriùs trahi voluntas concedentis, quàm extendatur causa, cum solùm intuitu ipsius concedat, & ideò dispensatio erit secundum mensuram causæ, nec extendetur vltrà extensionem causæ, tanquam illius, quæ regulat intentionem, vt tradunt Abb. *consil.* 3. *vers. Ad* 23. *quæstionem. lib.* 2. Roman. *consil.* 503. *num.* 7. Angel. *consil.* 248. *num.* 3. Bald. *cons.* 312. *num.* 2. *lib* 2. Butr. *consil.* 51 *num.* 5.

4 Confirm. Causa finalis dispensationis est ratio ipsa, qua dispensatio fit rationabilis, & sub qua est volita à dispensante, & proindè est anima, & forma ipsius non secùs ac ratio, & causa finalis est anima legis. Ergò cessante causa, & ratione, cessabit etiam dispensatio, non secùs ac ad cessationem rationis cessat lex *l. In omni. ff.* De *adopt.* & *l. Adigere. §. Quamuis ff.* De *iurepatr.* & Cap. *Et si Christus.* De *iureiur.* Præsertim quia cum sit forma dispensationis quæ fit rationabilis, & sub qua est volita, itaut intentio dispensantis feratur in dispensationem taxatiuè, quatenùs rationabilem, non potest subsistere deficiente forma, nec vlteriùs extendi defectu intentionis dispensantis.

5 Ad argumentum oppositæ sententiæ respon. Dispensationem relaxare obligationem legis iuxtà suam efficaciam, & proportionem, quam habet ad obligationem vndè quandò obligatio consistit in indiuisibili eam extinguit totam simul. Quando verò habet tractum successiuum, itaùt contineat plura præcepta sibi inuicèm succedentia, vt est obligatio ieiunandi, dispensatio quoq; debet habere tractum successiuum proportionatum tractui successiuo præceptorum; Vndè si dispensatio minùs se extendat quàm successiuo præceptorum solum extinguet obligationem ipsorum quousq; se extendet. Non se extendit autem vltra durationem causę, quia eo ipso quod fit ex causa, dispensans intendit extẽdere iuxtà mensuram causæ, quia solùm dispensat motus à causa. Qua cessante, dum superueniunt præcepta, quia non reperiunt ipsam subsistentem imponunt suam obligationem ex voluntate legislatoris, nec extinguitur à dispensatione, cùm ad ipsa non se extendat, vt dictum est. Vndè talis coarctatio dispensationis oritur ex natura ipsius.

6 Ad 1. confir. Dispensationem dari quidem totam simul, sed sicut datur cùm tractu successiuo, & intuitu causæ, ità etiam datur cum ordine ad durationem causæ vltrà quàm non extenditur. Ad 2. confir. Vt dispensator sit fidelis, sicùt requiritur, vt non dispenset sine causa: ità etiam vt non extendat dispensationem vltra causæ durationem, alioquin pro aliquo tempore vellet dispensationem sine causa. Ad 3. neg. sequelam, nàm obligatio voti est vnica tantum, quæ tota simul soluitur, quia consistit in relaxationem promissionis. At in ieiunio tot sunt obligationes sibi inuicem succedentes, quot sunt præcepta, & ideò etiam dispensatio debet esse multiplex, saltem virtualitèr, & se extendere ad tempus, in quo occurrunt præcepta. Ad 4. neg. sequelam, Quia non possunt adesse maiores scrupuli in cognoscenda causa pro obtinenda dispensatione, quàm sit incognoscendo, an cessauerit.

An dubius negatiuè, an sit ieiunus, possit sumere Eucharistiam.
Decis. 465.

SVMMARIVM.

1 *Dubium negatiuum de ieiunio an impediat accessum ad Eucharistiam, & num seq.*

3 *Præceptum. De Eucharistia non sumenda à non ieiunis quos afficiat.*

4 *Ieiunium non est dispositio, sed conditio pro sumenda Eucharistia.*

5 *Status gratiæ est dispositio fundamentalis pro Eucharistia.*

1 PRima sententia tenet stante dubio negatiuo non posse sumi Eucharistiam. Ità cum Suarez, Villalob., Salas, Bonacina, Palao, Francis. Lugo de conscient. *cap.* 2. *quæst.* 30. *num.* 176. & *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 7. *quæst.* 5. *num.* 45. Facundez *præcep.* 3. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 18. Fundamentum est. Quia ieiunium naturale requiritur, vt

vt dispositio necessaria sicut requiritur cōfessio peccati mortalis. Ergò debet dispositio ieiunij esse certa. Ergò stante dubio non poterit sumi Eucharistia, sicut non potest sumi stante dubio de confessione peccati mortalis, aut de eius commissione.

2 Secunda sententia asserit, adhuc posse sumi. Ità Laiman. *lib. 1. Theol. moral. tract. 1. cap. 5. §. 4. num. 36.* Io. Sanchez *in select. de Sacram. disp. 42. per totam.* Diana *par. 3. tract. 4. resol. 29.* Martinon. *disp. 35. de Euchar. sect. 5. num. 65.*

3 Et hæc sententia mihi certa videtur. Quia stante dubio negatiuo non adest motiuum iudicandi potiùs pro vna parte, quàm pro alia, & proindè neq; quod sumptio Eucharistiæ sit contrà præceptum. Ergò non potest dici, quod ratione præcepti de ieiunio prohibentur accedere. Prohibitio enim afficit tantùm non ieiunos: Vndè nisi constet, quod aliquis non sit ieiunus, non subditur prohibitioni, quia non constat, quod sit ille, de quo lex loquitur.

4 Ad fundamentum in oppositum. Resp. non esse eandem rationem de ieiunio, ac de confessione peccati mortalis, nàm ieiunium non est dispositio, sed conditio, nec requiritur ex natura Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ, & ideò sufficit, quod non constet fuisse violatum, quia hoc sufficit, vt non adsit impedimentum præcepti. At confessio peccati mortalis, seù status gratiæ requiritur, vt dispositio fundamentalis necessaria ex natura Sacramenti, quia vt Sacramentum nutriat spirituali modo, requiritur, vt fundamentum vitam spiritualem, quæ consistit in gratia, vt subiectum sit capax cibi nutritiui spirituali modo: & ideò debet positiuè constare de vita spirituali, atq; adeò de remissione peccati mortalis; & ideò, qui habet conscientiam peccati mortalis, debet se ipsum probare, vt habet Apostolus.

An si quis expergefactus noctu bibat, & statim dormiat, possit manè sumere Eucharistiam. Decis. 466.

SVMMARIVM.

1 *Noctu expergefactus, & bibens nil cogitans de tempore, & statim dormiens an possit die sequenti sumere Eucharistiam.*
2 *Non potest fundare prudentem præsumptionem, quod non biberit post mediam noctem.*
3 *Remanet dubius mere negatiuè.*
4 *Vt sumat Eucharistiam, an necessaria præsumptio.*
5 *Orto dubio de iusta possessione quando adhibendum diligens examen.*

1 Difficultas oritur ex eo, quod dum bibit, nihil cogitauit de tempore, & proindè non potest examinare, an fuerit elapsa, vel non, media nox, quando bibit: Vndè potest esse, quod longè ante mediam noctem, & etiam longè post mediam noctem biberit. Bard. *de conscient. dub. discept. 6. cap. 11. par. 3. §. 2. num. 15. & sequent.* putat, non posse sumere Eucharistiam.

2 Fundamentum est, quia non potest formare in sui fauorem prudentem præsumptionem, quod biberit ante mediam noctem. Cùm enim ei ignotum sit non solùm punctum temporis, in quo bibit, sed etiàm cætera omnia, ex quorum examine potest formare prudens iudicium de momento temporis, in quo bibit, temerè præsumet in sui fauorem, & cum hac temeritate sumens Eucharistiam, se exponat periculo peccandi. Confir. Orto dubio de iure sumendi Eucharistiam, an sit expeditum, an verò impeditum, si omittatur diligens examen præsumptio erit imprudens, & temeraria; sicut si possidens incipiat dubitare, an res sit aliena, & consumat non adhibito diligenti examine, peccabit, quia se periculo exponit.

3 Obstat tamèn huic responsioni. Quòd licèt non possit formari prudens præceptio, quod non biberit post mediā noctem; nec etiàm formari potest, quod biberit, & proindè sumus in dubio merè negatiuo, itaut non adsit motiuum iudicandi pro vna, & alia parte. Ergò impedimentum, quod posset impedire ius ad communionem, cum sit tantùm, bibisse post mediam noctem, remanet sub dubio merè negatiuo: & proindè subintrat ratio fundamentalis, ob quam Doctores citati *Decis. 446. num. 3.* & ipse quoque Bardus tenent, quod certus, se comedisse, sed dubitans an ante, an verò post mediam noctem, potest sumere Eucharistiam, nàm ius sumēdi est certum impedimentum autèm contra hoc ius est omninò incertum, cum stet sub dubio merè negatiuo.

4 Neq; fundamentum Bardi est firmum. Nàm resp. Quod, vt possit accedere ad communionem, nō est necessarium, quod formet præsumptionem in sui fauorem; tùm quia si formaret, non esset ampliùs in dubio, sed probabilitèr iudicaret. Tùm quia non debet accedere in virtute præsumptionis, sed in virtute iuris certi, quod habet ad Eucharistiam, cui non potest opponi impedimentū merè dubium negatiuè.

5 Ad confir. Conceditur præsumptionem futuram imprudentem, & temerariam, si formaretur absquè diligenti examine, quando præmitti posset examen; imò etiàm quando non posset præmitti, vt in casu præsenti, defectu notitiæ eorum, ex quorum ponderatione formari posset præsumptio. Verùm, vt dictum est, non est accedendum ad communionē in virtute alicuius præsumptionis, sed in virtute iuris certi. Ad exemplum de dubio orto super possessione, esse quidem adhibendum diligens examen, si adsint motiua adhibendi. Si verò defectu motiuorum non possit adhiberi, quamuis non possit formari prudens præsumptio de iusta possessione, retineri poterit res possessa, quia ipsa possessio dat iustum, & certum titulum possidendi.

An si quis sumat purificationem, antequam transmittat Eucharistiam, & prius deglutiat aliquam stillam peccet. Decis. 467.

SVMMARIVM.

1 *Si casu prius descendat aliquid de ablutione, quàm Eucharistia, non est peccatum.*

2 *Neq; si bona fide priùs transmittatur ad stomachum.*
3 *Secus si mala fide, & voluntarie.*
4 *Sumptio completa Eucharistiæ debet præcedere omnem cibum, & potum.*

1 QVIA cõtingere potest, quod sumens Eucharistiam, antequam illam ad stomachum transmittat, sumat purificationem, seù ablutionem, dubitatur, an peccet si priùs transmittat aliquam stillam aquæ, aut vini. Certùm est autèm, quod si casu descenderet priùs aliquid de ablutione, aut quia Eucharistia adhæreret palato, aut alio modo excusaretur à peccato, quia iàm quantum est de se, primum locum dedit Eucharistiæ, & per accidens est, & prætèr intentionem, quod priùs descendat aliquid de ablutione; vndè cùm hoc non sit voluntarium, nec etiàm erit peccaminosum.

2 Rursùs etiàm certum est, excusari à peccato, vt notant Doctores *num. sequenti* citandi; si priùs deglutiret ablutionem ex ignorantia, & bona fide, quia scilicèt vellet diutius retinere Eucharistiam in ore, putans tali pacto maiorem gratiam causare, aut quia vellet pluribus actibus, & diuturnioribus se præparare: adhùc enim cessat voluntarium circa violationem præcepti, dùm putatur licitùm, quod fit, atquè adeò cessat etiam peccatum.

3 Solùm difficultas est, an absolutè, & extra hos casus sit peccatum. Io. Sanchez. *in select. de sacram. disp.* 42. *num.* 22. Thom. Hurtad. *par.* 2. *resol. moral. tract.* 11. *cap.* 6. *nu.* 213. tenent, esse peccatum mortale, si voluntariè prius ablutio deglutiatur, quia nõ est ieiunus, quando Eucharistiam traijcit, & proindè violat præceptum.

4 Huic tamèn responsioni obstare videtur, quia prohibitio est solùm, quod, nullus post cibum, potumq; quamlibet minimum sumptum Missas facere præsumat, vt in Concil. Tolet. 7. *can.* 2. relato *in cap. Nihil.* 7. *Quæst.* 1., & idem habent cætera Concilia, præsertim Constantien. *sess.* 13. Ergò cùm prohibeatur celebratio, & sumptio Eucharistiæ *post aliquem* cibum, aut potum sumptum, si priùs sumatur Eucharistia, & posteà ablutio, non erit contra prohibitionem deglutire postcà priùs ablutionem, & posteà Eucharistiam. Resp. quod adhùc sumeretur Eucharistia post potum sumptum, quia sumptio Eucharistiæ non perficeretur, sed impediretur, dùm in ore retinetur, & ideò non traijceretur in stomachum ieiunum, nèc esset primus cibus. Quando enìm prohibetur sumptio Eucharistiæ post cibum, aut potum, intelligitur de sumptione perfecta, quæ consistit in manducatione; manducatio autèm non perficitur, nisi descendat in stomachum.

LECTORI.

HÆC *omnia, quæ hucusque scripsi S. Rom.* Ecclesiæ *censuræ omnino subijcio; imò etiam tuo benigne Lector, iudicio. Et si quid minùs rectè dictum mihi ostenderis, libentissime audiam. Neque enim sententiæ meæ ita adhæreo, vt non sim veritatem amplexurus, à quocunque proponatur; cum mihi, & omnibus præiuerit summus Ecclesiæ* Doctor *August. instituens* Retractatorios *libros eorum, quæ antea scripserat. Tuam tamen benignitatem imploro, vt si quid, quod minus placeat, repereris, quid dixerim, ponderes, ne, dum nimis carptim percurris, quod non dixi, me dixisse, tibi persuadeas. Et vt Augustini verbis vtar.* Qui hæc legens dicit. *Intelligo* quidem, quid dictum sit, sed non verè dictum est, asserat, si placet, *sententiam* suam, & redarguat meam, si potest. Quod si cum charitate, & veritate fecerit, mihique etiam, si in hac vita maneo, cognoscendum facere curauerit, vberrimum fructum huius laboris mei cœpero.

Lib. 1. de Trinit. ca. 3.

Hoc ideo moneo, ne mihi rursus contingat, quod nuper contigisse video, nam à doctissimo viro, cuius nomen taceo, ea tamquam a me dicta impugnantur, quæ nunquam somniaui. De meis namque Decisionibus moralibus loquens, ait. In suo opere Decis. moral. Decis. 160. à num. 12. constantèr affirmat, per testes quotcunque, vel qualescunque singulares nunquam posse Inquisitores, ad inquirendum procedere. *Et infra subdit, Me hoc audacter docere.*

Quod autem talem doctrinam non tradam, manifestum fiet totam illam Decisionem consideranti. Nam in loco ab ipso citato, solum doceo, quod testes singulares, qui non inducunt iudicem ad credendum, eum, contra quem deponunt, esse hæreticum, atque adeo non generant grauem suspicionem, non sufficiunt ad procedendum cum strepitu fori. Verba formalis illius loci hæc sunt. De inquisitione verò, si testes sint omninò singulares, vt sistant in illo casu, aut propositione hæreticali, de qua deponunt, nec inducant (*nota restrictionem propositionis*) ad credendum, quod is, contra quem deponunt, sit hæreticus infectus diuersis hæresibus, & inquisitio fieri debeat cum strepitu fori contra aliquem bonæ famæ, existimarem idem dicendum esse, nempè nam sufficere ad inquirendum huiusmodi testes singulares.

Vsus sum verbo Existimarem. *Vide Lector, & iudica, an Constanter, & Audacter processerim; quid enim hic modus loquendi significat, quam animum adhuc dubitantem? Restrinxi propositionem ad testes singulares, qui non inducunt iudicem ad credendum, &c. atque adeo non generant grauem suspicionem; & ipse ait, quod loquutus sim de quotcunque, & qualibuscunque testibus singularibus. Et quod omnem prorsus ambiguitatem tollere poterat in* Decis. proximè sequenti, quæ est 161. à num. 7. *doceo, quod testes singulares sufficiunt, vt etiam possit quis condemnari tanquam hæreticus.*

Et hic sensus planus etiam fit ex ratione, quam adduco. Hoc enim fundo in communi doctrina, quam a nemine negari ipse

quoque

quoque fatetur. Quod ad inquirendum de hæresi contra virum bonæ famæ, non sufficiat leuis suspicio, pro qua illo loco citato Pegnam, Simancam, Farinac. & Sousam. Atque ex hac propositione, & doctrina vniuersali deduco particularem, quod neque sufficiant testes singulares, qui non inducunt ad credendum, nam tunc aut nullam, aut solum leuem suspicionem generant. Quare si non licet probare particularem propositionem ex vniuersali, & si propositio particularis non est vera, quando vera est sua vniuersalis, in qua continetur, fateor mihi iure obijci, quod malè, & extra rem prædictam doctrinam adduxerim. Sed tunc funditus euertendæ erunt regulæ syllogisticæ, Quod autem Testes singulares possint causare solum leuem suspicionem, aut nullam, satis ex eo constat, quod possunt esse talis qualitatis, vt exiguam, aut nullam fidem mereantur, aut singulares singularitate obstatiua.

Sed pergit idem Doctor, & quærit à me. Quid agendum esset, si contra aliquem plures fide dignissimi, ac omni exceptione maiores de varijs hæresibus testimonium dicerent? Subticendum ne esset? dissimulandum omninò? Et meo nomine respondens applicat huic quæsito, quod in alio casu longe diuerso dico, vt ostenderet, me docuisse, quod non docui, cum potuerit ex Decis. 161. immediate sequenti, veram habere responsionem; quam non potest dissimulare, se non vidisse, siquidem eam citat, licet erret in num. ponens 168. In ea namque Decisione quæro. An possit puniri, vt hæreticis ille, contra quem testes singulares deponunt, diuersos actus, & species hæresis. Vnde titulus ipse grandioribus litteris prouocabat, vt ibi præfatæ quæstionis resolutionem quæreret, & non vbi de ipsa non tracto. In ea autem Decis. num. 1. recito opinionem cum suis Auctoribus, quod non possit puniri; num. 5. refero sententiam cum suis Doctoribus, quod possit puniri; num. 6. propono fundamentum huius sententiæ num. 7. hanc sententiam approbo, & num. sequentib. late, & expresse declaro, quomodo huiusmodi testes sufficiant pro condemnatione. Et nihilominus dicit, me respondere, quod in tali casu sit adhibenda purgatio canonica. Et cum de me dixerit. Fateor te esse & ingenio, & sapientia præditum, adeo tamen stolidum putat, vt sibi persuadeat, me dixisse in Decis. immediatè antecedenti. Quod per testes quotcunque, & qualescunque singulares, fide dignissimos, & omni exceptione maiores, nunquam possit Inquisitor ad inquirendum procedere, cum asseram expressissimis verbis, quod possit etiam condemnare.

Rursus me reprehendit, quod in eadem Decis. 161. num. 13. docuerim, quod quando testes singulares faciunt solum suspicionem leuem contra virum bonæ famæ, debeat adhiberi purgatio canonica, cùm purgatio canonica sit iam antiquata. Sed hoc traditum fuit etiam ab Eymer. par. 2. Direct. q. 55. num. 9 Pegna lib. 2. Schol. 61. §. Et vbi quis. Locato in Praxi. verbo Suspicio. ver. Suspectus leuiter. Syluestro verbo Purgatio Canonica num. 2. Tabiena ibid. Ghisler. De iud. Reg. cap. 21. num. 4. & ab alijs, & nouissime à doctissimis Recentioribus Hispanis Torreblanca in Epitome Delict. lib. 3. num. 7. asserente, nunc quoque esse in vsu, Sousa lib. 2. Aphoris. cap. 38. num. 2. Quid igitur dignum reprehensione, si hos doctores sequutus fuissem? Verum in hoc quoque detorquet ad alium sensum, quod ibi dixi. Neque enim loquor de Praxi, quæ adhibenda sit, de qua, si mihi loquendum fuisset peritos, qui non deerant, consuluissem. Sed loquens in casu, in quo testes singulares faciunt leuem suspicionem, vt colligitur ex antecedentibus, comparatiuè dixi, tutius esse adhibere canonicam purgationem, subintelligens, vt ex contextu necessario debet subintelligi, quam procedere ad inquisitionem strepitosam: & proindè conditionate loquutus sum ex suppositione, quod alterum ex his faciendum esset.

Hæc pauca coactus sum subnectere, vt quæ aliàs scripsi, ad suam synceritatem reuocarem, in qua si accipiantur, corruit quicquid prædictus Doctor contra me inclamat, quem quia revereri volo, à pluribus abstineam, & verbis, & reipsa omni modestia, & moderatione vtar.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

 mertio-

Immo-

Con-

Consue-

Dis-

An

Euentus.

Exemptus.

Expressum.

Extensio.

F

Familiaris.

Famulus.

Quando

Hora Canonica.

Horologium.

Hospes. Hospitium.

Cur

Legi

O

Obligatio.

Obseruantia.

Odor.

Officialis.

Officium.

Operarius.

Operatio. Opus.

Ordinatio. Ordo.

Ornantes templa.

Oua.

non

Tota

Qualitas.

Quattuor tempora.

R

Refectio.

Refectiuncula ieiunij.

Refectiunculæ ieiunij hora.

Refectiuncula ieiunij quantitas.

Ter-

Cur

Neque

FINIS.